

Wiederkehr

A  
1-263



15-a-7-8

Universidad	
GRANADA	
Nota	A
Calificación	1
Tabla	
Calificación	263

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19





15-a-7-8

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Sala	A
Estantería	1
Tabla	
Folios	263

Nº 1  
5-203

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA  
GRANADA



B. 1.419

# CURSUS PHILOSOPHICI

REGALIS COLLEGIJ SALMANTICENSIS  
SOCIETATIS JESU,  
IN TRES PARTES DIVISI,

SECUNDA PARS,  
CONTINENS PHYSICAM,  
feu Naturalem Philosophiam  
De Corpore naturali generatim.

Ann.



1730.

AUTHORE

R. P. LUDOVICO DE LOSSADA,  
*ejusdem Societ., & in eodem Regali Collegio  
Theologia Professore, & Sacra  
Scriptura Interprete.*

SALMANTICÆ: EX TYPOGRAPHIA EUGENIJ GARCIA  
DE HONORATO ET S. MIGUEL.



CURSUS  
PHILOSOPHICI

REGALIS COLLEGIJ SALMANTICENSIS

SOCIETATIS IESU

IN TRES PARTES DIVISI

SECUNDA PARS

CONTINENS PHYSICAM

De Corpore naturali generatim.



Ann.

AUTHOR

M. P. LUDOVICO DE ROSADA

Regalis Societ. & in eodem Regali Collegio  
Philosophiae Professor, & Sacerd.  
Scripturae Interpret.

SALMANTICENSIS TYPOGRAPHIA ERASMI GARCIAE  
DE HONORATO ET S. MICHAELIS

ERRATA.

Corrige.

- Pag. 198. col. 2. l. 16. Dei quia.  
P. 297. c. 2. l. 18. Dei Deo.  
P. 377. c. 1. l. 8. rei D. rei R.  
P. 404. c. 1. l. 34. esse effect.  
P. 482. c. 2. l. 36. De Deo.  
P. 564. c. 2. l. 4. p. r. q. r.  
P. 570. c. 2. l. 26. ubi ibi.  
P. 561. repet. c. 1. l. 15. relictione relictione.  
Ibi. c. 1. l. 19. non internum adde, sed externum.  
Ibi. c. 1. l. 20. cumque cumque.  
P. 570. repet. c. 2. l. 6. volens nolens.  
P. 600. c. 2. l. 17. quod est quod ex eo, quod est.  
P. 609. c. 1. l. 26. ordinatur ordinatur.  
P. 610. c. 2. l. 39. que quem.  
P. 617. c. 2. l. 23. affixum affixam.  
P. 649. c. 2. l. 25. curere curere.  
P. 654. c. 1. l. 34. positus positus.  
P. 671. c. 2. l. 26. si si.  
P. 674. c. 2. l. 26. fit sit.  
P. 675. c. 1. l. 13. confirm. confirm.  
P. 678. c. 2. l. 8. & 9. ulnarium ulnarum.  
Ibi. c. 2. l. 16 & 17. occupet occupet.  
P. 684. l. 44. dimensionis dimensiones.  
P. 685. c. 1. l. 9. Non pertinet ad initium lia. &  
P. 694. c. 1. l. 92. habeant habeat.  
Ibi. c. 2. l. 12. quod quod.  
P. 698. c. 2. l. ult. singula singula.  
Saepe aliter accidit, ut pro f. ponatur f., & vice versa.

Con estas Erratas corresponde à su Original.  
Madrid, y Octubre 9. de 1730.

Lic. D. Manuel Garcia Aleffon,  
Cor. Gen. por su Magestad.



Esta segunda parte de Curso Philosophico se dá à luz con el Privilegio de su Magestad, y las licencias del Ordinario, y de la Religion, que están al principio de la primera parte.

### SUMA DE LA TASSA.

**T**Assaron los Señores del Consejo este Libro à seis maravedis cada pliego, como consta por certificacion de Don Miguel Fernandez Munilla, Secretario del Rey nuestro Señor, dada en Madrid à diez y nueve de Octubre de mil setecientos y treinta.

# PRÆLIMINARIS

## AD PHYSICAM DISSERTATIO

DE NOVA, VEL INNOVATA PHILOSOPHIA,  
quæ Cartesiana, Corpuscularis, & Atomistica  
vocatur.



**P**HILOSOPHIA Peripatetica, quæ longo sæculorum tractu pacificè regnavit in Scholis, & licet iam interturbatâ pace, regnat adhuc, rerum corporearum structuram sic explicat. Corpus naturale (quod & Compositum substantiale dicitur, ut Animal, Planta, Lapis, Aurum) constituitur, tamquam ex partibus essentialibus, ex materiâ primâ, & formâ substantiali. Materia prima est substantia incompleta, sive partialis, à solo Deo creata, quæ de se est commune subiectum omnium formarum, id est, indifferens, ut quamlibet formam recipiat, ac per eam fiat materia Leonis, vel Arboris, vel Lapidis &c.: unde vocatur *pura potentia*; quia de se nullius Compositi propria est actualiter, potest tamen esse cuiuslibet. Hæc dicitur *ingenerabilis*, quia ad omnem generationem præsupponitur à Deo creata: dicitur item *incorruptibilis*, quia corrupto Composito non perit, sed aliam formam subinduit. Forma substantialis est etiam substantia partialis, & absoluta (id est, non modalis) quæ materiam complens, & actuans, cum eâ constituit Corpus naturale in specie determinatâ. Unde appellatur *actus*, & quidem *primus*; quia Compositum facit esse actualiter huius speciei præ aliâ; estque prima, seu primaria radix accidentium, & operationum Compositi. Forma istiusmodi, vel est spiritualis, vel materialis. Spiritualis, nempe Anima hominis, à Deo per creationem producitur, & à materiâ non pendet. Materialis (quæ reperitur in omni Corpore, præter hominem) producitur ab Agentibus naturalibus per educationem, ideoque pendet à materiâ, ut à subiecto præsupposito, in fieri, & conservari, ac proinde perit corrupto Composito.

2 Tam materia, quam forma dicitur *essentialiter simplex*; quia neutra componitur ex *actu*, & *potentia*. Utraque tamen (excepta formâ spirituali) est composita *integraliter*. Vocatur autem compositio integralis, quæ partes unit non sese respicient-

Summa doctrinæ Peripateticæ de Corpore naturali generatim.

De materiâ primâ.

De formâ substantiali.

De simplicitate utriusque



scientes invicem per modum actus & potentia, atque ita integrantes unum Corpus, ut tamen sine qualibet earum existere, vel intelligi possit id, quod sufficit ad verificandam talis Compositi definitionem. Ita se habent gutta in aqua maris, frustulum in lapide, ramus in arbore, pes in animali.

De accidentibus.

3 Agnoscunt præterea Peripatetici varia accidentia, seu formas accidentales entitativas, & absolutas, quæ naturaliter existere non possunt extra subiectum substantiale, possunt tamen Divinitus, ut evenit in accidentibus Eucharisticis. Huiusmodi sunt lux, color, calor, frigus &c.: quorum munus est, tum ornare, ac perficere Compositum, tum eidem in operando subservire. Agnoscunt insuper Modos, idest, tenuissimas quasdam entitates (verè tamen, & à parte rei distinctas à subiecto, quod modificant), quæ sunt ultimæ & formales determinationes rei, ut aliquod munus obeat, vel aliquam realem denominationem actu habeat. Ex hisce modis alij sunt substantiales, ut in sententiâ communi subsistentia, & unio materia ac forma in Composito: alij accidentales, ut actio, passio, & unio accidentis absoluti cum subiecto, & ubicatio, seu præsentia localis. Utrique sunt ita essentialiter alligati subiecto, ut sine illo existere nec Divinitus possint, quamvis subiectum valeat sine ipsis existere.

De modis.

Atomistice, seu Corpuscularis Philosophiæ Authores.

4 Hæc omnia supponebat potius, quam disputabat Philosophia Peripatetica, donec superiori sæculo quidam Philosophi sepultam, aut oblivioni traditam veterum quorundam, ut Leucippi, Democriti, Anaxagoræ, Epicuri, Lucretij sententiam, ab erroribus in fide Catholica pro viribus expurgatam, novâ luce donarunt, eo successu, ut sectatores plures, acutos, & doctos, nacti fuerint. Præcipuus istius novitatis auctor (ut Galilæum, Gassendum, Franciscum Baconium, Hobbesium, & alios præteream) celebratur Rhenus Descartes, sive Cartesius, natione Gallus, qui tanto ingenio, planusque Philosophiam illam emortuam excitavit, novâ forma digessit, & proprijs etiam inventis auxit, ut licet pauci physicum eius systema per omnia sequantur, omnes tamen, quotquot hodie corpusculis variè coniugatis cuncta componunt, vulgo Cartesiani vocentur. Horum plerosque dedit Gallia; unde prodire quoque sat celebres eiusdem Philosophiæ promotores ex Ordine Minimorum RR. PP. Emanuel Maignan (qui tamen magis est Gassendista, quam Cartesianus), & eius discipulus Joannes Saguens: non ita multos alia Nationes: paucos admodum Hispania nostra; quos inter commendatione dignus est Thomas Vincentius Tosca Valentinus, qui suo Compendio Philosophico nuper in lucem edito, par-

Eiusdem Inventores.

tim Cartesium, partim Maignanum imitatus, dictam Philosophiam sic illustrat, ut nihil in eo desideres ingenij, elegantia, modestia.

5 Hisce Philosophis princeps dogma est, ab Agentibus naturalibus, & generatim à causis secundis, sive creatis, nullam veram entitatem, quantumvis partialem, denuò produci, cuius antea nihil præcesserit: nullam item periri, seu resolvi in nihil sui. Quia causæ secundæ non creant, seu non agunt per creationem, ut inficiatur nemo: si autem producerent aliquam entitatem, vel entitatis particulam, quæ prius nihil erat, illam producerent ex nihilo, ac proinde verè crearent, quia creatio est *productio rei ex nihilo*. Similiter certum est, causas secundas non posse quidquam annihilare. Si autem ita resolverent Compositum, ut aliqua pars eius abiret in nihilum, illam verè annihilarent, quia annihilatio est *desitio rei in nihilum*. Hinc (exceptâ Animâ rationali, quam constat creatione produci à solo Deo) negant, & à natura rerum ablegant omnem formam substantialem, quæ sit entitas realiter distincta à materiâ, qualem adstruunt Peripatetici. Cum enim talis forma nihil sit ante generationem Compositi, ex.g. ignis, verè creabitur, quando accipit esse à causâ secundâ ignem generante; quia verè produceretur ex nihilo: & cum istius formæ nihil remaneat extincto igne, verè annihilabitur; quia verè in nihilum abit. Ex eodem principio negant omne accidens absolutum, sive omnem formam accidentalem entitativam, quæ realiter distincta sit ab omni substantiâ: ne scilicet in idem absurdum creationis, & annihilationis incurrant. Agnoscunt tamen satis communiter Modos, seu modificationes, ac determinationes subiecti substantialis, quæ virtute naturalium agentium nunc incipiant, nunc desinant esse. Sed negant, eos modos entitative distingui à subiecto: negant etiam, eos proprie fieri, produci, vel corrumpi.

Fundamentum, quod tota nititur.

Inde negat formas substantiales. Peripat.

Et accidentales.

Modos admittit, & quales.

6 Dicunt igitur, materiam primam, ex quâ cuncta corpora constituuntur, esse minutissima supra sensum nostrum corpuscula, initio Mundi à Deo creata: quæ corpuscula, puncta, seu minima physica, alij, ut Maignan, Saguens, & Tosca post Gassendum, volunt esse proprie *atomos*, idest, entitates physicè indivisibiles, seu realiter indivisibiles in partes; tametsi divisibiles sint mathematicè, idest, figurâ & extensione locali præditæ. Alij verò, ut Cartesius, & affectæ, volunt, ea corpuscula esse divisibilia sine fine, quemadmodum de Continuo censent Peripatetici passim. Quia tamen Cartesiani ista corpuscula sensum omnem præ nimia tenuitate fugiunt, solent etiam *atomi* vocari. Unde & omnes innovatæ Philosophiæ, quâ de loquimur, Assertores vulgo

Apud novos Philosophos prima principia Corporis naturalis sunt atomi, vel corpuscula.



Inde vocantur Atomistae, vel Corpusculares.

appellatur *Atomista*, nosque deinceps brevitatis ergo hac eadem omnes appellatione complectemur. Quod si mavis pro *atomis* legere *corpuseula*, & pro *Atomistis* *Corpuseulares*, per me licet. Ex atomis hisce ( quae varias figuras habent, cum aliae sint globosae, aliae angulosae, aliae striatae, aliae hamatae, vel uncinatae &c.) multifariam motis, coordinatis, nexis, in certa multitudine, certave dosi, resultare dicunt omnia Composita substantialia: ita ut forma nihil aliud sit, quam situs, proportio, coordinatio, & plexus atomorum, vel etiam motus earundem, aut vis motrix, quam secum identificant, multarum consortio temperata: ac proinde forma nihil addat entitative distinctum a simplici substantia atomorum, sed modos duntaxat, seu modificationes quasdam, ut sumum. Quod ut explicent, exemplum artefactorum identidem inculcant.

Alij credunt atomos heterogeneas.

Et elementa substantialiter variant.

Alij atomos omnes homogeneas mutant: nec nisi accidentaliter differentes.

7 Si queras, an primordiales atomi substantialiter inter se differant? Respondent plures cum Maignano, atomos esse intrinsece heterogeneas, seu dissimilares, ac diversae speciei substantialis: ut hinc possint differre substantialiter inter se quatuor elementa vulgaria, Ignis, Aer, Aqua, Terra; utque ex his multiformi proportione commixtis constituantur diversa corpora, quae dicuntur *mixta*, cuiusmodi sunt lapides, metalla, plantae, bruta animantes, in quibus omnibus nihil est, praeter elementa varie combinata. Et quia vulgaria quatuor elementa non videntur sufficere tot combinationibus diversis, quot sunt mixta inter se dissimilia, quidam addunt quintum elementum innominatum, ex nobilioribus atomis coalitum, quod praesertim brutis & plantis constituendis inserviat. Triginta alia superaddit Saguens, quae pariter anonyma relinquit. Maignan vero admittit penes innumera, totidem saltem, quot sunt diversi caelestium corporum influxus: quorum alia piebeja, alia nobilia statuit, & illustria. Respondent alij cum Cartesio, & Tosca, materiae particulas, vel atomos, esse substantialiter homogeneas, seu similes, & eiusdem speciei, solumque diversas esse in figura, & motu: quae sola diversitas cum varietate dosis sufficit, inquit, ut salvetur tota varietas Compositorum naturalium, prout videre est in artefactis. Quapropter tota differentia Iconis ab aquila, vel auri a carbone, consistit in atomorum diversa figura, dispositioneque, vel etiam in diverso motu. Motum autem, sicut & figuram hanc praeter illa, negant hi Authores provenire ab intrinseca natura corpusculorum: volunt enim, omne corpus esse de se indifferens ad quamlibet figuram, & ad motum & quietem; nec posse moveri, nisi ab Spiritu.

8 Porro, licet Cartesiani, alijque Philosophia novatores contempserint initio auctoritatem Aristotelis; iam tamen recentiores Atomistae patrocinio se tanti Philosophi communitate curant: eumque, sicut & D. Thomam, passim obiciunt Peripateticis. Ipsidem vero nominibus circa rem physicam utuntur, quibus Peripatetici; alio tamen sensu, diversaque notione donatis. Nam apud Atomistas *Compositum substantiale* nihil est aliud, quam moles quaedam artificiose constructa ex atomis varie complicatis (vel etiam ex moleculis antea formatis ex primordialibus atomis) in ea quantitate, ut evadat sensibilis. *Generatio*, quae est productio Compositi substantialis, merus est motus localis, quo excitantur, colliguntur, coordinantur, & plectuntur atomi in unam molem sensibilem, quae mereatur nomen alicuius speciei physicae, v. g. Lapidis, aut arboris. *Alteratio* est excitatio, vel inductio localis novorum corpusculorum, qua sensibiliter immutatur illa moles, quin adhuc suum nomen amittat. Ex. gr. alteratur vinum, dum calefit per corpuscula ignea; sed adhuc retinet nomen vini. *Corruptio* est disjunctio, ac dispersio corpusculorum tanta, ut iam non maneat moles illa sub eodem nomine, sed alia succedat diversae speciei. Ex. gr. corrumpi lignum, dum comburitur, in eo consistit, quod tot in unum confluant ignea corpuscula, ut resoluta compage ligneorum atomorum, hisque insensibiliter dissipatis, succedat ibidem, sentiaturque moles ignea.

Quid apud Atomistas Compositum substantiale. Quid generatio.

Quid alteratio.

Quid corruptio.

9 *Materia* est tota rerum naturalium substantia, & entitas. *Materia prima* consistit in atomis, seu corpusculis primitivis nondum coherentibus: quibus facile apratur, quod de materia prima dici solet, videlicet esse substantiam simplicem, ingenerabilem, incorruptibilem, puram potentiam, indifferentem ad quamlibet formam, & ex se nullius existentiae physicae, id est, sensu perceptibilis, cum haec sola pertineat ad scientiam Physicam, quae non abstrahit a materia sensibili: quamvis reipsa qualibet atomis, seorsum accepta, substantia sit realiter existens coram Deo, imò coram Metaphysica, quae a materia sensibili abstrahit. *Materia secunda* (quae in aliquibus Mixtis potest etiam esse tertia, quarta &c.) sunt moleculae ex primitivis corpusculis conflatae, vel ex aliis tenuioribus moleculis, quae deinde inter se complicate Mixtum componunt. Omne quippe Mixtum immediate componitur ex materia secunda: quia prius atomi forantur in varias moleculas (quae sunt portiones, vel elementorum vulgarium, ignis, aquae, &c.; vel elementorum chymicorum, salis, sulphuris, &c.; vel aliorum sine nomine), ut istae postea formentur in Mixtum.

Quid apud eisdem materia prima.

Quid materia secunda.

10 *Forma substantialis*, vel est motus multiplex corpus-



Quid substantialis forma, quam vocant generalem.

pusculorum, iuxta Cartesium, & sequaces: qui motus à Deo impressus est initio mundi præter exigentiam materiæ, quæ de se non inclinatur, nisi forte ad motum rectum: semel autem impressus, perpetuò durat; quia nulla materiæ pars motum amittit, nisi illum deponendo, ac transferendo veluti sarcinam in alia corpuscula. Vel est, ut cenfer Maignan, vis motrix realiter atomis identificata, & solâ ratione ab ijs distincta, prout temperata coalescit ex atomis heterogeneis, ut accidit in Mixtis: nam, si vis illa sit homogœna, ut in elementis puris, non dicitur forma substantialis. Vel denique, ut plerisque placet, est atomorum combinatio, importans certam earum multitudinem cum aliarum carentiâ, certam item figuram, talem situm, complicationem, proportionem, harmoniam: quæ omnia sunt quid modale, & respectivum, nihilque superaddunt entitativè distinctum ab atomorum substantiâ. Exemplum esse dicunt in formâ exercitus, domi, vel cuiuslibet artefacti: nam, quantum ad generalem indolem formæ, nullum discrimen esse volunt inter artificialia, & naturalia. Hanc formæ notionem tenet Tosca cum pluribus alijs: eaque videtur usu recepta apud omnes Atomistas, & Corpusculistas, etiam Cartesij, aut Maignani sequaces: qui omnes idcirco passim appellantur *Combinatores*, & eorum Philosophia *Combinatoria* dicitur, atque etiam *Mechanica*, & *Artificialis*: quia scilicet totam naturæ varietatem solâ arte combinatoriâ condiunt, totamque ad leges mechanicas exigunt, & artefactorum more constituunt.

Quid item forma specialis.

II Sed notandum, Maignanistas, quos sequitur Tosca, præter combinationem nunc dictam, quam vocant *formam generalem* omnibus corporibus, aliam agnoscere *formam specialem*, in ijs præsertim Compositis, in quibus est aliqua portio materiæ subtilior, actuosior, & mobilior, v. g. in brutis animantibus. In his enim aliqua materiæ portio est valde subtilis, & motu celerrimo agitata (sive consistat in spiritibus, quos vocant vitales & animales, sive in particulis ignis defæcatissimi, aut alius nobilioris elementi, iuxta varias Atomistarum sententias), quæ per venas, arterias, nervos, fibras, toto corpore cietur, ac divagatur, variosque motus membrorum causat, prout variè movetur, tum ex internâ partium commotione, tum ex impressione obiectorum exterius occurrentium. Hæc igitur materiæ portio vocari potest, inquirunt, *specialis forma* bruti; quia cæteras bruti partes movet, & quasi actuat, ac perficit; immò & vivificat, cum sit principium intrinsecum motuum immanentium. Unde concludunt, hanc ipsam, & nihil aliud, esse animam bruti.

12 Solenne est Atomistis brutorum animas relegare, qua-

quales agnoscunt Peripaterici, scilicet formas quasdam substantiales, à materiâ realiter distinctas, sed ab eâ pendentes, quæ sint materialiter cognoscitivæ, seu perceptivæ obiectorum, ita ut ex materiali perceptione eliciant appetitum etiam materialem, quo appetant sibi commoda, & noxia refugiant. Sed Corpusculares isti Philosophi in duas sententias, vel potius in duos loquendi modos, reipsâ convenientes, dividuntur. Nam Cartesius cum suis brutâ animalia dicit mera esse automata, seu machinas quasdam à Divino Artifice fabricatas, quarum tota forma consistat in organizatione, proportionem, ac dispositionem partium materiæ, quæ reddatur eo ipso idonea ad totam varietatem motuum, quos experimur in brutis: ad hos autem motus determinetur, partim à spiritibus per organa decurrentibus, partim ab externis obiectis. Nos itaque iubent cogitare structuram brutorum instar horologii rotati, quod absque aliâ formâ, quàm artificio ac debitâ dispositione partium, suos efficit motus, notat horas, ac sonos edit; vel instar organi pneumatici, quod pressis manu palmulis, & aere per varias fistulas subeunte, tam multiplici, tamque musico resonat concentu. Verùm quia is loquendi modus contra sensum totius generis humani denegat brutis, non solùm cognitionem, sed sensum omnem, nec vitam relinquit, nisi valde metaphoricam (qualem tribuere Sineses rotato horologio, primùm ab Europâ delato, quod animal Europæum, & sonoram bestiolam appellabant), ideò alij, quos imitatur Tosca, mitius loquuntur. Vim quidem cognoscitivam brutis abnegant. Sed concedunt *animam*, & *vitam*: quia anima iuxta Aristotelem est *Actus corporis physici organici potentia vitam habentis*; quam definitionem adaptant portioni materiæ subtiliori, quam ipsi vocant *formam specialem*, de quâ num. 11: vita verò est *Motus ab intrinsecò*, immanens, sive in agente ipso terminatus; qualem dicunt motum in brutis ab illâ *speciali forma* provenientem. Concedunt etiam *sensationem*, non quidem completam, quæ cognitionem includit, sed incompletam, in eo consistentem, quod obiecta moveant organa sensuum exteriorum tremulo motu, qui statim communicatus per nervos, & fibrillas ad commune sensorium in cerebro situm, inde diffundatur per organa potentie locomotivæ, totumque animal determinet vel ad fugam, vel ad prosecutionem obiecti. Sed in usu nominum liberalior est cæteris Maignanus: qui *Philosoph. natur. cap. 24. & 28.* concedit brutis sensationem completam, cognitionem, notitiam, cogitationem, memoriam, immò discursum materialem, & umbram quandam, ac veluti simulacrum liberi arbitrij humani. Verùm huiusmodi nominibus non aliam at-

Brutorum animas

negant Cartesiani:

cæteri Atomistæ concedunt, sed voce tenent.



tribuit significatum, nisi cuiusdam motus localis internarum materiae particularum.

13 Denique Atomistæ nullam actionem, nullum motum in rebus corporeis agnoscunt, præter motum localem. Nam apud ipsos vita, & sensatio, vel etiam materialis cognitio, imaginatio, cogitatio, est motus localis in his vel illis organis animantium: & generatim causa efficiens corporea nullam activitatem habet, nisi ad motum localem; cuius ope corpuscula varia coniungendo dicitur generare, vel alterare; & alia corpuscula dispergendo dicitur corrumpere, seu destruere; id quod præstat emittendo ex proprio sinu effluvia corpusculorum, quæ passim adherent, & in se excitant cognatas atomos inibi latentes; atque ita passim alterant, vel corrumpunt, idest, vel inchoant, vel absolvunt resolutionem eius in particulas insensibiles. Nullam item in rerum naturam entitatem agnoscunt, quæ non sit substantia in se, quamvis alias respectu aliarum vocentur *accidentia*, nomen hoc accipientes iuxta definitionem Porphyrianam in Logica notam, nempe *Quod potest adesse vel abesse. citra subiecti corruptionem*: unde, quando una substantia sic admiscetur alteri, ut possit iterum segregari, quin altera corrumpatur (idest, quin amittat illam præcipuam proprietatem, vel sensibilitatem, ratione cuius habet tale nomen, v. g. ligni, vel pomi), tunc substantiam admixtam vocant *accidens* alterius. Sic, aiunt, lumen in se substantia est; & tamen, cum per aerem diffunditur, dicitur accidens aeris, quia citra corruptionem eius potest adesse, vel abesse. Nullam demum entitatem novam à causis secundis, etiam spiritualibus, produci posse volunt: & totam earum activitatem coarctant ad modificationes, aut relationes, quas negant entitates esse, saltem vere, & à parte rei distinctas à subiecto substantiali.

14 Ab hæc Atomistica Philosophia non multum abhorret Physica Chymicorum: qui prima principia Mixtorum consistere dicunt in quinque elementis, nempe Mercurio, Sulphure, Sale, Phlegmate, Terrâ: quorum communior explicatio sic habet. *Mercurius*, qui & *Spiritus* dicitur, liquor est valde subtilis, mobilis, & inflammabilis. *Sulphur*, quod & *Oleum* vocant, alius est liquor pinguis, oleosus, atque viscosus. *Sal* est portio materiae fixior, quæ talera usuarium imitatur. *Phlegma* est liquor, seu humor aqueus, & insipidus. *Terra* est materiae portio crassa & friabilis, instar terræ siccioris: hanc etiam *Terram dammatam*, & *caput mortuum* appellant. Inter hæc se officia partiuntur, ut Sal in constitutione Mixti sit pro materia, Mercurius pro forma, Sulphur pro unione, quia viscosum cum sit, ceteras partes conglutinat:

Phleg-

Phlegma autem, & Terram, vel hæc inertia elementa, vique officium aliquod obcurantia, negligunt. Hanc de elementis sententiam inde probant, quod illa quinque semper extrahuntur ex Mixto quolibet in eius analysi, vel resolutione, quæ per alembicum & alia instrumenta peragitur actione ignis: unumquodque autem ex ijs componitur, in quæ resolvitur. Non displicent Atomistis principia ista Chymica, dummodò non dicantur prima principia, sed secunda, idest, principiatæ ex alijs: nam ea posse ulterius in alia diversa corpora resolvi, planè demonstratur experimentis ipsis Chymicæ artis. Nec fortan Chymistæ dissentiant: qui, dummodò obtineant, notiora Mixta immediate constitui ex illis tantum elementis, facile concedent, ultimam resolutionem pervenire posse ad atomos, aut corpuscula insensibilia, naturæ, vel figuræ multiplicis.

15 Non est animus Philosophiam Atomisticam ex professo refellere in præsentiarum; nec obiectiones attingere, quæ peculiariter militant contra Cartesium, contra Maignanum, contra Toscam, & alios, quorum singuli suam sibi physicam rerum seriem struunt, nec parum ab alijs discrepant. Majoris est voluminis hoc opus. Nunc tantum quæ potero brevitate proponam rationes aliquot ex illis, quæ generatim Atomistas quoslibet impugnant, & quibus, ut tritam, Peripateticamque philosophandam præferam, lubens adducor. Sed prius hoc te monitum velim. Siquando cum Atomistâ disputes, concede, vel permittite nonnulla, quibus ille exultat, & insultat, multis experimentis obarmatus; & quæ tamen ad controversiæ caput non spectant, sed sunt etiam apud Peripateticos vera, vel probabilia. Huiusmodi sunt, quæ sequuntur

16 1. Omne corpus constare, vel ex corpusculis tenuissimis, quæ saltem ab Angelo, vel à Deo dividi, ac subdividi possunt, tum usque ad insensibilitatem omnimodam, tum usque in infinitum: vel etiam ex atomis entitativè prorsus insensibilibus, quæ tamen singulæ suam habeant extensionem localem, ac proinde figuram, Utrumque patronos habet Peripateticos; dummodò singula corpuscula, puncta, seu atomi, constituentur ex materia, & formâ substantiali, sive ex atomo materiae & atomo formæ; item dummodò talia corpuscula, sic essentialiter composita, non uniantur inter se, nisi unione integrali, seu continuativâ.

17 2. Elementa, vel quatuor vulgaria, vel chymica, manere formaliter in Mixtis; dummodò in Mixtis perfectis superaddatur alia specifica forma substantialis. Quod duobus modis permitti potest; vel ita, ut elementa inter se commixta fungantur

Cætera Atomistæ u dogmata generalia.

quæ non displicent Atomistis.

Propositum Auctoris.

Quædam Atomistis permittenda.

Primum

Secundum.

Prima principia Mixtorum apud Chymicos:



munere subiecti respectu formæ propriæ Mixti, cui subordinentur formæ elementorum; sicut de formis corporeitatis in viventibus opinantur plures Peripatetici: vel facilius ita, ut Mixtum, ultra suam constitutionem, & integritatem primariam, exigat ad sui conservationem, & ad operationes sibi proprias, habere intra se plurimas particulas elementares, pertinentes ad integritatem secundariam Mixti, quin ab huius formâ informentur: non aliter, ac Peripatetici plurimi censent de sanguine, de tribus alijs humoribus, de lachrymis, de que omni ferè succo, & adipe corporis humani. Imò, præter has particulas integrantes, forsan pleraque Mixta citra exigentiam passim recipiunt intra poros innumera corpuscula per aerem volitantia, tum elementaria, tum alius naturæ (quæ tamen semper consent suâ formâ, & materiâ), atque in eâ internâ contiguitate communicant illis aliquatenus proprias qualitates. Hoc ita dato, vel permissio, facile te expedies à furnulis, & alembicis, quibus nimum fidit Atomista; quin opus sit quærere causas occultas novorum effectuum productivas. Quid enim mirum, si à plerisque Mixtis actione ignis extrahantur elementa, seu vulgaria, seu chymica, siquidem inibi formaliter continentur, vel tamquam partes saltem integrantes, vel tamquam adventitia corpuscula? Cum hoc optimè cohæret, quod propria Mixti forma substantialis præxiterit, & pereat; & quod eius propria materia (si velis elementa pertinere solum ad integritatem secundariam) virtute ignis tum præsentis recipiat novam formam substantialem volatici alicuius spiritus: nam extractis corpusculis omnibus, tum integranibus, tum adventitijs, exigua certè materiæ portio supererit ex Mixto; & aliunde non est cur ignis virtutem superet nova productio substantiæ volatiliss.

Tertium.

18 3. A Mixtis plurimis effundi sæpe, vel semper effluvia corpusculorum. His effluvijs plurimum delectantur Atomistæ; atque in eis collocant cœlestium corporum influentias, & omnes agentium naturalium ad aliquid producendum influxus. Verum ea non negant Peripatetici; sed passim supponunt rem eandem sub nomine vaporum, spirituum, aut halituum multigenorum, maxime prodeuntium à corporibus viventibus, aut mortuis, & ab omnibus odoriferis. Effluvia ista derivari possunt ab illâ corpusculorum copiâ, vel integrante, vel adventitiâ, de quâ nuper, accedentibus materiæ propriæ particulis, quas Mixtum amittit actione caloris naturalis, vel contrariorum agentium. Quomodo autem Mixtum reparet tot corpusculorum iacturam, ne brevi totum evanescat, explicent Atomistæ. Caterum, quamvis effluvia istiusmodi solo motu, & appulsu quosdam effectus causare valeant,

leant, saltem indirectè, in alijs corporibus, eorum propria corpuscula excitando, & commovendo; negandum omnino est, quod in illis consistat tota naturalium agentium actio, vel explicatio virtutis: tum quia independenter ab effluvijs plures effectus causantur, ut suis locis patebit: tum quia pleraque phenomena non aliter pendent ab effluvijs, nisi quatenus hæc sunt vehiculum qualitatum, quibus tamquam virtutibus instrumentarijs operatur Agens.

Quartum.

19 4. In Mundo cœlesti & sublunari, præter corpora sensui nota, reperiri substantiam quamdam corpoream, sed subtilissimam, fluidissimam, motuque perniciosissimo agitatum, quæ non solum repleat quidquid spatij relinquatur ubilibet ab alijs corporibus, verum etiam cæterorum corporum facile poros permeet, quantumvis angustos, adeo ut nihil sit impervium eius subtilitati. Hæc vocari solet *æther*, vel *materia subtilis*, vel *substantia æthereæ*. Huius ope, veluti machinæ theatrialis, à phænomenis multis explicatu difficillimis expediri se putant Cartesiani, quibus Tosca subscribit. Nec illa est adeo à Peripatu aliena, ut multis Peripateticis non arrideat, tamquam de mente Aristotelis. Denique admittere poteris Acris pondus, ac vim elasticam (quæ scilicet violenter compressus, velensus, ad extensionem debitam se reducit), aliaque plurima, quæ solerter ac feliciter detecta debemus eorum experimentis Physicorum, quos idcirco *Experimentales* appellat. Nec quidquam magnopere improbare velis, nisi cum formis, & qualitibus Peripateticis cohærere non possit. Totus igitur controversiæ cardo versari debet in entitate formæ substantialis, & accidentalis, quæ denuò producatur à causis secundis, & in physicis mutationibus pereat. Sed iam rationes, quibus hæc Philosophia reiici debet, indicemus.

Plura alia.

Controversiæ cardo.

20 1.: quia nullum erit substantiale Compositum, nulla generatio substantialis. Negatur ab Atomistis hæc sequela. Sed probatur: quia substantiale Compositum nullum est sine materiâ & formâ substantiali, ut nemo negat. At forma, quam ponitis, non est substantialis. Nam vel est corpusculorum motus, vel combinatio, de quâ supra num. 10. (mitto vim motricem ab atomis indistinctam, quæ certè cum materiâ non facit compositionem physicam); & utrovis modo nihil est, nisi modificatio parè accidentalis. Tum quia potest adesse vel abesse citra subiecti corruptionem, quæ est apud vos notio accidentis. Tum quia nemo dicit, substantialem esse formam artefactorum, à quâ tamen naturalis forma non differt, ut vultis, nisi penes maiorem & minorem subtilitatem, sicut forma delicatioris imaginis à forma rudioris.

Rationes contra Philosophiam Atomisticam, seu Corpuscularum.  
Prima ratio: quia nullum erit Compositum substantiale.

Tum



*Dissertatio Preliminaris*

Tum quia forma, quæ per alterationem inducitur, est accidentalis; & tamen non nisi penes magis & minus differt ab eâ, quæ inducitur per generationem. Tum demum, quia, quod nihil habet veræ entitatis, nihil habet substantialitatis, ut est per se notum: illa autem forma, quatenus physice supervenit materiæ, nihil veræ entitatis habet, ut dicitis. Enimverò substantialis forma debet esse præcipua quidditas Compositi, seu ratio essentiæ, & substantiæ illius, præcipuumque, vel unicum specificum constitutum, quo usum Compositum essentialiter differt ab alijs: quæ omnia cum Aristotele concedit Tosca. Quis autem percipiat, hæc omnia convenire modali formæ, quæ nullam addat ne minimam quidem entitativam reapse distinctam à materiâ? Nec prodest recursus ad illam formam specialem num. 11. Nam illa, ut eius Authores fatentur, non alio sensu est forma, nisi quatenus reliquis materiæ partibus comparata, nobilior est, aut subtilior. De cætero una est ex partibus materiæ, quæ simul cum cæteris formatur per modalem formam, cui soli tribuitur quod atomorum congeries indigesta, & informis, evadat substantiale Compositum. Idcirco Tosca *Tract. 3. Lib. 1. cap. 2. propos. 26. 27. 28. & 36.* de hac modali formâ verificare conatur quidquid est de conceptu formæ requisitæ, & sufficientis ad Compositum substantiale constituendum. Iam verò, si nullum est eiusmodi Compositum, nulla quoque generatio substantialis erit, ut per se patet. Profecto, quidquid substantiæ, imò quidquid entitatis denuò apparet, iam antea erat ( siquidem vestra combinatio nihil est entitativum ), solumque fit sensibile quod non sentiebatur, detegitur quod latebat, transit ad statum collectionis quod erat in statu dispersionis, & situm ac nexum variat. Mutatio autem huiusmodi non magis est generatio substantialis, quam collectio militum dispersorum, vel eorum dispositio in quadrum, aut semicirculum, vel eorundem ex occulto loco in apertum campum repentinus exitus. Unde totum negotium transmutationum naturalium ad meras apparitiones, & nostrorum ludibria sensuum reducitur. Quæro abs te, cur fabricatio horologii rotati non est generatio substantialis? An quia non Dei, sed hominis est opus? Si ergo Deus solus illud ipsum fabricare vellet, iam horologium foret Compositum substantiale, quamvis nihil in se differens ab alijs humanitus fabricatis: quod mirum esset. An quia minus artificiosum est, quam naturalis machina? At inter machinas naturales, aliæ sunt alijs minus artificiosæ, ut tu ipse non dubitas. Et præterea formæ horologii reipsa convenit, quidquid de conceptu formæ substantialis esse dicis: nec hinc machina deest illa *forma specialis*, quam in viventibus

Præcludit evasio.

Nulla item generatio substantialis erit.

Confirmatio.

*De nova, vel innovata Philosophia.*

agnoscis; talis quippe est convoluta lamina chalybea, quæ sua elasticitate ( verba sunt Tosca loc. cit. propos. 34. ) toti illi corpori organico motum tribuit ordinatissimum: ideoque est præcipua horologii forma, ac veluti eiusdem anima, à qua stasis numeris volvantur rota, totaque machina intestino motu cietur. Audete igitur, & omnia artis opera intrepide vocate Composita substantialiter generata, quidquid rideant cum Philosophis fabri: nec verò id erit magis absonum, quam bestias appellare machinas, vel automata, prout iamdudum assuevistis.

21 2. : quia sequitur, agentia naturalia, & generatim causas secundas nihil agere posse. Hoc etiam apud hosce Philosophos est absurdum; & quantum ad causas liberas, damnatum à Tridentino tamquam hæreticum. Probatum tamen. Agentia naturalia per vos eatenus dumtaxat agunt, quatenus inducunt motum localem, seu quatenus faciunt corpuscula mutare locum. At hæc loci mutatio, iuxta Maignanum, nihil importat ex natura rei distinctum à corpore & loco, quorum neutrum causare possunt agentia naturalia. Iuxta alios verò, loci mutatio importat modificationem quamdam modaliter distinctam à corpore & loco. Modificationem item potest ad summum agere causa secunda etiam spiritualis, & nihil aliud. Sed rogo: modificatio hæc habet ne aliquid entitatis? an omnino nihil? Si primum dicas, cave tuum absurdum creationis, & anihilationis per causam creatam. Si secundum: ergo causæ secundæ, si nihil præter modificationem agunt, nihil omnino agunt. Adde, quod, iuxta Cartesianos, motus localis, totus quantus in Mundo est, productus a Deo fuit in ortu Mundi citrà exigentiam materiæ, quæ deinceps nihil aliud præstat, quam talem motum pati, vel illum deponere in aliam materiam occurrentem. At, qui sarcinam ab alio impositam sustinet, vel illam in alienos humeros deponit, non nià ridiculè dici potest sarcinam agere, vel causare. Similiter iuxta Toscam *tract. 3. lib. 5. cap. 1.*, omne corpus indifferens est ad motum & quietem, nec valet motum elicere propria virtute, vel exigentia intrinseca, sed illum accipere debet à Deo, vel ab alio motore spirituali, aut etiam ab impactione alterius corporis, quod prius fuerit mediate vel immediate motum à spirituali motore: & quando unum corpus impingit in aliud, hæc impactio, quæ est tota actio movendi, nullum alium terminum habet, inquit Tosca, nisi ipsam creationem, seu conservationem corporis successive in diversis locis factam à Deo ad exigentiam corporis moventis, non quidem absolute & secundum se spectati, sed quatenus suo motu in aliud incurrit, & impingit. Unde plane sequitur, quod omne corpus motu passivo

Secunda ratio: quia nulla causis secundis in-erit activitas.

Ugetur contra Cartesianum:

contra Toscam:





ve se habet ad suum motum, nec magis illum agit, quam sui creationem, aut conservationem. Nec impactio, qua unum Corpus aliud impellit, dici potest actio physica movendi, propria corporis impacti: quia nec est a virtute, vel exigentia corporis ipsius ratione sui, sed tantum ratione motus aliunde recepti: nec talis impactio causat physice motum corporis percussi, sed tantum exigit, ut Deus causet: nisi absurdè velis, ut materia organizata, ac debite disposita, dicatur physice causare animam rationalem, eo quod illius creationem a Deo exigit. Cum igitur, iuxta Atomistas, agentia naturalia nihil agere possint, præter motum localem, & cum ad illum merè passivè se habeant, reverà nihil omninò agunt: nam iuxta Tridentinum Sess. 6. can. 4., perinde est *nihil omninò agere, ac merè passivè se habere*. Unde fit quoque, nullam esse in rebus physicis *naturam*, prout hæc definitur *Principium & causa motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se, & non secundum accidens*. Naturam sic definitam in rebus physicis inveniri, supponit Tosca: sed illam cum doctrinà modò relatà sociari non posse, facile quisque colliget ex dictis. Hoc etiam argumento utitur Maignanus *Philosopb. natur. cap. 13. propos. 14.*, ut probet, atomis intrinsecam esse vim motricem. Sed nec ipse veram activitatem physicam salvat, si Corpora nihil agunt, præter motum localem, ut vult. Tum quia *cap. 10. propos. 12.* statuit, *Motum non esse aliquid physice ante opus mentis distinctum à movente, à quo est, & à mobili, cuius est, & à spatio, in quo est*. Tum quia, ut constat ex eius doctrinà *cap. 19.*, corpus non aliter agit ac movet se, vel aliud, nisi quatenus exigit naturaliter, ut Deus agat ac moveat, scilicet per continnatam creationem, aut conservationem talis corporis in spatio, in quo fit motus: ita ut exigentia, quæ identificatur cum exigente, secundum se spectata, sit *actus primus causa secunda; sit verò eiusdem actus secundus, prout habet sibi actualiter accommodatam, & adiunctam creationem*. Sic cit. *cap. 19. propos. 12. num. 10.* At exigere non est physice causare, ut nuper aiebam exemplo animæ rationalis. Et præterea, quod mobile dicatur propriè causare creationem sui in spatio, quis ferat?

22 3 :

quia nulla erit differentia specifica substantialis inter equum, & plantam (sic de reliquis speciebus corporum), si atomi sint homogeneæ, ut plerique Atomistæ docent; qui tamen ab hac sequela se prorsus alienos ostendunt. Probatum: quia tota differentia stabit in atomorum figurâ, situ, plexu, dosi. Ex his autem dosi, seu certa portio, vel multitudo corpusculorum, nihil refert ad specificam differentiam; nam, ut aiunt, *magis & mi-*

iterum contra eundem:

contra Maignanum.

Tertia Ratio: quia nullum Corpus ab alio differet specie substantiali.

*nus non variant speciem*: varietas figuræ, situs, & plexus, requirit facere substantiale discrimen, ut est evidens; maxime quando subiecti entitas non exigit hanc figuram præ illâ, &c., ut Adversarij volunt. Et alioquin homo sedens differret specie à semetipso stante. Hoc etiam urget patronos heterogenearum atomorum. Nam plura Mixta, quæ constat specie distingui, non differunt in atomorum substantiâ, sed tantum in diversâ proportionem, & harmoniâ. Eorum ergo discrimen ad diversas elementorum doses, diversasque figuras, aut texturas, est revocandum. Verb. gr. lupus & ovis constant atomis eiusdem indolis, ut etiam ciconia & coluber: nam lupus ovibus, & ciconia colubris nutritur: unumquodque autem iisdem constat, quibus nutritur; ut fert axioma vulgatum, ex quo Maignanus, heterogeneitatis Author, *cap. 21. n. 8.* probat, vegetantium pabula constare iisdem elementis, quibus vegetantia ipsa; idque confirmat *cap. 22. n. 22.* exemplo Ardeæ pisciculis vesci solita, cujus cadaver in aquâ putrescens definit in catervas pisciculorum, qui inde formantur. Non igitur aliâ ex causâ ovis non est lupus, vel coluber non est ciconia (spectatâ etiam illâ portione materiæ nobilioris, quæ gerit vices animæ; nam hæc etiam proculdubio augetur in brutis & plantis, dum nutriuntur), nisi ex diversitate figuræ, situs, aut plexus. Unde immeritò hic Author *cap. 13. propos. 14. n. 7.* impugnat homogeneitatem atomorum ex eo, quod aurum, magnes, & alia quævis corpora in toto orbe, forent eiusdem infimæ speciei; quod, inquit, *sine dubio nemo sane mentis concedet*. Immeritò, inquam: non enim identitas specifica absurdior est in auro & magnete, quam in bove & fœno, in equo & hordeo, in ardeâ & pisciculis, & generatim in animalibus, aut plantis, ad sua pabula comparatis.

23 Ex dictis aliter argui potest, simulque subruï fundamentalis Atomistarum ratio. Combinatio, seu tota illa complexio, & harmonia, quam dicitis formam Corporum, est aliquid positivum, verè distinctum ab atomis ex parte rei, & ante opus mentis: cum ergo talis combinatio activitate agentium naturalium incipiat esse, & esse desinat, jam aliqua nova entitas ab ijs agentibus producit, & destruitur; ac proinde vobis quoque solvenda est decantata illa de creatione & anihilatione difficultas. Probo Antecedens. Et in primis, quod eiusmodi combinatio sit aliquid positivum, pater: quia in eâ consistit symmetria, pulchritudo, & artificiosa perfectio totius Mundi corporei: in eâ fiat specificum esse cuiusque corporis, & specifica differentia unius ab alio: per eam v. g. lupus est lupus, & non est ovis, nec fœus. In his autem lumen rationis concipere nos cogit aliquid positivum.

Con-

Nec prodest heterogeneas atomos statuere.

Subruitur fundamentum Philosophiæ Corpuscularis.

Probatum, combinationem corpusculorum esse aliquid positivum:



Concipe totam multitudinem atomorum, quibus constat Mundus, nondum coordinatam ullo motu, nexu, vel harmoniâ. Talis multitudo nondum est Mundus; sicut multitudo confusa lapidum, & lignorum nondum est domus. Accedat combinatio, qualem requirunt ad Mundi fabricam Atomistæ. Ecce iam Mundus cum eâ perfectione, & pulchritudine, quæ homines & Angelos in admirationem sui rapit, & in laudes Divini Artificis cogit erumpere. Equis potest concipere, quod nihil intersit positivum inter Mundum & non Mundum, inter Mundum & Chaos, seu congeriem informem atomorum? Nulla ne tali multitudini accedit perfectio realis, cum formatur in Opus perfectissimum, & numeris omnibus absolutum? At perfectio realis est proculdubio realis bonitas, & hæc est attributum entis positivi, ut nemo nescit. Similiter tota multitudo corpusculorum, quibus constat equus, posita in statu dispersionis non est equus; posita verò in statu collectionis ad equum requisitæ, iam eo ipso est equus. Ergo status ille collectionis est aliquid positivum. Patet consequentia: nam alioquin equus à non equo per nihil positivum differet: equus & non equus identificabuntur secundum totum esse positivum, secundum totam realitatem; equus generabitur, & morietur, quin aliquid positivum incipiat, aut desinat esse in rerum naturâ; & definitio equi propriè conveniet illi multitudini corpusculorum informi, siquidem ibi est eadem definitio, ubi est eadem quidditas, & tali multitudini nihil deficit quidditatis equinæ, cum solum deficiat collectionis status, qui non est quidditas. Quis talia credat? Jam verò, quod prædicta combinatio sit aliquid ab atomis distinctum ex parte rei, & ante opus mentis (quæ erat altera pars primi Antecedentis), non minus clarè ostenditur. Nam id, quod ex parte rei accedit, & recedit, permanente totâ atomorum substantiâ, à tali substantiâ distinguitur ex parte rei: alioquin posset aliquid supervenire sibiipsum, & à semetipso separari; quod est planè chymericum. Nec refert, quod separabilitas sit non mutua: nam pariter chymericum est, quod alterum extremum, nempe tota substantia atomorum, exiit sine eo, quod est ab ipsâ realiter indistinctum, seu quod cum ipsâ identificatur: alioquin existeret sine semetipsâ, seu existeret simul & non existeret. At combinatio accedit, & recedit, permanente totâ substantiâ atomorum, ut vultis, Ergo, &c. Perfectio ea, quibus conveniunt ex parte rei prædicata contradictoria, ex parte rei distinguuntur. Sed ita se habent combinatio & substantia atomorum; siquidem altera variatur, altera non variatur; altera incipit esse per activitatem agentium naturalium, altera non sic incipit esse; altera desinit, altera non desinit.

item esse aliquid reipsâ distinctum à substantiâ corpusculorum.

finit. Ergo, &c. Nec latebras quæras cum Tosca in distinctione modali, quâ reali minorem plures etiam Peripatetici dicunt. Quidquid enim de hoc sit, mihi sufficit tria hæc obtinere: 1. modum, à te positum pro formâ Corporum, veram esse realitatem, & perfectionem positivam: 2. verè distingui ante opus mentis à substantiâ atomorum: 3. virtute naturalium agentium verè incipere esse, vereque deficere à naturâ rerum. Nam hisce datis, quidquid difficultatis in eductione ac definitione formarum objicis, tibi pariter solvendum incumbit.

4. : quia sententia de brutis animantibus, relata num. 12., paradoxum est, ab omni sensu Nationum (si unam vel alteram inter veteres raram avem excipias, cui libuit extra communem aera volitare, quemadmodum non defuit olim, qui nivem diceret esse nigram) omni loco & tempore alienum: cumque sponte descendat ex Atomistæ Philosophiæ principijs, illud sufficeret, ut talia principia exploderentur tanquam profus exotica. Certè materialis anima, cognitionis particeps, qualem adstruunt Peripatetici, non est impossibilis. Quod enim contrâ objici solet, longissime distat à demonstratione, & eadem, quâ dicitur, facilitate refellitur, ut suo loco patebit. At, si canis, simia, vulpes talem haberet animam, quibus alijs manifestioribus indicijs eam proderet? Nec reponas cum Atomistis, hoc argumentum contrâ nos esse: non enim repugnant, quod supremus Artifex sciat, & possit machinam eo artificio construere, ut absque animâ cognoscitivâ per solas Mechanicæ leges apta sit ad motus, quos videmus in brutis: nam, cum tam mira fiant arte humanâ, quid de arte Divinâ putandum? Si autem id non repugnat, de facto contingere credendum est: quia *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, et Frustrâ fit per plura, quod potest fieri per pauciora.* Hoc, inquam, frustrâ reponas. Nam id esse prorsus impossibile, probant argumenta sat valida: quorum aliqua proponit P. Joannes Gisbert *Dissert. 8. Academic.*, & alia deduci possunt ex ijs, quæ ingeniosa & iucundâ methodo proponit P. Gabriel Daniel in Opere, cui titulus, *Voyage du Monde de Descartes, idest, Iter, seu Peregrinatio in Mundum Cartesij, 5. part.*. Sed, ut ea brevitatis ergo nunc omittam, saltem ignotum est, nec humanitus vestigari potest, an sit possibile, quod in unâ, eademque machinâ cohæreant tot occultæ machinationes, tot elateres, tot vè serasteria, quot necessaria forent ad simiæ vel canis motus ex Mechanicæ legibus efficiendos, præsertim irregulares, aut spontaneos, qui legibus illis contrarij manifestè videntur. Ad hoc enim necessarium est eas omnes machinationes distinctè concipere, nec non ipsarum ordinem, connexionem,

Quid proferat recursum ad distinctionem modalem.

Quarta ratio, desumpta ex paradoxo de brutis animantibus.

Hypothesis de machinis brutorum inanimis, an sit possibilis?

Peripatetici negant.

Cartesiani, & Atomistæ scire non possunt.



Rogat cau-  
las variou  
in brutis  
motu, quid  
respondeant.

De causis  
motuum in  
particulari  
nihil morant.

Hypothesis.  
Peripatetica  
præfata: Car-  
tesiana veri-  
similitudine,  
facilitate, cla-  
reare.

ment, dependentiam, &c. ; quod hætenus nullus Atomista præ-  
sumpta. Invenias quidem apud hos Authores descriptiones per-  
pulchras, paginasque vocibus anatomicis plenas. Sed cum ad ex-  
plicationem variorum in particulari motuum devenitur, nihil  
aliud dicere norunt, nisi quod obiectorum impressio per spiritus  
animales delata ad cerebrum, ubi est erigo nervorum potentiæ  
loco motiva intervenientium, protinus aperit istorum orificia ner-  
vorum; quo fit, ut iidem spiritus per apertos tubulos decurrant  
ad pedes v. g., quorum musculos determinant ad currendum,  
saltandum, &c.. At, si ulterius quæras, cur ovis viso lupo deter-  
minetur ad currendum, non quidem versùs lupum, ut videbantur  
exigere leges Mechanicæ, vel saltem incedendo retrorsum averfo  
gradu; sed prius totam machinam convertendo per semicirculum,  
ac deinde lineam rectam fugiendo? cur machina canis ad motum ori-  
panem leniter sumat immota pedibus; eundem verò panem ex al-  
tiori loco monstratum appetat saltu multiplici, violentoque? cur  
eadem machina sustibus & blanditijs inclinetur ad motus suos or-  
dinandos; cum nihil simile in horologijs, alijsve machinis huma-  
nae artis, visum sit unquam? cur illa ipsa machina canis venatici,  
dum à leporinis corpusculis attrahitur, omittat primam & secun-  
dam lineam trianguli, quas percurrit lepus, & sæpè tertiam arri-  
piat, quæ lepori citius & facilius occurrit? In his, inquam, & alijs,  
quantumcumque vulgaribus, & obvijs (non enim seligo motus  
complicatissimos, & humanis simillimos, quales miramur in api-  
bus, simijs, elephantis) Atomista mutescit; vel ut summum dicit,  
motuum hujusmodi varietatem provenire à *serta quadam agita-  
tione spirituum per nervos & musculos cursitantium certo quadam  
modo*, nobis ignoto. Est igitur in hac hypothese Atomitarum,  
non tantum incredibilis, sed etiam incognoscibilis, ac incogita-  
bilis, origo motuum animantium ex solis Mechanicæ legibus.  
Aliunde Peripatetica hypothesis, & faculis omnibus credibilis  
visa est, & tam facile concipitur (quidquid Atomistæ dissimulent),  
ut vel tyronibus Animasticæ statim placere videatur. Si vobis Ato-  
mistis clara est illa rationalis animæ definitio, ab Augustino tradi-  
ta, *Substantia rationis particeps regendo corpori accommodata*; cur  
obscura sit hæc animæ purè sensitivæ, *Substantia solius sensationis  
particeps, manendo corpori apta* Quæritis, quomodo moveatur?  
Sed invicem à vobis quæro, quomodo regat rationalis animæ?  
Quod si hoc regimen bene concipitis per subordinationem spiri-  
tuum & organorum corporis ad actus animæ nostræ; quid est, quod  
similem subordinationem concipere nescitis ad sensationes jucun-  
di & molesti, quas ejicit anima bruti? Tum sic. Cum dixi contro-

vertuntur hypotheses, quarum altera non apprehenditur ut possi-  
bilis, nisi ad summum sub dubio merè negativo, nec cognoscitur  
quomodo respondeat experientiæ, insuperque cunctis populis,  
& cunctis ferè sapientibus apparet incredibilis, & absurda; altera  
verò conditiones habet his oppositas: nemo prudens erit, qui non  
hanc præ illâ censeat existere de facto. At hæc est nostra hypothe-  
sis; illa est vestra. Ergo, &c. Unde negandum, quod hic non adsit  
necessitas, saltem moralis & prudentialis, addendi entitatem ani-  
mæ cognoscitivæ, & quod hæc entitas frustra sit, ne philosophemur  
exoticè, ac sine fundamento. Statuit Cartesius pro Criterio, seu  
normâ veritatis ideam objecti claram, ac distinctam; nec pro vero  
quidquam admitti vult, quod non hujusmodi Criterio consentire  
videamus. *Nihil unquam*, inquit Medit. 6., *à Deo fieri non posse  
iudicavi, nisi propter hoc, quod illud à me distinctè percipi repug-  
nabat*. Rogetur ergo Cartesianus quilibet, num claram, & distinc-  
tam ideam habeat machinationum, quibus instructas esse oportet  
Apum machinulas, ut sine sensu & cognitione Rempublicam for-  
ment in tantâ varietate officiorum ordinatissimam? Si habet, ex-  
plicet; & erit nobis magnus Apollo: si non habet, cur Magistri sui  
Criterium deserit?

25 Præterea, tritissima est Atomistis via philosophan-  
di per analogiam, explicando scilicet occulta naturæ per similitu-  
dinem ad res notas & obvias. Hinc ille recursus ad res artificiales,  
ad nauseam usque repetitus, maximè cum sermo est de structurâ  
brutorum. At in re istâ Peripateticis suppetit analogia melior, vi-  
vidior, ac naturalior, sumpta nimirum ex humano Composito.  
Cum enim sciant, in homine, præter materiam organizatam, nec  
minori artificio, ac subtilitate dispositam, quàm in brutis, neces-  
sariam esse animam, à materiâ entitative distinctam, quæ sit prin-  
cipium operationum, non solum intelligendi, sed etiam sentiendi,  
ac vegetandi, quibus operationibus, si abscedat anima, insuf-  
ficiens est tota structura Corporis humani, quantumvis exquisita:  
hinc analogiam sumunt ad philosophandum in brutis, quorum &  
constructio organica, & modus vegetandi ac sentiendi, tantam ha-  
bet cum homine affinitatem. Unde, & in brutis agnoscunt ani-  
mam à materiâ entitative distinctam, quæ talium operationum sit  
radix, perceptivam quidem, & appetitivam obiectorum, sed purè  
materialiter, utpote non assurgentem ad modum cogitandi spiri-  
tualem hominis proprium: ideòque talem animam asserunt enti-  
tative materialem, materiæ immersam, & naturaliter impotentem  
existere extrâ materiam. Quid hac analogiâ congruentius?

26 Dices: etiam homo, quâ parte vegetat, ac sentit, est

Quam expe-  
mo juce præ-  
ferenda.

Cartesiani  
proprio ve-  
ritatis crite-  
rio convic-  
ti.

Analogia hu-  
mani Com-  
positi probat  
brutorum ani-  
mas.



De corpore humano paradoxum consequens Atomist. Unde sequitur animam rationalem non esse formam corporis:

nec cum eo facere unum per se.

Mirabilis Atomist. doctrina: tum de unione humana:

tum de vi sensitivâ, & vegetativâ hominis:

merum automaton, nec à brutis differt, nisi penes magis & minus exquisitam machinæ fabricam, quàmvis imperio rationalis anime subordinetur quoad motus plurimos: quare rationalis anima solos elicit actus spirituales. Hoc dicunt, fateor, Atomistæ plures expressè, idemque vi consequentiæ dicere tenentur omnes. Sed hinc sequitur, quod anima rationalis non erit forma corporis humani (oppositum definitum est in Clementin. unic. de summâ Trinit., & in Concil. Lateran. sub Leone X): quia nec operationes habet communes sibi & corpori, tamquam principijs activo & passivo, siquidem actus materiales solius sunt corporis, ut spirituales solius animæ: nec verè complet, & actuat corpus humanum, siquidem hoc de se est substantia completa, & præscindendo ab animâ rationali plenam in se facultatem habet ad suos motus, non minus quàm equus, vi scilicet dispositionis organicæ, vel subtilioris materiæ, quæ à te vocatur *forma specialis*, & non minus inest humano corpori, quàm equino. Quare, sicut equus, suâ illâ quasi animâ præditus, substantia est omnino completa, nec ab ulteriore formâ complebilis: Ita corpus humanum, ut condistinctum ab animâ rationali. Hæc igitur anima non faciet cum corpore *unum per se* (contra illud Symboli Athanasij, *Sicut corpus & anima unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*): sed erit Spiritus merè assistens, sicuti dæmon, cum humana cadavera subit, & quasi viventia corpora movet, vel cum energumenos tenet, eorumque organa determinat ad plures actus. Vim hujus argumenti perspicies, si quædam observes, quæ Tosca docet huc spectantia. Docet 1., unionem animæ rationalis cum corpore, præter coexistentiam, & penetrationem localem, solum includere *concursum Dei paramum, per decretum scilicet, quo statuit non concurrere cum anima ad operationes humanas eliciendas seorsum à corpore, sed tantum ad eas efficiendas simul cum illo, & dependenter ab illo*: atque in hoc operandi consortio consilire, quod anima efficiat cum corpore *unum principium adequatum, & singulare operationum*. Sic tract. 3. lib. 1. cap. 3. prop. 52. Docet 2., in humano corpore verè esse totum illud, quod in plantâ vocatur anima vegetativa, & in bruto sensitiva, scilicet illam subtilioris materiæ portionem, de quâ num. 111.: nam, juxta ipsum, fœtus humanus primò est planta, deinde quoddam animal brutum, ac tandem homo, ita ut per hoc gradus nullam amittat ex præhabitis animabus entitative sumptis, quamvis duæ priores per adventum tertiæ desinant esse animæ, quia principatum amittunt in tali corpore organico, & subiciuntur animæ rationali tanquam instrumentariæ facultates illius. Sic tract. 10. lib. 7. cap. 3. prop. 19. Docet 3., corpus humanum ritè dif-

dispositum, si Deus illi non infunderet rationalem animam, fore *tunc animal brutum, homini quoad corpus & potentias organicas omnino simile*, videturque animam sensitivâ, illâ ipsâ, quæ adveniente rationali amittit nomen animæ, & vocatur instrumentaria facultas: addit, quod *si corpori sano Deus animam rationalem subduceret, ceteraque conservaret, fieret iterum animal brutum, homini quoad corpus & organa simile*, iterumque facultas illa instrumentaria primatum recuperaret, & consequenter nomen animæ sensitivæ. Sic loco proximè cit. prop. 18.: ubi nullam videtur agnoscere naturalem exigentiam unionis mutæ, nec ex parte corporis humani, nec ex parte rationalis animæ: non enim aliam rationem assignat, cur Deus corpori ritè organizato rationalem animam infundat, nisi hanc unicam, *ne fraus ulla locum habeat*, id est, ne fortè decipiamur credentes hominem esse, quod brutum est. Alibi tamen (nempe tract. 10. lib. 2. prop. 3.) rationem similem, à Peripateticis allegatam pro brutorum animâ cognoscitivâ, contemnit idem Tosca cum cæteris Atomistis: *quia, inquit, Deus nullatenus ex automata produceret animo decipiendi, sed potius ostendendi sui opificij mirabilem artem... ubi autem abest animus decipiendi, nulla potest argui deceptio*. Quidquid de consequentiâ sit, ---

27 Ex doctrinâ relatâ pullulant absurda non modica. Nam 1., si unio rationalis animæ cum corpore nihil est aliud, quàm quod aiebat Tosca, poterit Angelus, aut dæmon, esse forma corporis humani: quid enim prohibet dari penetrationem utriusque, simulque decretum Dei de consortio ac dependentiâ in operando, quale adfruitur pro homine? Ob eandem rationem poterit unus homo alterius hominis, aut unus Angelus alterius Angeli forma esse, cum eo que constituere unum principium adequatum & singulare operationum. 2.: anima non erit proprie causa sensationum, & aliarum operationum hominis materialium, sed tantum nuda conditio sine quâ non, ea que solo Dei arbitrio constituta præter exigentiam naturalem corporis, quod pro priori ad animam tam completam est earum operationum principium, quàm brutum quodlibet. Imò consortium animæ contra corporis exigentiam erit, nec tam iuvabit, quàm impediet: siquidem corpus humanum sibi relictum, ac permanens in classe brutorum, solo machinalli artificio plurimas exerceret operationes, quas modo non potest absque imperio animæ: hujus etiam imperij defectu sepius non currit, nec saltat, nec alios motus edit, quamvis adfit objectorum impressio, quæ tales motus causaret in brutis, per solas Mechanicæ leges: quare leges istæ violabuntur passim in cor-

eum de corpore humano seorsum ab animâ rationali spectato:

tum de illius inconnexionem naturalem cum animâ.

Varia inde pullulant absurda.

Primum.

Secundum.



pore humano per consortium anima. Quod si ita contingit, mirum  
 est, quomodo diutius vivat homo, quam canis; vel quomodo  
 non citò disrumpatur humanae machinae fabrica subtilissima, cum  
 toties moveri cogatur contra machinalis structurae legem. Propo-  
 nito panem cani & homini famelicis: canis statim ex artificio ma-  
 chinae movebitur versus panem: humanum autem corpus (quod  
 deberet pariter moveri, nisi adesset anima rationalis) subsistet in-  
 motum, donec anima velit; imò si velit anima, contrariam in par-  
 tem movebitur. An non hic motus, & illa motus omisio, interna  
 corporis machinationi violentiam infert? 3.: corpus & anima ra-  
 tionalis, si non aliter uniuntur, nisi quatenus se se mutuo adjuvant  
 in operando, esto faciant unum in esse principij, non ideo consti-  
 tuent unum in esse entis: quemadmodum duo homines se mutuo  
 iuvantes ad levandum pondus, vel duo equi trahentes currum, fa-  
 cient quidem unum principium adaequatum elevationis, aut trac-  
 tionis, non tamen constituent unum per se. 4.: nulla physica ra-  
 tio erit (ratio illa *Tosca*, *ne fraus ulla locum habeat*, vera est con-  
 gruentia moralis), cur in fatuis adultis, & in pueris ante usum  
 rationis, dicatur esse anima rationalis. Nam ad omnes motus, &  
 actus, quos in eis cernimus, sufficere poterit machina ritè dispo-  
 sita in esse bruti cujusdam, homini quoad organa similis: & aliunde,  
 juxta *Toscam*, corpus humanum ex se non indiget animâ ra-  
 tionali, ut plenè constituatur in esse vegetativi, ac sensitivi; atque  
 ita constitutum, non magis est substantialiter incompletum, quam  
 equus, aut Taurus. Denique, fieri poterit naturaliter, ut, abscen-  
 dente animâ rationali, maneat corpus humanum diu sentiens, ac  
 vegetans. Cur non? Si corpus humanum, prout ab animâ ratio-  
 nali condistinctum, machina est non minus instructa facultatibus  
 ad sentiendum & vegetandum requisitis, quam brutum quodlibet;  
 ut quid indiget pro motibus istis praesentia rationalis animae? Di-  
 ces: anima rationalis non abscedit, nisi cum ita laeditur dispositio  
 machinae, ut jam non maneat apta ad motus ejusmodi, nec retine-  
 re possit spiritus igneos, qui vitales sunt, & animales. Sed cur,  
 quaso, abscedere non poterit humana anima citrà laesionem ma-  
 chinae? Siquidem nec ipsa indiget corpore ad operationes sibi pro-  
 prias, nec corpus humanum indiget illâ, ut sit tam benè compac-  
 tum artificio mechanico, quam equus vivens? Superest, ut recurras  
 ad legem Dei pro mero arbitrio latam absque exigentiâ rerum. At  
 lex hujusmodi non tollit possibilitatem rei naturalem, ut patet in  
 possibilitate alterius mundi, vel aliarum animarum rationalium,  
 similium his, quae de facto creatae sunt, & erunt.

28 Sed, quoniam absurdum agere capimus (quae brevior est

est agendi via contra principia negantes), addimus, quod ex At-  
 omistica doctrinâ poterit Angelus propriis viribus canem, equum,  
 & quodlibet animal mortuum, ad vitam revocare. Cognoscit enim  
 intuitivè totam structuram canis v. g., & in quo consistat defectus,  
 aut laesio machinae, sicut etiam quò abierint, & ubinam sint spiri-  
 tus vitales, & animales, vel igneae particulae, quibus texebatur  
 anima canina. Pollet aliunde virtute expeditâ ad movendum loca-  
 liter atomos, & corpuscula quavis, ad ea que plectendum, &  
 coordinandum, ut libuerit. Poterit ergo facillimè reficere canis  
 mortui machinam, atque iterum viventem reddere. Ob eandem  
 rationem poterit Angelus denuò generare quodlibet animal abs-  
 que interventu maris & feminae: novit enim, ubinam lateant, hos-  
 pitentur, aut divagentur atomi feminales, facillimèque potest eas col-  
 ligere, & colligare, vel ut semen formet, vel ut efformet animal fi-  
 ne feminae. At haec prorsus aliena sunt à sensu fidelium, inter verâ  
 miracula computantium, quod reviviscat canis mortuus. &c. Quid  
 quod eadem ratione poterit Angelus naturaliter id ipsum praestare  
 circa hominem, tum denuò formando, & preparando corpus hu-  
 manum extra maternum uterum, tum illud aliquo vulnere lethali  
 laesum, vitæque destitutum reparando, ac dispersos spiritus colligendo:  
 quâ formatione debet naturæ legem, vel saltem corpus hu-  
 manum artificio Angelico permanebit merè vegetativum, & sensi-  
 tivum, verèque brutum. Multò facilius poterit Angelus naturali  
 virtute curare caecos, mutos, surdos, & aegros quoslibet. At, jux-  
 tà sensum Ecclesiae Catholicae, resuscitare mortuos, curare caecos,  
 &c. miracula sunt solius Omnipotentiae propria; ideoque per ea  
 probare voluit Christus Dominus Divinitatem suam, & doctrinæ  
 Coelestis veritatem. Nec dicas, Angelum ab his operibus prohiberi  
 Divino nutu. Prohibitio quippe non aufert ab Angelo virtutem  
 naturalem ad talia opera. Numquid Architectus peritissimus, eo  
 quod extrinsecus prohibeatur fabricare domum, verè dicitur ad  
 eam fabricandam inhabilis? Numquid ejus artem superabit fabri-  
 ca domi? Accedit, quod Angelus proprijs etiam viribus poterit  
 esse fabricator, & author Caeli, & Terræ, totiusque Mundi corpo-  
 rei. Nam tota Mundi fabrica, juxta Atomistas, non plus habet  
 mysterij, quam varia corpuscula coordinare, movere que localiter  
 in diversa centra pro libitu motoris designata; quibus coordina-  
 tionibus ac motibus aptissima sunt ex se corpuscula. At Angelo  
 facillimum est motus illos corpusculis imprimere; nec est cur ejus  
 artem superet illorum purè mechanica textura, vel coordinatio,  
 quam Atomistae requirunt ad formanda Sydera, Elementa, & Mix-

Aia item  
 absurda ex  
 Atomist. pa-  
 radoxis.

Poterit Au-  
 gelus pro-  
 pria virtute  
 canem mor-  
 tuum, &c.  
 suscitare:  
 & animal  
 quodlibet ge-  
 nerare.

Quia etiam  
 utrumque po-  
 terit circa  
 hominem:

ut & curare  
 caecos, mu-  
 tos, &c.

Imò poterit  
 esse Mundi  
 Author.

Tertium.

Quartum.

Ultimum.

Responsio.

Rejicitur.



ta. Lege, si placet, descriptionem fabricæ Mundialis apud Cartesium, vel Toscani: & nihil invenies, quod Angelicam artem, potentia mque locomotivam excedat. Et saltem postquam Angelus Mundialem istam fabricam à Deo factam videt, & intuitivè perspicit ad atomos usque, nullo negotio formare poterit similem alium Mundum, si materiæ, seu corpusculorum copia suppetat. Fateor, materiam primam, seu congeriem informem & chaoticam atomorum, non nisi à Deo creari posse. At hoc non obstat, quominus Angelus absolute & simpliciter dici possit artifex, & author Mundi, totamque artificij laudem sibi vendicat: quemadmodum qui domum astabre construit ex lignis, lapidibus, & alijs, quæ ab altero asportata, & congesta fuerunt, simpliciter est author domi, nec artificij gloriam dividit cum eo, qui materiam rudem ministravit. Sequelam verò istam nemo non censeat absurdam, ut quæ maximè. Posse namque Mundum fabricare, prærogativa est tam propria Dei solius, ut hinc ejus Omnipotentia, & Ars infinita commendetur passim, summitque laudibus efferatur ab Scripturâ, Patribus, & Ecclesiâ.

29 Nec omittendum, quòd doctrina ista de brevibus animantibus videtur viam sternere Epicuræis, & Atheistis ad negandum rationalis animæ spiritualitatem, & immortalitatem, dicendumque, nostram etiam animam consistere in spiritibus corporeis, qui, dum morimur, dissipantur. Quia enim ratione philosophicâ (præscindendo à principijs Fidei, quæ Atheista negabit, & ab argumentis Peripateticorum, quæ solent Cartesiani contemnere) illum urgebis, qui exemplo brutorum à te probato, & analogiâ pneumatici, vel hydraulici organi, à te tantopere iactatâ, contendat, ad omnes operationes humanas sufficere machinam merè corpoream, quæ miris, & artificiosissimis machinationibus internis instructa sit? Dices: urgebitur ille ratione Cartesij: quòd scilicet homo cogitat, & cogitatio non est corporea, cum extensionem non habeat: illud ergo, quo homo cogitat, est quid incorporeum, & à corpore independens; atque illud ipsum est anima rationalis. Sed imprimis hæc ratio alludit ad falsum Cartesij principium de essentia corporis, quam consistere dicit in extensione actuali: quòd principium, ut alia nunc absurda præteream, non aliter coheret cum Eucharistiæ mysterio, nisi per aliam doctrinam prorsus exoticam, à Cartesio non semel traditam, nimirum quòd potest Deus de potentia absoluta rerum essentias mutare, contradictoria sociare, facere ut bis tria non sint sex, violareque legem illam, *Quodlibet est vel non est*, & similes alias. Deinde negabit Atheista, cogitationem non esse extensam, quamvis à nobis non percipiatur ejus extensio:

Præoccupatur evasio.

Ingens aliud absurdum: quòd nempe licebit hereminem asserere merum automaton:

quæ obstet ratio Cartesij:

quæ parum urgebitur Atheista,

sicut tu contendis, primitivas atomos, seorsum acceptas, extensionem habere, licet quantula sit hæc extensio, nec sensu, nec imaginatione percipere valeamus. Profectò, si legat Maignanum loc. cit. supra num. 12., inveniet, hæc nomina, *phantasia, imaginatio, memoria, cognitio, cogitatio*, & similia, plenè verificari per solum motum localem spirituum corporeorum in cerebro. Confidenter ergo negabit, cogitationem non esse motum corporeum, & Cartesium ridebit autoritate Maignani fretus. Postremo, quidquid de cogitatione sit, poterit saltem uniusquisque homo philosophicè credere, ceteros omnes esse mera automata, nec rationali animâ indigere. Quamvis enim tuam in te cogitationem experiaris, unde nosti, quòd ceteri homines cogitent? Quid in eis percipis, nisi verba Psittacis & Picis communia; motusque alios externos belluinis persimiles? Percipio, inquis, locutionem opportunam, & coherentem, quæ non nisi ab internâ cogitatione provenire potest. Bellè. Ergo donec alios homines coherenter & opportunè loquentes audias, omnes interim putabis esse meras machinas. Ergo mutis omnibus perpetuò negabis animam rationalem. Ergo, si per aliquam regionem, cuius linguam ignoras, nec magis quàm passerulorum in sylvâ sonos intelligis, iter facias, omnes incolæ inter automata computabis: quin obstant nutus, aliæque actiones, obsequia, vel officia, quorum fortè nullum videbis, quòd non simiæ, vel apes imitentur pari, vel maiori forsan argumento internæ solertiæ: & licet appareat inter utrosque motus aliqua differentia, solum inde probabitur constructio machinarum magis & minus artificiosa, quemadmodum ex diversis motibus vulpis & asini. Præterea, unde probas, locutionem coherentem provenire ab internâ cogitatione? Cur non poterit Ars Divina, infinitè sapiens, ac potens, prævidensque futuras omnes occasiones loquendi, tali artificio disponere machinam, ut opportunos, & coherentes edat linguæ motus, etiam ad syllogismos externos, vel ad descriptiones longas necessarios, quoties tu, vel interrogando, vel aliter, certo modo percillas ejus organa? Si talia potest ars humana, quid non Divina? Ostende, quaeso, repugnantiam. Quod si hoc non repugnat, de factò continget: nam *Entia non sunt multiplicanda &c.*, & *Frustrà fit per plura &c.* En tuum pro belluinis automatis argumentum. Legatur P. Gabriel Daniel in Dissertatione de Brutorum animâ, quæ quinta pars est Operis citati supra n. 24.; ubi planè demonstrat, nullam homini Cartesiano superesse rationem, cur ceteros homines præter se non putet machinas animæ rationalis expertes.

Saltem putare quisque poterit, ceteros homines esse meras machinas.

Retorquetur argumentum Atomist. pro belluinis automatis.



Atomistæ  
per hominū  
abusionem  
brutis attri-  
buant animā  
non animā,

30

Notandum hūc, non nisi per insignem terminorum  
abusum, utque risum, vel odium fugiant cunctarum gentium,  
quosdam Atomistas concedere brutis *animam, vitam, sensatio-  
nem, cognitionem, cogitationem, &c.*, ut vidimus num. 12. Non  
enim philosophicè vocari potest *anima*, idest, actus, aut forma  
corporis physici organici, subtilis illa, mobilisque materia, quæ  
per nervos, & alia corporis organa fluitat; cum sit substantia ex  
se completa, nec aliam habeat unionem cum reliquo corpore, ni-  
si meram inclusionem localem, sicut aer in folle, vel nummus in  
arca; proindeque non faciat cum corpore unum per se. Alioquin  
ventus decurrens per fistulas organi pneumatici eodem iure voca-  
bitur anima organi: dæmon etiam, dum energumæni corpus in-  
trat, ac motitat, vocari poterit illius anima, forma, vel actus. Adde,  
quod, si portio illa materiæ meretur nomen animæ, duas, vel tres  
animas habebit homo (error hic est ab 8. Synodo Generali damna-  
tus), cum præter animam rationalem habeat iuxta Atomistas to-  
tum id, quod in bruto est anima sensitiva, & in arbore vegetativa,  
quod que redderet corpus humanum more pecudum vivēs, si Deus  
non infunderet animam rationalem. Adde rursus, quod materia  
subtilis, & ætherea, de qua supra num. 19., vocari deberet anima  
Mundi; cum per omnia Mundi spatia, & spatiosa feratur, motu con-  
citatisimo agitata, pluresque motus in alijs Mundi partibus cau-  
set. Mundus igitur verè animabitur, & magnum animal erit, iama-  
nisque bestia: quod ramen negat Tosca *Lib. 1. De Mundo &c.  
cap. unic. prop. 10.* Deinde nomen *vite* gratis tribuitur illi mo-  
tui, quem materia spirituosa recipit in se, & communicat alijs  
membris corporis. Tum quia motus ille per accidens est motus  
inmanens, seu manens intra corpus bruti: est enim eiusdem spe-  
ciei cum alijs ad extrā motibus, v.g. cum illis, quos edunt iidem  
spiritus, eademvè corpuscula, dum extrā corpus animalis avolant.  
Tum quia nullum erit corpus naturale non vivens, cum nullum  
sit, intra quod non aliquæ interdum atomi moveantur, vel fer-  
mentatione, vel aliter. Tum quia non verè dicitur motus ab in-  
trinfeco, cum semper, vel plerumque sit mera continuatio mo-  
tionis externæ, quæ ab obiectis imprimitur in organis sensuum  
externorum; non aliter, ac (ut Cartesiano utar exemplo), per-  
cussio baculo in unâ extremitate, continuatur motus usque ad al-  
teram: potius ergo dicendas est motus ab extrinfeco. Tum etiam,  
quia talis motus est omninò similis artificialibus, quos cernimus  
in horologio rotato v. g., & quos verè vitales esse, nemo sanus  
dixerit, cum tamen æquo iure dici possint motus inmanentes, &  
ab intrinfeco. Nec obstat, quod artefacta, ut se intrinfecus mo-  
veant,

vitam non  
viam,

veant, aliqua indigeant motione, vel applicatione agentis exter-  
ni. Nam pariter eâ motione, vel impulsione indigent animalia, iux-  
tâ adversarios. Vide Maignan. *cit. cap. 24.*, ubi late versat exem-  
plum organi pneumatici, atque in eo invenit similitudinem ad  
omnes belluarum motus, maxime sensitivos; ait que obiecta ex-  
terna, dum nervos oculorum, aurium, &c., percellunt, esse ve-  
lut totidem organædos, qui palmulas pulsant, & ita motus machi-  
næ internos causant. Hinc multò minus meretur ille motus nomi-  
na *sensationis, cognitionis, cogitationis, &c.*, cum hæc signifi-  
cent vitam, non qualemcumque, sed nobilioris speciei. Et verò  
quis ferat, hisce nominibus nihil aliud significari, nisi certum  
corpusculorum excursus huc atque illuc? Lege Maignanum *loc.  
cit.*, & indignaberis, quod eo pervenerit vocabulorum abusus.  
Certè nihil erit, unde Maignanista refellat eum, qui simili licen-  
tiâ, vel abusu dicat, pneumaticum organum, aut molendinum  
verè sentire, imaginari, cognoscere, cogitare.

31

5.: quia Philosophia Atomistica non videtur conci-  
liari posse cum veritatibus Fidei, & doctrinâ Theologiæ Christia-  
næ. Quod triplici ex capite maxime ostendi solet. Primò, ex mys-  
terio Eucharistiæ, ubi, cum pereat tota substantia panis, ac vini,  
remanent accidentia per Divinam potentiam sine subiecto conser-  
vata. Dantur ergo in rebus accidentia absoluta, entitative distinc-  
ta ab omni substantiâ, & apta seorsum existere Divinitus. Seque-  
lam hanc pernegant Atomistæ: ut que Catholicam de Eucharistiâ  
doctrinam cum suâ Philosophiâ componant, varijs, ac miris mo-  
dis se torquent, & versant in omne latus, vixque unus alteri om-  
ninò consonat. Et Cartesius quidem (præter difficultatem salvan-  
di veritatem corporis Domini sine extensione actuali, in quâ con-  
sistere docet essentiam Corporis generatim) accidentia Eucharis-  
tica tractans *in respons. ad quart. & sext. obiect.*, nihil dicit cum  
Fide vel ratione coherens. Ait enim, in Eucharistiæ Sacramento,  
ex pane & vino solam manere superficiem, & hanc non esse partem  
substantiæ, nec quantitatis corporum, sed duntaxat entitatem  
modalem, extremitatemque tam corporis contenti, quam am-  
bientis, & communem utriusque modum. Sed verò superficies  
panis nequit non esse pars substantiæ ipsius. Tum quia est una ex  
tribus dimensionibus, quibus constat corpus mathematicum, à  
quo non distinguit Cartesius corpus physicum: neque ulla ratio  
est, cur linea & profunditas sint partes corporis, aut quantitatis  
eius, non autem superficies. Tum quia superficies extensionem  
importat in longum & latum, ut nemo dubitat: in extensione au-  
tem collocat hic Auctor essentiam materiæ, sive rei corporeæ.

sensationem,  
non sensatio-  
nem &c.

Quinta ra-  
tio: quia no-  
va Philoso-  
phia officit  
Fidei, & sa-  
cræ Theolo-  
giæ.

Ostenditur  
primò ex  
accidentibus  
Eucharisti-  
cis.

Solutio Car-  
tesii.

Refellitur.



Magnus error Cartesianus cuiusdam.

Rursus Cartesianam solutio refellitur.

Aliquid ergo substantiæ panis in Eucharistiâ remanet; quod est hæreticum. Non defuit Cartesianus in Galliâ, qui doctrinæ consequentiâ ductus, docuerit, in Eucharistiâ manere substantiam, quæ antea merus panis erat, sed quæ iam per consecrationem evaserit corpus Christi Domini, eo quod Christi anima tali corpori unia- tur, illudque faciat esse corpus suum. Quæ doctrina, cum apertissime destruat dogma Catholicum Transubstantiationis, satis ostendit, quàm sint periculosa Cartesij principia. Accedit, quod sola superficies certè non est color, odor, sapor, durities, humiditas, &c., quæ omnia remanent ex pane, & vino. Vel, si hæc omnia continet, erit superficies corporea totam habens sensibilitatem panis: quomodo ergo non est panis in tuis principijs? Accedit etiam, quod illa superficies est aliqua entitas, licet modalis, ut supponit Cartesius: vel ergo est entitas substantialis; & sic non tota panis substantia perit: vel est entitas accidentalis; & sic iam datur accidens entitativum, ab omni substantiâ distinctum, & separabile; prout intendimus. Mitto, quod extremitas una communis corporibus contento & ambienti, quando contigua sunt, fictitia est: sicut etiam exotica est, & cæteris Philosophis, etiam Atomistis, absurda, separabilitas, & permanentia modi sine re, quam modificat; ut si permaneret unio sine extremis, sessio sine sedente, curvitas nasi sine naso.

32

Communior solutio Atomistarum.

Propter hæc tam lubricam Cartesij viam meritò deserunt Maignan, & Saguens, quibus adhæret Tosca: dicunt que, in Eucharistiâ manere panis & vini *species*, quâ voce utuntur Concilia Florentinum, Lateranense sub Innocentio III. & Tridentinum, omisso nomine *accidentia*: has autem *species* non esse accidentia realia, sed tantum apparentias, quibus repræsentantur panis & vini color, odor, figura, &c.. Sicut enim Spiritus Sanctus apparuit sub specie columbæ, & Christus Magdalenæ sub specie hortulani, & discipulis sub specie peregrini, quin ad ejusmodi apparitiones opus fuerit columbæ plumis, aut hortulani, & peregrini vestibus; ita fieri poterit, ut Christus in Eucharistiâ se nobis offerat sub speciebus panis & vini, quin egeat accidentibus, quibus antea vestitæ fuerint substantiæ istæ. Verum, quia dicit aliquis, apparitiones illas, vel fuisse imaginarias, vel certè objectum aliquod exhibuisse corporeum, quod plumas columbæ, aut hortulani, & peregrini vestes figurâ & colore imitaretur: in Eucharistiâ autem non salvari doctrinam Catholicam, nisi ponatur aliquid sensibile permanens ex parte Sacramenti, quod sensus afficiat more panis, ac vini: ac proinde cogendos esse Atomistas, ut explicent, quidnam illud sit: idcirco Authores isti, dictas *species* distinctius ex-

pli-

applicantes, in eo consistere dicunt, quod Deus actionibus suis suppleat quidquid faceret substantia panis, si adesset, in ordine ad sensus afficiendos. Color enim nihil est aliud, quàm lumen varie modificatum à dispositione & scabritie corporis opaci, præsertim in superficie. Quare dispositio atomorum, quibus constat panis, est eius color in actu primo; & hic, cum sit modus substantiæ panis, non manet in Eucharistiâ: lumen verò taliter modificatum, est panis color in actu secundo; & hic in Sacramento idem manet; quia, factâ consecratione, lumen illud appulsum Deus eodem modo reflectit, & modificat, ac antea modificabatur; ideoque perinde ab eo afficitur visus, ac si panem videret. Hinc manet etiam figura panis, non quidem eadem numero, cum sit modus, sed eadem specie: quia scilicet à singulis partibus illius loci rotundi, ubi panis erat, per actiones Dei sic reflectitur lumen ad visum, ut in fundo retinæ depingatur figura rotunda, sicut antea. Odor est effluvium corpusculorum emissum à corpore odorifero, quæ corpuscula ad nares pervenientia, fibrillas earum diversimodè pungunt. Sapor consistit in varijs salibus, qui diversimodè palatum afficiunt. Utrumque supplet Deus in Eucharistiâ, actionibus suis efficiendo, ut aeris corpuscula perinde nares pungant, & palatum afficiant, ac si adessent effluvia & sales panis & vini. Gravitationem supplet Deus, premendo, ac movendo deorsum corpora subiecta, sicut solet panis. Impenetrabilitatem, prohibendo ingressum cuiuslibet alterius corporis in illum locum. Et duritiem, resistendo fractioni, sicut resisteret panis. Illas autem actiones Dei vocant Authores isti *actiones objectivas*: quia præstant idem, quod præstaret obiectum, si adesset. Hæc in summâ est doctrina Toscae *tract. 3. lib. 1. cap. 2. prop. 41.* Sed contra est, quod iuxta doctrinam Catholicam Eucharistia verè permanet in esse Sacramenti etiam noctu, vel intra Sacrarium clausa: ac proinde verè tunc est *signum sensibile*, cum hoc sit de ratione Sacramenti. Verè igitur etiam tunc retinet aliquid, ratione cuius sentiri possit visu, odoratu, gustu, &c., sicut sentitur panis, & vinum. At hæc veritas stare nequit, si doctrina vestra stet. Nam imprimis ibi non est panis color, nec in actu primo, ut conceditis, nec in actu secundo, cum nullum tunc detur lumen illud appulsum, quod actionibus objectivis modificetur. Nulla deinde figura est panis, nec eadem numero, ut fatemini, nec eadem specie, cum absit lumen, & retinæ fundum. Nullus item odor, nec sapor, cum nec adsint effluvia corpusculorum panis & vini, vel eorundem sales, ut Catholicè supponitis, nec aeris corpuscula palatum ullum, aut nares tunc afficiant. Denique, si Deus circumstantiâ corpora annihilaret, non ideo Sacramentum

Species Eucharistica qualiter explicat.

Quid vocent actiones objectivas.

Totius explicationis impugnat.

eva-



evanesceret: & tamen tunc non daretur gravitas, quam assignatis, ut nec impenetrabilitas, aut durities, prout à vobis exponitur. Quid ergo verè sensibile remaneret ibi? Dices, manere tunc actiones objectivas, paratas eos effectus causare, quodcumque se offeret occasio. Sed nihil dices: nam actiones Dei solius, secundum se spectatas, nemo dixit esse sensibiles, maxime cum juxta doctrinam Atomistarum non distinguantur à Deo ipso. Dices iterum, manere statum Eucharisticum, utique realem, qui Divinis actionibus efficitur, est que quoddam esse externum sensibile panis. Sed iterum nihil dices. Nam ille status Eucharisticus, utique realis, ut ais, numquam à te explicatur, quid sit; an fiat ex nihilo, an ex aliquo; an sit substantia, an accidens. Si enim substantia est, cur non est panis? Substantia namque sensibilis tota sensibilitate panis, utique panis est. Si autem est accidens ab omni substantia distinctum, pro hoc pugnamus. Præterea, iuxta sensum Ecclesiæ Catholicæ, ingens est miraculum, & solius Omnipotentia proprium, quod maneant panis & vini species in Eucharistiâ. Si autem vera est relata doctrina Toscæ, non opus est grandi miraculo, ut species maneant: nihil enim ibi intervenit, quod non possit propria virtute naturali præstare dæmon, aut Angelus. Accedit, quod eâ explicatione non salvatur, quod species propriè *maneant*, ut loquuntur Concilia; & fideles credunt: non enim propriè *manere* dicitur id, cui subrogatur aliud ejusdem speciei: aliter, propriè diceretur hodie manere panis heri comestus, aut vinum heri consumptum, verèque manerent in agris hoc anno segetes anni præteriti. Sed cur, inquis, Concilia solum definiunt, manere *species*, & à nomine *accidentium* abstinere? Resp., in primis non semper abstinuisse: nam Concilium Constantiense damnavit secundum Uvicleffi articulum his terminis conceptum, *Accidentia non manent sine subiecto in eodem Sacramento*. Deinde, cum nomen *accidens* connotet subiectum, nomen verò *species* respectum dicat ad sensum, aptius hoc, quam illo nomine appellatur color, odor, quantitas, &c., quando sine subiecto existunt, & tamen sensus afficiunt, sicut antea. De cætero nomen *species* pro accidentibus accepit Ecclesia: tum in Breviario pro Festo Corporis Christi approbans illam D. Thomæ lectionem: *Accidentia autem sine subiecto in eodem subsistunt, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum, & sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis*. Tum in Cathéchismo Romano *part. 2. cap. 4.*, ubi inter ea, *quæ in hoc Sacramento verbis consecrationis effici fides Catholica sine ulla dubitatione credit, & confitetur, nunciantur, accidentia, quæ aut oculis cernuntur, aut alijs*

Effugia irri-  
ta.

Alia, atque  
alia impug-  
natio.

Apud Con-  
cilia, & Eccle-  
siam, species  
Eucharisticæ  
& Accidètia  
idem sunt.

alijs sensibus percipiuntur, sine ulla re subiecta esse. Tum per consensum Theologorum omnium, qui post Tridentinum scripsere, tum Scholasticorum, tum dogmaticorum, usque ad Maignanum, quia nullus de hac acceptione, vel intelligentiâ dubitaverit. Qui plura de hoc argumento velit, adeat Illustriss. Palancum in *Dialog. contra Philosoph. novator. dial. 66. & sequentibus usque ad 75.*

33  
Secundò probari solet Philosophiæ istius oppositio cum Fide, & Theologiâ Christianâ, ex actibus vitalibus, præsertim liberis, creaturæ rationalis. Nam actus Intellectus, & Voluntatis, certè non sunt substantiæ: cum ergo sint entitates aliqua (nisi mirabiliter velis, Visionem beatam, vel actum charitatis perfectissimum, nullius esse entitatis, nec verè existere realiter), sequitur, esse accidentales entitates ab omni substantiâ distinctas; cum tamen genus hoc entitatum universim explodant Atomistæ. Aliunde tales actus activè causat creatura rationalis: tum quia sunt actus maxime vitales, atque adeò elicit ab intrinseco: tum quia nulla esset alioqui vera libertas hominis ad actus Voluntatis: tum quia Tridentina Synodus anathema dicit asserenti, liberum hominis arbitrium nihil omnino agere, & merè passivè se habere. Iam ergo potest causa creata denuò producere aliquam veri nominis entitatem, atque adeò destruere; quamvis certum sit, causis creatis non esse vim creandi, nec propriè anihilandi: quo dato, ruit argumentum Atomistarum fundamentale contra formas substantiales, & accidentales Peripateticas. Dicunt, tales actus esse determinationes, aut affectiones, vel prorsus indistinctas ab animâ, vel non nisi modaliter, idest, impropriè, distinctas, ita ut nihil entitatis novæ superaddant. Verum in primis negari nequit, quod illi actus propriam aliquam realitatem, seu entitatem habeant. Tum quia sunt perfectiones reales, & animam perficiunt, non tantum moraliter, sed etiam physicè, idest, realiter, & ante fictionem, vel reflexionem mentis, & æstimationem prudentum: quis enim dubitet, quin anima realiter perficiatur, meliusque se habeat cum visione & amore beatificis, quam sine illis? vel etiam ordine naturali, cum scientijs, & virtutibus, quam cum erroribus, & vitijs? vel in homine sapientissimo, quam in fatuo? At vera perfectio sine verâ realitate, & entitate, prorsus est chymica. Tum quia ad tales actus, dum supernaturales sunt, eliciendos, opus est viribus supernaturalibus, & concursu Dei ut specialis Authoris. Ut quid autem tanto impendio opus erit pro affectione umbratili, quæ nihil realitatis importet? Tum quia, si actus amoris nihil entitatis addit, Voluntas illum agens, propriè nihil aget: quod Triden-

Ostenditur  
secundò ex  
actibus Intel-  
lectus, & Vo-  
luntatis.

Quid de illis  
actibus Ato-  
mistæ sentiât.

Eorum doc-  
trinæ refuta-  
tio.



tino repugnat. Nunc sic. Si affectio illa propriam habet entitatem; nequit non ab animæ substantiâ distingui entitativè, verè, & propriè. Tum quia iuxta doctrinam Atomistarum, si semel conceditur propria entitas affectioni, determinationi, modificationi, consequenter debet concedi entitativa distinctio; & iuxta eosdem, ideo distinctio purè modalis non est entitativa, quia non est inter duas entitates. Tum quia entitas amoris, si non est verè distincta, erit verè indistincta à substantiâ animæ, cum eâ que realiter identificabitur: ergo 1. non poterit esse intrinsicè supernaturalis; quia rota entitas animæ certè naturalis est, totaque à Deo ut naturæ Authore creatur: ergo 2. anima non erit causa illius actus, nec illum aget verè, multoque minùs liberè; quia nec agit suam ipsius entitatem liberè, vel necessariò; nec est causa sui: ergo 3. entitas amoris boni, vel pravi, & erit animæ coæva, & nunquam poterit ab animâ retractari, vel abiici. Quæ omnia detestatur Christiana doctrina. At, inquis, nonnè plures Peripatetici dicunt, modum non distingui realiter à subiecto, & distinctionem modalem esse reali minorem? Nonnè aliunde plures etiam dicunt, actus Intellectus, & Voluntatis non esse qualitates absolutas, sed modos? Resp., ludere te in æquivoco. Nam, licet interdum voces ac phrasés nostras usurpent Atomistæ, notio est valde diversa. Peripatetici, dum *modos* admittunt, in illis agnoscunt veram entitatem, prout entitas opponitur nihilo & chymeris; quamvis hanc entitatem nolint vocare absolutè *rem*, aut *ens simpliciter*, eo quòd hæc nomina reservent substantijs absolutis, præfertim completis, vel etiam, licet minùs strictè, accidentibus absolutis, idest, potentibus Divinitus existere separatim. Ideò concedunt, modales entitates à causis creatis verè produci, verèque destrui. Distinctionem autem modalem non negant esse entitativam, idest, versantem inter entitatem & entitatem à parte rei, & nemine cogitante, atque in hoc sensu verè esse realem. Solum ergo quandoque renuunt vocare realem simpliciter; quia distinctio solet ab extremis denominari, & distinctio modalis non versatur inter rem, & rem, idest, inter entitates utrimque absolutas, & invicem separabiles: quare hoc tantum sensu vocant reali minorem. Vide nunc, an locutiones nostræ sic intellectæ cohæreant cum principijs Atomisticis; quòd scilicet nulla vera entitas est in rebus, quæ à substantiâ distinguatur entitativè; & quòd nihil entitativum denuò produci possit, nisi per creationem.

fidei, spei, charitatis, & Gratia habitualis. Nam Gratia (idem puta de cæteris) producitur à Deo in animâ per educationem, ut fert communior sententia Theologorum: iam ergo possibilis est nova productio veræ alicuius formæ, & entitatis, quin sit creatio. Unde ruit principium fundamentale, quo superstruitur Atomistica Philosophia. Quodsi velis, Gratiam non educi, sed creari; saltem fateri debes, per creationem existere posse qualitatem absolutam, & ab omni substantiâ entitativè distinctam: quod item repugnat Atomistarum principijs, apud quos quidquid creatur, quidquid propriè producitur, substantia est, sicut etiam quidquid simpliciter, aut propriè habet entitatem; & qualitas absoluta, quæ distinguatur entitativè ab omni substantiâ, merum est somnium Peripateticorum. Duas solutiones affert Tosca *Tract. 3. Lib. 1. cap. 2. prop. 39.*, & utramque videtur approbare. Altera, pro qua citat Maignanum, est, Gratiam creatione produci, & propriam habere quidditatem, & entitatem supernaturalem realiter distinctam ab animâ, & consequenter esse reverâ substantiam, quamvis rectè vocetur qualitas, & accidens animæ, quia illam afficit, decorat, & illustrat; quemadmodum lux corporea, cum verè substantia sit, dicitur qualitas, & accidens aeris illuminati, ut placet Atomistis, apud quos hæc vocantur accidentia *respectiva*, non *entitativa*. Sed huic solutioni obstat 1. consensus Theologorum nullam agnoscunt de facto substantiam supernaturalem absolutam, & plerumque possibilem esse negantium. Obstat 2., quòd Gratia verè erit intellectiva, & rationalis, *ut quod*. Tum quia substantia immaterialis necessariò est intellectiva, ut probant Theologi cum D. Thomâ. Tum quia Gratia est vera radix operationum intelligendi & amandi supernaturalium: substantia autem absoluta, quæ vim habeat tales operationes radicandi, non est cur non intelligat, & amet *ut quod*. Tum quia Gratia, si talis est indolis, sine dubio est Spiritus propriè & simpliciter: Spiritus autem definitur à Tosca *tract. 11. L. 1. cap. 1. prop. 1. Substantia intellectiva*. Obstat 3., quòd Gratia, ut constat ex Tridentino Sess. 6. cap. 7. & can. 11., verè est forma animæ, verèque ipsi inhæret; & ex se instituta est ut uniat subiecto rationali, & illud informet, non minùs, imò magis, quam anima rationalis respectu corporis, cum non possit Gratia extra subiectum existere sine grandi miraculo, possit autem anima extra corpus. Hinc autem sequitur, quòd, si Gratia est substantia, erit forma substantialis respectu animæ, vel Angeli, & cum Angelo, vel homine, faciet unum *per se*, sive unum compositum substantiale, pari, vel potiori iure,

Ostenditur tertiò ex qualitatibus supernatur., nominatim ex Gratia sanctificante.

Prima solutio Atomist.

Multis impugnatur.

Si Gratia est substantia, erit intellectiva:

et forma substantialis:

Apud Atomist. quænam distinctio sit entitativa.

Notio distinctionis modalis apud Peripateticos.



re, quam rationalis anima cum corpore organico. Hoc autem  
 conspiciens, & inauscultum est, & intolerabile. Tum quia inde fie-  
 ret, hominem iustum distingui specie substantiali à peccatore: fie-  
 ret item, hominem substantialiter mutari, cum de peccatore fit  
 iustus, & substantialiter corrumpi, dum Gratiā amittit. Imò  
 non posset illam amittere: quia Gratiā foret incorruptibilis, &  
 immortalis eodem titulo, quo anima rationalis; & aliunde non  
 posset existere separata à subiecto. Tum etiam, quia Gratiā foret  
 propriè anima Angeli, & quidem anima propriè rationalis, cum  
 sit forma Spiritualis, Angelum substantialiter compleas, & præ-  
 terea sit radix operationum rationalium ordinis supernaturalis.  
 Homo item iustus duas haberet animas rationales, substantialiter  
 unitas inter se per modum actus & potentia, quarum per alteram  
 esset substantia completa intellectiva in ordine naturali, & per  
 alteram substantia completa intellectiva in ordine supernaturali:  
 quemadmodum iuxta Atomistas, corpus humanum, postquam  
 est substantia completa vegetativa, per novam formam comple-  
 tur in esse substantia sensitiva, & retentà completionem istā, ite-  
 rum per rationalem animam completur in esse hominis, vel sub-  
 stantia rationalis. Tum denique, ut alia omittam, quia daretur  
 de facto creatura rationalis ex propria substantiali naturā impe-  
 cabilis, ac sibi debitam faciens visionem intuitivam Dei, vides-  
 licet illud unum per se, sive illud substantiale compositum, quod  
 resisteret ex homine & Gratiā. Neque his incommodis medetur  
 Tosca, dicens, posse Gratiā vocari *accidens entitativum*; pro  
 quo nos remittit ad suā Metaphysicā Lib. 3. prop. 24. Sed in eā  
 propositione solum dicit, accidens entitativa posse saltem Di-  
 vinitus existere sine subiecto. Citare debuisset sequentem propo-  
 sitionem 25., ubi inter accidentia entitativa numerat Gratiā sancti-  
 ficantem, & habitus infusos. Tum sibi obiicit, quod hæc non  
 sunt propriè accidentia, sed substantia, cum habeant propriè  
 quidditatem, sintque in se absolute, & simpliciter entia; &  
 aliunde quidquid in se habet esse, substantia sit. Respondet au-  
 tem his verbis: *Ob hanc rationem, ut verum fatear, cur eisdem  
 ratio substantia neganda sit, non satis video. Caterum, cum iam  
 ad questionem de voce pervenerimus, sistendam est; potiusque  
 iudico cum plerisque loquendum, ideoque appellanda esse acciden-  
 tia entitativa.* Vides, opinor, quid sibi velit hic Author, scili-  
 cet illud Ciceronis, *In loquendo usum populo concessi, scientiam  
 mihi reservavi.* Agnoscit in entitate Gratiæ quidquid exigit ra-  
 tio substantia, nec videt quomodo negari possit, flantibus  
 Atomistarum principijs, quæ ipse sectatur: sed hanc veritatem

et incorruptibilis, immortalisque:

et propriè rationalis anima hominis, aut Angeli.

Responsio quædam

parum candida

sibi reservat, & in loquendo usum Peripateticis indulget, ne de  
 voce dispatet. Quasi verò sit contentio vocalis prudenter contem-  
 nenda, quæ à concedente definitionem vult extorquere defini-  
 tum, ut si quis renuat vocare hominem, quod est animal rationa-  
 le, vel vocare Deum, quod est Ens à se. Notum est, ex pravo  
 usu vocum in rebus Theologicis errores & hæreses nasci posse, &  
 consuevisse. Quidquid tamen sit de nomine philosophico, quo  
 vobis libeat Gratiā appellare, rogamus, ut veritatem fateami-  
 ni quantum ad genus quidditatis, quod Gratiæ tribuit conscien-  
 tia vestra: Utrum scilicet Gratiæ conveniat suffragio vestro quid-  
 ditas, ratio, ac definitio substantia? an non? Si convenit (quod  
 stando veritati, cur negandum sit, Tosca non satis videt), se-  
 quuntur incommoda nuper indicata. Si non convenit, frustra  
 relicitis generatim ideam accidentis absoluti, ab omni substan-  
 tia entitative distincti, quam Peripatetici probant; & falso dicitis  
 universim, substantiam esse in se quidquid propriè producitur,  
 & entitatem habet simpliciter, aut propriè.

35 Altera solutio est Joannis Saguens, asserentis, Gra-  
 tiā habitualem non distingui entitative ab animā sanctificatā;  
 sed esse mirabilem quandam modificationem illius, à Deo fac-  
 tam. Hinc (subdit Tosca), cum modus animæ sit, propriè non  
 producitur, aut fit; prout generatim de omnibus modis Atomis-  
 tæ docent. Verum hæc solutio, ut mitissimè loquar, durissimè  
 negat habituali Gratiæ verum esse, veram realitatem, seu entita-  
 tem propriè talem: si enim entitas huiusmodi concedatur Gratiæ,  
 concedenda ipsi pariter est entitativa distinctio ab animā, ut om-  
 nes Atomistæ fatentur; nec iam Gratiā erit modificatio, sed en-  
 titas absoluta. Durissimè, inquam: quia si hoc ita est, non vi-  
 dentur serio intelligi posse, quæ circa Gratiā Fides Christiana  
 docet: v. g. quod hæc pretiosissima forma est quoddam esse Di-  
 vinum, imitatio Divina sanctitatis, & participatio Divinæ na-  
 turæ, iuxta illud Sacræ Paginæ, *Magna, & pretiosa nobis pro-  
 missa donavit, ut per hæc efficiamini Divina consortes naturæ.*  
 Nam quis hæc serio intelligat de obiecto nullam habente realita-  
 tem? Merebiturnè vocari esse Divinum, quod propriè nullum est  
 esse? Imitabiturnè verè Divinam sanctitatem, aut verè partici-  
 pabit naturam Dei, quod propriè nullam imitatur perfectionem,  
 nullam propriè participat entitatem, sed est merum nihil, vel  
 nescio quid medium inter aliquid & nihil? Præterea, quidquid  
 realis perfectio est, realis entitas est, ut supra argumentabamur  
 in simili. Quis autem dabitet, quin realis perfectio sit, realiter-  
 que perficiat animam iusti, ac verè meliorem reddat formā illa,

refutatur.

Alter solutio.

Reiicitur.

Quam du-  
 rum sit, &  
 absurdum, Gra-  
 tiā dicere  
 modum en-  
 titatis exper-  
 tana.



quæ est Divina quædam animæ pulchritudo, supercælestis decor, ornamentum, monile, annulus, & stola omni auro, gemmisque pretiosior, quâ dignè vestitur, ornatur, & constituitur sponsa Dei, filia Dei, hæres Cæli? Forma, inquam, illa, qua videlicet à Deo donati (ut loquitur Tridentinum cit. cap. 7.) *renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam?* Vel quis hæc verificari concipiat de perfectione realiter nullâ, nisi, quod nefas est, ad meras moralitates, aut imputationes extrinsecas recurrat? An, qui Thesaurum hunc amittit, nullius rei, nullius entitatis iacturam facit? Mitto alia plurima, quæ facillè in solutionem istam ponderari possunt. Tantùm adverto, plures Atomistas, qui generatim reiiciunt omne genus distinctionis ante opus mentis inter subiectum, & eos, quos vocant *modos*, consequenter fateri debere, Gratiam, si modus est, omninò indistinctam esse ab animâ: ex quo absurda pullulant nulli Catholico devoranda: ut, quòd entitas animæ sit supernaturalis, vel Gratia sit naturalis: quòd omnis anima creata sit in Gratia: quòd Gratiam amittere nunquam possit: quòd locum non habeat doctrina Tridentini de *receptione, & inhaerentia* Gratia in animâ iusti. Tosca verò, qui distinctionem modalem in rebus agnoscit, v. g. inter corpus, & ubicationem, seu præsentiam localem, sine exceptione docet, modos non propriè quidditatem habere, nec propriè produci, nec destrui. Unde, si Gratia est modus, non magis perficiet hominem, quàm ubicatio in loco A; nec homo propriè acquiret, vel amittit aliquid, adquirendo, vel amittendo Gratiam; nec Spiritus sanctus propriè erit Author, & causa Gratia, cum hæc non sit propriè producibilis; nec peccatum destruet propriè Gratiam, cum hæc propriè destrui non possit.

Gratia indistinctio à subiecto, absurdissima:

atque etiam distinctio purè modalis in sensu Atomist.

Cartesiana Philosophia, quia parùm Fidei consonat, Orthodoxis odiosa;

Heterodoxis grata.

36 Ex alijs capitibus ostendi posset incoherentia Philosophia Corpuscularis, præsertim Cartesianæ, cum Fidei dogmatibus: quæ qui distinctius nosse velit, adeat Illustriss. Huetium in *Censura Philosophia Cartesianæ* præsertim cap. 5., & 8., & Illustriss. Palancum cit. *Dialog. contra Philosophia novatores*. Idcirco Cartesianæ principia in Galliâ & Belgio à plerisque Academicis proscripserunt, Regiis etiam decretis interdicta: varij quoque Libri Cartesij prohibentur, donec corrigantur, in Romano Libror. prohibitor. Indice. Nec prætereundum est, quòd doctrina Cartesij heterodoxis plerùmque nimis placuit: & postquam vulgari caput, rarus extitit Iansenista Philosophiam professus, qui non fuerit Cartesianus. Ita suasit novandi libido, fortassisque etiam

etiam amicitia, & litterarum commercium, quod intercessit olim Cartesium inter & Antonium Arnauldum, Iansenianæ factionis Antesignanum. Indignantur quidem vehementer Atomistæ nonnulli, præsertim Cartesiani, quoties ex principijs & doctrinâ Catholicæ Fidei contra Philosophiam ipsorum argumenta petimus; nobisque non sine stomacho exprobrant, quòd physicarum rationum inopes ad mysteria supra rationem posita recurramus. Aliud est, inquiunt, credere; aliud scire. Nunc Physica scientia quaeritur: & hæc naturali ratione, non revelatione, vestiganda est. Qui ergo Physicum agit, à principijs revelatis interim præscindit; nec tenetur argumentis inde petitis respondere quatenus Physicus, quàmvis mysteria ipsa veneretur, & credat quatenus Christianus. Sed certè indignatio ista multò acriorem meretur indignationem.

1. : quia, si in rebus physicis habenas laxare oportet naturali rationi, & omnibus, quæ illi vera videntur, liberè assentiri, nihil interim curando consonantiam eorum cum Fidei veritatibus: ergo, quàmvis humana ratio deliria multa proponat sub specie veri, v. g. quòd Mundus sit æternus, quòd Deus operetur, non liberè, sed ex necessitate naturæ, quòd rationalis anima sit mortalis, quòd ex atomis fortuitò combinatis formata sint omnia (quæ, & alia deliria placuerunt olim magni nominis Philosophis, qui multo rationis lumine pollere visi sunt); licebit nobis assensum præstare, & ea tamquam physicas veritates amplecti: cumque obiiciuntur veritates Fidei, licebit reponere, *Ab his præscindo, quia Physicum ago; vel, Has veritates credo, illas scio, nec utraque inter se conciliare teneor, ne alioquin ratio cum Fide confundatur, aut temerè offurgat ad excutienda mysteria supra rationem posita.* Quis verè Catholicus ita loquatur? aut ita loquentem non indignanter audiat? Poteritne unus, & idem homo seriò agere nunc fidelem Christianum, nunc Physicum Atheistam?

2. : quia mysteria Fidei, licet supra rationem sint, non sunt contra rationem. Unde tot Libri SS. Patrum, & Catholicorum Doctorum in id incumbunt, ut contra paganos & hæreticos ostendant, nihil in nostris mysterijs esse, quòd recta ratio improbare possit. Ergo, qui laborem hunc negligit, Catholicorum Patrum, atque Doctorum conatum damnat, infidelium contemptui, risuique Religionem nostram exponit, & an recta sit sua ratio, non curat.

3. : quia doctrina Fidei verissima est, certissima, & infallibilis: ergo, si re ipsa illi dissonat vestra Philosophia, quantumvis evidenter demonstrari videatur, nequit non esse falsa, & erronea: quia *Verum vera consonat*; & quòd opponitur certissimæ veritati, certissime est error; nec potest non falli, quicumque dis-

An oportet à principijs Fidei Christianæ præscindere, qui Physicū agit

Non oportet: primò,

Secundò,

Tertio



Quarto.

currendo deviat à veritate infallibili. Si ergo à doctrinâ Fidei præscinditis, dum Physicos agitis, vobis curæ non est, an reipsa Physica vestra sit falsa, & erronea. 4. : quia nemo res physicas melius novit, quàm earum omnium conditor Deus; qui præterea, siquid loquatur, nos fallere nunquam potest: si ergo dignetur ipse detegere, vel revelare vobis aliquid de obiecto Physicæ (ut multa de facto revelavit in Scripturâ sacra), quis erit physicæ veritatis amator, qui non illud præ oculis habeat, tum ut rationem aberrantem corrigat, & pro errore damnet quidquid illi adversari deprehenderit, tum ut aliquam inde lucem accipiat ad alias veritates physicas indagandas? Si Deus omnia naturæ arcana, & quidquid pertinet ad obiectum Physicæ, per se ipsum revelare vellet; nunquid posset sensatus Philosophus oculos mentis inde avertere, & aliam sibi Physicam proprio Marte condere, non curando consonantiam eius cum Physicâ revelatâ? Deberet quidem experiri, an ratio naturalis, præscindendo à revelatione, posset easdem veritates discurrendo ac demonstrando detegere, ut ita obiectum Physicæ non solum esset creditum, sed scitum. Caterum non nisi temerè, & stultè posset tunc humanæ rationi omnino fidere, suisque demonstrationibus tamquam legitimis assentiri, donec eas cum Physicâ revelatâ conterret, & consonantiam, vel certe nullam dissonantiam deprehenderet. Eadem autem ratio militat in parte Physicæ, quæ in toto illius obiecto.

Quære notissimū Philosophia Peripatetica Corpulari præferenda sit.

Cartesiani quidam nimium sibi arrogant: Peripateticos irrident:



vicissim irridentur.

37 Itaque nova hæc, vel innovata Philosophia, eo displicet maximè, quòd ægrè admodum possit, si forsan potest, in concordiam venire cum Theologia sacra, cui omnes scientiæ naturalales, nisi paganæ sint, famulari debent, & cui Philosophia Peripatetica famulatum præstat utilissimum, quin ullum habeat principium Theologis incommodum. Displicet etiam in multis istius Philosophiæ sectatoribus arrogantia, fastus, & contemptus aliter sentientium, quos præ se videntur nihili facere, atque eorum argumenta flocci pendere, suas interim ratiunculas (quæ sæpissime sunt merè divinationes arbitrariæ, vel merè congruentiæ, seu analogiæ mechanicæ) pro clarissimis & evidentissimis demonstrationibus iactantes. Philosophiam Peripateticam quasi per contemptum vocare solent *Philosophiam Monachorum*: quasi verè despicienda sit, eo quòd Religiosis, pro tuendâ Catholicæ Fidei puritate maximè sollicitis, v. g. D. Thomæ, Scoto, Suario, valde probetur tamquam ad eum finem perutilis. Hispani, quibus nihil Religione charius, Cartesianam Philosophiam communiter averfantur: eam quoque vicissim irrident ut mechanicam, & nunquam appellant *Philosophiam laicam*, *Philosophiam illiterato-*

*ram, & feminaram*, vulgo *Philosophia lega*, *Philosophia de capa, y espada*, *Philosophia de Estrados*. Nec huius Philosophiæ lucè notiora sunt nobis naturæ penetralia. Cam enim penitus aliquid in rebus physicis explicandum est, plerumque nullam à priori rationem reddere norunt Atomistæ, nisi sub his terminis, *Pendet hæc à corpusculis modo multiplici combinatis, sic vel sic dispositis, taliter vel taliter contextis, vel etiam à virtutibus anteriorum elementorum sine nomine*. Interdum divinando addunt, forsan aliquid eâ in re inveniri simile artificio molendini, horologii, vel organi pneumatici. Non rarò confugiunt ad materiam subtilem, seu ætheream, quantumcumque invisam, & occultam. Atque ita totam naturæ clarissimam, si Superis placet, explanationem absolvunt. Sed certè per voces illas, *sic vel sic, taliter vel taliter*, vel per materiam ætheream nulli sensui notam, vel etiam per anonyma elementa Maignani, non clarius patefcunt arcana naturæ, quàm per formas, & qualitates occultas Peripateticorum. Facebat ergo à Scholis nostris hæc novitas Philosophiæ, quæ nullam rebus physicis lucem afferendo, difficultates incurrit insuperabiles, ut unam vel alteram in Peripatu evitet nulli mediocri ingenio formidandam.

Philosophia Corpularis novâ lucè non attulit rebus physicis.

Conclusio Dissertationis.





## PRÆLIMINARIS DISSERTATIONIS INDICULUS.

- Summa doctrinæ Peripateticæ de Corpore naturali generatim, de que illius partibus, & affectionibus.* num. 1. 2. 3.
- Atomistica, seu Corpuscularis Philosophiæ Authores, & Instauratores.* n. 4.
- Fundamentum, quo tota nititur.* n. 5.
- Quenâ statuat prima principia Corporis naturalis.* n. 6. & 7.
- Quid apud Atomistas Compositum substantiale, Generatio, Alteratio, Corruptio.* n. 8.
- Quid materia prima.* n. 9.
- Quid substantialis forma, tum generalis, tum specialis.* n. 10. & 11.
- Brutorum animas an, aut quatenus agnoscant novi Philosophi.* n. 12.
- Cætera Atomistarum dogmata generalia.* n. 13.
- Prima principia Mixtorum apud Chymicos.* n. 14.
- Quædam Atomistis permittenda.* à n. 15. ad 19.
- Controversiæ cardo.* n. 19.
- Prima ratio contra Philosophiam Corpuscularem: quia nullū erit Compositum substantiale: nulla item Generatio substantialis.* n. 20.
- Secunda ratio: quia nulla can-*
- sis secundis inest activitas.* n. 21.
- Tertia ratio: quia nullum Corpus ab alio differet specie substantiali.* n. 22.
- Subruitur fundamentum Philosophiæ Corpuscularis.* n. 23.
- Quarta ratio, desumpta ex paradoxo de brutis animantibus.* à num. 24. ad 30.
- Quinta ratio: quia nova Philosophia officit Fidei, & sacre Theologiæ.* n. 31.
- Ostenditur primò ex accidentibus Eucharisticis.* n. 31. & 32.
- Ostenditur secundo ex actibus Intellectus, & Voluntatis.* n. 33.
- Ostenditur tertio ex qualitatibus supernaturalibus, nominatim ex Gratia sanctificante.* n. 34. & 35.
- Cartesiana Philosophia, orthodoxis odiosa, heterodoxis grata.* n. 36.
- An oporteat à principijs Fidei Christianæ præscindere, qui Physicum agit?* *ibi.*
- Quare potissimum Philosophia Peripatetica Corpusculari præferenda sit?* n. 37.
- Philosophia Corpuscularis novam lucem non attulit rebus physicis.* *ibi.*
- Conclusio Dissertationis.* *ibid.*



## P H Y S I C A,

SEU NATURALIS PHILOSOPHIA  
DE CORPORE NATURALI GENERATIM.  
P R O O E M I U M.

**P**HILOSOPHIA, quæ idem sonat, ac *amor sapientiæ*, à modestia Pythagoræ nomen accepit. Nam, cum antea (inquit S. Augustinus L. 8. de Civit. Dei cap. 2.) Sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis vitæ alijs præstare videbantur, iste interrogatus, quid profiteretur, Philosophum se esse respondit, id est, studiosum, vel amatorem sapientiæ: quoniam Sapientem profiteri arrogantissimum videbatur. Placuit cæteris vocabuli novitas: ac deinde pro Sapiente *Philosophus*, & pro Sapientiâ *Philosophia* nomen invaluit. Vetus Philosophiæ generatim acceptæ definitio est, *Humanarum, Divinarumque rerum scientia*. Per res *humanas* intelliguntur, quæ ad mores; per *Divinas*, quæ ad Universi speculationem spectant. Dividitur Philosophia in *Moralem, Rationalem, & Naturalem*. *Moralis*, seu *Ethica*, est, quæ de virtutibus, & vitijs differit ex præscripto rectæ rationis, ut *Voluntatis* affectus temperet, ac mores formet. *Rationalis*, seu *Logica*, est, quæ *Rationem* dirigit, & *Modum sciendi* docet. *Naturalis*, quæ cætera in Universo scibilia naturali lumine scrutatur. Hæc subdividitur in *Metaphysicam, Mathematicam, & Physicam*: è quibus postrema hæc nostri laboris est in præsentiarum.

2 *Physica* ergo definiri potest *Scientia de natura*, iuxta nominis etymon, nam *physis* natura est: ideòque peculiariter, & quasi antonomasticè appellatur *Philosophia naturalis*, atque etiam *Physiologia*, id est, *Sermo de natura*. *Scientia*, inquam, de *natura sensibili*, quæ nimirum indagari potest ex accidentibus, quæ sub sensum cadunt: vel de *natura*, quæ est *principium motus* in substantiâ corporeâ: non enim *Physi-*



ca tractat de natura Dei, aut Angelorum, nisi quatenus ab his pendent motus corporei; scilicet de Angelis tractat, quatenus caelestia corpora movent, & de Deo, quatenus primus est Motor, seu prima Causa mutationum omnium sensibilium, aut materialium. *Motus* autem nomine venit, non solum motus localis, sed etiam mixtio, generatio, nutritio, accretio, alteratio, intensio, &c., de quibus expresse differit Physica.

3 Obiectum Physicæ adæquatum complectitur omnia, quibus constat Mundus corporeus, scilicet, corpora omnia Cælestia & sublimaria, eorumque partes, & affectiones. Ratio formalis *sub qua*, dici potest Ens mobile, seu naturale, prout est ratio communis substantiis & accidentibus corporeis. Obiectum attributionis varijs nominibus circumfertur; ab alijs enim dicitur Ens naturale: ab alijs Ens mobile: ab alijs Corpus mobile: ab alijs Compositum substantiale: ab alijs Corpus completum de prædicamento Substantiæ. Quæ varietate verborum rsm eandem omnes intelligere videntur, videlicet *Corpus naturale in genere Substantia completum*, ad cuius perfectam cognitionem ducit quidquid Physica tractat.

4 Porro Corpus simpliciter dictum (ne hanc in limine prænotationem desideres) est *Substantia completa naturaliter exigens impenetrabilitatem sui cum alia eiusdem rationis*. Unde necessario debet ad alterius ingressum loco cedere, vel talem ingressum impedire. Potest etiam aliter, & aliter describi: nempe, *Substantia completa suapte natura perpetuè destinata ad radicandum proprietates, aut effectus sensibiles*: item, *Substantia completa naturaliter exigens extensionem localem*. Quælibet ex his descriptionibus, quoad præsens attinet, satis declarat, quid Physici denotent nomine *Corpus*: nisi addant *incompletum*; quia tunc intelligitur materia prima, formam specificam expectans: vel nisi addant *organicum*; tunc enim intelligitur materia preparata ad recipiendam animam. Sed duo sunt notanda. Alterum: omnia, quæ naturali connexionem pertinent ad Corpus, esse entia corporea, seu materialia, scilicet omnes partes impotentes existere separatim, omnia item accidentia, affectiones, & modos corporis: unde latius patet *Ens corporeum*, vel *ens materiale*, quàm *Corpus*. Alterum: dum Corpus præcisè consideratur secundum triam dimensionem, in longum, latum, & profundum, tunc dici *Corpus mathematicum*: dum verò spectatur prout mobile, seu prout obnoxium mutationibus sensibilibus, tum substantialibus, tum accidentalibus, tunc appellari *Corpus physicum*, vel *Corpus naturale*, derivato nomine à *natura*, quatenus hæc definitur *principium motus &c.* Ex his ergo patet, quo sensu Corpus naturale dicatur Physicæ Subiectum, vel Obiectum attributionis. Patet etiam, cur Physica dicatur, abstrahere quidem à materia singulari, sed non à materia sensibili: quia scilicet suum obiectum considerat sub ratione sensibiliter mobilis.

Per

5 Per ordinem ad hoc obiectum dicitur Physica una scientia; quamvis subiective non sit qualitas simplex, sed ex pluribus habitibus conitet: id quod ipsæ rationibus patet, quibus in Logica probata est pluralitas habituum. Physica verè scientia est: quia, cum plura de suo obiecto demonstret, est habitus per demonstrationem acquisitus: quamvis etiam contineat plures actus & habitus opinativos, ut fert omnis humanæ scientiæ conditio. Nec obstat 1. quod obiectum Physicæ contingens, & corruptibile sit, cum scientia de necessarijs esse debeat. Nam, licet sit contingens quoad existentiam, est necessarium quoad connexionem prædicatorum, quæ de illo Physica demonstrat. v. g. demonstrat Physica, corpus mixtum esse corruptibile: & reverà corruptibile esse necessarium est. Nec obstat 2. quod notitia de obiecto Physicæ acquiratur per sensus, qui sæpe falluntur. Nam in primis sensus circa obiecta propria debite applicata falli non possunt: ac deinde naturale lumen Intellectus, primis principijs adiutum, cavere potest deceptionis pericula, quæ nonnunquam à sensibus imminet. Denique scientia hæc simpliciter speculativa est: quia plerumque tractat de obiectis, quæ nostræ operationi non subiacent. Esse tamen secundum quid practicam, facile cum pluribus admit. tam, eo quod nonnullæ physicæ cognitiones ad effectum sui obiecti dirigere possint. Et hæc sufficiant de Proæmialibus Physiologiæ, de quibus admodum parè differunt Recentiores. Conimbricenses adeat, qui-plura velit.

6 Aristoteles, Philosophorum omnium, præsertim in rebus physicis, sine dubio Princeps, Libros de hoc argumento scripsit plurimos, quorum pars iniuria temporum intercidit. Qui nunc extant, sunt Libri octo Physicorum, qui *De Physico auditu*, vel *Physicæ auscultationis* inscribuntur, item Libri de Cælo & Mundo, De generatione & corruptione, seu De ortu & interitu, De meteoris, De anima, Parva naturalia, De partibus animalium, De generatione animalium, De incessu, & De motu animalium, De historia animalium. Ex Libris hisce quosdam vocavit Aristoteles exotericos, idest, extraneos, & populares, quod scripti sunt stylo facili, & ad vulgi captum; cuiusmodi est Historia animalium: quosdam verò appellavit acroaticos, idest, auscultatorios, quod scilicet subtiliore differendi ratione content, ideoque magisterio, & auscultatione indigeant. Hos inter præcipuè numerantur octo Libri Physicorum, seu *De Physico auditu*, hunc sibi titulum velat æconomistice vendicantes, quod ob eas, quas continent, quæstiones multas, ac difficiles, peculiariter de Magistro audiendæ sint, & arrectis discipulorum aures postulent. Hos ipsos in præsentiarum explicandos suscipimus ante alios: quia de Corpore naturali generationem tractant, & doctrinam tradunt ad omnes Physicæ partes necessariam; ideoque docent Physicam Generalem, cum cæteri suam quisque partem Obiecti Physicæ decerpant.



4 *Tract. I. De Princip. intrinsec. Corpor. Natur.*  
Eorum autem ordo sic habet. In primo differitur de principiis intrinsecis Corporis naturalis. In secundo, de naturâ, & causis. In tertio, de motu, & infinito. In quarto, de loco, vacuo, & tempore. In quinto, & sexto, de speciebus, unitate, contrarietate, & divisione motus. In septimo, & octavo, de primo Motore.

7 Hæc omnia tribus Tractatibus complectemur, consuetam Scholis methodum servantes. Nec iam confutandis Atomistis, aut Cartesianis, multum immorabimur: propterea enim, ut via nobis pateat expeditior, præliminarem Dissertationem præmisimus; quam legat oportet, qui novos Corpuscularis Philosophiæ nosse velit. Siquid tamen aliquius momenti nobis opponant, cum res tulerit, diluemus.

## TRACTATUS I.

### DE PRINCIPIIS INTRINSECIS CORPORIS Naturalis.

**U**T Naturâ suam à primis principiis opus inchoat, hisque veluti basibus innixa totius Mundi fabricam ad fastigium usque perducit: sic ab ipsâ tractatio physica aptè sumet exordium: ut inde pateat intrinseca structura *Corporis naturalis*, seu *Compositi substantialis*. Hæc nomina pro eodem accipimus: quia certum est, notiora Corpora, & fortassis omnia, quæ de facto existunt (de quo propriis in locis) ex partibus substantialiter esse composita.

## DISPUTATIO I.

### QUOT, ET QUÆNAM SINT PRIMA PRINCIPIA INTRINSECA Corporis naturalis?

#### CAP. I.

*PRÆMISSA NOTIONE  
Principij, Aristotelica primorum  
principiorum definitio  
exponitur.*

**P** Principii nomen analogum est, vel fere æquivocum. Sæpe idem sonat, ac initium: sic

Ianuarius dicitur principium anni. Sæpe significat fundamentum: sic unitas dicitur principium numeri. Sæpe, quod primum est ordine loci, dignitatis, aut quovis alio. Sub his acceptionibus Principium contraponitur Fini. Philosophicè verò non vocatur Principium, nisi id, à quo aliquid per se oritur aliquomodo.

Quæ

#### Disput. I. Quot, & Quænam sint Prima Princip. &c.

3 Aliud est Principium scientificum, sive in esse cogniti; aliud reale, sive in esse rei. Principia in esse cogniti suat Præmissæ respectu Conclusionum. Principium in esse rei est, quod tribuit esse non pendens ab Intellectu: dividiturque in intrinsecum, & extrinsecum. Principium intrinsecum, quod & coniunctum dicitur, est, quod rem intrinsecè constituit. Sic corpus & anima sunt principia hominis. Principium extrinsecum, quod & separatum appellatur, est id, unde aliquid oritur ab ipso adæquatè distinctum. Sic Deus principium est creaturarum, & Sol lucis, & quidquid gerit munus causæ efficientis, finalis, aut exemplaris.

2 Ubi tria sunt notanda. 1. Principium philosophicè sumptum non opponitur Fini: nam causa finalis est unum ex principiis, unde per se oritur quilibet effectus. 2. Omnis causa principium est; non tamen omne Principium est causa: nam Pater æternus, cum sit verè principium Filii, non est illius causa. Quod si Aristoteles ait, Causam tot modis dici, quot Principium, loquitur vulgari & lato sensu, quo Causa dicitur quidquid aliquomodo præbet occasionem, aut vim præstat, ut aliquid existat. Causa igitur ultrâ rationem Principii connotat in termino dependentiam, ac distinctionem essentia. Hinc correlativum Principii ut sic, non est *principiatum*: hoc enim nomen sonat *effectum*, sive *causatum*, quod est correlativum Causæ: ideoque Filius Divinus, quamvis oriatur à Principio, non est principiatum. Correlativum ergo Principij ut sic, erit *terminus procedens*. 3. Omne Principium in creatis est prius termino, saltem prioritate naturæ, de quâ Tract. 2. Imò & in Divinis passim admittitur à Theologis prioritas aliqua Principij, non quidem stricta, qualis est prioritas temporis, vel naturæ; talem quippe reicit Symbolum Athanasij verbis illis, *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius*; sed alia, quam vocant prioritatem originis, & quæ solum denotat, Filium originem habere à Patre, non e converso.

4 Sunt, qui numerent inter principia intrinseca, non solum constitutiva, sed etiam connotata, sine quibus res nec fieri, nec intelligi potest. Sed non sunt audiendi. 1.: quia nec actio sine agente, aut sine termino, nec creatura sine Deo, fieri, vel intelligi potest: cum tamen nec agentis, nec termino, nec Deo, conveniat munus principij intrinseci respectu actionis, aut creaturæ. 2.: quia repugnat usus communis, & quidem in ipsâ vocis proprietate fundatus: non enim propriè vocatur *intrinsecum*, quod, etsi connotetur, & exigatur, tamen non intra, sed extra totam rei constitutionem manet.

5 Aliiter dividitur Principium in primum, & secundum. Principium primum strictissime dicitur solus Deus, qui, cum tribuat esse rebus omnibus, ipse in nullo gene-



6 *Traçtat. I. De Princip. intrinsec. Corpõr. Natur.*  
re principiatur ab alio. Sed minus  
Aristote, proprie tamen, dicitur pri-  
mum Principium, quod non prin-  
cipiatur ab alio in eo genere, in quo  
principiat: unde, præter influxum  
in terminum, importat negationem  
dependentiæ ab alio principio; quæ  
negatio videtur denotari nomine  
*Principium* absolutè & omninò  
proprie prolato. Sic materia prima  
est primum principium Corporis  
naturalis; quia, licet oriatur à Deo  
in genere causæ efficientis, à nullo  
oritur in genere causæ materialis, in  
quo ipsa principium est. Principium  
secundum dicitur, quod in eo ge-  
nere, in quo principium est, prin-  
cipiatur ab alio. Sic homo, qui ge-  
nerat hominem, ab alio homine ge-  
neratur. Divisio ista convenit Prin-  
cipiis, tum in esse cogniti, tum in  
esse rei, tum extrinsecis, tum in-  
trinsecis.

6 Principia verò intrinseca,  
dum prima sunt, & positiva, dicun-  
tur Elementa. Nam elementa voca-  
mus prima rerum constitutiva, quæ  
in eodem ordine non constituuntur  
ex alijs. Sic litteræ dicuntur Ele-  
menta dictionum. Hinc ignis, aer,  
terra, & aqua, quæ vulgo dicun-  
tur Elementa, si non sunt corpora  
simplicia, sed substantialiter com-  
posita, ut fert communis senten-  
tia, non sunt Elementa philosophi-  
cè relatu ad primam rerum consti-  
tutionem.

7 His circa notionem Princi-  
pij prælibatis, explicanda est Aris-  
totelica definitio primorum Princi-  
piorum Corporis naturalis. Princi-  
pia ista sunt (inquit Aristot. cap. 5.

huius Lib.), *quæ nec ex se se vicif-  
sim, nec ex alijs, sed omnia ex ipsis  
sunt.* Id est, prima principia intrin-  
seca, seu elementa Corporis natu-  
ralis, ea sunt, quæ in eo genere, in  
quo principiant, neque invicem  
principiant se se, neque ex alijs prin-  
cipijs fiunt, & ex ipsis principiantur  
omnia Composita physica substan-  
tialia. Totum hoc, iuxta systema  
Peripateticum, convenit materiæ  
primæ, & formæ substantiali. Con-  
venit etiam privationi (quæ tamen,  
cum non sit quid positivum, non  
proprie dicitur elementum) saltem  
quoties, & quatenus Corpus fit per  
mutationem materiæ. Nam tria hæc  
principiant imprimis in genere Prin-  
cipij intrinseci, quo in genere nec  
materia ex formâ, nec forma ex ma-  
teriâ, nec alterutra ex privatione  
ferri valet. Deinde nec fiunt ex alijs  
in eâ peculiari ratione, quâ singula  
principiant: quia nec materia ex alio  
subiecto, seu causâ materiali fit, nec  
forma ex aliâ czusa formali, nec pri-  
vatio ex alio termino à quo privati-  
vo, & intrinseco. Denique ex his fit  
omne Corpus, quod naturali muta-  
tione fit, ut mox patebit.

8 *Obijc.*: forma fit ex materiâ  
ut ex subiecto præsupposito, & cau-  
sâ materiali: iam ergo unum pri-  
mum principium ex alio fit. 2.: ma-  
teria, & forma materialis fiunt ex  
partibus integrantibus: iam ergo  
fiunt ex alijs. 3.: tam materia, quam  
forma, fit ex genere, & differentiâ:  
ergo utraque ex alijs fit. Verùm hæc  
præoccupavimus, cum de conceptu  
primi Principij solum esse diximus,  
quod non fiat ex alio in eo genere,

& in eâ peculiari ratione, quâ prin-  
cipiat. Unde *resp. ad 1.*: quidquid  
fit, an forma proprie dicatur fieri,  
de quo postea; certè non fit ex ma-  
teriâ, ut ex intrinseco principio, ex  
quo constituatur, multòque minus  
ut ex causâ formali; quo sensu for-  
ma principiatur Corpus naturale.

9 *Ad 2.*: materia, & forma  
principiant Corpus ut partes essen-  
tiales per modum actus & potentiæ;  
quo in genere non fiunt ex partibus  
integrantibus: hæc namque partes  
nec invicem se respiciunt ut actus &  
potentia, nec sunt essentielles, utpo-  
tè quæ solum faciunt, ut res integra  
fit, sive non mutila, & quæ ita se  
habent, ut sine quavis earum possit  
concipi quod sufficit ad verifican-  
dam definitionem rei essentialem,  
imò sæpe deficient naturaliter ma-  
nente essentiali, v.g. manus in homi-  
ne, ramus in arbore, gutta in aquâ.

*Ad 3.*: genus & differentia non sunt  
principia rerum in lineâ physica, sed  
in lineâ tantum metaphysica, sive  
logicâ: nunc autem sola quærimus  
prima principia, seu elementa in  
geære physico.

10 *Replc.*: forma fit ex privati-  
one ut ex termino à quo, & similiter  
ex formâ fit privatio: nam, sicut ex  
non igne fit ignis, ita ex igne fit non  
ignis: iam ergo privatio & forma in  
eodè sentu fiunt ex se invicem. *Resp.*:  
hoc utrummum probat, quod forma  
fit ex privatione, & è converso, tam-  
quam ex termino à quo extrinseco,  
seu adæquatè distincto: unde non  
sequitur, quod ex se ipsis fiant in eo  
sentu, quo dicuntur prima princi-  
pia, nimirum intrinsece constituen-  
do principiaturum.

11 Si quæras, utràm præ-  
dicta definitio conveniat solum  
primis principiis intrinsecis, an  
etiam extrinsecis? responsio com-  
munis est, eam solis intrinsecis  
proprie convenire: quia particu-  
la *ex* proprie denotat partes, &  
constitutiva rerum, nec nisi im-  
proprie aptatur causæ efficienti, aut  
alijs extrinsecis. Sic domus non di-  
citur fieri ex Artifice, sed ab Arti-  
fice; nec ex fine, sed propter finem;  
nec ex exemplari, sed instar exem-  
plaris; cum tamen proprie dicatur  
fieri ex lapidibus, lignis, &c.. Nec  
alia videtur esse mens Aristotelis,  
qui de solis Principiis intrinsecis  
agit in præsentia, eaque sola defini-  
re intendit. Fateor, illum esse fre-  
quentiorem usum præpositionis *ex*,  
maximè cum iungitur verbis *esse*,  
aut *fieri*.

12 Nego tamen, illam impro-  
prie aptari causis extrinsecis: pro-  
prie namque dicitur in Evangelio,  
*Qui ex Deo est, verba Dei audit,*  
& *Vos ex patre diabolo estis,* & ab  
Apostolo, *Deus Pater, ex quo om-  
nia:* proprie similiter dicitur, hoc  
aut illud externum Opus *fieri* à no-  
bis *ex animo, ex consuetudine, ex  
odio, ex amore, ex dictamine seu  
regula conscientia, ex decreto Re-  
gis, ex præscripto Senatus.* Mitto,  
quod Angelus dicitur *fieri ex nihilo*,  
& materialis forma *ex subiecto  
præsupposito*, quin denotetur in-  
trinseca constitutio. Itaque dicta de-  
finitio, ut iacet, & à contextu avul-  
sa, convenit quibuslibet primis  
Principijs: sed cum Aristoteles de  
solis intrinsecis agat eo loci, ex con-



8 *Tractat. I. de Princip.*  
textu ipso limitatur definitio ad fo-  
la intrinseca, inter quæ discernit  
prima Principia à secundis, quasi  
dicat: Principia, de quibus nunc  
agitur, ea sunt prima, & absolutè  
principia, quæ nec ex se in vicem,  
nec ex aliis &c.

## CAP. II.

**DESIGNANTUR PRIMA**  
*Principia intrinseca Corporis*  
*naturalis in facto*  
esse.

**C**ORPUS naturale bifariam  
considerari solet. 1., qua-  
tenus est completè in rerum naturâ  
cum ijs partibus, & constitutivis,  
quibuscum durat, ac permanet, præf-  
erendo tamen ab eo quòd sit re-  
cens, vel pridem productum: atque  
ita appellatur Corpus *in facto esse*.  
2., quatenus incipit esse, seu qua-  
tenus est in transitu de non esse ad  
esse: quâ ratione vocatur Corpus *in*  
*feri*. His prænotatis, --

2 Sciendum est, Aristotelem  
cap. 5. 6. & 7. Lib. 1. tria tantum  
principia Corporis naturalis agnos-  
cere, videlicet, materiam, formam,  
& privationem. Quam positionem  
variis confirmat argumentis, quæ  
possunt ad hæc duo summam re-  
ducere. 1. Ex principijs Corporis na-  
turalis debent aliqua esse contraria.  
Sic unanimiter censuere Philosophi  
veteres, quamquam aliàs inter se  
nimium dissidentes. Parmenides  
pro rerum primordijs posuit cali-  
dum & frigidum, Melissus rarita-  
tem & densitatem, Democritus so-

*intrinsec. Corpor. Natur.*  
lidum & inane, Pythagorici par &  
impar, Zareta Chaldaeus lucem, &  
& tenebras, Hippus Rheginus  
aquam & ignem, Empedocles litem  
& amicitiam, Plato magnum & par-  
vum. Omnes demum, inquit Arif-  
toteles cap. 5., quæ ab ipsis princi-  
pia nuncupantur, quamquam sine  
ratione ponunt, contraria tamen,  
quasi ab ipsa coacti veritate, sta-  
tuunt. Erravere quidem in particu-  
lari designatione contrariorum: sed  
nihilominus ipse tot Sapientum in-  
tuenda generatim contrarietate con-  
sensus satis indicat, illud esse natu-  
ræ dictamen.

3 Porro contrarietas hæc  
debet esse in genere Substantiæ, cum  
inter principia rei substantialis ver-  
setur. Debet insuper esse contrarie-  
tas privativa, quia substantia non  
habet contrarium positivum. Inter  
principia igitur Corporis naturalis  
computari debent aliqua substantia  
simplex (si enim componatur ex  
alijs, iam non erit primum princi-  
pium), & eius privatio. Atque hæc  
dicuntur *prima contraria*: tum quia  
pertinent ad primum genus Entis,  
quod est Substantia: tum quia om-  
nis contrarietas ad privativam re-  
ducitur; idè enim v. g. calor, &  
frigus contraria sunt, quia frigus  
annexam habet privationem calo-  
ris, & è converso: tum demum,  
quia res & eius carentia, vel priva-  
tio, summè opponuntur.

4 Præterea debet admitti ter-  
tium aliud principium, quasi subiec-  
tum, quod successivè subternatur  
utrique contrario quasi formæ, ac  
neutri contrarietur. Omnis enim  
con-

*Disput. I. Quot, & Quomodo sint Prima Principia, &c.*

contrarietas exereetur circa commu-  
ne subjectum, pro cuius possessione  
pugnetur. Hoc autem subjectum,  
cum sit prima basis, ex qua consurgit  
Corpus naturale, dicitur *materia pri-  
ma*: debet que necessario esse subst-  
tantia; quia ex illâ simul cum altero  
principio substantiali, quod est unum  
ex contrariis, tanquam ex forma,  
componitur substantiale composi-  
tum in suo esse; nec fieri potest, ut  
ex non substantiis substantia constet.  
Concluditur ergo, tria esse principia  
Corporis naturalis, materiam pri-  
mam, formam substantialem, &  
ejus privationem.

5 Quod verò non sint plu-  
ra, probatur: quia frustra fit per plu-  
ra, quod potest fieri per pauciora:  
positis autem ijs tantum tribus, fieri,  
& stare potest quodlibet Corpus na-  
turale, cum inde evadat, nec sine in-  
terventu contrariorum, substantia  
composita, in se continens radicem  
suorum effectuum, ac proprietatum  
accidentalium, cujusmodi radix est,  
juxta omnes, forma substantialis.  
Id quod firmatur artefactorum exem-  
plo: nam, ut fiat statua, nihil aliud  
requiritur, quam materia marmoris  
(utique informis, atque adeò figure  
privationem habentis) & figura ipsa,  
quæ est forma artificialis. Et hæc-  
tenus primum argumentum.

6 2.. Omnis generatio natu-  
ralis (quæ nimirum à Causis secun-  
dis naturali ordine provenit), impor-  
tat transitum, ac mutationem mate-  
ria de privatione formæ ad formam:  
sed in hoc transitu necessario inter-  
veniunt materia, quæ transit, priva-  
tio, à quâ transit, & forma, ad quæ

transit; nec aliud necesse est concipi,  
ut plene concipiatur ista mutatio:  
his ergo tribus principijs contenta  
est omnis generatio naturalis. Minor  
videtur satis certa. *Prob. Mai.*: gene-  
ratio naturalis necessario est ex ali-  
quâ materiâ præexistente; si enim ef-  
set ex nihilo, foret creatio. Materia  
autem illa præexistit sine forma Cor-  
poris, quod nunc generatur; alioquin  
nihil denuò fieret, sed totum jam  
factum esset. Generatio ergo trans-  
fert præexistentem materiam ab sta-  
tu, in quo erat sub carentiâ talis  
formæ, cujus est capax (& hæc est pri-  
vatio, carentia formæ in subjecto  
formæ capaci), ad statum, in quo  
formam ipsam habeat. At hoc est  
importare mutationem dictam, ut  
per se patet: ergo, &c. Id quod ite-  
rum firmatur exemplo artefactorum:  
nam fabrica domi semper est ex ma-  
teria præexistente sine formâ, quæ  
nunc inducitur, & cujus illa materia  
capax est: semper ergo importat mu-  
tationem materiæ de privatione for-  
mæ ad formam. Hæc in summâ ex  
Philosopho locis cit.

7 Sed, ut pateat quo sensu  
doctrina ista vera sit, triplicem Af-  
fertionem subiiciam. Affero 1.. Pri-  
ma principia intrinseca Corporis *in*  
*facto esse*, sunt duo tantum, Materia  
prima, & Forma substantialis. Pro-  
batur. Corpus *in facto esse* est Com-  
positum undique substantiale, v. g.  
lapis, aut arbor: ergo principiatur  
intrinsecè ab elementis, seu primis  
principiis substantialibus tantum;  
nam, ut ait Philosophus hic cap. 6.  
*Qui fieri poterit, ut è non substantiis*  
*substantia constet?* Atqui non alia sunt



prima principia substantialia, præter materiam primam, & substantialem formam. Patet hoc: nam in primis privatio, cum non sit ens, non est substantia: deinde nec alia substantia est, cui conveniat definitio. primorum principiorum, præter materiam, & formam, ut inductione patebit: ergo &c. Præterea; Corpus *in facto esse*, est Corpus prout in esse permanenti constitutum, ex num. 1.: Sic autem constitui nequit ex privatione, quæ certè cum formâ non permanet in materia. Probatio ista supponit dari materiam primam & formam substantialem, quarum veritas satis patet ex præmissis Philosophi discursu, & latius infra monstrabitur. Interim scito, ipsos etiam Atomistas, & quotquot ex corpusculis variè coordinatis omnia constare dicunt, in Assertionem nostrâ, ut iacet, convenire: atomos namque materiam, coordinationem autem vocant formam: & per utramque absolvunt structuram Corporis naturalis.

8 *Oblic. 1.* unio materia & formæ computari debet inter principia Corporis naturalis, cum & illud intrinsicè constituat, & aliunde habeat quidquid definitio primorum principiorum requirit. 2.: subsistentia similiter inter principia computari debet, propter easdem rationes, maxime si consistat in positivo. 3.: comparanda sunt etiam dispositiones materiae præparates ad formam, v. g. calor, & siccitas ad formam ignis: non enim Compositum, nisi ex materia disposita. 4.: comparanda pariter privatio: tum quia Aristoteles universim statuit tria

principia Corporis naturalis, materiam, formam, & privationem: tum quia prima principia sunt prima contraria, juxta Aristotelem; quod non verificatur de solis materia, & formâ, sed de formâ, & ejus privatione: tum quia privatio formæ remanet resolutio Composito, quod proinde resolvitur in privationem; unumquodque autem ex ijs componitur tanquam partibus, & principijs, in quæ resolvitur.

9 *Resp. ad 1.* Unio non est principium *ut quod*, sed *ut quo*, ac proinde non est principium propriè ac simpliciter, quia non est id *quod* principiat, aut constituit, sed *quo* principia constituunt; est enim merum exercitium principiandi, sive ultima determinatio formalis, ut materia & forma principient in actu secundo. Idcirco non auget numerum principiorum, nec ei convenit propriè definitio penes illud, *Omnia ex ipsis fiunt*. Sic actio productiva non auget numerum causarum efficientium; quia non causat, nisi *ut quo*, seu tanquam exercitium causandi, proindeque non propriè ipsi convenit definitio causæ efficientis.

10 *Ad 2.* Subsistentia non constituit intrinsicè Corpus in esse naturæ, vel essentia Compositi naturalis, sed tantum in esse Suppositi: quia Verbum Divinum, quin assumpserit humanam subsistentiam, totam assumpsit naturâ, & essentiam humanam. Nunc autem solum agitur de principijs Corporis in esse naturæ, utpatè quæ sola est considerationis physicae, constitutiva rerum indigentis ex effectibus, ac mixtionibus

scu-

sensibilibus: num Suppositum, quatenus addit subsistentiam à natura distinctam, ex nullo effectu sensibili notescit, sed ex mysterio Incarnationis Dominicæ; proindeque altioris est considerationis, nempe Theologicae, vel metaphysicæ. Vel dic, subsistentiam Corporis naturalis non esse formam simplicem, sed coalitam ex duplici subsistentiâ partiali, alterâ materiæ, alterâ formæ propriæ, quarum neutra est entitas absoluta, sed modalis. Hinc altera est appendix materiæ, altera formæ; consequenter que non auget numerum principiorum, sed intelliguntur comprehendi nomine materiæ, & formæ. Similiter discurrendum de existentia, si distinguatur ab essentia, ut Thomistæ volunt.

11 *Ad 3.* Dispositiones illæ, cum non sint substantiæ, sed accidentia, manent extrâ constitutionem Compositi substantialis, cujus essentia maneret integra, etiamsi Deus nullâ præviâ dispositione formam introduceret in materiam. Dicitur ergo Compositum fieri ex materia dispositâ, dispositione gerente munus conditionis naturaliter prærequisitæ, non autem principij constituentis.

12 *Ad 4.* Malè probatur assumptum. Nam primam Aristoteles tria principia universim statuit pro Corpore *in fieri*, de quo statim; minime verò pro Corpore *in facto esse*, ut satis colligitur præsertim ex cap. 6. hujus Libri. Deinde, quamvis Aristoteles doceat, inter prima principia necessariò esse prima contraria, non ideo vult, ut omnia prima principia sint contraria, sed aliqua tantum: probat enim toto cap.

6., præter illa duo, quæ contraria sunt, admitteadam esse tertium aliud, quod neutri contrarietur, sed sit receptivum utriuslibet, nempe formæ, & privationis. Illa verò duo contraria non statuit ut principia Corporis *in facto esse*, sive in esse permanenti; cum potius ad id excludendum doceat ibidem, & sequenti cap. 7. nullius rei essentiam ex contrarijs simul constare posse, uti nec substantiam ex non substantiis. Solum ergo vult, ut contrarietas detur in constitutione transeunte Corporis *in fieri*.

13 Si dicas: juxta Aristotel., ideo principia non fiunt ex se se mutuo, quia sunt contraria: cum ergo materia & forma contrarietatem non habeant, ex se se mutuo fient, & prima principia non erunt. *Resp.* Ratio illa non adducitur à Philosopho pro omnibus primis principiis, cum postea probet, non omnia posse esse contraria; sed pro solis formâ & privatione. Pro materia autem & formâ suppetit alia ratio, cui nequeant ex se mutuo fieri, seu constitui; nempe, quia materia conjungi potest cum toto non esse, seu cum carentia totius formæ, à quâ proinde adequatè distinguatur necesse est.

14 Notandum hic obiter, contrarietatem aliam esse positivam, quæ versatur inter duas formas positivas, ut inter calorem & frigus; aliam privativam, quæ versatur inter formam & ejus carentiam in subjecto capaci. De posteriore ista loquitur Aristoteles, cum prima principia dicit esse contraria. Notandum insuper, ex contrarijs privativis alia vocari



contraria prima, ea nimirum, quæ se totis pugnant, ut sunt forma & privatio; & de his loquitur Philosophus, cum probat, unum principium non posse fieri ex alio, quia sunt contraria: alia verò appellari contraria secunda, quæ videlicet non nisi penes unam partem pugnant, cum pars altera possit in utroque reperiri, qualia sunt *album*, & *non album*, quando *non album* sumitur pro subiecto non habente albedinem, cuius est capax: ac de istis verificatur, quod ait Aristotel., omnia, quæ fiunt, ex contrariis fieri, ut *album* ex *non albo*, *musicum* ex *non musico*: possunt enim ista concreta ex se mutuo fieri, inadequate scilicet, ita ut subiectum unius in altero maneat.

15 Denique falsum est, quod Compositum resolvatur in privationem: hæc enim resolutio Composito non remanet ut superstes, sed ut superveniens, ita ut eam denuò supervenire certò constat. Quæ autem hoc modo remanent, non arguuntur constituisse Compositum; alioquin forma ignis, quæ remanet in materia resoluta ligno, foret pars ligni; quodvis etiam Compositum constiteretur ex suo non esse, quod ridiculum est.

### CAP. III.

*Affertio altera designans Prima Principia intrinsicæ Corporis in fieri.*

**A**Sfero 2.. Tria tantum sunt prima principia intrinsicæ Corporis in fieri per mutationem, Materia,

Forma, & Privatio. Ante probationem, pro clariore terminorum usu prænotanda sunt aliqua. 1. *Fieri* Corporis idem est, ac *generatio* Corporis: & potest accipi, tum *active*, *causaliter*, seu *vialiter*, tum *formaliter*, seu *terminative*. Primo modo sumpta *generatio* (idem intellige de *fieri*) est illa actio, quæ Corpus naturale ab extrinseco agente fit: & à creatione differt, quia creatio est productio rei ex nihilo, generatio autem est productio rei ex præsupposito subiecto. Secundo modo accepta *generatio*, est intrinsicæ Corporis fabrica, formatio, structura, quæ dictam actionem terminat. Utroque modo loquimur etiam in artefactis: nam *constructio* domi v. g. interdum sumitur pro actione artificis, interdum pro intrinsicæ fabricâ, vel structurâ domi.

2. *Generatio*, seu *fieri*, dicitur *mutatio*, quando materia transire facit à privatione formæ ad formam: dicitur *conversio*, quando materiam transfert ab unâ formâ in aliam: dicitur generatio *pura*, *simplex*, aut *præcisa*, quando producit Corpus ex materiâ tunc primum creatâ, in quâ proinde nec privatio, nec alia forma præcessit. Hinc Corpus in *fieri*, aliud est per mutationem, aliud per conversionem, aliud per puram generationem. Sed nomen *mutatio* duas etiam patitur acceptiones, de quibus num. præced.. Potest enim accipi *mutatio*, tum *causaliter*, seu *vialiter*, quo sensu est actio agentis extrinseci præsupponens materiam formâ privatam: tum *formaliter*, seu *terminative*, quo sensu est

*id*, quod per talem actionem peragitur, hoc videlicet, *subiectum habere nunc formam, quæ immediate antea privatum erat.*

3. Posterior hic sensus magis est proprius nominis *mutatio*. Tum quia nomen hoc in genere sonat novitatem, quæ subiectum aliter se habet nunc, quàm antea, saltem dum novitas ista importat aliquid intrinsicè receptum, redditivè subiectum intrinsicè melius, aut deterius: talis autem novitas propriè consistit in ipso *habere formam* &c.. Tum quia *mutatio* ab omnibus dividitur in *positivam*, seu *acquisitivam*, quæ subiectum transit de privatione ad formam; & in *negativam*, seu *amissivam*, quæ subiectum transit de formâ ad privationem: utrovis enim modo subiectum aliter se habet, ac antea, quod est mutari. Sic ac mutatur, nunc de tenebroso in lucidum, nunc de lucido in tenebrosolum. At divisio ista non cadit in actionem generativam, quæ certè non pertinet ad conceptum negativæ mutationis.

4. Tum etiam, quia, præcindendo ab actione generativa, potest intelligi quidquid est de conceptu proprio mutationis etiam positivæ, hoc solo, quod intelligatur, subiectum nunc habere formam, sine quâ extitit immediate antea. Quod etiam realiter contingere potest, seclusâ actione generativa; si nimirum Deus & formam, & ejus unionem crearet. Quare D. Thomas 1. p. q. 45. ar. 2. ad 2., conceptum mutationis explicans, non meminit actionis generativæ: *De ratione* (inquit)

*mutationis est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius.* Hoc ipsum dicito de nomine *Conversio*, proportionè servatâ. Hinc generativa actio non est *mutatio*, nec *conversio*, nisi cum addito *vialis*, *activa*, sive *causalis*; magisque propriè vocabitur *mutativa*, & *conversiva*.

5. 3. Cum *mutatio* sit transitus subiecti ab uno statu in alium, tria necessariò requirit, nempe subiectum, quod transit, terminum, à quo transit, & terminum, ad quem transit. Si *mutatio* sit *positiva*, *privatio* est terminus à quo, forma terminus ad quem; contra accidit, si *mutatio* sit *negativa*. Dicitur verò *mutatio* *substantialis*, vel *accidentalis*, prout fuerit forma, quæ à subiecto acquiritur, vel amittitur. In his omnes conveniunt; ut etiam in eo, quod subiectum propriè dicatur mutari, utpote quod *mutationi* subternitur, subeundo diversos status, nunc *privationis*, nunc *possessions*: Compositum verò, sive concretum ex subiecto & formâ, vel *privatione*, non dicatur mutari, nisi *denominative* à subiecto, quàmvis propriè dicatur *fieri per mutationem*.

6. *Conversio* autem, cum sit subiecti transitus ab unâ formâ in aliam, necessariò importat duplicem *mutationem*, alteram *negativam*, *positivam* alteram: nequit enim subiectum amittere unam formam, quin transeat ad ejus *privationem*, quæ est *mutatio negativa*; nec acquirere novam formam, quin ejus *privationem* amittat, quæ est *mutatio positiva*. Unde *Conversio* (de natu-



rali loquor, non de miraculosa), præter subjectum, requirit duplicem terminum *à quo*, positivum, & negativum, nempe formam antiquam, & privationem nove: duplicem etiam terminum *ad quem*, positivum, & negativum, nempe formam novam, & privationem antiquæ.

7 4. Corpus *in fieri* non omnes uno modo accipiunt. Plures volunt, nihil aliud esse, quam *fieri* Corporis, sumpto *fieri* pro actione generativa. Quod si obijcias, hinc everti communem Peripateticorum doctrinam asserentium, materiam, formam, & privationem esse principia intrinseca Corporis *in fieri*; siquidem actio generativa est entitas modalis, essentialiter simplex, vel certe non constituta ex tribus illis principijs: quidam concedunt Consequentiam, contendentes, illam doctrinam esse prorsus falsam, & absurdam. Hi, supposita acceptione Corporis *in fieri* pro nuda actione generantis, recte dicunt; nec in acceptione ipsa litem movent, nisi de merito nomine. Alij Consequentiam negant. Sed in duas deinde classes dividuatur.

8 Prima classis est numerantium inter principia intrinseca, non solum partes componentes, verum etiam illa omnia comotata, sine quibus nequit res definiiri, nec concipi, maxime si munus gerant subjecti recipientis, aut termini *à quo*, vel *ad quem*. Unde materiam, formam, & privationem dicunt esse principia intrinseca Corporis *in fieri*, idest, actionis generativæ, quamvis hæc intrinsece non constituatur ex illis. Ita

Cardinalis Aguirre, & alter Benedictinus Bahenstuber. Hi similiter litem intendunt mere vocalem, tum in acceptione Corporis *in fieri*, tum in explicatione principii intrinseci, quam satis ex usu communi rejecimus cap. 1.

9 Altera classis est asserentium, materiam, formam, & privationem esse principia intrinseca, idest, constitutiva Corporis *in fieri* mutativo, idest, actionis generativæ, quæ sit mutatio, sumaturque in esse mutationis: quo sensu, inquiunt, Corpus *in fieri* ad mentem Aristotelis nihil est aliud, quam actio generativa *in recto*, constituta *de obliquo* in esse mutationis per tria illa principia. Ita P. Peinado cum pluribus alijs. Is dicendi modus displicet 1.: quia generativa actio non est formaliter mutatio, nec habet esse mutationis naturalis, quæ de loquimur, ut vidimas num. 3. & 4.: falsa ergo est, vel falso supponens, illa locutio, *actio, quæ est mutatio*, vel *in esse mutationis*, si sonet mutationem formalem. Si verò sonet causalem, seu viabilem, sumitur que actio *quatenus mutativa*, non est cur constituatur ex materia, & formâ: quod enim sine his non possit esse, definiiri, nec intelligi actio prout mutativa, solum probat, cum ijs essentialiter connecti. Sic actio sine agente, unio sine extremis, intellectio sine objecto, nec eæ, nec definiiri, nec intelligi potest, quin inde probetur intrinseca constitutio intellectiois per objectum, &c.. Ut sciamus actio, quatenus mutativa, constituitur de obliquo per privationem, quæ cum ex fe

non connectitur, siquidem eadem actio esse posset, etiam si privatio non prævisset, sed tunc primam creata esset materia: quare, si privatio pertinet ad conceptum actionis *in esse mutativa*, cum non pertineat tamquam connotatum, seu terminus connexionis, pertinebit tamquam constitutum.

10 Displicet 2.: quia sequitur inde contra expressam Philosophi sententiam, plusquam tria esse principia Corporis *in fieri*: nam, præter materiam, privationem, & formam, actio generativa erit quartum principium, utpotè constituens intrinsece Corpus *in fieri*, non purè *ut quo*, sed *ut quod*, & principalius, quam cætera, siquidem per vos sola constituit *in recto*, cætera *de obliquo*. Notandum tamen, quod, si generatio, quæ esteductio formæ materialis, identificetur cum unione, ut plures volunt, pertinebit quidem ad constitutionem intrinsecam Corporis *in fieri*, at non quatenus actio, sed quatenus unio, & in hoc sensu purè *ut quo*, ita ut non augeat numerum principiorum, iuxta cap. 2. n. 4.: nec ista est mens Authorum, quos hic impugnamus.

11 Displicet 3. ( ut generatim rejiciatur sententia relata num. 7. ): quia minus aptè, minusque proprie dicitur, idem esse Corpus *in fieri*, ac *fieri* Corporis, sumptam pro actione generativa, vel solâ, vel in recto. Numquid, si dicamus, Aer *in illuminari* definit esse tenebrosus, Aqua *in calefieri* patitur violentiam; affirmatio cadet super actionem illuminandi, aut calefaciendi, solam, vel in recto? Certè, si *esse*, quod est exis-

tentia, realiter distinguatur ab essentialia rerum, ut Thomistæ credunt, nemo dicet, Corpus *in facto esse* idem significare, ac existentiam Corporis; sed omnes intelligent, per illud *in facto esse* denotari essentialiam plenè ac permanentè constitutam. Pariter ergo Corpus *in fieri* non est idem, ac *fieri* Corporis, sumptum pro actione realiter adæquatè distinctâ à Corpore: sed congruentius accipitur pro Corpore spectato secundum facturam terminativam, per quam formaliter incipit constitui, seu primò constituitur.

12 Unde colliges, Corpus *in fieri*, ut in præsentî sumitur, non esse Corpus *ut substans actioni generativæ*, si reduplicatio ista involvat actionem inter constitutiva Corporis *in fieri*. Admittenda tamen ea locutio, si tantum reduplicet actionem ut circumstantiam extrinsecam, idemque sonet *Tò ut substans*, ac *dum subst. ut*. Idem est igitur Corpus *in fieri*, ac Corpus *ut incipiens esse*, vel prout *in transitu formali de non esse ad esse*, vel *secundum primam sui constitutionem, aut structuram*. Quæ acceptio videtur hodiè communior in Scholis: & eam nisi retineas ut ab statu quæstionis indivisam, extra rem erit quidquid objeceris contra nostram doctrinam de principijs Corporis *in fieri*.

13 His præmissis, probatur iam Assertio proposita num. 1. Corpus *in fieri* per mutationem, nihil est aliud, ut constat ex prænotatis, quam prima & intrinseca factura Corporis ut importans mutationem subjecti; vel, ut brevius dicam, est



mutatio ipsa substantialis formaliter sumpta. Sed talis mutatio materiam, formam, & privationem constitutivè includit, & nihil ultra: ergo &c.. *Probat. Min.*: ea, quibus mente conceptis plenè intelligitur constituta mutatio, & quorum quolibet mente secluso, vel præciso, etiamsi cætera manere concipiuntur, mutatio immediate & formaliter deficere intelligitur, sunt omnia & unica principia illius constitutiva; ut perpetuà inductione conitat in omnibus denominationibus, aut constitutis. Sed concepta materiâ cum privatione formæ in uno instanti, & materiâ cum formâ in alio immediate sequenti, plenè intelligitur constituta mutatio substantialis (nempe materiam transire de non habendo ad habendum formam substantialem), & hæc eadem formaliter deficere intelligitur, si mente præscindatur vel materia, vel forma, vel privatio, ut facile quisque experietur: ergo &c..

14 Accedit, quod tria ista principia requiruntur, & sufficiunt, ut detur subjectum transiens, terminus à quo, & terminus ad quem; ac proinde, ut detur plenus conceptus mutationis, ex num. 5.. Atque ita explicata manet mens Aristotelis statuentis tria principia Corporis naturalis. Non enim respexit in his statuendis, nisi ad Corpus *in fieri* per mutationem; ut colligitur ex argumentis propositis Cap. præced. à n. 1. ad 7.. Cur autem non loquatur hic de Corpore *in fieri* per conversionem, vel puram generationem, dicam sequ. cap. 4. & 5.: ubi etiam principia Corporis utroque modo accepti designabo.

Contra hæc Assertionem nihil solidum obici posse credo. Sed oportet tricas etiam, & umbras dissipare. Prius tamen observa 1., nomine abstracto, *mutatio*, idem significari, ac nomine concreto, *mutari*, vel dictione istâ, *subjectum nunc aliter se habere, ac antea*: mutatio enim est forma concretiva, quæ constat iisdem constitutivis, quibus concretum, unde abstrahitur, nec ab eo differt, nisi penes modum significandi: sicut hoc dumtaxat modo differunt inter se *veritas cognitionis, & cognitio vera*, ut etiam *libertas actus, & actus liber*. Observa 2., terminos à quo, & ad quem, non ita denominari respectu totius mutationis, sed respectu materiæ: hæc enim est, quæ relinquit unum terminum, & progreditur ad alium. Sic, dum homo constare dicitur ex formâ & subjecto, denominatio subjecti non refertur ad totum hominem, sed ad partem ejus, nempe formam.

16 Observa 3., mutationem esse totum quoddam quasi successivum exigens constitutiva sua, non omnia simul posita, sed aliqua sibi succedentia duobus instantibus: item non esse totum undique positivum, sed ex parte negativum. Observa 4., duo instantia temporis, licet requirantur ad mutationem, non esse constitutiva illius, sed connotata, quibuscum essentialiter connectuntur forma, & ejus privatio, ut existentes in eadem materiâ. Vel, si malis, erunt constitutiva quasi accessoria formæ, & privationis, quæ hic accipiuntur quatenus successivè existentes in materiâ. Observa denique,

unionem formæ cum materiâ non esse principium, nisi *ut quo*; posse que insuper comprehendi nomine formæ, cujus est appendix.

#### CAP. IV. Diluuntur Obiectiones.

**O** *Biic. 1.*: quando ex materia ligni fit ignis, materia non modo transit à privatione formæ ignis, verum etiam à formâ ligni: hæc igitur forma est etiam terminus à quo, proindeque principium *Ignis in fieri*, non minus, quam privatio. Similiter dicendum in quavis aliâ generatione naturali, quæ semper expellit formam aliquam positivam in materiâ præexistentem. *Resp. concess. Antec., dist. Conseq.*: Si consideretur *Ignis in fieri* conversionis, *conc.*; si tantum *in fieri* mutationis, *neg. Consequ.* Corpus *in fieri* conversionis, seu conversio ipsa naturalis, ac substantialis, constituitur ex subjecto, & ex duplici termino à quo, duplici *ad quem*, designatis cap. præced. n. 6.. Constituitur, inquam, ex illis eodem argumento, quod pro constitutivis mutationis expendimus. Sed Assertio nostra non loquitur, nisi de Corpore *in fieri* mutationis, de quâ tantum locutus est Aristoteles.

2 *Replc.*: Omnis generatio naturalis non minus necessario importat conversionem, quam mutationem: cur ergo, in assignando principia generationis, seu Corporis *in fieri*, vel Aristoteli, vel nobis loquendum est potius de principiis mutationis, quam conversionis?

*Resp.* Aristoteles non prætermittit ubique generationem, quatenus est conversio: sed de illâ tractavit in Libris de Generatione & Corruptione, ubi generatio ab ipso definitur, *Mutatio totius in totum nullo sensibili remanente ut subjecto eodem*; quæ est definitio conversionis. Ast in præsentem solum agitur de generatione secundum ea, quæ requiruntur ex propria conditione agentium naturalium, ut Corpus intelligatur generari. Ad hoc autem requiritur *Progressio de non esse ad esse* (sic in præsentem definitur generatio ab antiquis, non utcumque, sed cum præexistentiâ subjecti, nè alioquin illud *esse*, quod fit, ex nihilo fiat. Quod verò præextiterit alia forma, contingit quidem per se, attentâ conditione materiæ, quæ in nullo instanti potest omni formâ destitui: sed contingit per accidens, attentâ conditione agentium naturalium, à quibus eodem modo, imò proclivius ac brevius, fieret novi Corporis generatio, si materia præextitisset nullius formæ particeps. *Instabis*: Aristoteles hujus Libri text. 66. privationem etiam vocat principium per accidens. *Resp.* Loquitur ibi Philosophus, vel de Corpore, nõ *in fieri*, sed *in facto esse*: vel (ut explicat ibid. D. Thomas) de privatione formæ præhabita, nõ ejus, quæ denuò producitur.

3 *Obiic. 2.*: forma nequit esse principium mutationis: tum quia titulus termini *ad quem*, non competit formæ, sed toti Composito: tum quia principium debet esse prius principiatio; forma autem, non prior, sed posterior est mutatione, cum subsequatur generationem. *Resp. Neg.*



*assumpt. Ad 1. prob.* Titulus terminus ad quem, tunc solum fundat terminus principij, cum cadit in terminum omnino novum, adæquatè distinctum à subjecto, & insuper simplicem, seu non principiatum ex alijs, prout exigit definitio principiorum. Conditionibus illis gaudet forma, non verò Compositum, quamvis dicatur terminus ad quem tendit principaliter & ultimè naturæ intentio. *Ad 2.* Forma posterior est mutatione causali, seu viali, scilicet actione generativâ: prior tamen est mutatione formali, cui soli comparatur ut principium: est enim pars ejus intrinseca, & omnis pars quodammodo prior est, aut prius intelligitur, quàm totum. Similiter, subsequitur forma generationem vialem; at non subsequitur, sed constituit formalem, seu terminativam.

4. *Obje.* 3. materia est subjectum recipiens mutationem: est item subjectum generationi præsuppositum: ergo adæquatè distinguitur a mutatione, & generatione. *Dist. Antec.* est subjectum recipiens mutationem causalem, *conc.*; formalem, *subdist.* sumptam inadæquatè, prout importat privationem & formam unitam, *conc.*; sumptam adæquatè, *neg.*; & similiter distincta altera parte Antecedentis, *neg. Consequ.* Ratio distinctionum: constat ex dictis; nec ulteriore doctrinâ hic opus est.

*Contra privationem speciatim.*

5. **O** *Bic.* 4. privatio multis nominibus excludenda videtur à manere principij. Nam 1.: privatio est nihil;

sed *ex nihilo nihil fit*, juxta veteris axiomâ: ergo Corpus naturale fieri nequit ex privatione. 2.: privatio contradictoriè opponitur formæ: ergo non constituit cum formâ Corpus *in fieri*. Patet Consequentia: tum quia ex contradictorijs sola chymera componitur: tum quia contradictoria, cum se se mutuo interimant, ac destruant, Corpus *in fieri* magis destruent, quàm constituent, quod chimæ destruit constitutum. 3.: privatio in nullo instanti intelligitur inesse materiæ. Non enim inest in instanti existentia formæ, ut est evidens. Nec item in instanti præcedenti: quia privatio non est sine capacitate subjecti ad formam: hæc autem capacitas in instanti præcedenti non competit materiæ: tum quia materia in eo instanti adhuc possidet aliam formam, & non est naturaliter apta recipere duas in sensu composito: tum quia nondum habet ultimam dispositionem ad formam sequentem, & donec habeat, non est proxime capax.

6. 4. Privatio nec mutationem principiat, quando est in materiâ, nec quando non est: ergo nunquam. *Prob. Antec.* in primis, in instanti, in quo privatio est, nondum principiat mutatio; quia subjectum nondum incipit mutari, sed adhuc quiescit sub termino à quo; quemadmodum Petrus, quamdiu est in loco A, non incipit moveri ad locum B: ergo tunc nondum privatio principiat. Deinde, quod non principiet in instanti, in quo jam non est, certum apparet. Tum quia exercitium principij præsertim principium

pium actu positum, maxime cum sermo est de principijs intrinsicis, quæ non principiant, nisi componendo, id est, se se ponendo simul cum alijs intra principiatam. Tam quia prædicata actualia supponunt subjectum actualiter esse; atque in talibus propositio de tertio adjacentè infert propositionem de secundo; bene quippe infertur, *Petrus actu disputat, ergo actu est*: quoties ergo verè dicitur, *Privatio actualiter principiat*, verè quoque dicitur, *Privatio actualiter est*.

7. *Resp. ad 1.* Ex nihilo nihil fieri potest, quod sit undequaque positivum: fieri tamen potest aliqua denominatio, sive concretum, quod partim positivum sit, partim negativum; cujusmodi est Corpus *in fieri* mutationis, quippe quod importat non esse formæ in instanti A, & esse formæ in instanti B. Sic temperamentum humani corporis constituitur partim ex carentiâ humorum redundantium, & pulchritudo nasi ex carentiâ materiæ superflua. *Ad 2. concess. Antec., dist. Consequ.* non constituit cum formâ Corpus *in fieri*, concurrente in idem instans, *conc.*; existendo successive, *neg. Consequ.* Nec probationes obstant. Nam chymera proprium est componi ex contradictorijs simul verificatis, non verò successive positis: nec contradictoria se se mutuo interimunt, aut destruant, nisi relatè ad idem instans. Memineris, mutationem esse totum successivum, quantum ad duo sui constitutiva: unde tota difficultas evanesceat: quia partes totius successive nihil prohibet esse prorsus info-

ciabiles in coexistendo, ut cernitur in partibus anni, vel diei.

8. *Ad 3.* Privatio inest materiæ in instanti præcedenti introductionem formæ ignis v. g.; quo in instanti materia veram aptitudinem & capacitatem habet ad talem formam, etiam in sensu composito alterius, quam adhuc possidet, dummodo Tò in sensu composito referatur, non ad simultaneam utriusque forme receptionem, sed ad conjunctionem capacitatis ad utramlibet cum actuali possessione cujuslibet. Hoc modo, sedens est capax deambulationis, justus capax est peccati, & peccator gratiæ. Nec obstat, quod materiæ desit ultima dispositio, per quam redditur proxime capax, & expedita: quia privationi sufficit subjectum verè & simpliciter capax formæ, quamvis non sit ultimè dispositum. Sic peccator verè privatus est gratia Dei, licet non sit proxime dispositus ad illam obtinendam: & cæcus habet privationem vilis, tametsi nequeat visum recipere sine miraculo. Quod maxime verum habet, quando subjectum ita paratum jam est, ut in instanti immediate sequenti subitum sit ultimam dispositionem, & formam.

9. *Ad 4.* Argumentatio illa fallax est, ut patet in exemplis, quæ subijcio. Posterioritas temporis, quæ Cæsar dicitur Alexandro posterior, saltem fundamentaliter sumpta, constituitur per Alexandri existentiam in tempore antiquo. Rogo te, quando nam Alexandri existentia constituit posterioritatem istam? An, quando erat? Minime: quia tunc nondum coeperat Cæsar esse posterior. An,



quando jam non erat? Ne id quidem, siquid valet objectio proposita. Similiter hæc denominatio, *domus antiqua*, constituitur per annos præteritos; qui tamen, quando erant, non constituebant antiquitatem domus, utpote novæ tunc, ac recentis; & aliunde, quando jam non sunt, constituitur nequeunt, ut probat obiectio.

10 Dicendum igitur, privationem solum principiari, quando non est, videlicet in primo instanti, in quo forma introducit. *Prob.*: eatenus privatio principiat, quatenus est terminus à quo materia transit ad formam; non enim alio titulo principiat: sed esse terminum à quo, est esse terminum derelictum, & amissum: tunc ergo privatio actu principiat, quando actu derelinquitur, & amittitur. Hoc autem non nisi in instanti adventus formæ, in quo jam privatio non est, verificatur: cum enim privatio & forma immediate opponantur, idem est amittere privationem, & acquirere formam.

11 Paulò aliter: actuale exercitium principiandi respectu privationis, est ejus amissio, & exclusio formalis; per hanc enim constituitur privatio in esse termini à quo: Sed hæc formalis exclusio est ipsa formalis introductio formæ, quæ solum datur, quando privatio non est: ergo tunc solum datur exercitium actuale, quo privatio redditur actu principians. Accedit, quòd privatio non aliter pertinet ad conceptum intrinsicum mutationis, nisi quatenus fuit, & non est: non enim mutationem concipimus, nisi concipiendo,

materiam actu amittere unum statum, sive terminum, & recipere alium: ad hunc autem conceptum objectivum non pertinet terminus à quo, nisi prout concipitur actu amitti, ac proinde actu definire esse, cum fuerit. Eadem ratione priores anni constituunt antiquitatem domus, quando non sunt; quia scilicet non pertinent ad conceptum ejus, nisi quatenus præteriti, ac proinde quatenus jam esse desierunt, cum antea fuissent.

12 Unde infertur 1., denominationem *principiantis*, aut *constituentis* Corpus *in fieri*, non verificari de privatione, nisi in instanti formæ; cadere tamen super privationem, quatenus in suo instanti præhabita: privatio namque principiat & constituit in instanti formæ, non ut tunc existens, sed ut præexistens in instanti antecedenti, sive ut nunc primum præterita. Quare denominatio ista, *privatio actu principians*, duo dicit, & privationem in instanti antecedenti, & exercitium principiandi in hoc instanti, à quo exercitio determinatur ea denominatio. Non aliter, ac denominatio hæc, *Antichristus modo prævisus*, dicit & actualem cognitionem, seu prævisionem in tempore præsentis, & Antichristum in futuro: sic tamen, ut solum verificetur nunc, cum prævisio existit; quia Antichristus, non postea, sed nunc constituit talem denominationem, licet hæc super illum cadat, non ut existentem nunc, sed ut existentem in fine Mundi. Hoc idem cernitur in posterioritate temporis, & antiquitate domus.

13 Infertur 2., Corpus *in fieri* mutationis non intelligi, nec salvari absolute, nisi in instanti introductionis formæ: quia tunc solum verificatur, materiam actu mutari, transireque de privatione ad formam: antea enim non erat transiens, sed transitura. nec Corpus fiebat, sed faciendum erat. Nec propterea est totum simultaneum, aut omnia constitutiva simul habens in eo instanti: quamvis enim ab omnibus simul principietur, non tamen ab omnibus ut simul existentibus, sed ab aliquibus ut dispersis per duo instantia. Quod nuperis exemplis explicari poterit.

14 Dices: totum successivum absolute dicitur existens in quolibet instanti, in quo pars ejus quælibet existit, ut patet in die, mense, anno. *Resp.* Verum id est in iis totis successivis, quorum partes sunt ejusdem rationis, nec una habet potius determinare ad existentiam totius, quam alia. Caterum, quando partes diverso titulo principiant, & una peculiariter habet determinare aliam, aut alias ad principiandum, & totum ipsum ad existendum, tunc nomen totius absolute dictum significat potius existentiam unius partis, quam aliarum; ut in exemplis adductis perspicuum est. Hinc Corpus *in fieri* mutationis non bene significatur his verbis, *Materia cum privatione, statim habitura formam*; bene tamen istis, *Materia possidens firmam, & amittens privationem proxime præhabitam*.

15 Infertur 3., Corpus *in fieri* formaliter includere unionem

formæ cum materia. Patet: quia unio est exercitium principiandi, seu principiatio actualis, quæ forma, & privatio actu principiant; unio quippe denominat formam formaliter adquisitam, quod est esse terminum ad quem, & privationem formaliter exclusam à materia, quod est esse terminum à quo. Hinc sequitur, inter se non opponi Corpus *in fieri*, & *in facto esse*; sed potius identificari inadæquate, verificarique pro eodem instanti. Corpus enim *in fieri* claudit quidquid est proprium Corporis *in facto esse*, & aliquid ultra, scilicet formæ carentiam, vel privationem, quæ, prout nunc exclusa, licet non constituat Corpus *in facto esse*, non illi nocet. Opponuntur quidem pro eodem instanti Corpus *in fieri*, & *in conservari*, quatenus *conservari* denotat existentiam tempore præcedenti. Sed Corpus *in facto esse* de se præscindit ab eo, quod sit vel *in fieri*, vel *in conservari*, potestque cum utrovis conjungi, & in utroque includitur.

16 Dices: non dicitur esse *in fieri*, nisi quod nondum est completum, & absolutum, quod est in via, & transitu ad suum esse, quod recedit à termino à quo, sed nondum pervenit ad terminum ad quem: Implicat ergo verificari simul Corpus *in fieri*, & *in facto esse*. *Resp.* Locutiones illæ tenent in *fieri* artificiali, v.g. domi, quam tunc dicimus esse *in fieri*, cum nondum est perfecta: secus *in fieri* naturali rerum, maxime substantialium, quod est per actionem instantaneam: in talibus enim idem est fieri, seu incipere esse, ac omni-



nō esse. Quod pulchre docet D. Thomas 3. p. q. 75. art. 7. , ubi , cum dixisset in Corp. , introductionem formæ substantialis esse instantaneam , addit Ad 2. , quod in mutationibus instantaneis simul est fieri & factum esse: sicut idem est illuminari & illuminatum esse. Quod etiam docet 1. p. q. 45. ar. 2. ad 3. , addens: Et in his quod sit , est , cum dicitur fieri , sed significatur ab alio esse , & prius non fuisse. Quod est in viâ vulgari , & transitu ad locum distantem , nondum pervenit ad terminum : cæterum , quod est in viâ Philosophicâ , & instantaneâ , jam hoc ipso terminum tenet.

16 His ita statutis jam facile solvitur utraque ratio num. 6. , ne privatio principiet , quando non est. Nam exercitium principiandi per modum termini à quo , requirit principium actū exclusum , tantum abest ut requirat actū positum. Neque id novum est , etiam in principiis intrinsecis , ut patet in exercitio principiandi , quo Antichristus modo constituit denominationem *præcogniti*. Oportet ergo attendere , & titulum principiandi , & indolem rei , vel denominationis , quæ principiatur. Quod atinet verbum *componere* , si sonet idem , ac se ponere simul cum cæteris constitutivis , fateor , quod privatio non componit Corpus in fieri : sed hic modus compositionis non requiritur in principiis intrinsecis totius successivi , ut quilibet videt. Si verò sonet idem , ac esse partem intrinsecam essentia totius , privatio utique componit , quamvis non ponatur in instanti , in quo princi-

piat. Præterea non omne prædicatum actuale supponit subjectam actu esse , nec omnis veritas de tertio adjecte infert veritatem de secundo ; ut vides in hisce , *Antichristus est modo præcognitus* , *Hircocervus est cognitus* , *Lignum est combustum* , *Leo est mortuus*. Illa ergo doctrina vera non est , quando indoles ipsa prædicati finit , aut facit ampliari , vel alienari subjectum , & verbum ; ut in præfenti contingit , cum idem valeat , *Privatio actualiter principiat* , ac , *Privatio actualiter excluditur*.

17 Dices : ergo privatio non principiat secundum suam esse , sed secundum suum non esse : ergo non principiat ut extremum distinctum à formâ prout unitâ materiæ. Patet hæc consequentia : quia non esse privationis est formaliter ipsum esse formæ in materiâ. *Dist. 1. Consequ.* : si ly *secundum* denotet merum exercitium principiandi , *conc.* ; si denotet principium ut quod , *neg. Consequ.* 1. & 2. Principium ut quod per modum termini à quo , est privatio secundum illud suam esse negativum , quod habet in instanti antecedenti : sed hoc esse privationis non denominatur actu principians , nisi à suo non esse immediate sequenti , tamquam ab exercitio principiandi , consistente in unione formæ , vel in formâ prout unitâ materiæ.

18 *Obiic. 5.* transitus de loco A ad locum B , non constituitur intrinsecè per terminos à quo , & ad quem : idem ergo dicendum de mutatione , quæ est transitus de privatione ad formam. *Resp. neg. Antec.* , si loquatur de transitu formaliter sumpto ,

to , ac de locis intrinsecis : fac enim , locum B immediate contiguum esse loco A : quid aliud erit , me transire de A ad B , nisi amittere præhabitam ubicationem in A , & acquirere ubicationem in B ? At in hoc objecto constitutive includitur utraque ubicatio , altera ut terminus à quo , altera ut terminus ad quem ; & in illis constituit loca intrinseca. Huic autem locali transitui comparandus est naturalis transitus materiæ de privatione ad formam cum immediatâ successione duorum instantiarum.

19 Quod si obiectio loquatur de transitu ad locum distantem , transitus iste solet quidem vulgariter accipi pro solo motu per spatium intermedium ; sed , si accipiatur adæquate , necessario includit & illam ubicationem , à qua primò recedit Corpus , & illam , ad quam tandem pervenit. Denique , si loquatur obiectio de locis extrinsecis , *conc. Antec.* ; quia sine his intelligi potest essentia motus , & transitus localis ( nisi forte fiat reduplicatio secundum loca extrinseca ) , sed *neg. Consequ.* , propter rationem contrariam.

*Nihil obstant rationes feminales à S. Augustino assertæ.*

20 **O** *Biic. 6.* inter prima principia , præter tria , quæ ponimus , computandæ sunt rationes feminales , sive causales , quas ad omnem generationem rerum naturalium necessarias agnoscit Magnus Augustinus in Libris de Genes. ad Lict. , præsertim Lib. 6. cap. 14. 15. 16. , & Lib. 9. cap. 17. ,

ubi dicit eas esse rerum primordia , ibi : *Ex his velut primordiis rerum , omnis , quæ gignuntur , suo quoque tempore exortus , processusque sumant , finesque , & decessiones sui cujusque generis. Unde fit , ut de grano tritici non nascatur faba , vel de fabâ triticum , vel de pecore homo , vel de homine pecus.* Et Lib. 3. de Trinit. cap. 8. , *Omnium , inquit , rerum , quæ corporaliter , visibiliterque nascuntur , occulta quadam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent.* Ex hac Augustini doctrinâ colligunt aliqui , expungendam esse privationem à numero principiorum Corporis in fieri , & loco illius oportere materiæ & formæ superaddere rationes feminales , quæ sint tertium principium. Quam sententiam ex professo promovet Magister Manso Lib. 1. Physic. q. 2.

21 *Resp.* Dubium est , quid intellexerit Magn. Augustinus nomine *rationum feminalem*. Varias expositiones refert , ac refellit D. Thomas in 2. dist. 18. q. 1. art. 2. : ipse verò , tum ibi , tum 1. p. q. 115. ar. 2. , nihil aliud intelligendum esse docet , quam virtutes activas , & passivas rerum naturalium , præsertim eas , quæ ad propagationem propriae speciei , sive ad producendos effectus univocos destinantur , & quæ generatim , etiam in rebus inanimatis , vocari possunt *feminales* ex analogiâ quadam ad semina , quibus propagantur plantæ , & animalia. Sed Magister Manso cum Egidio tenet , rationes feminales proprie consistere in quodam ordine Divinâ dispositio-



ne superaddito virtutibus rerum, vi cuius activa quæque sibi subiiciunt certa passiva, & hæc certis activis subiiciuntur: quo modo stuppa subiicitur igni, quia redditur obnoxia combustioni; & ignis sibi subiicit stuppam, quia redditur habilis ad eam comburendam. Atque hic ordo, subiectio, &abilitas, inquit Manso, est relatio, seu relativa quidditas, distincta realiter à rebus, & earum virtutibus.

22 Utraque expositio admitti potest in præsentiarum, quin Assertioni nostræ quidquam præiudicet. In primis expositio D. Thomæ. Nam ratio seminalis, si sumatur pro virtute agentis extrinseci, erit quidem principium generationis, sed extrinsecum, ac proinde non agens numerum principiorum intrinsecorum, de quibus nunc agitur. Si vero sumatur pro virtute, vel aptitudine formæ ad informandum, & materiæ ad recipiendum, non est quid distinctum à materiâ, & formâ: nam altera per se ipsa est actus informativus, & altera per se ipsam est subiectum receptivum: & quamvis materia in esse proximè receptivæ importet dispositiones accidentales, hæc non pertinent ad conceptum mutationis substantialis, vel, esto pertineat, sub nomine materiæ comprehenduntur, tamquam appendices, in enumeratione principiorum.

23 Deinde expositio Ægidiana. Si enim rationes seminales accipiantur pro relationibus à Manso explicatis (duas ipse seligit ad munus principiandi, alteram ex parte formæ, alteram ex parte materiæ): vel

dici possunt intrinsecè principiari Corpus *in fieri*, non tamquam tertium principium, sed tamquam appendices materiæ, & formæ, quarum sub nomine comprehenduntur: vel potius computari debent inter principia extrinseca; quia præscindendo ab illis relationibus superadditis, intelligi potest, materiâ incipere nunc habere formam, quam non habebat, sicut hoc ipsum intelligitur, præscindendo ab agente extrinseco.

24 Præterea displicet doctrina Mansi tribus capitibus, ut alia nunc omittam. 1.: quia privationem expungit à numero principiorum; cum tamen sine illâ nec stare, nec intelligi possit Corpus *in fieri* mutationis, quascumque superaddas rationes seminales. 2.: quia tribuit munus principii intrinseci solis rationibus seminalibus, quæ se tenent ex parte materiæ, & formæ, seclusis alijs, quæ se tenent ex parte Causarum efficientium; cum tamen S. Augustinus talem distinctionem nullibi faciat, imò ad causas activas præcipue respiciat, ut legenti constabit.

25 3.: quia, nè principia sint quatuor, vult, ut ex utràque ratione seminali, materiæ, & formæ, compleatur unum principium; cum tamen prima principia, juxta definitionem eorum, debeant esse simplicia, nec ex alijs principiata. Certè illud principium seminale principiaretur ex duobus simplicibus; & quidem non tantum integraliter; quia duæ illæ relationes deberent sapere naturam sui fundamenti, & altera esse

esse per modum actus, altera per modum potentia, consequenterque facerent constitutionem essentialem. Adde quòd incongruè tribuit formæ respectu materiæ rationem seminalem; hæc enim juxta ipsum est relatio inter activa, & passiva; forma autem non respicit materiam suam in genere causæ activæ, sed in genere causæ formalis, vel actus informativi.

## CAP. V.

De Corpore in fieri per puram, aut simplicem generationem  
Assertio tertia.

ASSERO 3.: Privatio non est principium Corporis *in fieri* pro quantum hypothesi: vel, quod in idem recidit, possibilis est generatio Corporis naturalis, quæ non supponat privationem, sitque proinde generatio *pura, simplex, aut præcisa, seu Corpus in fieri pura generatio- nis*. Prob.: possibilis est generatio, quæ non importet mutationem: ergo & quæ privationem non supponat. Prob. Antec.: possibilis est generatio in primo instanti creationis materiæ; sed tunc non importat mutationem, cum mutatio requirat existentiam subiecti pro duobus instantibus, ut supra constitit: ergo &c. Prob. Maj.: in primo instanti creationis materiæ potest produci forma per actionem essentialiter pendentem à materiâ, tamquam à subiecto præsupposito; sed talis actio foret educatio formæ, & generatio Compositi:

ergo &c.. Minor constat ex conceptu proprio educationis, & generationis, prout à creatione condistinctæ. Prob. Maj.: ut actio pendeat à materiâ, tamquam à subiecto præsupposito, non requiritur præsuppositio temporis, sed sufficit prioritas naturæ; sed hanc habere potest materia in primo instanti: ergo &c.

2 Constat Minor: tum paritate causæ efficientis, quæ, licet requirat prioritatem naturæ, potest operari in primo instanti suæ existentia: tum quia naturæ prioritas non importat latitudinem temporis, sed solam distinctionem signorum intra idem instans, ut explicabitur Tract. 2.. Major etiam constare videtur: tum eadem paritate causæ efficientis, à quâ ut præsuppositâ pendet actio non minus, quam à subiecto. Tum etiam, quia prioritas temporis per accidens ac de materiali se habet, ut materia concurrat ad actionem passivè, aut in genere causæ materialis sustentativæ (in quo stat dependentia actionis à materiâ ut subiecto præsupposito); non enim materia passivè causat & sustentat actionem, nisi per suam potentiam ut nunc actualiter præsentem; hæc autem potentia eadem omnino est in primo instanti, ac in cæteris; & ut nunc verè sit præsens, nihil refert, quod extiterit antea.

3 Confirm. 1.: creet Deus in medio igne novæ materiæ portionem, non aliâ formâ præventam. Quæro abs te, cur non poterit ignis in eâ, & ex eâ statim producere formam igneam? An ex defectu dispo-



fictionis ultimæ? At litas poterit ignis ipse producere instantaneæ, cum nullum obstat contrarium; sicut ob eamdem rationem aer illuminatur in instanti; vel, si mavis, fac eam dispositionem simul à Deo concreari. An ex defectu capacitatis materiæ? At ista capacitas eadem est in quolibet instanti, utpotè identificata cum existentia materiæ. An ex defectu virtutis in igne? Quis hoc dicat? An eadem ex defectu præexistentiæ temporis ex parte materiæ? At, ut agentia naturalia statim operentur effectus in suâ virtute contentos, nihil aliud requiritur juxta omnes Philosophos, nisi quod adsit subjectum capax, ultimo dispositum, & applicatum; hoc autem totum adest in casu nostro. Secus præexistentiâ temporis. Tum sic: Sed ignis tunc ageret per veram generationem, cum creatio solius Dei sit, ut nemo ignorat: ergo &c..

4. *Confirm. 2.*: si corruptis speciebus Eucharisticis generetur vermis, nova tunc à Deo creatur portio materiæ pro tali generatione, ut fert communis sententia: cum autem materia in nullo instanti possit existere sine formâ, necesse est ut illa generatio fiat ex materiâ in primo suæ creationis instanti. *Confirm. 3.* exemplo ineluctabili formæ accidentalis, quæ potest educi in primo instanti existentia subjecti, ut de facto elucta est prima gratia animæ Beatissimæ Virginis, & juxta communem Theologiam etiam prima gratia Angelorum: eorundem item actus vitales in primo instanti elicitî, præsertim liberi, certè non fuere creati

ergo educti. Profectò, si Deus coram Sole crearet novum corpus diamphanum, quis dubitet in primo instanti illuminatum iri? utique per educationem lucis virtute Solis.

5. Hinc inferes, formas elementares initio mundi potuisse generari, vel educi, quantum est ex capite præexistentiæ materiæ. An autem aliunde repugnet earum educio, & an de facto contigerit? plures hic disputant. Sed commodius ea disputatio instituetur in Tract. de Elementis.

6. Sed obiit.: Si darii potest Corpus in fieri non constitutum ex privatione, non erit totum successivum, nec distinguetur à Corpore in facto esse. *Resp.* Corpus in fieri pure generationis non distinguitur à Corpore in facto esse, nisi prout connotat primum instans suæ existentia. Nam Corpus in facto esse præcindit ab eo, quod sit in primo, vel in secundo, vel in alio instanti: Corpus autem in fieri, quodcumque sit, semper connotat primum instans, importatque initium essendi. Quod si velis, ut in hac denominatione Corpus incipiens esse, includatur præcedens carentia talis esse, quamvis ea carentia non sit privatio, atque hoc modo illa denominatio sit totum successivum per merum ordinem immediatæ successionis inter esse & non esse; sit sanè; dummodò tunc non detur mutatio physica, nec propriè terminus à quo. Unde colligere poteris, tale Corpus in fieri tribus etiam constare principiis, materiâ, formâ, & hujus carentiâ, quæ non est privatio; ac proinde principiis

ex

ex oppositis, seu contradictorijs, quamvis non ex propriè contrarijs, eo quod contrarietas versari debeat circa subjectum commune.

7. Cum autem Aristoteles universaliter docet, privationem esse principium rerum naturalium; in primis non loquitur de primâ elementorum & mundi formatione, quæ à solo Deo facta est: ut enim ait D. Thomas 1. p. q. 45. art. 2. ad 1., *Antiqui Philosophi non consideraverunt, nisi emanationem effectuum particularium à causis particularibus, quæ necesse est præsupponere aliquid in suâ actione.* Deinde nec loquitur de productione rerum in primo instanti creationis materiæ. Tum quia per errorem putavit, Mandum, atque adeò materiam ab æterno fuisse. Tum quia non curavit de miraculosis eventibus, in quibus tantum nova materia creari potest post ortum mundi. Solam ergo cogitavit Philosophus de generatione rerum, quæ à causis secundis provenit ordine omnino naturali, & quæ materiam transire facit de formâ in formam. Id quod etiam testatur D. Thomas 1. p. q. 44. art. 2. ad 1. dicens: *Philosophus in 1. Ppysic. loquitur de fieri particulari, quod est de formâ in formam, sive accidentalem, sive substantialem.* Ut autem pro regulâ generali statuerit, omnia fieri ex privatione, & cum antiquioribus dixerit, omnia ex contrarijs fieri, satis est quod ita fiant, quotquot à causis secundis naturali ordine fiunt.

\*\*\*

## CAP. VI.

*Exponantur varia sententia nobis Adversantium.*

1. **Q**uamquam Assertio posita Cap. super. satis communis sit in Scholâ nostrâ, & Thomisticâ, nobis tamen adversantur ex utraqûe Scholâ non pauci, qui partim in hoc, partim in seq. Capite rejiciuntur. Quidam ergo possibilem esse statentur generationem in primo instanti creationis materiæ, & nihilominus assentunt, etiam tunc mutari materiam de privatione ad formam. Sed non omnes uno modo discurrunt. 1. quidam eorum privationem collocant in signo priori naturæ, quo materia etiam in primo instanti formam præcedit ut causa materialis: unde materia, formam acquirens in signo posteriori primi instantis, jam transit de privatione ad formam.

2. Sed contra 1.: signa prius & posterius in ordine causandi, existunt in eodem instanti, id est, in eodem puncto temporis indivisibili: si ergo in signo priori naturæ datur privatio, & in signo posteriori forma, jam in eodem indivisibili temporis concurrent in eadem materiâ duo contradictoria, jamque forma simul erit & non erit; quod est chimericum. *Contra 2.*: signa illa non sunt cellula, vel partes instantis (instans enim, utpote indivisibile, partibus caret), sed signum prius nihil est aliud, quam causa cum requisitis ex parte sui ad causandam, & signum



posterius nihil aliud est, quam effectus ut pendens à tali causâ. Nihil ergo in signo priori naturâ collocatur, nisi quod est causa, vel ex parte causæ requisitum ad causandum. At privatio nec est causa formæ, nec requisita, ut forma causetur, cum potius illi opponatur extremè.

3 Accedit, quòd alioquì voluntas in signo libertatis ad amandum, haberet amoris carentiam, adeòque non esset indifferens ad amorem, & ejus omissionem: item anima Deiparæ Virginis, in priori signo primi instantis habuisset privationem gratiæ, mutataque fuisset de statu peccati, vel de privatione sanctitatis, ad statum oppositum: item, cum primum quis justificatur, conjungeretur in eodem instanti gratia cum peccato, siquidem conjungeretur cum privatione sui à peccato præterito causatâ: quæ omnia prorsus à veritate abhorrent. *Contra* demum: quia eadem ratione daretur privatio in materiâ pro quovis instanti conservationis formæ; nam in quolibet datur signum prius, in quo materia intelligitur ut causa materialis.

4 *Dices* tamen: in signo priori materia non habet formam: ergo habet privationem formæ: non enim possunt abesse simul duo contradictoria. Vel aliter: pro signo priori verificatur *non esse formam in subjecto capaci*: ergo verificatur privatio. *Resp. dist. Antec.*: non habet merè præcisivè, *conc.*; negativè, aut privativè, *neg. Antec.*, & *Conseq.* Duo contradictoria nequeunt abesse simul pro instanti reali; bene tamen pro aliquo signo, absentia nimirum præ-

cisivâ, quatenus ab utroquè præscinditur, eo quòd neutrum sit causa, nec prærequisitum ad causandum. Similiter *non esse formam in subjecto capaci*, sonat privationem, dum refertur ad instans temporis; minime verò, dum refertur ad signum prius, quia tunc reddit sensum præcisivum; si enim reddat privativum, negandum est, quòd verificetur. Vel, si mavis, concede utrumque Antecedens, & nega Consequentias: quia per illud additum, *in signo priori*, determinatur *ly non habet*, & *ly non esse*, ut solum significet, formam nec esse causam sui, nec conditionem prærequisitam, ut ipsamet causetur: ex quo minime sequitur, dari privationem in signo priori. Abesse autem in tali signo duo contradictoria, nihil est aliud, quam neutrum identificari cum materia, nec cum ejus prærequisitis ad causandam formam; quod verissimum est.

5 *Dices* insuper: non minus opponuntur indifferentia & determinatio, quam forma & privatio; sed indifferentia & determinatio cohererent in eodem instanti pro diversis signis, ut patet in instanti libertatis: ergo pariter &c. *Confirm.*: in eodem instanti, & eodem subjecto dari possunt dominium & carentia dominij: nam, si tuum librum. donec Petro statim acceptanti, pro eodem instanti dominium habes, quia eo uteris, & simul dominio cares, quia illud à te transfertur in Petrum. Pariter ergo de formâ & ejus privatione dicendum. *Resp. dist. Maj.*: non minus opponuntur &c., dum indifferentia & determinatio proveniunt ex eodem

dem

dem capite, *conced.*; dum ex diverso capite, *neg. Maj.*, & similiter *distinctione Min.*, *neg. Conseq.* In instanti libertatis non datur indifferentia, nisi ex capite potentiæ liberæ, nec determinatio, nisi ex capite effectus: quo sensu nulla in his est oppositio. At forma & privatio in eodem subjecto, & instanti, non possunt non opponi contradictoriè. *Ad Confirm. neg. Antec.*: nam in primo instanti donationis acceptatæ, vel dominium rei non est in donante, sed solum in acceptante, ut aliqui volunt; vel est in utroque simul, ut valde probabiliter docet Cardinalis de Lugo, tum *disp. 3. de Incarnat. sect. 1.*, tum *disp. 2. de Justit. & Jur. sect. 2.*, ubi difficultates hujus sententiæ, quæ hic importunè forent, subtiliter solutas invenies.

6 2. alii dicunt, etiam in primo instanti creationis materiæ, generationem principiari ex privatione, non quæ fuit, sed quæ foret, nisi per formam impediretur: vel ex privatione, quæ licet non præcesserit in se, præcessit tamen in debito, ac præsumptione sui. Probant: quia carentia formæ præcessit creationem materiæ; quæ carentia, quasi ex vi possessionis essendi, habebat jus, ut, quando materia crearetur, in eâ existeret, atque ita fieret privatio: unde fit, ut pro signo priori primi instantis materiæ, detur debitum privationis, atque etiam illius præsumptio, fundata scilicet, tum in illâ possessione præcedente, tum in eo quod pro tali signo nondum apparet forma, & *ita creatis præsumitur negativum, ubi positivum non apparet.* *Confir-*

mant: quia, si Angelus crearetur ab æterno, verè esset ex nihilo: & tamen non esset ex nihilo absolute præcedente, sed quod præcederet, si non impediretur.

7 Verum hæc cogitatio rejicitur facile: quia materia pro signo priori naturaliter exigit formam, & privationem respuit, maximè si jam est ultimò disposita: hæc autem exigentia potiori jure fundat debitum, ac præsumptionem formæ, quam privationis: nam jus materiæ positivum est, & naturaliter infrustabile; non ita jus carentiæ præcedentis. Et hinc ruit fundamentum Adversariorum, quibus negari debet illud debitum, illave præsumptio in signo priori: quia jus ad formam, quod habet materia disposita, destruit jus carentiæ præcedentis, siquod erat: & in creatis non præsumitur negativum, quando positivum, esto non appareat in se, apparet tamen in exigentiâ naturali alterius extremi cum eo connexi.

8 Constat etiam disparitas ad creationem Angeli, si non repugnet esse ab æterno: nam Angeli natura nullo ex capite resistit præcedentiæ sui nihili; quinimò ex conditione propriæ rei creatæ debet non incipere, nisi in tempore, adeò ut multis omnino chymerica videatur creatio ab æterno: jam ergo in re ipsâ fundamentum adest, ut Angelus, si crearetur ab æterno, diceretur esse ex nihilo, quod deberet præcedere. At, quamvis materia & forma non resistant carentiæ sui, priusquam materia creetur, privationi tamen positivè resistit materia statim à primo sine crea-

crea-



creationis instanti, & à signo priori. Adde, quod creatio ab eterno diceretur quidem ex nihilo subiecti, sive ex nullo subiecto; non tamen ex nihilo sui termini, nisi cum addito *possibilitate*, quatenus, attentà naturâ termini, posset nihilum ejus præsupponere.

9 3. alii privationem ut terminum à quo, veramque mutationem, etiam in primo instanti materiæ, sic adstruunt. Carentia formæ, creationem materiæ præcedens, non immeritò vocari potest privatio, & terminus à quo. Probatur 1. : quia Aristoteles ideò privationem inter principia numerat, quia id, quod fit, debet antea non esse; quod enim jam est, non fit: unde colligit, arborem v. g. debere fieri ex non arbore, sicut album ex non albo, musicum ex non musico: nomine igitur privationis intellexit merum *non esse* Corporis, quod fit. Hoc autem *non esse* verificatur absconditò per carentiam formæ, sive præexistat subiectum, si ve non. 2. : quia stricta privatio non principiat mutationem, nisi quatenus est contraria formæ: ergo non principiat, nisi quatenus condistinguitur à capacitate subiecti, cum hæc capacitas non sit formæ contraria. Sed stricta privatio, ut à capacitate subiecti distinguitur, est mera carentia in nullo diversa ab illâ, quæ sine subiecto est: ergo, quantum ad officium principandi, carentia illa propriè vocabitur privatio.

10 3. : quia talis carentia dicit ordinem ad subiectum apertum, saltem possibile; non enim est sicut carentia Angeli, quæ talem ordinem

non dicit: ergo non est mera negatio, sicut carentia Angeli, sed est propriè privatio. Adde, quod vitales carentiæ verificatur *non esse formam in subiecto capaci*; qui est character privationis. Adde præterea, quod tunc verè daretur *transitus de non esse ad esse*, quæ est definitio generationis mutatiæ: & quod creatura quælibet verè mutatur, dum accipit esse.

11 Quod si daretur generatio Corporis ab eterno, etiam sic principaretur ex privatione, non quæ fuisset, sed quæ infallibiliter esset in materiâ, nisi per formam impediretur. Hoc sufficit (quamvis cum sententiâ præcedente non recurratur ad præsumptionem, & debitum in signo priori), ut privatio verè dicatur terminus à quo: quia verè dicitur *amissa*, & *exclusa*. Passim quippe dicitur quis amittere, quod certo habiturus esset, nisi impediretur: & passim etiam dicitur excludi id, cujus ingressus prohibetur. Atque hoc dicendi modo, pro quo allegantur Scotus, & Suarez noster, salvari potest, privationem esse terminum à quo generationis temporalis in primo instanti materiæ, etiam sine recursum ad carentiam formæ præcedentem. Accedit, quod, si Deus ab eterno aliquid reciperet à se distinctum, verè mutaretur; non aliâ ratione, nisi quia aptus esset ad privationem, & eam reciperet, si non præoccuparetur.

12 Hæc sententia litem movet de solo nomine privationis, & termini à quo. Nam de re constat inter omnes, non esse possibilem ge-

nerationem in tempore, quin præcedat carentia, vel *non esse* formæ: constat item, materiæ in primo instanti, vel etiam ab eterno creatam, si hoc non repugnet, infallibiliter habituram fuisse privationem, nisi forma præveniret. An autem carentia sine subiecto vocanda sit privatio, & an privatio, quæ non fuit, se ð esset, nisi impediretur, dicenda sit terminus à quo, videtur pertinere ad modum loquendi.

13 Reicienda tamen est sententia ista sumam refutatione probationum. Ad 1. : licet privatio lato & improprio sensu significet aliquando meram carentiam; tamen propriè loquendo solum significat formæ carentiam in subiecto ad formam apto, ut sapissime docet ex Philosopho Di. Thomas. v. g. 1. p. q. 11. art. 2. C., *Nulla*, inquit, *privatio tollit totaliter esse; quia privatio est negatio in subiecto secundum Philosophum*. Sic cæcitas, ignorantia, surditas, quæ privationes sunt, necessariò connotant subiectum existens. Certè de solâ privatione sic acceptâ loquitur Assertio nostra: nec de aliâ locutus est Aristoteles; cum privationem inter principia numeravit, ut manifestè patet ex cap. 6., & 7. Cum autè dicit, *Omnia fieri ex contrariis*, sive ex non talibus, ut musicum ex non musico, arbor fit ex non arbore, quia, quod jam erat, non fit; loquitur ex suppositione illius proloquij, *Ex nihilo nihil fit*, quod ipse cap. 4. commendat tamquam principium naturæ lumine notum omnibus antiquis, & ex quo infert, quidquid fit, ex materiâ fieri jam antea præexistente sub pri-

vatione formæ, sicut accidit in artefactis. Itaque in ejus doctrina continetur discursus hic: Cum omne Corpus fiat ex non tali, ut homo ex non homine, & aliunde ex nihilo nihil fiat, oportet hominem v. g. fieri ex non homine infinitanter, id est, ex aliquo subiecto jam antea præexistente, quod non sit homo ex defectu formæ, ac proinde quod subsit privationi formæ humanæ.

14 Ad 2. : nomen *privatio* significat in recto carentiam formæ, & in obliquo capacitatem subiecti prout existentis actualiter: & quamvis privatio in suo genere principiet solum secundum rectum, tamen ad munus principandi requirit obliquum, tamquam conditionem *sine quâ non*; quia principiat per modum termini expulsi à subiecto, in quo erat. Hinc in formâ *dist. Anteced.*: nisi quatenus est contraria formæ, contrarietate se habente per modum termini à quo, *concl.*; aliter se habente, *neg. Antec.* Tum *dist. Consequ.*: nisi quatenus condistinguitur &c., *ly nst.* & excludente subiectum à munere terminus à quo, *concl.*; excludente subiectum à munere conditionis necessariæ, *neg. Consequ.* Transeat deinde subsumpta *Minor*, & *nego ultim. Consequ.*

15 Ad 3. : ordo ad subiectum possibile non sufficit ad privationem; alioquin negatio visus, aut scientiæ, quæ nunc est respectu hominum purè possibilem, diceretur propriè cæcitas, aut ignorantia. Illa igitur carentia verè negatio est, quamvis non tot titulis, quot carentia



tia Angeli. Nec est character privationis *non esse formam in subiecto capaci*, quando ly *non* excludit existentiam, tam subiecti, quam forme. Nec tunc daretur *transitus* physicus de non esse ad esse; talis enim transitus requirit subiectum, quod cum sit idem physicè nunc & antea, successivè sit sub terminis oppositis: ut etiam *mutatio* physica non datur, nisi cum idem physicè subiectum successivè subit diversos status. *De ratione mutationis est* (inquit D. Thomas 1. p. q. 45. ar. 2. ad 2.) *quod aliquid idem se habeat aliter nunc & prius*. Tunc ergo solum daretur transitus logicus; & mutatio logica, qualis verificatur in productione cujlibet entis, etiam ex nihilo; quatenus essentia rei eadem à nobis concipitur, quando est merè possibilis, ac quando est nihil, cum solâ variatione status, licet physicè non sit eadem, sed potius differat existens à possibili, sicut ens à non ente. Atque hoc sensu logico intelligendè suat quæcumque veterum locutiones de re istâ forsan allegentur.

16 Denique privatio, quæ non fuit, sed esset, nisi præret forma, quamvis dici possit amissa, & exclusâ præventivè, ut ita loquar, non tamen per desitionem, aut cessationem; quod omninò requiritur, ut sit propriè terminus à quo mutationis, aut transitus physici. Quis dicat, Adamum, cum primùm creatus est, propriè transiisse ab statu purè naturæ ad statum elevationis? Aut Deiparam Virginem propriè fuisse mutatam de labe peccati originalis ad Gratiâ? Aut eum, qui ab obtinendo Pontifi-

catu impeditur, vere fieri de Pontifice non Pontificem? Aut eum, qui pugnando vincit, necessariò transire de statu victi ad statum victoris? Aut etiam ipsam materiam primam in primo instanti subire mutationes corruptivas, vel privativas infinitas, eo quòd habeat cum unâ formâ privationes infinitarum formarum, quarum quælibet erit propriè terminus à quo, siquidem infallibiliter esset in materiâ, nisi præret privatio sui?

17 Si Deus ab æterno reciperet aliquid à se distinctum, non ideò præcisè mutaretur philosophicè (mutationi Theologicæ, quæ contraponitur summè simpliciter, sufficit receptio perfectionis à subiecto distinctæ), sed argueretur mutabilis, quia probaretur aptus ad illius formæ privationem. Sic etiam ex argumento Adversariorum probatur materia, non quidem mutata, sed mutabilis, & reapse mutanda, si daretur spatium sufficiens, ut privationi forma succederet. Nec aliud intendunt Scotus, & Suarius, nisi ut privatio semper sit prior formâ, non propriè ac simpliciter, sed cum addito *quantum est ex parte materia, vel actionis*, sensu scilicet negativo, quatenus nec actio, nec materia excludit essentialiter præcedentiam privationis. Similiter creatio ab æterno, foret ex nihilo *quantum est ex se*, idest, foret actio non excludens essentialiter præcedentiam nihili. Hoc autem non est tribuere nihilo, seu privationi munus termini à quo, vel principij actualis, sed tantum possibilis; nec est agnoscere mutationem, sed *mutabilitatem*. Quemadmodum, cum

cum Sancti dicunt, se se ex propriis esse nihilum, aut dæmone peiores, non significant, quid actu sint, sed quid essent, aut esse possent, nisi Dei protectione tenerentur. Vid. P. Suar. disp. 20. Metaphysic. sect. 6. numer. 11.

## CAP. VII.

*Authores alii nobis adversantes impugnantur.*

1 **S**unt alij Authores, qui possibilem esse negant generationem Corporis naturalis in primo instanti creationis materiæ. Ita nonnulli Thomistæ, subscribentibus Palanco, & Manso. Fundamentum Palanci q. 13. Lib. 1. Physic. est: quia generatio, siveeductio formæ necessariò supponit materiam præexistentem; sed nequit ita supponere in primo instanti creationis materiæ: ergo, &c. Major constat: quiaeductio formæ necessariò supponit materiam in rerum naturâ productam: repugnat autem materiam esse productam, quin sit existens. Minor etiam patet: quia materia in primo instanti, nec præsupponitur existens prioritate temporis, ut est evidens; nec prioritate naturæ; quia, cum non existat, nisi per existentiam formæ, penitus implicat eam existere pro priori ad omnem formam. Hinc redditur disparitas ad educationem formæ accidentalis, quam hic Author concedit fieri posse in primo instanti productionis subiecti; quia scilicet subiectum accidentium, cum sit ens in actu,

supponitur pro priori naturæ productum, & existens.

2 Fundamentum Mansi Lib. 1. Phys. q. 12. est: quiaeductio formæ essentialiter est transmutatio subiecti; sed transmutatio, utpotè motus successivus, fieri nequit in instanti: ergoeductio necessariò supponit materiam existentem per duo saltem instantia. Majorem probat ex Ægidio sic: *Formam contineri in virtute activâ agentis naturalis, nihil est aliud, quam agens posse transmutare subiectum medijs qualitibus alterantibus, & disponentibus materiam, ut fiat sub tali formâ: ergo quòd forma contineatur in potentia passivâ materia sufficiens, ut ex materia educatur, nihil est aliud, quam materiam posse transmutari per qualitates alterantes, ut fiat sub tali formâ*. Confirmat 1. ex D. Augustino Lib. 9. de Genes. ad Litt. cap. 15. dicente, formationem Hevæ fuisse creationem, quia facta est sine motu & transmutatione. Confirmat 2. ex D. Thomâ 1. p. q. 90. art. 2. ad 2. ad educationem requirente, ut *aliquid fiat actu, quòd prius erat in potentia*: quæ verba Cajetanus, & alij Thomistæ de transmutatione interpretantur.

3 Sed in primis fundamentum Palanci, quamvis forte validum sit contra Thomistas, nobis in re præfenti consentientes (contra quos fusè disputat Palancus loc. cit.), in Scholâ nostra infirmum est: negamus enim, materiam existere per existentiam formæ, quod abundè constabit disp. sequ. Quare, *concess. Mai., neg. Min.*: & in prob. negandum est, materiam



in primo instanti non intelligi pro priori natura creatam, & existentem. Quare poterit ex eâ tunc educi forma substantialis eadem ratione, quâ forma accidentalis in primo instanti productionis subiecti. Deinde non apparet, quo jure postulet hic Author prioritatem temporis in materia.

4 Nam quoties fit generatio ex materia jam olim creata, v. g. cum ex materia ligni fit ignis in instanti A, materia pro priori naturæ non intelligitur existens per existentiam ligni, cum hæc in eo instanti destruat; nec intelligitur terminans actionem productivam, quam terminabat in instanti precedenti, siquidem in doctrinâ Palanci, lib. cit. q. 7., materia in nullo instanti terminat aliam productionem, nisi que simul est productio formæ tunc habitæ. Aliunde materia non gerit minus causæ materialis, & subiecti proximè receptivi formæ igneæ, nisi pro signo priori instantis A, ut est certum. Jam ergo, cum intelligitur materia ut causa materialis, & potentia proxima ex qua generetur ignis, non adest existentia, nec productio, tempore antecedens: ergo quod talis existentia, productio præcesserit, de materiali se habet ad generationem ignis; non enim alio titulo requiri potest, nisi ad sustinendum in materia minus causæ materialis, aut potentia proxima; quod minus certe sustinere nequit productio, vel existentia, quæ jam non est.

5 Urgetur: vel materia debet existere pro priori natura ad formam

igneam in instanti A? vel non? Si primum dicas: ergo, cum pro illo priori jam non existat per existentiam formæ præcedentis, necesse est existat per existentiam propriam, vel per existentiam ipsius ignis tunc generandi: atque ita ruit fundamentum Palanci; nec manet jam disparitas ad educationem formæ accidentalis. Si dicas secundum: ergo frustrâ poteris existentiam materiæ in instanti præcedenti, *Prob. Consequ.* Existentia ista de materiali se habet ad educationem in hoc instanti. Tum quia, ad physicè causandum, non conducit existentia, quæ fuit, sed quæ nunc est, ut patet in causâ efficiente, in causâ formali, atque etiam in causâ materiali educationis accidentium. Tum quia forma non pendet à materia ut existente in anterioribus instantibus; non enim ab eâ pendet, nisi quatenus ex eâ educitur; & non educitur in illis instantibus, sed in A. Est igitur impertinens ad educationem prioritas illa temporis, sicut ob eandem rationem impertinens est in causâ efficiente.

6 *Obicit auctoritas D. Thomæ in Compend. Theolog. cap. 95. docentis, non posse Cælum produci, nisi per creationem, eo quod dici non possit esse factum ex materia aliqua præjacente:* ubi loquitur de præjacentia temporis, ut ex contextu patet. *Resp.* Nostram doctrinam nullo clarior tradit Div. Thomas Opusc. 42. cap. 15. Et præterea locus objectus exponitur facile de creatione late sumptâ, prout significat productionem compacti, quod ante hoc instans quoad nullam sui partem exist-

existebat: quo sensu terra quoque creata dicitur in Scripturâ sacra, ut alibi ostendemus. Creatio autem sic accepta cohæret cum educatione formæ Philosophicè sumptâ.

7 Fundamentum Mansi voluntarium est. Nego Majorem, vel distinguo: educio, reduplicative ut facta per causas secundas juxta rerum ordinem omnino naturalem, *concl.*; educio secundum se, vel in quacumque hypothese possibili, *n. g. Mai.*, & concessâ Minore, *neg. Consequ.*, vel *dist.* eodem modo. Ad *probet.*, vel similiter distinguo Antecedens, & Consequens, vel potius nego Antecedens, quod crude sumptum, ut jacet, absurde probat, animam rationalem contineri in virtute activâ agentis naturalis, & in potentia passivâ materiæ sufficienter, ut ex materiâ educatur. Profecto, si *nihil est aliud* formam educi, quam materiam ab agente naturali transmutari per qualitates alterantes, ut fiat sub tali formâ, cum totum hoc verificetur in generatione hominis, nihil deest ad educationem animæ rationalis.

8 S. Augustinus dicit quidem, Hexam creatam esse *nam aliquo motu jam existentiam naturarum*, sed non dicit, ideo creatam esse, quia facta est sine motu. Sumit autem verbum *creare* largo sensu, eodem scilicet, quo dicitur Genes. 1., *Creavit Deus cæte grandia, & omnem animam viventem atque motibilem*; ubi non excluditur educio proprietatis, juxta communem in omni Scholâ sententiam: vel eo sensu, quo ipse Augustinus illo cap. 15. lib. 9.

dicit, *Angelos de rebus subiectis materiam ministrare, ut secundum rationes seminales aliquid in tempore creatur*: ubi certe non loquitur de creatione strictâ. D. Thomas refert illud *prius* ad prioritatem, non temporis, sed naturæ, quidquid interpretentur allegari Thomistæ.

9 Præterea Mansus, vi consequentiæ ductus, negat pariter educationem formæ accidentalis fieri posse sine motu successivo, & sine alteratione subiecti per qualitates contrarium habentem. Quod si objicias actus vitales, species intentionales, & lucem, quæ formæ possunt ab agente naturali produci in primo instanti existentie subiecti, & de facto producuntur absque alteratione, & corruptione contrarij: Respondet n. 15. cit. q. 12., tales formas non esse proprie tales, nec proprie fieri, sed resultare; ideoque nec creari, nec educi, quamvis actio, qua producuntur, sit similis creationi: quod item repetit q. 14. n. 11. dicens, *quod ejusmodi formæ quasi creantur, et quod quasi creare, non repugnat agenti finito.* Hæc mira sunt.

10 Sed in primis nulla ratio, vel rationis umbra est, cur lux sit minus proprie forma, quam calor, cur minus proprie fiat, cur ejus productio à Sole in aere, sit magis resultantia, quam productio caloris ab igne in ligno. Deinde, philosophicè non dicitur *resultare*, nisi quod ad positionem alterius velut sequela naturalis ponitur. Quomodo ergo sine vocis abusu dici potest, eas formas, præsertim actus liberos, non fieri, sed resultare? Præterea, juxta D. Tho-



nam 1. p. q. 77. art. 6. ad 3., productio proprietatum accidentalium non est *per transmutationem*, sed *per naturalem resultationem*: & tamen supponit Mansus cit. quæst. 14. num. 11., calorem, & alias proprietates ignis v. g., verè fieri per educationem.

11 Rursus, illuminatio aeris, aut productio amoris liberi, sine dubio est vera actio: quæro igitur, an sit essentialiter diversa ab educatione propriè tali? Si neges, habemus intentum. Si asseras: ergo non est *quasi creatio*, sed propriè creatio: nam actio verè talis, saltem factiva formæ absolutæ, adæquatè dividitur in educationem, & creationem, ex omnium sententiâ, quam approbat Mansus cit. q. 12. n. 3. Adde, quod eadem licentiâ posset quis fingere actionem, quæ nec supernaturalis sit, nec naturalis, sed quasi supernaturalis; & sic de aliis.

12 Denique sic argui potest: discrimen educationis à creatione non sumitur à transmutatione subiecti: ergo non est idem, ut contendit Mansus, formam educi, ac subiectum transmutari. *Prob. Antec.*: quia tam verè datur transmutatio materiæ, dum creatur anima rationalis, quam dum educitur forma equi: & tamen verissimum discrimen est inter creationem unius, & educationem alterius. Sic discrimen specificum leonis ab equo, non sumitur à materia: quia, cum in utroque detur materia ejusdem speciei, tamen specificè differunt. Verum itaque discrimen in eo consistit, quod educio est actio essentialiter pendens à subiecto, per

aliam actionem producto, tanquam à causâ materiali sustentativâ; creatio autem est actio non ita pendens: quod totum verificari potest independentè à prioritate temporis, & transmutatione. Certè D. Thomas 1. p. q. 45. art. 1. ad 3. disertè docet, quod creatio propriè talis dicitur productio ex nihilo, non solum quatenus ly *ex nihilo* negat præcessisse aliquid rei immediatè antea, sed etiam quatenus *importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur*: utrumque ergo requiritur ad creationem strictam: quare, licet primum detur, si tamen desit secundum, nempe negatio causæ materialis respectu actionis, non dabitur stricta creatio, sed educio.

### CAP. VIII.

*Quam sit valida probatio desumpta ex generatione corruptas Eucharistiæ species subsequentes?*

1 **F**ortasè scire cupies, quid respondeant Palancus & Mansus ad exemplum vermis ex corruptis Eucharistiæ speciebus generati; de quo sup. cap. 5. n. 4. Uterque in primis falsam esse supponit, & Palancus fortiter impugnat, sententiam aliquorum Thomistarum, agentium, non generari tunc vermem ex materiâ primâ, sed ex quantitate Eucharisticâ, quæ vermem intrinsicè constituit loco materiæ, & in eo permanet absque subiecto, sicut in Sacramento permanebat: quam sententiam ex professo

tener, ac tueri conatur M. Froylan Lib. 1. Phys. q. 1. art. 2. §. 3. & 4., credens eam esse D. Thomæ; utque istius opinionis incredibilitatem emolliat, S. Doctorem alloquitur illis Tertulliani verbis, *Domine, si error est, quod credimus, à te decepti sumus.*

2 Ad difficultates autem, quæ inde tutatim scaturiunt: v. g. quod quantitas, cum sit accidens, nequit constituere unum per se, sive Compositum substantiale, cujusmodi est vermis: nec potest esse primum subiectum substantialis formæ receptivum, cum hæc sit ipsissima essentia materiæ primæ: nec est potentia passiva naturalis ad substantialem formam, quæ sola potentia subiicitur virtuti activæ naturalium agentium: Ad has, inquam, & alias difficultates respondet Froylanus, quod quantitas ex suppositione miraculi per se existendi sine subiecto vi consecrationis, habet in omnibus vim, & officium materiæ primæ: & quamvis *materialiter & entitative*, sive *in essentia*, sit accidens, semper que maneat in lineâ accidentali; tamen *formaliter, substitutive, & in munere* materia est, substantia est: unde poterit constituere Unum per se substantiale, recipere formam vermis ut primum subiectum, esse potentia naturalis ad illam ex suppositione miraculi, & reliqua obire munia perinde, ac si materia foret.

3 Nec his privilegijs tantum in transitu gaudet quantitas; sed permanenter fruitur. Nam ex hac doctrinâ colligit Froylanus, quod quantitas, cum semel formam ali-

quam substantialem susceperit, futura est subiectum subsequenter formarum usque ad finem mundi: & quod, si homo longo tempore solis speciebus Sacramentalibus nutriretur, decursu temporis tota materia, vel maxima pars illius, esset ipsa quantitas, in quâ anima rationalis, sicut in propriâ materiâ, inveniretur, & cum quâ etiam superadditâ materiæ propriæ, in quâ homo fuit genitus ab initio, resurget in die iudicii.

4 Qui hanc opinionem fuse ac valide impugnata velit, adeat P. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 5. sect. 3., & Palancum hic quæst. 1. à num. 40. Nunc breviter eam rejicimus 1.: quia beneficio vocum illarum, *formaliter, substitutive, in munere*, facilè quisque poterit in constitutionem Compositi substantialis invehere paradoxa qualibet. V. g. quod ex duplici formâ substantiali resultet Unum per se, gerente alterâ vices materiæ: quamvis enim utraque sit actus primus *materialiter, & entitative*, poterit altera esse pura potentia *formaliter, & in munere*. Certè major propinquitas & cognatio est materiæ cum formâ substantiali, quam cum quantitate. Et, sicut in veræ quæstionis una quantitas in aliâ quantitate recipitur, juxta Froylanum, cur non poterit una forma substantialis in aliâ recipi?

5 Similiter poterit una forma substantialis pro aliâ specie diversâ subrogari, v. g. forma leonina pro equinâ, ita ut ex anima leonis & equino corpore consurgat equus verè talis: nam evidens est, mul-



multo minus distare leoninam animam ab equinâ, quàm à materiâ quantitatem. Quodsi oblicias, à formâ leoninâ dari speciem leonis, & non aliam distinguam facile: à formâ leoninâ, quæ talis sit materialiter solum, & in esse entis, formaliter autem, & in munere sit equina, negabo; quæ talis sit tam formaliter, quàm materialiter, concedam. Eodem pacto quantitas, aut qualitas poterit minus gerere formam substantialis, ut ita ex duplici accidenti constituantur vermis quidam notabilis. Cur non? Quia, inquis, forma accidentalis non dat esse simpliciter. Distinguo: forma accidentalis, quæ talis sit tam materialiter, quàm formaliter, concedo: quæ talis sit materialiter, formaliter autem, & substitutive sit substantialis, nego.

6 At, inquis, nihil de genere inferiori potest attingere quod est supremum in genere superiori. Distinguo: entitative, concedo; substitutive, nego. Etiam est in proloquio, quod *Supremum infimi non attingit infimum supremum*; quod quidem in esse entis verissimum est: & tamen viâ substitutionis aliter censet Froylanus, dicens, quod quantitatem, eò quod sit quid supremum in genere accidentis (solum hoc est, cum plures qualitates sint perfectiores), posse attingere minus materiam primam, quod est inimum in genere substantiali. Denam eadem viâ constitui poterit Compositum ex materia & formâ, invertio munere, ita ut materia gerat vices formæ, & hæc vices materiam.

7 Rejicitur 2.: quia nequit

Deus variare in esse entis constitutiva rerum essentialis, quin variet, & invertat essentialiam Totius. *Præh. 1. à priori.* Tum quia constitutivus essentialis, si variatur in esse entis, variatur in esse constitutivi; non enim constituit, nisi communicando suam entitatem. Tum quia essentialitas Totius est ipsamet entitas ejusdem: hæc autem entitas, utpote consistens in entitatibus partium, seu constitutivorum, nequit non variari, si qualibet ex entitatibus partialibus varietur.

8 *Præh. 2. exemplis*, creatorum etiam accidentalium. Tum ex parte formæ: nequit enim Deus facere, ut resultat *calidam* ex formâ, quæ sit entitative albedo; nec *intellegens*, aut *intellectum*, ex formâ, quæ in esse entis non sit, nisi amor. Tum ex parte subiecti: non enim ullâ potentia fieri potest, ut in lapide, vel in bruto resulter denominatio *intellegentis*, aut *amantis*, etiam si Divinitus in eis collocaretur intellectio, aut amor; non alia de causa, nisi quia talis denominatio essentialiter constituitur ex subiecto entitative rationali: quare, licet adsit forma sufficiens, deficit tamen denominatio ex defectu proprii subiecti entitative sumpti: quod etiam patet in denominationibus *Sancit*, *filius Dei* & *optivi*, *videntis Deus*.

9 Potest quidem Deus supplere minus causam extrinsecarum, quæ manent extra constitutionem esseus; aut etiam illis causis uti supernaturaliter ad effectus oppositas, faciendo v.g. ut ignis refrigeret, aut nix calefaciat. At non potest supplere, aut invertere causas in-

intrinsicas & constitutivas, etiam entitative sumptas, faciendo scilicet, ut detur calidum sine entitate caloris, frigidum sine entitate frigoris, homo sine anima rationali entitative tali, intelligens sine intellectu, aut subiecto rationali, quoad entitatem.

10 Cum ergo, juxta omnes, causæ intrinsicæ constitutivæ vermis, & cujuslibet Compositi substantialis, sicut duæ substantiæ partiales, materia, & forma, omnino repugnat, quamlibet eas entitative variari, deficere ve, quin essentialitas Compositi varietur, ac deficiat. Quapropter recurrit ad viam substitutionis, merus circulus est, & petitio principii: contenditur enim, quantitati competere non posse minus constitutendi Totum substantiale per modum subiecti: quia non est materia substantialis, & per se notum est illud Aristotelis in presenti *cap. 6. Ex non substantiis substantia constare non potest*: & quia aliter invertentur constitutiva rerum essentialia. Dura autem reponitur, constitutiva non inverti formaliter & in munere, & quantitatem esse materiam substantialem formaliter & in munere; quid aliud hoc est, quàm ludere circulo? dare que pro ratione muneris utitur minus ipsam?

11 Nec omittendum inconveniens, quod deducit Existius, Doctor. Contingere posset (inquit), ut illa quantitas per varias transmutationes informaretur aliâ formâ panis, & consecraretur: quomodo ergo tunc fieret transsubstantiatio? quia, si totum compositum transmutaretur, non manet

ret quantitas; si sola forma, non esset transsubstantiatio. Dicendum ergo esset, ex tali pane non posse fieri consecrationem: quod reverâ non male diceretur: quia ille non esset panis, cum non constaret ex principiis essentialibus panis. Sed tuac idem consequenter dicendum esset de quacumque re genitâ, ex hujusmodi speciebus, quod reverâ non sit substantia illa, quæ apparet, sed semisubstantia, ut sic dicam.

12 Opponit Froylanus auctoritatem D. Thomæ, tum 3. p. q. 77. art. 5., tam Quodlibet 9. art. 5. ad 3., quibus in locis tam perspicue tenet opinionem istam, ut aliter exponi vix possit. Nihilominus gravissimè Thomistæ, Capreolus, Cajetanus, Scotus, & alij, quos citat, & sequitur Palancus, & antè citaverat P. Suar. in Comment. illius art. 5. q. 77., negant, eam esse de mente D. Thomæ, variisque conjecturis litteram nimis expressam in aliam sensum trahere conantur: quod verum præculis haberent, cum, nobis multo minus urgentia S. Doctoris verba quandoque interpretantibus, indignantur. Certè nullum D. Thomæ textum magis expressum allegabunt unquam contra sententiam aliquam Scholæ nostræ. Porro D. Thomas loc. cit. opinionem de novâ creatione materiam, ex quâ generetur vermis, commendat ut probabilem; nec oppositam præfert nisi formidolosè, per illa verba, *Melius videtur dicendum &c.* Non ergo invito, aut remente D. Thomâ, prior opinio approbabitur. Et hæc sit prima solutio.



13 Præterea, responderi potest, D. Thomam in casu quæstionis solum negare novæ materiæ creationem, quæ non sit conversiva. Ratio est 1.: quia 3. p. cit. quæst. & art., postquam sententiam nobis obiectam docuit, sequenti art. 6. docet, posse hominem ex Sacramentalibus speciebus nutriri: & ad secundum argumentum, quod sibi objecerat his verbis, *Sicut dicitur 2. de Generationat. ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus, species autem sacramentales sunt accidentia, ex quibus homo non constat, non enim accidens est pars substantiæ*; minime respondet Angelicus Doctor solutione Froylani, quod scilicet quantitas est substantia formaliter & in munere, licet sit accidens materialiter & entitative; sed respondet potius in hæc verba, *Ad 2. dicendum, quod species sacramentales etsi non sint ea, ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur*. Quid clarius contra Froylanum docentem, ut vidimus, contingere posse, ut corpus hominis totum ferè constet ex quantitate sacramentali?

14 Alienum est igitur à mente D. Thomæ, quod species sacramentales ita nutriant, ut ingredientur constitutionem corporis humani: solum que vult S. Doctor, ut convertantur in ea, ex quibus Corpus hominis constat, videlicet in materiæ partes. At ex eis speciebus eadem ratione fit nutritio, quæ generatio vermis, tum quia sic dicitur certa Philosophia, tum quia sic docet idem D. Thomas in corp. art. dicens, *Dicitur est autem* (nempe art. præced.

contra nos allegato) *quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam, quæ ex eis generatur. Per eandem autem rationem possunt converti in corpus humanum, per quam possunt converti in cineres, vel in vermes. Et ideo manifestum est quod nutriunt*: eatenus ergo, juxta D. Thomam, ex eis generatur vermis, non quatenus vermis constet ex ipsis, vel ex ipsarum aliqua, sed quatenus ipsæ convertuntur in ea, ex quibus vermis constat, nimirum in materiam & formam.

15 2.: quia D. Thomas in illo art. 5. q. 77. idè negat materiæ reditum, aut creationem, quia, (inquit) *non rationabiliter videtur dici, quod miraculosè aliquid accidat in hoc sacramento, nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quod materia creetur, aut redeat*. Unde sic arguo 1.: ex ipsa consecratione non est, quod quantitas loco materiæ constituat vermem: hoc ergo juxta D. Thomam, non rationabiliter videtur dici. *Prob. Antec.*: tum quia id esset ponere veluti sequelam unius miraculi, nulli Philosophiæ principio repugnantis, miraculum aliud multò difficilius, & plerisque Catholicis incredibile, imò impossibile, quale est, quod accidens sit pars substantiæ; quod ex duobus actibus, aut formis, accidentali, & substantiali, fiat unum per se; quod quantitas accipiat supernaturaliter potentiam naturalem, ex qua forma substantialis educatur naturali virtute. Tum quia ex consecratione non est, quod quantitas sine subiecto maneat, nisi ad occultandum sub alienâ specie

Cor.

Corpus Christi Domini; hic enim est finis illius miraculi, quo accidentia sine subiecto conservantur: sed ad hunc finem nec est necessaria, nec utilis, continuatio istius miraculi, postquam definit sacramentalis præsentia corporis Domini sub tali quantitate, & multò minus usque ad finem mundi, vel etiam in æternum in corpore glorioso, quod ex Sacramenti speciebus nutritum fuerit: ergo &c.

16 Arguo 2.: ex ipsa consecratione est, quod materia creetur creatione conversivâ: hoc ergo rationabiliter videtur dici, juxta D. Thomam. *Prob. Antec.*: tum quia, ut expressè nos docuit supra S. Doctor, species antea consecratæ, debent postea converti in ea, ex quibus constat substantia, quæ nutritur, aut generatur ex illis. Tum quia ex consecratione est, ut fatentur omnes, quod series corruptionum, & generationum naturalium perinde procedat, ac si substantia panis inibi existeret. Hinc autem sequitur 1., quod ex corruptis accidentibus Eucharisticis debet generari vermis ejusdem speciei, ac generaretur ex pane corrupto, qualis certè non esset vermis quantitate constans loco materiæ.

17 Sequitur 2., quod debet generari ab agentibus naturalibus, quæ certè generare non possunt, nisi ex subiecto naturaliter apto, cuiusmodi est sola materia: quis enim probet, quod agebat Froylan, quantitati dari potentiam naturalem ex suppositione miraculi? Quasi verò miraculum mutaret naturam & essentiam quantitatis; aut posset esse

naturale, quod non est à natura, sed essentialiter pendet à providentia supernaturali. Sequitur 3., quod, quidquid pro vermibus existentia producit, debet esse per actionem conversivam, imitando, quoad fieri potest, generationem ex pane corrupto. Sicut ergo, corrupto pane, quidquid deest ad existentiam vermis, fit per conversionem, ita quoque fieri debet in casu nostro: cumque in casu nostro ad existentiam vermis deest tam materia, quam forma, debet utraque per conversionem fieri ex suppositione consecrationis.

18 Dum igitur negat D. Thomas, ex ipsa consecratione esse, quod materia creetur, aut redeat, excludit reditum, id est, reproductionem antiquæ materiæ panis, quia reproductio rei semel destructæ importat novum miraculum non necessarium: excludit etiam creationem, non omnem, sed eam tantummodo, quæ ita sit ex nihilo, ut non dicat respectum ad terminum à quo positivum, qui proprius est conversionis. Dum autem Quodlibet. 9. art. cit. non approbat, quod destructis speciebus, aliqua materia à Deo ibi provideatur, vel per creationem, vel quocumque alio modo; intelligendus est de quocumque alio modo à conversione distincto.

19 Si quæras, quid sibi velit D. Thomas, dum cit. art. 5. q. 77. 3. p. asserit, quod in ipsa consecratione miraculosè datur quantitati... quod sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc autem (subdit) est proprium materia:



Et idem ex consequenti, datur quantitati omne illud, quod ad materiam pertinet. Et idem quidquid posset generari ex materia panis, vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædictâ quantitate &c. Et in respons. ad 1., quod, quamvis non sit ibi materia, ex qua aliquid generetur, quantitas tamen dimensiva supplet vicem materiae. Et in respons. ad 2. & 3., quod quantitas, licet retineat naturam accidentis, miraculose tamen accipit actum, vlti, & proprietatem substantiæ.

20 Resp. D. Thomas unicè vult, ut quantitas sit primum subiectum, non quidem receptivum formæ substantialis, aut constitutum Compositi (nusquam hoc asserit, imò aperte negat, ut vidimus circa nutritionem); sed conversivum, idest, fundans conversionem. Ratio: quia materia eatenus fundat conversionem naturalem, quatenus præviè recipit qualitates alterantes, ac disponentes ad introductionem novæ formæ, & expulsionem antiquæ: sed prævia huiusmodi alteratio perinde sit ac recipitur in quantitate Eucharisticâ, ac si materia panis esset ibi. Ergo, quoad hoc manus, quantitas est primum subiectum subsequenti formæ, & illi datur omne illud, quod ad materiam pertinet ut præviè disponibilem, seu alterabilem: item, in hoc munere supplet vicem materiae, quamvis materia non sit ibi, scilicet in instanti vel tempore alterationis preparantis: item, ex eâ potest generari, quidquid posset ex materia panis, ly ex denotante subiectum tempore

antecedenti preparatum; nam pro hoc tantum munere accipit actum, vim, & proprietatem substantiæ. Patet interpretatio ex ipso D. Thomâ ibidem in respons. ad 3., ubi docet, ex quantitate fieri, non solum novam substantiam, sed novam accidens; & in utrumque transire quantitatem illam, eo quod habeat vim & proprietatem substantiæ. Certum est autem, novum accidens non fieri ex quantitate ut subiecto constitutivo, neque in hoc sensu quantitatem transire in illud.

21 Itaque ad mentem D. Thomæ productio vermis, quatenus complectitur creationem materiæ, & educationem formæ, quodammodo conversio est: quia vi illius definitur species panis, vel terminus à quo positivus. Talis enim productio ponitur ex intentione occultandi mysterium, & continuandi ferriem generationum juxta exigentiam causarum naturalium, citrà novitatem sensibilem: & prout in his circumstantiis posita, exigit definitionem specierum panis, perinde ac si esset ibi panis corruipendus. Imitatur ergo aliquomodo conversionem panis in vermem. Et quamvis multum differat à conversione omnino naturali, atque etiam à transubstantiatione; & fortassis non sit proprie conversio ex defectu subiecti, vel alterius rei communis utriusque termino à quo, & ad quem: nihilominus dici potest conversio analogicè, ac minus proprie. Certè sic appellatur à D. Thomâ locis cit.; qui potest etiam videri in 4. dist. 12. quest. 1. art. 2.

## Alia responsio confutatur.

22 Hac igitur doctrina rejecta, respondent Palancus cit. q. 13. num. 31. & seqq., & Mansus quest. 14. n. 11., in eâ productione vermis præsupponi materiam tempore præ-existentem, non in se, sed in substituto, videlicet in quantitate Eucharisticâ, quæ materiæ vices gessit in recipiendo alterationem præviã: & hoc sufficere dicunt ad educationem formæ vermis, quamvis hæc tunc fiat in primo instanti productionis aut reproductionis materiæ. Sed verò, cum productio vermis in tali eventu non tangat quantitatem præcedentem, nec ex eâ formam educat, sed eam respiciat quasi circumstantiam extrinsecam, quomodo poterit inde reddi actio essentialiter diversa ab eâ, quæ sine tali circumstantia foret? Deinde, non præexistit verè & proprie, quod solum in substituto præexistit; alioquin proprie diceretur existere substantia panis in Eucharistiâ. Jam ergo dari poterit educio ex materia non verè & proprie præexistente in instanti antecedenti; ac proinde proprie loquendo falsum asseritis. Denique,

illa quantitas solum est vicaria materiæ in munere recipiendi qualitates alterantes: at hoc munus non est essentialiter requisitum ad educationem, quæ, saltem Divinitus, dari potest absque alteratione præviã, ut etiam naturaliter contingit in educatione lucis, & actuum vitalium.

23 Adde, quod alteratio prævia non alio titulo ad educationem requiritur, nisi ut materiam disponat, & ab eâ pellat qualitates contrarias. At in casu nostro alteratio prævia nec materiam disponit, cum in materia non recipiatur; nec ab eâ quidquam expellit, cum nihil præhabuerit materia illa, utpote nunc primò producta. Ergo istiusmodi alteratio, licet suppositâ institutione mysterij per se requiratur ad generationem novi corporis, tamen non requiritur ex indole propria educationis, quæ, dummodo adesset materia pro signo priori creata ex quocumque motivo, foret eadem actio, tamen nulla talis alteratio prævisset. Mitto, quod in quantitate Eucharisticâ nulla præit privatio formæ vermis; ac proinde jam datur Corpus in fieri non principiatum ex privatione.





## DISPUTATIO II.

DE QUIDDITATE, ET EXISTENTIA  
Materiæ primæ.

**N**UNC nobis agendum est ex professo & singularitèr de principijs intrinsicis Corporis naturalis, quæ proxima Disputatione designavimus. Et, remissâ in Metaphysicam Privatione, de quâ interim satis est scire, quod est merum non esse formæ in subjecto capaci, incipimus à primâ basi Entis naturalis, quæ est Materia prima.

## CAP. I.

## AN SIT MATERIA PRIMA?

**N**omine *materia prima* venit apud Peripateticos entitas substantialis, simplex, & incompleta, quæ rerum corporearum primum fundamentum est, & naturalium transmutationum primum subjectum. Hæc entitas subjicitur, sive substernitur alteri substantiæ pariter simplici, & incompletæ, quæ dicitur *forma substantialis*, & quæ compositum substantiale constituit in specie determinatâ, v.g. lapidis, aut arboris, estque prima radix proprietatum, & operationum ejusdem Compositi.

2 Dari in rebus physicis aliquid primum subjectam, quod est indifferens ad quamlibet formam substantialem, ex quo præsupposito generantur corpora cujusque speciei, & quod in eorum interitu remanet; demonstrari solet his argumentis. I. ex quotidianâ transmutatione corporum, quorum alia ex alijs fiunt, ut

cùm ex ligno fit ignis, ex igne cinis; ex cinere terra, &c. In hac enim transmutatione semper ex corpore pereunte remanet aliquid, quod formam novi compositi subinduit, & cui proinde conveniunt omnia munera nuper dicta. Nam, si nihil est commune corporibus corruptis & genitis, ut quid alijs alia succedant quasi hæredum loco? Cur ignis non generatur, nec augetur sine pabulo? Vel cur tantum augetur, quantum lignei pabuli consumit? Huc pertinet analogia mutationum accidentalium: nam eadem aqua v. g. est, quæ de frigidâ transit in calidam, aut è converso. Item analogia rerum artificialium, quæ semper ex materia præsuppositâ fiunt, & in eandem supersubstantiam resolvuntur.

3 2. (& est confirmatio præcedentis) ex nutritione viventium: ubi constat experientiâ evidenti, in primis, quòd alimentum non permanet incorruptum; ut ipsa ciborum decoctio, ac digestio manifestat: deinde, quòd aliquid ex alimentis substantiâ permanet in alito; non enim

enim alio sine cibis esurians, & sumimus: postremò, quòd substantia ex alimento cocto ac digesto remanens, cum vivente unitur, fitque pars ejus, & ab animâ vivificatur; ut constat ex ipso viventium corporum incremento. Hinc autem planè concluditur, in animalium & omnium vegetantium pabulis dari aliquid substantiale, quod modò unius, modò alterius formæ subjectum sit, quod que pereunte uno composito non pereat, sed in alterum transeat. Est autem eadem in cæteris corporibus ratio, ut quisque videt.

4 3. ex interitu hominis, & cujuslibet animantis: ubi materia corporis mortui est eadem, quæ fuerat in vivo, & eadem ipsa varias deinde formas subinduit, ut cum resolvitur cadaver in cineres, aut pulverem. Probatur hoc ex omnium consensu nationum, quæ mortuorum hominum non solum ossa, sed cineres, viventium reliquias esse credunt. Quod autem apud omnes gentes ratum est, censeri debet naturæ dictamen, evidensque lumine naturali. Et quod Christianos attinet, eadem veritas omninò convincitur ex doctrinâ & praxi Ecclesiæ Catholicæ circa reliquias Sanctorum.

5 4. ex pugna perpetuâ naturalium agentium, v. g. ignis & aquæ. Cur enim hæc agentia, se se invicem per qualitates contrarias alterando, pugnant usque ad interitum debilioris, nisi ut subjectum obtineant, ex quo proprios generent effectus? Nullus alius apparet finis, aut fructus tantæ inimicitia. Nam materia compositi succumbentis anihili-

latio non est fructus naturæ impulsu dignus, siquid valet axioma illud, *Nullum agens intendens in malum operatur.* Nec propter angustias loci necessaria semper est destructio unius corporis, ut novum aliud producat, si nihil ex antiquo permanere debet in novo. Sufficit enim, corpus antiquum loco cedere, & aliò migrare, vel se ipsum, aut circumstantem aerem comprimere. Accedit, quòd calor & siccitas, queis lignum alteratur ab igne, si lignum penitus anihilare conantur, directe ac per se tendent in interitum sui, cum eæ qualitates simul cum ligno perire debeant ex defectu subjecti. Nihil autem per se ac directe sibi molitur interitum naturæ ductu.

6 5. (& quasi à priori) ex conditione ipsâ naturalium agentium, & universim omnis causæ creatæ. Nulla quippe causa secunda producit suos effectus ex nihilo: quia productio ex nihilo, est creatio: creare autem solius est virtutis infinitæ, ut certum est Philosophis ac Theologis; qui similiter consentiunt, nulli causæ creatæ vim esse anihilandi quidquam. Hinc illa principia cunctis probata, si de causis secundis intelligantur: *Ex nihilo nihil fit*: & *Nihil in nihilum abit.* Quidquid ergo producitur ab agentibus naturalibus, (ut certum est produci corpus omne, scilicet in sublunare) producitur ex aliquo præsupposito, cui nova forma superadditur; ut etiam quidquid corrumpitur, in aliquid resolvitur, quod amissâ priore formâ permanet. Hoc autem est primum sub-



subjectum, quo de loquimur, vel saltem illud inferri necessarium. Si enim ex alio subjecto non componitur, jam est primum. Si vero componatur ex alio, rogo, an illud aliud presupponat aliud ulterius? Si neges, jam illud erit subjectum primum. Si concedas, iterum atque iterum interrogaberis, donec in aliquo subjecto primo sitas: neque enim in infinitum procedere licet in serie causarum, præsertim materialium.

7 Argumenta hæc satis demonstrant, dari materiam primam secundum notionem primi subjecti, ex quo presupposito res omnis corporea generetur, & in quod postea resolvatur. Quo sensu nemo negavit hætenus materiam primam, nisi unus, aut alter, qui sectatores non habuit, nec habere meruit. Ajebat enim, omne corpus esse simplex, seu non compositum ex materia & forma, ac proinde totum produci, dum generatur, totumque destrui, dum corrumpitur. Ideo autem non produci novum corpus, quin aliud pereat, quia, cum Deus ad initio totum Mundum repleverit corporibus, oportet aliquod eorum de medio tolli, ut aliud ingrediatur. Atque in hoc ipso differre satis generationem à creatione; quia creatio nihil destruit, nec unum ens convertit in aliud: generatio vero semper convertit unam in aliud, quod substituit loco prioris, ac proinde verè dicitur productio ex aliquo presupposito, scilicet tanquam ex termino à quo purè extrinseco: & hinc etiam petendum corruptionis ab anihilatione discrimen.

8 Verum hoc nihil est dicendum. 1. quia sic reipsa conceditur causis secundis virtus creandi; siquidem suos effectus producant ex nihilo totius entitatis, quin aliquod eorum initium, vel fundamentum præcedat. Nec obstat illa imaginaria conversio, vel terminus à quo promissus extrinsecus, nam simile quid accideret, si Deus stitueret producere novam Angelum destruendo simul aliquem ex antiquis; quo casu daretur adhuc vetè & propriè creatio unius, & anihilatio alterius. Adde, quod illa necessitas destruendi prius aliquid propter spatij angustias, non variat modum & indolem productionis: est enim mera circumstantia extrinseca, & accidentaria, quod non possit haberi aliter spatium pro novo corpore locando.

9 Certè, stante hac doctrinâ, si Deus ignem poneret in vacuo, vel si stuppam, quæ destruenda erat ab igne agente, substraheret incorruptam, & poneret extra Mundum, vel si præsentem igne condensaretur cera, seu oleum, & partem spatij præoccupati relinqueret: in his, inquam, casibus posset ignis novum ignem producere, quin aliud corpus destrueret: tunc autem nihil fingi potest, quo talis productio desineret esse creatio. Similiter, si in eodem momento, quo stuppam comburitur, aer circumstantis ita dilatetur, ut rareseat, ut spatium derelictum occupet, necessariò impedit productionem novi ignis; atque ita nullus jam superest prætextus, ne destructio stuppæ dicatur anihilatio, cum nequeat vocari conversio, nec habeat terminum ad quem. Adde

pre-

præterea, quod actio ignis, esto non sit creatio, erit actio creatione fortior: quia, præter laborem producendi ex nihilo, laborat etiam in superando contrarium, quod non sine resistantiâ perit.

10 2. quia urgent adhuc reliqua argumenta supra facta. Urget primum: tum ex analogiâ mutationum accidentalium, & artificialium: tum quia, si combustio ligni, vel alius materiæ, solum tendit ad locum evacuandum, cur ignis inde genitus quodammodo naturam sapit materiæ combustæ, ita ut modò sit densior, modò rariet, &c.? Idque, etiam si antea spatium æquale præoccupaverint materiæ combustibiles, v. g. lignum & pyrius pulvis, vel sulphur & stuppam. Nonne hinc patet, ignem illum constitui ex aliquo rei combustæ, quod nonnullas ex præcedentibus qualitatibus vel retinet, vel imitatur?

11 Urget secundum ex nutritione desumptam; maximè cum etiam nutritio accommodetur, non solum spatio, sed qualitatibus alimentorum. Urget tertium de mortuorum reliquiis. Urget quartum de luctu naturalium agentium usque ad interitum alterutrum. Nam, si præcisè ad evacuandum spatium necessaria esset destructio alienius corporis, quoties unum corpus rarefcit, deberet aliud destruere; quod tamen nemo Phisicus admittat, cum constet, aerem v. g. sæpe ita rarefcere, ut longè majus, quam antea, spatium occupet, quin idèò destruat alia corpora, sed tantum comprimatur, & ad angustius spatium redigatur.

12 Dices: nonne generatio, seu naturalis conversio definitur ab Aristotele *Mutatio totius in totum*. Ita quidem: sed Aristoteles addit, *nullo sensibili remanente ut, subjecto eodem*, significans, manere subjectum aliquod, sed non eodem modo sensibile, quia cum formâ substantiali mutat etiam præcipuas qualitates, quibus fit sensibile. Dices iterum: nonne D. Thomas negat, destructionem substantiæ panis in Eucharistiâ esse anihilationem? Negat quidem: sed, præter quam quod aliter loquantur graves Theologi (quæ videtur quæstio vocalis), in Eucharistiâ manet aliquid destructæ substantiæ proprium, scilicet accidentia panis: at in conversione, quam singis, nihil sive substantiæ, sive accidentis (quod naturaliter migrare non potest de uno subjecto in aliud adæquate distinctum) manet ex corpore destructo.

13 Præterea, quidquid sit de nomine anihilationis, destructio, & conversio à te posita, est opus anihilatione difficilius. Tum quia duplicatum laborem importat, ut supra notabamus in simili. Tum quia transubstantiatio, seu conversio totius substantiæ in aliam substantiam, est opus omnino miraculosum; idèòque in Eucharistiâ pro magno miraculo habetur ab omnibus Catholicis; & ipse D. Thomas 3. p. q. 75. art. 8. miraculum censet creatione majus.

14 Dices demum: Angelus verè producitur ex nihilo, quamvis ex tali nihilo non constituatur intrinseco: ergo præter ignis, verè



produci poterit ex aliquo, licet ex tali aliquo non constituitur. In primis parum curo de voce *ex aliquo*, prout à te accipitur: jam enim supra ostendi, quod ista productio ex aliquo, est quid majus, ac difficilius, quam productio ex nihilo. Deinde probavi quoque, juxta tua principia contingere posse, ut ignis ab alio igne producatur sine ullius rei destructione, ac proinde sine isto *ex aliquo*. Postremo, cum dicitur creatio esse productio ex nihilo, non sumitur *nihilum* categorematicè, seu instar extremi cujuidam, sed sine categorematicè, prout idem sonat, ac *non aliquid*: quare perinde est produci *ex nihilo*, ac *ex nullo subiecto*, vel *ex nulla sui parte presupposita*. Hoc autem omnino propriè verificatur de igne producto in tua hypothese, quantumvis alio sensu dicatur produci *ex aliquo*.

14 Hac igitur doctrinà rejectà, Philosophi omnes veteres, ac moderni stant aliquam rerum semina, vel initia, quæ nec generantur, nec corrumpantur, & ex quibus primis omnia corpora fiant, tamquam ex subiecto subeunte varias rerum facies, ac formas. Cæterum in declarando, quidnam illud sit, mira fuit veterum discordia. Omisissis enim eorum Philosophorum placitis, qui circa primam rerum materiam quasi per ænigmata locuti sunt; alij unum, alij duo ex quatuor Mundi Elementis, alij omnia simul, alij vagas atomos, in primam rerum structione subternunt. Has, & alias veterum opiniones cum suis Authoribus, referunt Co-

nimbricentes in cap. 7. Lib. 1. Physic. quæst. unic., & Eximius Doctor disp. 13. Metaph., ubi simul eas valide confutat. Nunc ijs refellendis non immoramur; cum omnes hodie ab Scholis exulent, omni probabilitate destituta, si duas tantummodo excipias.

15 Quarum altera est, quæ pro materia primâ, imò pro totâ naturalium rerum substantiâ, statuit atomos, vel insensilia corpuscula, ex quibus in varias portiones distractis tota resultat Corporum varietas, per solam varietatem situs, coordinationis, ac plexus, absque aliâ formâ superadditâ; non aliter, ac ex lapidibus, lignis, &c., variè dispositis, varia artis opera fiunt. Sic hodie philosophantur Cartesiani, & Atomistæ, quorum doctrinam fufius expositam, & refutatam habes in Dissertat. præliminari. Altera est, quæ materiam Mixtorum corporum esse dicit quatuor elementa vulgaria, ignem, aerem, aquam, terram, inter se commixta, & temperata. Ita plures, præsertim ex Medicis.

16 Verum hæc opinio, si elementa ipsa concedat esse composita ex materiâ, & formâ substantiali realiter distinctis, non negat materiam primam Peripateticam; talis enim erit materia, ex qua elementa componuntur. An autem Mixtum, præter formam propriam, includat etiam formas elementorum, difficultas est alius loci. Si verò dicta opinio elementa velit esse corpora simplicia: tunc, vel negat in Mixtis formam substantialem absolutam, vel eam agnoscit. Si primam: recur-

rit cum opinione Atomistarum, & ipsdem incommodis subest, impugneturque magis disp. 4., cum formam substantialem probaverimus. Si secundum: elementa ipsa erunt materia prima, quam intendimus, quoad prædicata præcipua, cum sint substantia simplex, incompleta, & primum subiectum omnis Compositi, & formæ substantialis.

17 Nihilominus hæc opinio, etiam sic intellecta, rejici debet: quia elementa non esse corpora simplicia, demonstrant experimenta obvia, de quibus in tract. de Element. Admittenda est igitur materia prima, quæ sit substantia simplex, & incompleta, & non sit aliquod ex corporibus, quæ seorsum existere videmus, & experimur.

## CAP. II.

*Definitur Materia prima: & quædam ejus attributa, ac proprietates explicantur.*

**M**ateriam primam triariam explicat Philosophus. 1. à simili: ait enim cap. 7. hujus libri text. 69., materiam primam ita se habere ad substantiales formas, sicut æs, aut lignum ad artificiales. Nimirum, sicut æs, aut lignum de se est quid rude, & informe, indifferens tamen, ut varias ab arte figuras accipiat, sitque vel statua, vel mensa, vel aliud artefactum: ita materia prima, sicutem sublunaris, de se est informis quædam, & imperfecta substantia, quæ à formis substantialibus, nunc his, nunc illis, perficitur,

evaditque in lapidem, aut aurum, aut plantam, &c.. Hæc tamen analogia quædam est, non identitas, aut similitudo perfecta; cum in multis differant materia & forma naturales ab artificialibus, ut ex dicendis apparebit.

2 à negatione: nam 7. Metaph. cap. 3. text. 8., *Materia*, inquit, *secundum se, non est quid, nec quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur:.. neque utique negationes*. Non est *quid*, id est, non est ens completum, seu compositum substantiale, quod solum Aristotelicâ locutione dicitur absolute *quid*, & *hoc aliquid*. Non est *quantum*, id est, non est quantitas: solet enim Aristoteles, cum de accidentibus loquitur, concreta fumere pro abstractis. Non est *aliquid eorum*, &c.; id est, non est ullum ens eorum, quæ in decem Prædicamentis numerantur; quia neque est ullum accidens, nec substantia Prædicamentalis, cum non nisi substantia completa directe pertineat ad Prædicamentum Substantiæ: vel potius illa verba sic intellege, ut materia non sit ulla forma substantialis, nec accidentalis; nam formæ istæ sunt, quibus ens determinatur ad hanc, aut illam speciem physicam. Denique non est *negationes*, aut privationes istorum entium, quia est entitas positiva.

3 Quamvis autem via negationis non tam explicet, quid res sit, quam quid non sit; juvat tamen quodammodo ad cognitionem rei, præsertim valde imperfectæ: sicut è contrario Deus ob summam perfectionem solet etiam negative



describi, ut cum dicitur non corporeus, non mortalis, non finitus. Idcirco Magn. Augustinus 12. Confess. cap. 3., materiam etiam per remotionem explicans, à Deo se doctum asserit, quòd materia priorì ad formam *Non erat aliquid, non calor, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omnino nihil*: ubi omnia clara sunt, dummodo illud non corpus intelligas juxta descriptiones Corporis in Procemio datas; vel etiam de Corpore trine dimenso; materia quippe secundum se non exigit determinatas dimensiones, quamvis fortè quantitatem radiceret.

4 3. ab affirmatione, seu definitione positivà: sic enim ait cap. 9. hujus Lib. text. 82.: *Materiam dico, quòd rei cujusque subjectum est primum, è quo insito non ex accidenti aliquid oritur, & in quod, si quidpiam interit, ultimum abeat.* Est igitur materia prima primum subjectum cujusque Corporis naturalis, ex quo *insito*, idest, intraneo, & intra Compositum permanenti, fit aliquid *non ex accidenti*, idest, non aliquid accidentale, ut album, sed aliquid per se, sive totum substantiale: atque in hoc subjectum abit, seu definit quidquid interit; est enim incorruptibile, & res varias successivè componit. Hinc orta est vulgaris illa materia primæ definitio, *Primum subjectum, ex quo fit aliquid cum insito primo & per se, & non secundum accidentis.*

5 Sed, quia hæc definitio à Philosophis Corpuseularibus aptatur etiam atomis, aut corpuseu-

lis, non aliam formam expectantibus, nisi coordinationem, situm, & plexum: idè, juxta Systema Peripateticum, clarius definitur materia prima sic: *Substantia incompleta, sive partialis, apta constituere Corpus naturale* (nempe *Totum substantiale corporeum*) *cum alià substantià incompletà, tamquam primum subjectum.* Hæc ultima verba explicant differentiam materiæ primæ à formâ substantiali: cætera discernunt ipsam ab omni accidenti, privatione, & composito.

*In quo stet ratio Subjecti pertinens ad essentiam metaphysicam Materie primæ?*

6 **R**atio dubitandi est duplex. Altera: quòd non illicò appareat cur materia potius, quàm forma, dici debeat subjectum: non enim materia recipit formam, sicut vas aquam; nec eam subinduit, sicut corpus vestem; sed materia formæ, & forma materiæ unitur intrinsicè per intimam communicationem, quæ supponit omnimodam penetrationem localem utriusque; nec minùs propriè materia complet formam, quàm e converso. Cur ergo materia præ formâ subjectum est? Altera dubitandi ratio sumitur à multiplici acceptione *subjecti*.

7 Nam aliud est subjectum puræ denominationis, aliud adhesionis, aliud inhesionis, aliud puræ receptionis, aliud puræ receptionis, aut informationis. Ex his primo & secundo improprie convenit nomen *sub-*

*subjecti*, cæteris propriè. Singula autem sic explicantur. Quamvis omne subjectum sit *denominationis*, quia semper denominationem aliquam à formâ trahit; non tamen est subjectum *puræ denominationis*, nisi illud, in quod aliqua denominatio refunditur à formâ impropria, id est, ab extremo vel non intrinsicè unito, vel non verè distincto, vel aliàs gerente munus subjecti propriè talis. Exempla habes, cum Deus denominatur à cognitione nostrâ cognitus, vel à peccato offensus, vel à propria sapientiâ sapiens; vel cum feritas dicitur leonina, vel intellectus Angelicus. Huc etiam reduci potest subjectum *predicationis*.

8 Subjectum *adhesionis* est, cui aliqua modalis entitas sic adheret, ut tamen non propriè sit ejus complementum, nec ab eo tamquam à causâ materiali pendere possit. Si modus creationis adheret Angelo, & unio hypostatica Verbo Divino. Sed de hujusmodi subjecto alibi ferio redibit. Subjectum *inhesionis* est, quod materialiter causat aliquid accidens, & ab eo intrinsicè afficitur, ut aer respectu lucis. Subjectum *sustentationis* est, quod materialiter causat complementum sui substantiale, cui proinde veluti basis est, & fundamentum præsuppositum, idè, què illud sustentare dicitur, v. g. materia animam equi. Quid sit *causare materialiter*, dicemus disp. 4., & iterum tract. 2. Forma accidentalis etiam à subjecto sustentatur: sed usus obtinuit, ut illius subjectum dicatur *inhesionis*, relicto nomine *sustentationis* subjecto formæ substantialis.

9 Denique subjectum *puræ receptionis, aut informationis*, est, quòd ab alià entitate, quam nullo modo causat, nec sustentat, intrinsicè completur per unionem intimam, ac penetrativam. Sic materia est subjectum animæ rationalis. Sed quia descriptio ista convenit etiam animæ nosræ respectu materiæ, quaeritur, cur hæc præ illa sit *informationis* subjectum? Et quaestio locum habet in quovis composito, sive substantiali, sive accidentali, per unionem intrinsicam formæ, & subjecti constituto: nam in quolibet datur subjectum *receptionis, aut informationis*, quamvis non *puræ*, sed conjunctæ cum *inhesionem* vel *sustentationem*; à quâ tamen præscindi potest subjectum formæ lapidis, vel albedinis v. g., prout *informatam* à tali formâ. Sunt, qui confundant *receptionem* cum *sustentationem*; idè, quæ negent, animam rationalem in corpore *recipi*. Sed communior usus pro eodem accipit *recipere*, & *informari*. Ne tamen de voce litigem, de subjecto *informationis* loquar. Quaeritur ergo conceptus aliquis communis omni subjecto *informationis* per ordinem ad formam, tum substantialem, tum accidentalem.

10 Missis aliis conceptibus, qui varij à varijs proponuntur, hic videtur esse satis aptus: *Entitas in aliquo genere incompleta, potens constituere Totum aliquod per unionem intrinsicam & penetrativam cum altera comparte item incompletà, quæ sit præcipua differentia physica distinctiva Totius resultantis.* Hæc explicatio & convenit omni ac soli



subiecto receptivo, sive informabili, ut inductione patebit: & satis communiter approbatur à nostris Recentioribus quoad sensum, licet quoad verba non nihil differant; ut cum ajunt, formam esse, *que tribuit precipuam denominationem, & insigniora predicata compositi ut talis*; subiectum vero, *quod ea predicata participat ab alia comparte*: item, subiectum esse, *quod operationum compositi principium est magis passivum, quam activum*; formam vero, *que opposito modo se habet*: item, formam esse, *que compositum in esse talis ultimo & precipue determinat, ac denominat*; subiectum vero, *quod non gerit id muneris*. Hæc, inquam, explicationes (quæ semper supponunt partes realiter distinctas, & incompletas) cum nostrâ consonant: quia quidquid attribuunt subiecto & formæ, ex eo provenit, quod forma præ subiecto sit præcipua differentia physica Totius resultantis. Præterea explicatio nostra commendatur 1. ex illo axiomate, *Actus est, qui distinguit*. Cujus sensus est, quod actui, sive formæ convenit esse præcipuum compositi distinctivum: unde ex adverso proprium erit potentia, vel subiecti, vel partis materialis, non ita distinguere compositum.

II Commendatur 2.: quia sic aptè congruit subiecto verbum *recipere*, vel *suscipere*, quod idem sonat, ac *superinductum aliquid continere, esse id cui aliquid donatur, vel in quo aliquid est*: quæ de causâ dicitur forma esse in subiecto, non subiectum in formâ; anima in corpore, non corpus in anima; lux in

aère, non aër in luce. Congruit, inquam, aptè: quia forma est quasi tessera, vel character compositi: tessera autem, symbolum, insigne, character, aut nota, per se ordinantur, ut sint in aliquo, ei que tribuantur, non è converso. Congruit item subiecto *informari, & actuari*, id est physice perfici, determinari, ac figi in aliquâ certâ specie entis compositi, & specialiore eus denominationem subire: hoc enim præstat semper alteri comparti pars illa, quæ est præcipua differentia physica Totius; ut etiam in materiâ & formâ metaphisicis, id est, in genere & differentiâ, conspicitur. Congruit denique verbum *subjici*: quia præcipua differentia quodammodo prædominatur, saltem in ordine ad denominandum, & ad mensurandum indolem, & perfectionem compositi, vel concreti ut talis. Atque ex hujusmodi subiectione ac prædominio provenit, quod forma dicatur *pars formalis*, subiectum vero *pars materialis*.

12 Sed *objic.* 1.: in hoc Toto *Christus* præcipuum distinctivum est Verbum Divinum; quod tamen non est forma. *Resp.*: Verbo non convenit explicatio nostra, ut quæ exigit ad rationem formæ, ut sit entitas incompleta: Verbum quippe nullam habet incompletionem. Est tamen Verbum eminenter forma, quatenus eminentiori modo supplet absentiam subsistentiæ creatæ. Hinc Humanitas non est subiectum Verbi; quia subiectum ut tale dicit ordinem ad compartem aliam incompletam.

13 *Objic.* 2.: possibilis est materia prima, ex se determinata ad uni-

unicam formarum speciem, qualis à multis censetur materia cœlestis: talis autem materia foret distinctiva sui compositi, sicut forma; cum tamen verè subiectum esset informabile. *Resp.*: ejusmodi materia foret quidem distinctiva compositi, sed non per modum præcipuæ differentia physica: semper enim præcipue attendenda esset forma ad dignoscendam indolem, & naturam Totius. Unde, si materiæ cœlesti (datâ illa sententiâ) per possibile vel impossibile uniretur forma terræ, compositum inde resultans magis censetur terra, quàm cœlum: & è converso, si terrestri materiæ uniretur forma cœlestis.

14 *Objic.* 3.: subiectum in compositis accidentalibus frequenter est pars nobilior, & præcipua, v. g. rationalis anima nobilior est intellectu, quam recipit ut formam. *Confirm.*: hæc concreta, *lac album*, *nix alba*, inter se differunt, non per formas, sed per subiecta. *Resp.*: non intendimus, ut forma semper sit pars entitative præcipua, sed solum ut sit præcipua differentia, sive id, ex quo præcipue sumitur discrimen unius compositi ab aliis. Hoc autem discrimen, imò & nobilitas compositi ut talis, semper desumitur à formâ, licet accidentalis sit, & ignobilior subiecto: ideoque, si homo intelligat clariùs, quàm Angelus, denominatio *intelligentis* perfectior erit in homine, quam in Angelo: & ejusdem speciei erit in utroque, si præstetur ab intellectuibus ejusdem speciei. Ad *Confirm.*: *lac*, & *nix*, differunt quidem; prout

sunt composita substantialia, sed non prout subiecta sunt denominationis *album*, si albedo sit ejusdem intensio: ad hoc enim munus de materiali se habet diversitas intrinseca subiectorum.

15 Ex dictis inferes, non esse de ratione propria subiecti ut informabilis, saltem prout præseidentis à composito substantiali, & accidentali, 1., quod sit indifferens ad formas specie diversas: nam hoc etiam convenit quibusdam formis, ut Gratia, quæ de se indifferens est ad hominem aut Angelum: & præterea potest dari subiectum non ita indifferens, ut materia cœlestis juxta plures. 2., nec quod prioritatem habeat respectu formæ, saltem in prævisione Divinâ, ut corpus respectu animæ rationalis: nam præsciudendo à prioritate, salvari potest ratio propria formæ, & subiecti *informationis*, ex dictis: neque est cur repugnent forma & materia sic inter se commensurata, ut in eodem signo concreari debeant.

16 3., nec quod subiectum nullatenus denominet, sed denominetur, nec perficiat, sed perficiatur: nam etiam materia formam denominat *completam*, & eam perficit, quatenus eam in statu sibi bono & conaturali esse facit; & formæ accidentales plerumque videntur magis perfici à subiecto, quàm illud perficere: quamquam, si sermo sit de perfectione propria & specificâ compositi ut talis, semper ea provenit vel unice, vel magis à formâ, quàm à subiecto. 4., nec quod subiectum sit aut esse possit subiectum sustentativum, seu materialis causa formæ, vel sal-



tem unionis : tum quia ex dictis, præscindendo a causalitate materiali, & a potentia ad illam, intelligi potest ratio subjecti receptivi, sive informabilis : tum quia, si unio humana crearetur, materia foret subjectum informationis, quin materialiter causaret formam, nec unionem. Dices, ideo fore, quia, licet non causaret unionem, adhuc posset & connaturaliter deberet illam causare.

17 Sed contra 1. : quia, si potest exerceri potentia informabilis, quin exerceatur potentia sustentativa propria causæ materialis, signum est, quod altera formaliter distinguitur, & præscindi potest ab altera. Sic in homine potentia intellectiva præscinditur à volitiva, quia potest homo acta intelligere, quin actu velit. Sic etiam in materia potentia recipiendi dispositiones accidentales non est formaliter potentia recipiendi substantialem formam, quia potest hæc sine illa saltem Divinitas exerceri. Et generatim, ubi dantur exercitia linearum diversæ, & realiter separabilia (cujusmodi sunt exercitia informationis, & sustentationis), potentias arguunt formaliter distinctas. Contra 2. : quia non est unde repugnet compositam, cuius non solum forma, sed etiam unio creari debeat, vel à forma sustentari connaturaliter.

18 Jam verò, ut ad materiam primam redeamus, ad illam contrahitur communis ratio *subjecti*, tum *sustentationis*, tum *informationis* ( ut nunc omittamus rationem *subjecti inhesionis*, quæ etiam illi

convenit respectu accidentium ) per rationem *subjecti primi*, seu non supponentis aliud, nec ex eo constituti. Et, ut ad Dubium propositum n. 6. respondeam, assero, *ad essentiam metaphysicam materie primæ pertinere rationem primi subjecti informationis in composito substantiali, tamquam differentiam primariam, & specificam.* Itaque materia prima, saltem sublanaris, quæ de facto datur, verè est subjectum generationis compositi, quatenus est subjectum sustentativum vel formæ, vel saltem unionis: verè item est tempore, vel natura prior, saltem unionem, quoties compositum generatur: est item *subjectam inhesionis* accidentiam: est etiam indifferens ad varias formas: est demum pars entitative imperfectior, magisque perfectibilis, quam perficiens. Verum hæc solum pertinent ad essentiam physicam materie, tanquam prædicata secundaria, seu proprietates metaphysicæ. Primaria verò, & specifica differentia stat in ratione subjecti propositæ.

16 De cæteris nunc enumeratis non est dubium. De ratione subjecti receptivi, & sustentativi unionis substantialis, dissentit cum alijs P. Peynado hic disp. 2. sect. 2., in eâ statuens differentiam essentialem materie à formâ. Sed contra hoc Assertio nostra probatur: quia ratio subjecti *informationis* in primis discernit materiam à formâ: nam, licet materia præscindatur ab omni alio munere, seu potentia, non convenit cum formâ in esse *informabilis*. Deinde explicat immediatum ordi-

nem ad compositum, cum idem formalissimè sit materiam *informari*, & *constituere* compositum: hic autem ordo primarius est in materia, utpote quæ propter compositum intrinsicè constituendum tota est.

20 Explicatur, & urgetur: potest in materia præscindi potentia informabilis à potentia sustentativa unionis, ut nuper vidimus, & fateatur P. Peynado n. 27.; potestque realiter inveniri exercitium informationis sine exercitio sustentationis, ut concedit P. Peynado pro casu, quo unio humana crearetur. At pro tali casu, præscindendo à potentia sustentativa, materia verè differt à formâ per illud exercitium, & per potentiam ad illud, ut videtur evidens; nam qualitercumque explicetur subjectum *informationis*, in homine solum corpus informatur, & sola anima informat: ergo potentia informabilis satis discernit materiam à formâ. Aliunde est potentia principalior, quam sustentativa, cum immediatius respiciat compositum, & hoc sine illa & ejus exercitio nunquam possit intelligi, possit autem aliquando sine exercitio sustentativæ, ut in casu dicto. Nihil igitur deest, ut sit formalitas differentialis primaria & specifica.

21 Sed *objic.* P. Peynado: materia, juxta Aristotel., est *Primum subjectum*, ex quo fit aliquid, nempe compositum: verbum autem *fit* non denotat præcise, quod materia sit pars intrinseca compositi, nam id ipsum æquè convenit formæ: denotat ergo, quod compositum ex materia generetur. Sed compositum

non aliter ex materia perpetuò generatur, nisi ratione unionis, siquidem materia ipsa nunquam generatur, & forma non semper, ut patet in homine. Ergo materia eatenus est id, ex quo fit compositum, quatenus est subjectum, ex quo unio generatur, seu educitur, & in quo proinde recipitur, ut in subjecto sustentationis. *Confirm.* 1. : quia Philosophi cum Aristotele sæpe materiam, ut à forma distinctam, appellant *subjectum generationis Totius*, quasi hoc sit notissimum ejus prædicatum. *Confirm.* 2. : quia voces *subjectum*, & *subjeci*, dum materie applicantur, sonant subjectionem passivam & sustentativam: ait enim Aristotel. 2. de Gener. text. 53., *Pati, & moveri, materia est.*

22 *Resp.* ad *objec.* Verbum *fit* in definitione Aristotelicâ idem sonat, ac *constituitur*, sive *componitur*: quod quidem fateor convenire pariter formæ: sed nego, quod per illud explicetur differentia materie à formâ: hæc quippe differentia denotatur per illa verba *Primum subjectum*, quæ alioquin superflua forent, si ratio subjecti exprimeretur per verbum *fit*. Sensus ergo definitionis est, materiam esse id, *ex quo tamquam ex primo subjecto constituitur compositum*. Superest dubium, de qua ratione *subjecti* sermo sit: & nos dicimus esse de subjecto *informationis*; quod non impugnat Peynado.

23 Ad 1. *confirm.*: fateor, illud esse prædicatum materie notissimum quoad nos, qui materiam primam quasi à posteriori primum novimus ex naturali rerum trans-



mutatione. Sed hoc non probat, esse prædicatum præcipuum, & primarium: nam etiam materia passim appellatur à Philosophis *Principium corruptionis*; & Aristoteles in descriptione, quam dedimus num. 4., materiam dicit esse *subjectum*, in quod si quidpiam interit, ultimum abit: imò videtur hoc esse prædicatum omnium notissimum; nihil enim de materia magis novimus, quam quòd sit aliquid residuum ex interitu & corruptione rerum: & tamen nemo dicit, hoc esse prædicatum materiæ primarium, ac differentiale. Ad 2. *Confirm.*: illæ voces possunt quidem sonare subjectionem passivam & sustentativam; sed non necessariò, nec primariò, dum materiæ applicantur; tunc enim, nisi aliud constet, præferenda est subiectio informabilitatis. Est etiam materiæ proprium *pati* & *moveri* per generationem; sed non est differentia ejus specifica.

*An potentia immediatè receptiva forma distinguatur à materiâ primâ?*

24 **Q**uidquid est propriè subjectum, & compositi pars materialis, eo ipso potentiam habet formæ receptivam (hoc nomine præcipuè intelligo potentiam informabilem): quare materiæ sine dubio convenit ejusmodi potentia. Sed Authores aliqui voluerunt, materiam ex se solum esse potentiam radicalem, & remotam, exigereque, & radicare potentiam aliam realiter distinctam, per quam

formas recipiat. Verum, quòd materia per se ipsam potentia sit immediate receptiva formæ, communiter asseritur in omni Scholâ. Quàmvis enim materia per dispositiones accidentales constituatur proximè potens formam recipere, & sine illis dicitur tantum remotè potens; quia tamen dispositiones istæ sunt mera conditio & præparatio *sine quâ non*, & non mediant per modum potentie vel subiecti unibilis ad formam; ideo non tollunt ab entitate materiæ immeditationem potentie receptivæ. Sic ignis non dicitur proximè potens comburere lignum, nisi habeat applicationem localem; quæ tamen non est potentia, seu virtus combustiva, sed mera conditio.

25 Probatur ergo breviter communis sententia: quia ex actu & potentia fit unum per se, sive compositum substantiale, quia aliud extremum requiratur, ut omnibus est in confesso: sed unum per se non fit sine entitatibus formæ & materiæ, ut etiam est certum: ergo entitates istæ sunt per se ipsas, altera actus, altera potentia: & sicut forma est actus immediatè informativus, ut nemo dubitat, ita materia est potentia immediatè receptiva, & informabilis. Certè, non minus materia definitur per rationem *potentia*, vel (quod idem est) *subiecti*, quam forma per rationem *actus*; & unaquæque ad alteram æquè ordinatur ut incompleta in suo genere: cur ergo magis identificabitur cum formâ ratio *actus*, quam cum materiâ ratio *potentia*?

26 *Confirm.* 1. : potentia

realiter superaddita, vel recipitur in materia, vel non? Si primum: jam ergo materia per se ipsam est potentia immediatè receptiva illius potentie superadditæ: quo posito, nulla ratio superest negandi, quòd per se ipsam sit immediatè receptiva formæ. Si secundum: ergo talis potentia superaddita, reipsâ est primum subjectum, & materia prima. *Confirm.* 2.: potentia superaddita nequit esse substantia: tum quia foret alioquin forma substantialis, siquidem in materiâ reciperetur; vel si non reciperetur, foret materia prima, ut modò dixi: tum quia, cum esset immediatum extremum unionis ad formam, pertineret ad essentiam compositi, quod proinde, præter materiam, formam, & unionem, aliam substantiam includeret. Aliunde nequit esse accidens: quia deberet constituere substantiale compositum, ut nunc ajebam; & *Ex non substantijs nequit fieri substantia*, juxta Aristotelem, cui omnes consentiunt.

27 Probationes istæ præcipuè respiciunt potentiam informabilem, seu immediatè unibilem cum formâ. De potentia autem sustentativâ, ex quâ educuntur formæ substantiales, quis dubitet? Sanè potentia hæc non est accidens: non enim accidenti convenit sustentare substantiam, sed è converso. Si autem dicatur esse potentia substantialis realiter distincta à materiâ; erit quædam substantialis forma, quam materia recipit, ac sustentat: & cur materia non idem præstet erga cæteras formas? Vel, si non recipitur in materiâ, potentia illa erit *primum sub-*

*jectum generationis compositi*, quòd est nomen proprium materiæ primæ.

28 **O**bjectiones, quæ hic fieri solent, facile solves, si notes sequentia. 1. : licet potentia receptiva dicat ordinem, imò sit ordo ad formam, non ideo est relatio prædicamentalis, sed solum transcendentalis; & hæc cum re absolutâ identificari potest, ut patet in formâ, quæ etiam per semetipsam ordinatur ad materiam. Item, non omnis potentia pertinet ad Prædicamentum qualitatis, sed illa tantum, quam aliunde constet esse accidens, & à quantitate distingui. 2. : potentia materiæ non deficit, nec variatur entitative sumpta: quàmvis enim materia, dum formam actu possidet, jam non dicitur esse *in potentia* ad illam, quia locutio hæc connotat privationem; potentiam tamen absdubiò retinet; sicut qui ambulat, retinet potentiam deambulandi. Nec ad formas destructas, licet naturaliter irreproducibiles, amittit materia potentiam, quam habebat: quia potentia ista vel solum respiciebat eas formas secundum se, vel nonnisi sub conditione, quòd destructæ non essent. Item, licet materia per unam formam sit impedita ad alias, verè tamen est potens ad illas in sensu diviso; nec tunc dicitur *remotè* potens ex defectu potentie immediatæ, sed tantum ex defectu dispositionum, ex n. 24.

29 3. : quàmvis causa activa fortassis agat per potentias accidentales à se distinctas, non eadem est ratio in causâ passivâ formæ substantialis: quia hujus causæ potentia debet sustentare substantiam, &



constituere unum per se substantiale. Unde constat etiam si paritas ad potentiam receptivam qualitatum, si materia non eas recipiat immediate, sed in eis habet quantitatem, ut communiter asseritur.

*An eadem potentia sit etiam de quidditate metaphysica materiae primae?*

30 **S**ed quia adhuc, an potentia receptiva, sive informabilis, non solum realiter identificetur cum materia, sed pertineat etiam ad ejus essentiam metaphysicam? Affirmo cum communi sententia Nostrorum, & Thomistarum contra Scotistas, quos citat, & sequitur Maffrius hic disp. 2. q. 5. art. 5. *Prob.* Differentia essentialis & metaphysica materiae primae consistit in ratione primi subjecti ut informabilis. Constat hoc, tum ex definitione materiae primae; tum quia non aliud est predicatum primum, quo materia differat a forma pro omni eventu, & sub quo cumque composito consideretur, ut vidimus a n. 18. ad 20. Atqui ratio ista primi subjecti est formaliter potentia receptiva, sive informabilis: ergo &c. *Prob. Mix.* quia talis potentia nihil est aliud, quam aptitudo materiae, ut uniatur formae tamquam praecipue differentiae physicae Totius: haec autem aptitudo est de conceptu formalissimo primi subjecti *informationis*, ut supra vidimus. Huc etiam facit paritas formae, cujus ad essentiam pertinet ratio *actus*.

31 Dices ex Maffrio, satis differre materiam a forma ex eo,

quod fiat *principia exigentia aptitudinis ad aliud constituendum, una per modum partis potentialis, & alia actualis*. Sed contra est, quod juxta Maffrium, unio substantialis non fit inter eas aptitudines formaliter superadditas, sed immediate inter essentias materiae, & formae: ergo essentiae istae per se ipsas sunt immediate unibiles, atque adeo immediate per se ipsas aptae ut uniantur. Consequentia videtur evidens: implicat enim immediate uniri, nisi quod est immediate unibile, seu immediate aptum ut uniatur: sicut implicat immediate videri, quod non est immediate visibile, & aptum ut videatur. Atqui tales essentiae non immediate uniantur, nisi per modum subjecti & formae, ut nemo dubitat: ergo per se ipsas habent aptitudines characteristicas subjecti & formae, quas aptitudines appellamus *potentiam & actum*.

32 Urgetur: compositum, juxta omnes, essentialiter constituitur ex actu & potentia: sed non constituitur, nisi ex extremis unionis substantialis: ergo actus & potentia sunt extrema talis unionis. At ejusmodi extrema non sunt, nisi essentiae formae & materiae, juxta Maffrium: ergo essentiae istae sunt formaliter actus & potentia. Certè nemo dicit, compositum fieri ex *principiis exigentibus potentiae*, & actus, sed ex *ipsis actu & potentia*.

33 Duo obicit Maffrius. 1. quod essentia materiae est quid absolutum, potentia autem est quid respectivum: sed absolutam prius intelligitur, quam relativam: prius ergo

debet intelligi materia constituta in se per sua essentialia predicata, quam intelligatur potens recipere formam.

2. quod aptitudo in universum supponit rem, cujus est, in suo esse quidditativo constitutam, & ab ea fluere, & manare dicitur. Sed instatur utrumque. 1. in immediatam unibilitatem, quae pariter est quid respectivum, veraque aptitudo; & tamen est ipsa essentia materiae. 2. in conceptu entitatis partialis, qui formaliter imbibit respectum aptitudinis ad aliam partem, & ad Totum; & tamen est de quidditate materiae, juxta Maffrium. 3. in potentia remota, seu aptitudine radicali, exigente potentiam proximam formaliter distinctam: nam illa quoque respectiva est, & aptitudo est. Negat Maffrius, quod sit aptitudo positiva; quia potentia proxima est idem realiter cum essentia materiae; nihil autem dicitur esse in potentia ad se ipsum, vel capax sui ipsius. Sed hoc est confundere sensum formalem cum reali. Essentia materiae, juxta Maffrium, in sensu formali distinguitur a potentia proxima: ergo potest sic concipi talis essentia positive capax potentiae proximae, quia concipitur capax sui ipsius. Similiter verum est, quod nihil est potentia remota & radicalis ad se, nec principium exigitivum sui: & nihilominus haec praedicata tribuit Maffrius quidditati materiae relatu ad potentiam proximam. Nec dici potest, quod illa potentia remota est mera non repugnantia, & capacitas praecisiva; cum hoc enim minime coharet *radicare, exigere*, ac *reddere sibi debi-*

tam potentiam proximam; quae manere concedit Maffrius potentiae remotae.

34 Præterea *resp. ad 1.*: tam essentia materiae, quam ejus potentia, est quid absolutum, prout absolutum contraponitur modali, & relativo praedicamentali; & simul utraque est quid relativum transcendentaliter. Unde non debet altera alteram praesupponere. *Ad 2.* negatur assertum: quia plura sunt, quorum esse quidditativum in aptitudine ipsa consistit; ut nominatum patet in instantiis adductis. *Replie.*: absolutum est formaliter ad se; relatio autem, etiam transcendentalis, est habitudo ad aliud: sed implicat, quod idem formaliter sit ad se, & ad aliud; quia esset ad se & non ad se, ad aliud & non ad aliud: ergo &c. Verum hoc probat distinctionem realem materiae a sua potentia; ne alioquin materia in sensu reali sit ad se & non ad se, ad aliud & non ad aliud. Deinde redeunt instantiæ nuper adductæ.

35 Præterea nullam ens creatum ita est absolutum, ut excludat respectum transcendentalem: nam saltem debet esse formaliter ens *ab alio*; & *absolutus* est formaliter respectus ad primam Causam. Nullum ergo est ad se, *absolutus* excludente habitudinem transcendentalem. Denique materia non aliter dicitur esse ad se, nisi 1. *absolute* opposita modalitati, & praedicamentali respectui: 2. *absolute* commoditatis, quia per habitudinem ad formam procurat formaliter suum commodum: 3. *absolute* per seipsum, propria sub-



tantia, quia est pars compositi per se subsistentis. At adseitates istae sunt imbibitae formaliter in ordine ipso transcendentali primi subjecti ad formam, & compositum; ut patebit consideranti.

36 Haecenus de potentia materiae ut informabilis. De potentia vero sustentativa tum accidentium, tum formae substantialis educibilis, vel unionis, dicendum est, identificari quidem realiter cum materia, sed esse proprietates metaphysicas, seu praedicata tantum secundaria, non pertinentia ad quidditatem ejus specificam. Ratio est, quia praescindendo a potentijs hisce, potest intelligi quidditas propria materiae, & munus primi subjecti ut distincti a forma, ut supra ostendimus, praesertim num. 20.

*Quaedam alia attributa, & proprietates Materie primae.*

37 **E**X hucusque dictis colligitur 1. materiam primam esse substantiam (& quidem non modalem, sed absolutam; alioquin eadem materia non esset indifferens ad varias formas): tum quia constituit intrinsicè compositum substantiale: tum quia, si esset accidens, in subjecto reciperetur, & non foret ipsa primum subjectum. 2. esse substantiam simplicem, idest, non compositam ex forma & subjecto; alioquin non esset primum principium. Hoc tamen non prohibet esse compositam integraliter ex particulis continuativè extensis, seu non penetratis in eodem lo-

co (more particularum hujus papyri), quarum in qualibet salvari potest essentia materiae. 3. esse substantiam incompletam, idest, intrinsicè ordinatam ad constituendum Totum cum alia comparte substantiali.

38 4. esse ingenerabilem, & incorruptibilem: quia generatio est *productio rei ex praesupposito subjecto*; corruptio vero, *desitio rei permanente subjecto*: quarum neutra locum habet in entitate simplici, quae primum subjectum est; ut per se patet. Est ergo materia prima solum creabilis, seu per creationem producibilis a solo Deo. Est item a Deo creata, non ab aeterno, sed in tempore, sive initio temporis, ut Fides docet: & quidem ab ortu Mundi creata fuit tota, quanta est in rebus; si illam excipias, quae ad novas ex corruptis Eucharistiae speciebus generationes denuò creatur. Est demum anihilabilis, non quidem a causis creatis, quae non possunt qui Iquam anihilare; sed a solo Deo suspendente concursum creativum. Quia tamen Deus nullam substantiam destruit, juxta Providentiam ordinariam, nisi ad exigentiam alterius rei; & nulla res exigit defectum materiae, utpotè quae nulli nocet, sed omnibus se subicit, & omnia complectitur: idcirco materia censetur naturaliter inanihilabilis, & aeterna a parte post.

39 5. esse substantiam corpoream; quia est prima basis, & fundamentum Corporis naturalis, & non potest naturaliter a quantitate separari. 6. esse puram potentiam in li-

linea physica: quia nullum aeternum physicè informativum secum identificant; alioquin non differret ab omni forma per suum conceptum specificum. Sed de celebri attributo *purae potentiae* inferius sermo redibit. 7. esse principium passivum, idest, subjectum *inhabitionis*, & *sustentationis*: quas proprietates materiae simul cum alijs indicavimus supra n. 18.

40 Nunc addimus, ita esse principium passivum, ut ferè non sit activum. Tum quia rerum naturalium activitas provenit a formis, cum pro varietate ipsarum varietur. Tum quia, si materia concurreret activè ad operationes compositorum, quae successivè subintrat, nimis extenderetur ejus activitas, essetque major, quam formae cujuslibet; quod omnibus absurdum est. Nihilominus materia radicat quantitatem in sententia satis probabili, nec non propriam subsistentiam: causat item suam ubicationem, atque etiam durationem, si haec in modo superaddito consistat. Sed quia causalitates hujusmodi non tam dicuntur actiones, quam emanationes, aut resultantiae; idè diximus materiam ferè non esse activam.

41 8. esse substantiam valde imperfectam: quod colligitur, tum ex defectu activitatis; tum quia praecipua, & nobiliora praedicata compositorum clarè proveniunt a formis, quibus deficientibus, aut variantur. Idcirco ab antiquis vocatur *fax substantiarum*, *umbra*, *tenebrae*, *chaos*, *informitas*, *non-ens*: quae tamen, & alia hujusmodi, hy-

perbolicè sunt intelligenda; cum ex dictis constet, materiam esse entitatem positivam substantialem. Cautius S. Augustinus, cum saepe materiam appellet *propè nihil*, simul advertit, *non esse omninò nihil*.

42 Nec solum est quid positivum, sed etiam quid perfectius quolibet accidenti, saltem materiali. Est enim in genere substantiae absoluta, licet forsan in gradu infimo: quare vincere debet ea, quae sunt generis accidentalis, utpote inferioris, juxta illud axioma, *Supremum infimi non attingit infimum supremi*. Nec obstat, quòd accidens sit *actus*, & materia sit *pura potentia*: quia & ibi ratio *actus* deprimitur per additum *accidentalis*; & hic ratio *potentiae* extollitur per additum *substantialis*, nec expers est omnis actualitatis, ut citò videbimus. Dum autem S. Augustinus 12. Confes. cap. 7. materiam vocat *propè nihil*, & id, *quo inferius nihil est*; loquitur, non intra genus entis ut sic, sed intra genus substantiae absolutae. An materia perfectione cedat omni formae substantiali, dicemus inferius.

43 Denique materia dici solet *unicum principium mutationis*, seu *generationis*, & *corruptionis*: quo non aliud significatur, nisi quòd inter partes compositi constitutivas sola materia est, quae, propter suam aptitudinem & indifferentiam ad varias formas, aditum sponte aperit dispositionibus contrarijs, quibus paratur nova generatio, & praehabita formae corruptio. Unde modò dicitur *formarum mater*, & *commune gremium*; modò *noverca*, & *adultera*



ra. Ex in licatis hactenus attributis & proprietatibus constat, quam immerito Cartesiani, & Atomistæ materiam primam Peripateticam dicant esse merum spectrum, imaginarium, & phantasticum, vel esse quid purè metaphysicum, & abstractum, cujus nulla datur explicatio physica.

44 Nunc pro terminorum usu notabis sequentia. 1. Materia, quæ de loquimur, vocatur *permanens*, & *intrinsicæ*, ad discrimen materię *transseuntis*, & *extrinsicæ*, quo nomine intelligitur compositum præexistens, ex quo pereunte fit aliud, ut ignis ex ligno. 2. Vocatur etiam materia *prima*, ad discrimen materię artefactorum, quæ dicitur materia *secunda*. Totum compositum dicitur quoque materia *secunda* respectu accidentium, maximè si hæc in toto composito recipiantur. 3. Materia, alia dicitur *ex quâ*, alia *in quâ*, alia *circa quam*: quæ divisio non tam plures materias denotat, quam plura ejusdem manera: nam in physicis eadem materia est, *ex quâ* fit compositum, *in quâ* recipitur forma, & *circa quam* operantur agentia naturalia.

An, & quatenus Materia prima sit cognoscibilis?

45 **C**ognoscibilitas idem est, ac veritas transcendentalis, quæ, cum sit passio entis, non potest non competere materię primæ, utpotè veræ entitati. Quare materia cognoscibilis est quidditivè, & intuitivè

ab Angelo, & maximè à Deo, qui non posset illam creare, nisi clare, ac distinctè præcognitam. A nobis etiam cognoscibilis est, abstractivè quidem, sed tamen directè, idest, conceptibus terminatis ad materiam ipsam, tanquam ad objectum proprium, ac verificativum: nec enim aliò tendunt conceptus hucusque recensiti circà essentiam & attributa materię. Nec obstat, quòd à nobis pro hoc statu cognoscatur per species, non proprias, sed habitas ex accidentibus, quæ sentimus. Nam id ipsum nobis accidit in cognitione substantiæ cujuscumque, solumque probat, cognitionem esse abstractivam.

46 Nec item obstat, quòd materia sit essentialiter relativa, ideòque non possit cognosci, nisi relatè ad formam. Nam aliud est, quòd relativum non cognoscatur sine termino relationis; aliud, quòd non cognoscatur verè ac directè: imò tunc verè cognoscitur sicuti est, cum cognoscitur in ordine ad terminum. Quid ergo (inquis) sibi volunt Aristoteles, D. Thomas, & alij, dum ajunt, materiam non esse cognoscibilem ratione sui, sed tantum per formam? Sanè D. Thomas 1. p. q. 15. ar. 3. ad 3., *Materia*, inquit, *secundum se*, *neque esse habet*, *neque cognoscibilis est*. Ibi quoque negat, quòd materia habeat ideam in Deo aliam ab ideâ compositi. Et D. Augustinus 12. Confes. cap. 5. suadet, ut humana cogitatio conetur materiam *vel nosse ignorando*, *vel ignorare noscendo*.

47 *Resp.* Dum materia dici-

citur incognoscibilis secundum se, aut ratione sui, sensus est exclusivus; quasi dicatur, *ratione sui solius*, vel *secundum se solam*. Nam, cum ejus essentia, & differentia metaphysica, consistat in respectu transcendentali ad formam, ut supra ostendimus contra Scotistas; nunquam potest cognosci, etiam ab Angelo, vel à Deo, cum præcisione à tali respectu, ac proinde sine cognitione formæ, tanquam termini relationis. Fateor, ideam esse dicendum de formâ, quando cognoscitur sub ratione *actus*: sed quia forma potest etiam cognosci sub conceptu *primæ radicis* proprietatum & operationum compositi (qui conceptus etiam est formæ proprius, & non explicat respectum ad materiam); potior est ratio, ut materia dicatur tantum cognoscibilis per formam, tanquam per terminum relationis, quam è converso.

48 Est & alia ratio, cur materia dicatur non cognoscibilis quoad nos, nisi per formam: quia conceptum specificum ac discretivum de materia formare non possumus, nisi formam omnem removendo; neque enim aliter explicabilis est conceptus *primi subjecti infirmabilis*, vel *pura potentia receptiva*, ut patet ex supra dictis: debet ergo prius aliquomodo concipi forma, ut deinde per remotionem ejus cognoscatur materia. Atque hoc intendit D. Augustinus verbis allegatis, suadens, ut materia noscatur *ignorando*, idest, cogitatione removendo formam; & ignoretur *nascendo*, idest, non cogitetur materia esse objectam illud, quòd noscitur esse forma. Unde cit-

Lib. cap. 6. sic ait: *Suadet verè ratio, ut omnis forma qualescumque reliquias omnino detraherem, si vellem prorsus informe cogitare*. Et Lib. de Natur. boni cap. 18. dicit, *Materiam per nullam speciem, sed per privationem omnis speciei cogitari vix posse*. Ideam materię non negat D. Thomas, sed vult, ut non sit distincta ab ideâ compositi; quia sentit, non aliam esse in Deo ideam Totius, & ideam partium, quando hæc non possunt naturaliter existere seorsum. Videatur S. Doctor q. 3. de Verit. ar. 5.

### CAP. III.

Utrum Materia prima propriam existentiam habeat?

**E**xistentia vocatur illa realitas, per quam res quilibet formaliter & ultimò discernitur à nihilo, & à re pure possibili; vel, quòd eodem redit, per quam formaliter ponitur extra suas causas, per quam actualiter est in rerum naturâ, seu per quam immediate & propriè verificat verbum *est*: unde pro eodem accipitur *esse rei*, & *existentia rei*. Quòd materia prima verè existat, dum compositum actualiter constituit, non est dubium. An verò existat per existentiam partialem sibi propriam, distinctamque ab existentia formæ, famosa quæstio est inter Thomistas, & reliquos Philosophos. Nam Thomistæ contendunt, materiam ex se nullam habere existentiam, sed existere in composito per existentiam à formâ mutuam; ita



ut, licet in composito sit duplex essentia, seu quidditas partialis, altera materiæ, altera formæ; existentia tamen sit unica, & simplex, quæ à formâ dimanans, totum compositum exillere faciat, materiamque simul & formam red-lat existentes. Ex adverso Nominales, Scotistæ, & Authores nostri, cum Doctorib. Subtili, & Eximio, quibus adhærent Averfa, Spinola, Murcia, & ceteri extra Scholam Thomistic., materiam primam propriâ existentia gaudere defendunt, sicuti gaudet essentia propriâ. Hanc sententiam libenter amplectimur.

## §. I.

*Prænotanda quedam.*

2 **S**ed ante probationem, prænotandum est 1., nullam in præsentî superesse quæstionem, si velimus insistere indistinctioni reali essentia cujuslibet à suâ existentia, quam in Metaphysicâ tventur Nostri cum Scotistis. Si enim essentia omnis, dum actu producitur, sui ipsius existentia est per identitatem realem, evidenter sequitur, quod materia, quæ propriam essentiam habet juxta omnes, propriam etiam habet existentiam. Nec te moveant, quæ in contrarium prolixè disputat M. Manso hic q. 8. contra sensum omnium, etiam Thomistarum. Omnia quippe in eo fundantur, quod sententia identificans existentiam cum essentia rerum, debeat intelligi de essentia actuali, non de potenciali; proindeque non debeat comprehendere essen-

tiam materiæ, quæ solum est potentialis.

3 Ne, inquam, hoc fundamento movearis. Nam quæstio de identitate essentia cum existentia, siue dubio loquitur generatim de quolibet entitate positivâ, quæ verè producitur, verèque extrahitur à virtute causarum, verè discernitur à nihilo, atque ita ponitur in rebus, ut jam non sit in statu meræ possibilitatis: quæ omnia certissime conveniunt essentia materiæ, quantumcumque *potentialis* appelletur. Nec in eâ quæstione Authores, siue negantes, siue affirmantes, aliud intelligunt nomine *essentia actualis*, quam *essentiam non merè possibilem*; ideoque *actualitatem* accipiunt ut contrapositam *possibilitati*, seu *potentie objective*: quo sensu essentia materiæ *actualis* est citrà dubium. Quæ autem opponit ille Author, siue à ratione, siue ab autoritate, facile dilues ex dicendis circa existentiam materiæ.

4 Cæterum, quidquid de re istâ sit, in præsentî non insistimus doctrina generali de identitate essentia cum existentia; cum nobis argumenta suppetant peculiariora, quibus probetur existentia materiæ propriæ, præscindendo ab ejus identitate cum essentia, vel etiam distinctione permissâ. Et verò, quod præscindi possit (quidquid dicat Manso q. 7. n. 22.), patet: quia nihil prohibet, quæstionem institui sub his terminis: *Utrum, præscindendo ab eo, quod essentia omnis sit, vel non sit existentia sui, possit aliunde probari, quod materiæ competat exist-*

ten-

*tentia propria?* Tunc autem, si ego affirmarem, ineptè mihi oggeres argumenta petita ex distinctione inter essentiam, & existentiam: nam sicut ipse cedo juri meo argumentandi ex capite identitatis, ita æquum est te cedere juri, si quod habes, ex capite distinctionis. Sed, ut liberalius agamus, gratis permittimus, vel supponimus pro quæstione præsentî distinctionem realem inter essentiam & existentiam.

5 *Prænot. 2.*, quæstionis esse inter Thomistas, An materia prima habeat actum metaphysicum? alijs negantibus, quos citat & sequitur Collegium Complut., seu M. Bayona, & quibus etiam adhærent Manso, & Aguilera: alijs affirmantibus, quos citatos sequuntur Illustrissimus Palancus, & Froylanns. Nomine *actus metaphysici* non omnes idem intelligunt; ideoque magnâ ex parte lis est de voce, ut benè notat Bayona. Communiter intelligitur eo nomine differentia essentialis, quæ contrahitur ratio generica: quia, sicut genus in lineâ metaphysicâ dicitur *potentia*, ita differentia dicitur *actus*, saltem si positiva sit. Quo sensu non est cur materiæ negetur actus metaphysicus.

6 Nam ratio *substantia completa*, vel ratio *partis*, & *principij intrinsici* Corporis naturalis, est ratio generica, & univoca materiæ & formæ, ut patebit applicanti conditiones Univocorum in Logicâ traditas: contrahitur autem ad materiam per rationem *primi subjecti*; quæ ratio, licet à nobis explicetur per negationem formæ, utique posi-

tiva est, cum consistat in aptitudine physicâ suscipiendi formas. Sic differentia *irrationalis*, quæ genus *animal* contrahitur ad Brutum, positiva est, quamvis negativè significetur. Et mirum esset, quod ratio communis positiva contraheretur per puram negationem: deberet enim cum eâ realiter identificari.

7 Nec obstat, quod materia sit *informitas sine ullâ specie*, ut ait S. Augustinus: & quod *carere omni specie, sit illi pro specie*, ut ait Commentator. Hæc enim vera sunt de *specie* sumpta pro formâ physicâ, seu pro specie Entis completi: & illud *carere* sumitur fundamentaliter, scilicet pro ratione *primi subjecti*, fundante carentiam identitatis cum omni specie, idest, formâ. Nec item obstat, quod dici solet, speciem, & actum metaphysicum desumi à formâ physicâ. Hoc enim locum habet in specie entis compositi, & physicè completi. Pariter dici solet, quod genus, & potentia metaphysica sumitur à materiâ: & tamen forma non caret prædicatis genericis entis incompleti.

8 *Prænot. 3.*, Thomistas etiam inter se dissidere super actu, entitativo materiæ. Actus autem, entitativus, ut explicat Bayona, est ille, quo res, quæ antea erat nihil, modò est aliquid: & hujusmodi actus est duplex; alter entitativus, quo videlicet res ponitur extra causas; alter essentialis, quo nimirum res, prout distinguitur ab existentia, est actu ens, actualis realitas, & actuale subjectum, in quo recipitur existentia.



Sic ille. Sed hoc discrimen inter actus entitativos, essentialem, & existentialem, non facile capies. Quomodo enim actus ille, quo res est actu ens, & actualis realitas, poterit esse alius ab actu, quo res ponitur extra causas? Eadem est difficultas, si dicatur cum alijs, actum entitativum esse, qui respondet potentiae objectivae. Nihilominus plures Thomistae, quos citat Bayona, rejecto actu existentiali, materiae concedunt actum entitativum; eademque videtur esse mens eorum, qui quoddam esse viabile & initiale agnoscunt in materia pro priori ad formam, ut postea videbimus. Alij tamen, quos Bayona citat, & sequitur, actum entitativum materiae negant. Nobis haec quaestio seorsum agnoscenda non est: quia vix differt a quaestione de existentia materiae; quae si semel probetur, nemo Thomista de actu entitativo dubitabit.

## §. II.

*Probatum existentia Materiae propriae ex capite prioritatis.*

**P**rima nostra sententiae probatio sumitur ex prioritatem nature, qua materia verè praecedit formam, v. g. igneam, ut vera causa materialis, intelligiturque informis pro signo priori, ut omnes consentiunt. Unde sic arguitur. Materia pro signo priori ad formam verè existit; sed non per existentiam formae: ergo per existentiam sibi propriam. Consequentia recta est, etiam apud Thomistas; & Minor constat: quia pro illo signo nec

intelligitur existentia formae praehabita, v. g. lignae, nec existentia formae in eo instanti producenda: non prima; quia conjungerentur in eodem instanti existentiae formarum ligni & ignis, quod naturaliter impossibile est: non secunda; quia existentia formae intelligi nequit in signo, in quo nondum forma intelligitur; & alioqui materia prius reciperet existentiam formae, quam formam, & haec esset effectus suae existentiae.

10. Major ergo probatur multipliciter. 1. : materia praecedit formam ut vera causa materialis ipsius: ergo praecedit existens. *Prob. Conseq.* de ratione verae causae physicae (cujusmodi est causa materialis) est, quod ab illa per se pendeat, & oriatur existentia effectus; sed existentia effectus per se oriri nequit ab eo, quod existentiam non praehabet, ut patet exemplo causae efficientis: ergo &c. Si dicas cui Thomistis, causam efficientem debere praexistere, quia destinata est, ut det esse effectui; non ita causam materialem, quae potius tendit, ut accipiat esse. Impugnaberis ex P. Reynado: quia causa materialis univocè convenit cum efficienti in ratione causae definitae à D. Thomae, ut tenent Lerna, Prado, Froylanus, & alij Thomistae, nec dissentit Collegium Complut. q. 9. ar. 1. §. 2., & q. 10. ar. 1. §. 1., statuens, rationem causae saltem verè & proprie convenire materialit.

11. At de ratione causae propriae talis est destinari ad dandum esse effectui. Probatum hoc ex D. Thomae, tum 2. Physic. lect. 10. dicens,

te, Causam esse, ad quam sequitur esse alterius: tum Opusc. 31., ubi Causa, inquit, solum dicitur de illo principio, ex qua consequitur esse posterioris: & continuo subdit: Unde dicitur, quod causa est id, ex cuius esse consequitur esse posterioris. Planè igitur sentit, omnem veram causam ita destinari ad dandum esse effectui, ut hoc esse sit posterius, & subsequutum ex esse causae. Non solum ergo causa efficiens, sed materialis etiam, necessariò habet esse pro priori ad effectum.

12. 2. : materia pro priori ad formam terminat actionem Dei creativam: ergo existit. *Prob. Conseq.* tum quia *Omnia actio activa potentia terminatur ad esse*, ut docet D. Thomas q. 1. de pot. ar. 3. corp. Tum quia creatio est productio rei ex nihilo: ergo quod terminat creationem, jam recessit à nihilo, atque adeò excludit suum non esse; quod certè non excluditur, nisi per esse. Tum quia omnis causa efficiens communicat suis effectibus existentiam, ideòque juxta omnes debet existentiam praehabere, ne alioquin det quod non habet; sed Deus per actionem creativam exercet munus causae efficientis circa materiam: ergo materiae communicat existentiam per talem actionem. Tum demum, quia quod actu creationem terminat, actu producitur ac ponitur in rerum naturam, non jam est in potentia ob-

jectiva, nec iam statu possibilitatis, nec intra virtutem causae: quis autem haec verificari concipiat de re nondum existente?

13. 3. : de materia pro signo priori verificantur propositiones affirmativae de tertio adjacente, quae praedicatum important positivum, contingens, physicum, & inherens, haec v. g., *Materia est actualiter producta, est proximè potens recipere formam, est applicata localiter agenti extrinseco*: sed propositiones istiusmodi requirunt existentiam subiecti, ita ut ex ijs benè inferatur propositio de secundo adjacente (sic v. g., *Materia est proximè potens, Ergo materia est*) ut omnes Logici ac Philosophi supponunt: ergo &c..

14. 4. : materia pro signo priori appetit formam, exigit, ac sibi naturaliter debitum facit concurrentem Dei ut naturae Authoris, quo formae complementum accipiat: cognoscitur etiam à Deo per scientiam visionis. Haec autem sine actuali existentia stare non possunt. Nam appetitus, & exigentia naturalis, cui debeat concurrentia Dei, rebus non existentibus non convenit; quia, quod nondum est, nihil exigit. Scientia item visionis non nisi ad existentiam rerum terminatur, ad discrimen scientiae simplicis intelligentiae, ut Theologis certum est. 5. denique: subiectum accidentium debet praexistere, juxta Thomistas; sed materia pro priori ad formam ignis, est subiectum accidentis: ergo &c.. *Prob. Min.*: quia materia pro illo priori recipit, vel est proximè potens reci-



pere *passionem*, cum hæc sit causalitas, quâ materia causat materialiter ac passivè formam: *passio* autem est accidens, juxtâ Thomistas.

15 *Respondent* 1. satis communiter Thomistæ, quos sequuntur Carmelitæ Complut., & M. Froylanus: materiam pro priori ad formam non existere in facto esse; existere tamen vialiter, in fieri, & in egredi; quia est velut in viâ, & tendentiâ ad existendum; & licet sit extrâ causam efficientem, nondum est extrâ omnes suas causas, cum nondum sit extrâ causam formalem, nempe formam. Quare, juxtâ doctrinam istam, materia pro signo priori, nec est in statu possibilitatis, nec adhuc in statu existentie, sed in statu quodam medio inter aliquid & nihil, vi cujus jam incipit recedere à nihilo, sed nondum pervenit ad aliquid. Hanc responsionem valide impugnant Bayona, & Palancus. Et, si quis rectè consideret, repetitione probationum nostrarum refellitur affatim, cum omnes re ipsâ probent existentiam veri nominis, sive in facto esse.

16 Præterea *rejec.* 1.: quia materia pro signo priori non tantum vialiter, sed omnino terminat actionem creativam, quæ certè non terminatur ad formam materialem, cum hæc genita, non creata sit: Deus etiam non intelligitur vialiter creans materiam, sed, potius omnino exercens omnem influxum activam, qui ad materiam terminari potest, cum solum supersit formæ generatio, seu eductio, quæ non terminatur ad materiam. Jam igitur habet materia

quidquid suis effectibus dat causam efficiens, & creans. Sed munus causæ efficientis, & precipuè creantis, est dare suis effectibus existentiam, ut passim tradit D. Thomas, & nemo negat: ergo &c. Quod autem materia pro signo priori non sit extrâ causam formalem, gratis dicitur: non enim materia causam formalem habet propriè talem in lineâ physicâ: alioquin haberet consequenter causam materialem, foretque composita ex materiâ & formâ. Et quidquid de hoc sit, planè repugnat, quod causa efficiens functa sit munere suo circa aliquam entitatem; & tamen illi non dederit existentiam.

17 Dicunt, creationem materiæ pro priori ad formam esse actionem incompletam, & quasi pendulam, donec compleatur per productionem formæ, & existentie ipsius. Sed *contra*: creatio materiæ, vel habet alium effectum, præter materiam ipsam, vel non? Si primum: talis effectus erit forma, vel existentia formæ: unde utraque, vel altera, denominabitur *creata*; cumque aliunde sit *educta*, simul erit *educta* & *creata*, simulque produceretur ex aliquo & ex nihilo; quod absurdum est. Si secundum: ergo talis creatio plenè obtinet pro signo priori totum suum effectum: quomodo igitur erit actio pendula, & incompleta? Aliiter: creatio illa terminatur ad aliquam existentiam; nisi falsò dixerit D. Thomas, *Omnis actio activa potentie terminatur ad esse*: sed non terminatur ad existentiam formæ; nisi hæc absurdè dicatur *educta* simul & *creata*: ergo terminatur ad existentiam materiæ propriam. *Rejec.*

18 *Rejec.* 2.: quia illud *esse* vialè, & inchoatum, jam est aliqua actualitas de lineâ entis, siquidem vi illius jam materia non est in purâ potentiâ objectivâ, jamque potentia hæc aliquatenus reducitur ad actum. At in hujusmodi actualitate instantur argumenta Thomistica, ex eo desumpta, quod materia sit pura potentia. 3.: quia inter contradictoria non datur medium: sunt autem ex terminis contradictoria, *esse* & *non esse*, *aliquid* & *nihil*. Hæc etiam docet D. Thomas 2. cont. Gent. c. 19. n. 2. dicens: *Inter esse & non esse, quæ sunt quasi extrema creationis, non potest esse aliquod medium*. 4.: quia repugnat *esse* reale, quod nullum habeat contradictorium: tamen autem foret illud *esse* medium: non enim ejus contradictorium esset nihil, nec aliquid; quia medium inter duo extrema, neutri contradictorie opponitur. 5.: quia ideò in materiâ pro priori ad formam ponitur illud *esse* vialè, ne forma dicatur produci ex nihilo. Si autem illud *esse* ita non est nihilum, ut nondum sit aliquid verè ac propriè, tam verè dicetur forma non fieri ex aliquo, quam non fieri ex nihilo; ac proinde nec erit *educta*, nec *creata*.

19 *Respondet.* 2. Collegium S. Thomæ, seu M. Bayona, materiam pro priori ad formam intelligi existentem per existentiam ipsius formæ, quam præcedit, eo quod illam præcedat prioritate, non *in quo*, sed *a quo*. Prioritas *in quo*, juxtâ ipsum, est ordo inter duo, quorum unum ita infert aliud, ut possit intelligi sine illo: quo sensu Sol est prior illu-

minatione, quia potest intelligi, quin actu illuminans intelligatur. Prioritas *a quo* est ordo inter duo, quorum unum infert aliud, sic tamen, ut sine illo non possit intelligi. Hoc modo Pater in Trinitate prior est Filio, sine quo in nullo signo intelligi potest: & actus Dei liber, sicut etiam Scientia visionis, est causa prior effectu creato, à quo præsci di nequit. Materia igitur præcedit formam & ejus existentiam prioritate tantum *a quo*; quia nequit ab existentia formæ præscindi: quare pro signo priori jam intelligitur cum eâ existentia, & per illam redditur existens. Nec inde sequitur, quod existentia formæ sit causa formæ: quia non intelligitur in signo causæ tamquam ratio formalis causandi (hæc enim ratio est sola entitas materiæ), sed tamquam conditio necessariò concomitans, ut materia sit proxime potens causare. Nec item sequitur, quod existentia præcedat formam: quia est mera conditio, dependens à formâ ipsâ: & conditio dependens ab effectu, licet intelligatur in signo causæ, non præcedit effectum.

20 Hæc doctrina vehementer displicet alijs Thomistis; ideòque validè oppugnatur à Froylano & Palanco. Nunc satis impugnabitur sic. Materia pro signo priori intelligitur præscindens à formâ, & ejus existentia: ergo præcedit prioritate *in quo*, prout hæc à Bayona explicatur. *Prob. Antec.* 1.: *Materia informis præcedit formam, non duratione, sed naturâ*, ut sæpe docet D. Thomas, v. g. 1. p. q. 66. ar. 4.: ergo



materia in signo priori intelligitur *informis*. Sed implicat, quod intelligatur *informis*, quin præscindatur à formâ: ergo &c.. Vel aliter: Materia præcedit *informis*; sed non informitate privativâ: ergo informitate præcisivâ. Hoc sensu præcisivo D. Augustinus 12. *Confess.* sæpe dicit Mundum ex materia informi formatum: v. g. cap. 15., *Erat, inquit, informis materies, ubi propter nullam formam nullus ordo erat: & cap. 19. Verum est, omne, quod ex informi formatur, prius esse informe, deinde formatum.*

21 *Prob. 2. Antec.*: non minor est ratio, ut materia præscindatur à formâ, quam ut Sol ab illuminatione. *Prob.*: causa tanto magis ab effectu præscindit, quanto majorem indifferentiam habet; ideòque ubi causa indifferens est ad varios effectus, ab eis pro signo priori præscindit omnimodâ præcisione, ut patet in potentia liberâ Voluntatis. Atqui materia magis est indifferens ad formas, quam Sol ad illuminationem; Sol enim connectitur cum determinatâ illuminationis specie; materia verò, licet cum aliqua formâ vagè connectatur, est omnino indifferens ad varias formarum species: ergo &c.

22 3.: in ortu Mundi, forma terræ. v. g.educta fuit ex materia tum primùm creatâ, vel saltem educi potuit, ut faretur Bayona. Tunc autem materia pro priori ad formam & ad omnes dispositiones, intelligitur à Deo creatâ, & non purè possibilis, sed existens; nec exigit in eo signo formam hanc præ illâ,

sed solam ipsi debetur concursus Dei ad aliquam formam vagè recipiendam. Quæ omnia concedit Bayona hic q. 3. ar. 5. n. 175. *Edit. 2.* Nunc sic: materia pro illo priori non intelligitur existens per existentiam formæ: ergo per propriam. *Prob. Antec.*: non in primis per existentiam formæ determinatam; aliunde neque per indeterminatam & vagam: ergo &c.. Constat Major: quia implicat materiam intelligi indifferenter ad aliquam formam vagè recipiendam, in signo, in quo jam intelligitur cum existentia determinatæ formæ; ut per se clarum est, & in mille exemplis obvium, v. g. in signo Libertatis ad amorem & odium, vel etiam in exemplis à Bayonâ productis pro suâ prioritate à quo. Constat deinde Minor: quia pariter implicat, quod à parte rei & in signo reali detur existentia formæ vaga, quæ non sit hæc, nec illa determinate, nec sit propria terræ, nec ignis, &c.; daretur enim alioquin individuum vagum à parte rei.

23 Exempla igitur, quæ in responsione allegabantur, parum sunt opportuna, & ut Froylanus ait, *ad propositum non veniunt*. Tum quia inepte recurritur ad difficillima Theologiæ mysteria, ut explicetur materiæ prioritas. Tum etiam, quia satis probavimus, concedendam esse materiæ prioritatem *in quo*. Præterea responsionis doctrina repugnantiam involvit terminorum. Quomodo enim forma, vel ejus existentia poterit esse conditio ex parte causæ requisita, ut ipsamet forma, vel existentia causetur, nisi dicatur cau-

sa & effectus sui ipsius? Dices cum Bayonâ, hoc rectè componi per mutuam prioritatem in diverso genere: nam existentia est effectus formæ in genere causæ formalis, simulque est conditio concurrens in genere causæ materialis, ut forma causetur.

24 Sed *contra* 1.: ergo jam existentia præcedit formam, quod negabat Bayona supra n. 19. *Contra* 2.: ipsa quoque forma erit conditio, ut ipsamet causetur: quia solum à materia præceditur prioritate à quo, juxta Adversarium; & materia nequit intelligi pro priori existens, quin intelligatur informata; ne alioquin existat priusquam sit extra causam formalem, priusque habeat actum ultimum, quam actum primum, quod horrent Thomistæ: imò prius debet intelligi informata, quam existens; quia existentia, juxta Thomistas, non communicatur materiæ, nisi mediante formâ. Prius ergo intelligitur forma ut informans materiam, quam à materia causetur. Sed forma, ut actu informans, jam esteducta: ergo prius intelligitureducta, quam à materia causata; quod est manifestè contra conceptum eductionis. Certè forma non prius causatur efficienter, quam materialiter; quia actio, & passio realiter identificantur in communi sententiâ Thomistarum. Idem argumentum fit in existentia formæ, quæ pariter erit conditio, ut ipsamet causetur à materia, & quidem in eodem genere causæ materialis. *Contra* 3.: existentia, juxta Thomistas, causatur à forma in genere causæ materialis, cum in formâ ut in subiecto sustentativo recipiatur: si ergo in

eodem genere conditio est, ut forma causetur, jam datur mutua prioritas in eodem genere causæ.

25 *Respondet*. 3. Palancus, materiam pro signo priori ad formam non terminare actionem creativam: quia materia & forma non producuntur diversis actionibus, sed unica, quæ respectu materiæ sit creatio, & respectu formæ, & compositi pro formali sit, vel esse possit generatio. *Nulla*, inquit, *datur actio terminata ad materiam, quæ per prius & immediatè non terminetur ad formam*. Quare materia pro illo priori non existit: quia nondum intelligitur producta, & nihil amplius habet, quam ante sui creationem; sed solum habet sua prædicatâ quidditative, sicut homo possibilis, estque in statu præcisionis ab esse actu ens, & esse nihil, cum indifferentia ad alterutram, quin fundet jus, aut existentiam habeat ad formam, nisi forte ratione existentie tempore præcedentis, si illam habuit: unde posset Deus pro posteriori non producere formam, & sic materiam relinquere nihil. In summâ, pro priori ad formam materia solum est in potentia objectivâ, & purè possibilis, *ly pure sumpto* præcisive ab esse & non esse, produci & non produci. Hæc, & alia non absimilia, sparsim tradit Palancus hic quæst. 7.

26 Sed, præterquam quod recedit à communi doctrina Thomistarum, *impugnatur* 1.: quia, cum materia sit verè & proprie causa formæ, & omnis vera causa physica sit id, ad ejus esse sequitur esse effectus, ut supra nos docuit D. Thomas;



necesse est, ut materia prius habeat esse, quam forma. 2. : quia materia præcedit formam prioritate naturæ, cum hæc prioritas conveniat omni causæ reali, juxta Palancum *Lib. 2. q. 2.* : ergo materia ita præcedit, ut non sit in potentiâ objectivâ, & in purâ possibilitate, sive indifferentiâ, ut producat, vel non. *Prob. Conseq.* Tum quia prioritas naturæ est realis præcedentiâ in essendo, ut ait Palancus *lib. 2. q. 4. n. 6.* ; sed præcedentiâ in solâ potentiâ objectivâ, non est præcedentiâ in essendo : ergo &c.. Tum quia natura prioritas ultra rationem principij exigit quod principiatum dependeat in esse à suo principio, ut idem Palancus ait *cit. l. 2. q. 2. n. 8.* ; sed forma non dependet in suo esse à materia mere possibili : ergo &c. Tum quia materia aliter præcedit formam, quam forma se ipsam ; sed forma, & qualibet entitas creata, præcedit se ipsam in potentiâ objectivâ, & cum indifferentiâ ut producat, vel non, quin ideo se præcedat prioritate naturæ : ergo &c. Tum demùm, quia prioritas, & posterioritas naturæ, in eo consistunt, quod unum producat dependenter ab alio producto per aliam actionem, ut dicemus *tract. 2.*

27 *Impugnatur* 3. : quia, si productio materiæ & formæ semper est unica actio, eaque prius & immediatius terminata ad formam, quam ad materiam ; sequitur 1., quod materialis forma prius intelligitur producta, quam materia desinat esse nihil : ergo in illâ prioritate forma materialis intelligitur producta, non ex aliquo, sed ex nihilo, vel saltem

ex præscindenti ab utroque : ergo intelligitur creata, vel certè non educata, cum educatio sit ex aliquo presupposito. Claritatis gratiâ sit sermo de productione vermibus ex corruptis Eucharistiæ speciebus. Tunc materia non presupponitur producta ante formam, nec prioritate temporis, nec prioritate naturæ, sed expectat in potentiâ objectivâ, donec prima sui productio prius & immediatius terminetur ad formam. Hæc ergo productio reddit formam productam prius, quam de materiâ verificetur esse aliquid presuppositum : ergo potius est creatio formæ, quam generatio, vel educatio.

28 Sequitur 2., quod eadem actio, si est simul educatio formæ & creatio materiæ, simul pendet & non pendet realiter à materiâ ut à subiecto presupposito : & cum prius exerceat munus educationis erga formam, quam creationis erga materiam, prius erit pendens, & postea independens. Hoc autem, & repugnantiam involvit ex terminis, & ansam præbet, ut dicatur anima rationalis pendere realiter à materiâ quatenus sensitiva, licet non pendeat quatenus intellectiva. Sequitur 3., quod quoties nova forma producit, datur creatio conservativa materiæ : ergo in operibus naturæ semper admiscetur creatio : quod est contra expressam doctrinam D. Thomæ 1. p. q. 45. ar. 8.

29 *Impugnatur* denique ex D. Augustino *lib. 12. Confess.*, ubi docet, materiam pro priori ad formam ita esse informem, ut tamen jam non sit nihil. *Nonne tu Domine*

do-

## §. III.

*Alia sententiâ nostræ probationes.*

30 **P**rima sit : Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis, ut ne-

mo negat ; sed generari posset, & corrupti, si per existentiam formæ existeret : ergo &c. *Prob. Min.* : id, cujus existentia generatur, & corrumpitur, generationi & corruptioni obnoxium est ; sed existentia materiæ generatur, & corrumpitur, si est ipsamet existentia formæ materialis, cum hæc per generationem incipiat, & per corruptionem desinat : ergo &c.. *Respondent Thomistæ* : primam existentiam materiæ per creationem produci in ortu Mundi ; postea verò, licet materia existat per existentiam genitam, non generari ; quia, dum generatur equus v.g., non transit materia de non esse ad esse, prout ad generationem requiritur ; sed tantùm transit de uno esse in aliud, nempe de existentia unius formæ ad existentiam alterius. Idem de corruptione dicunt, videlicet materiam non corrumpi, dum moritur equus ; quia non transit de esse ad non esse, sed ad aliud esse.

31 Sed *contra* 1. : ergo, si prima existentia materiæ generetur, materia propriè generabitur. Atquæ materia, si existit per existentiam formæ, potest accipere primam existentiam per generationem : ergo est propriè generabilis. *Prob. Min.* : tum quia in ortu Mundi potuerunt educi formæ Elementorum, juxta communem Thomistarum sententiam, quam

*Docuisti me* (inquit cap. 3.), quod priusquam istam informem materiam formares, atque distingueres, non erat... omnino nihil ? Quod magis explicans cap. 6., imperfectionem materiæ in eo statu, vel signo priori, proponit hac verborum antithesi : *Si dici posset, nihil aliquid est & non est, hoc eam dicerem.* Et continuo subdit : *Et tamen jam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles, & compositas.* Pergit seq. cap. 7. : *Et unde utcumque erat, nisi esset abs te, à quo sunt omnia, in quantumcumque sunt ?* Jam ergo materia, priusquam formam reciperet, utcumque erat, & erat à Deo, à quo sunt omnia : terminabat igitur creationem pro priori ad formam. Consonat cap. 8., de materiâ dicens : *Propè nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat : jam tamen erat quod formari poterat.* Et cap. 15. : *Et tamen hoc penè nihil, in quantum non omnino nihil erat, ab illo utique erat, à quo est quidquid est, quod utcumque aliquid est.* Cap. 19. verba habet supra relata n. 20. Demùm cap. 29. : *Et esse utique aliquid non formatum potest ; formari autem, quod non est, non potest. Sic est prior materies, quam id, quod ex ea fit.* En nostrum argumentum ab Augustino expressum : Materia pro priori ad formam est proximè potens formari : sed quod non est, formari non potest : ergo materia

pro illo priori jam est.

\*\*\*  
\*\*\*  
\*\*\*



tenent Bayona, & Froylanus: tunc autem existentia formæ esset genita, & esset prima existentia materia. Tum etiam, quia in productione vermibus, corruptis Eucharistiæ speciebus, materia tum primò producitur, & incipit existere per existentiam formæ vermibus: hæc autem forma cum suâ existentia proculdubio sit per generationem: jam ergo materia accipit primum esse virtute causæ secundæ generantis. Nec dicas forsan ex mente Palanci, quod existentia formæ non est generabilis, nec producibilis ab agente creato, prout est existentia materiæ, sed tantum prout est formæ, & compositi pro formali. Ne, inquam, id dixeris: tum quia generans dat materiæ formam, facitque, materiam esse in actu, & esse extra causam formalem; quod est illi dare existentiam in principiis Thomisticis. Tum etiam, quia sequitur, quod existentia simplex educitur simul & creatur: educitur, prout est formæ; creatur, prout est materiæ: simul ergo presupponit & non presupponit realiter materiam ut subiectum, & causam sui.

32 *Contra 2.*: ergo saltem materia per generationem accipit ab agentibus naturalibus continuationem feriem existentiarum, quibus in rerum naturâ conservatur: ergo agentia naturalia propriè conservant materiam in rerum naturâ: sicut enim rem primò producit causa, quæ primam illi communicat existentiam, ita rem conservat causa, vel agens, à quo continuata existentia procedit. Sequele autem absurditas patet: quia ejusdem virtutis est conserva-

re, cujus est primò producere, cum conservatio sit continuata productio: & conservatio rei ingenerabilis, sicut & prima productio, est supra vires agentium naturalium, ut cernitur in conservatione Angeli, vel animæ rationalis.

33 Si propter hæc dicatur, ut res propriè generetur, non fat esse, quod à generante accipiat existentiam, nisi etiam accipiat essentiam, seu quidditatem; hanc autem donari materiæ, non à generante, sed à Deo per creationem. *Contra est 1.*, quod essentia ingenerabili necessario respondet existentia ingenerabilis, ut constat exemplo Angeli, vel rationalis animæ. *Contra 2.*: quia juxta D. Thomam q. 3. de pot. ar. 5. ad 2., *Hoc ipso, quod quidditati esse tribuitur, non solius esse, sed ipsa quidditas creati dicitur*: Si ergo quidditati materiæ esse tribuitur per generationem, non solum esse, sed ipsa quidditas generari dicitur. *Contra 3.*: quia materia per solam productionem essentia non ultimo determinatur ut sit, cum adhuc intelligatur in statu viali, & in fieri, ut Thomista dicunt: ergo ultimum determinativum, ut materia verè sit in rerum naturâ (v. g. in canibus num. 31.), est existentia formæ genita: ergo materia propriè generatur. Probat hanc Consequentiam homo propriè generatur, quamvis nec materia, nec anima generetur, eo præcisè quod generetur unio, quæ est ultimum determinativum formæ, ut homo sit in rerum naturâ: si ergo ultimum determinativum, ut materia sit, generatur; materia quoque propriè generabitur. *Se-*

34 *Secunda probatio* sit: Si materia non existit, nisi per existentiam formæ, possibilis erit eventus, in quo aliquid primò creetur, & incipiat existere, quin aliqua existentia deinde producatur: v. g. si Deus hominem formet ex materia nunc primò producta, & ex anima diu ante creatâ: tunc enim materia inciperet existere per existentiam animæ non deinde productam. Erit item possibilis eventus, in quo aliquid anihilatur, quin existentia ulla deficiat: v. g. si Deus à materia separet omnes formas de facto existentes, & separatas conservet (ut potest juxta Thomistas), nullam aliam formam producendo: tunc enim anihilabitur materia, utpotè quæ juxta Thomistas non potest etiam Divinitus conservari sine formâ: & tamen nulla deficiet existentia à rerum naturâ. At uterque eventus impossibilis est. Tum quia rem primò existere, est primò excludere suum non esse, id est, carentiam suæ existentia, quæ proinde tunc primò ponitur in rebus: & similiter rem anihilari, est poni sub contradictorio suæ existentia, quæ proinde deficiat necesse est. Tum etiam, quia existentia est ultima formalis determinatio, ut res sit; & hujusmodi determinatio sine re, quam determinat, stare nequit: alioquin stare posset actio sine agente, vel ubicatio sine corpore.

35 Si dicas, deficere in his casibus unionem materiæ cum existentia formæ; contra insurgo: Vel ea unio existit per existentiam formæ, vel per propriam. Si primam; idem argumentum urget in unione

ipsâ, quæ pariter incipiet, ac desinet existere, quin ulla existentia incipiat, aut desinat. Si secundam; præterquam quod unio non distinguitur ab extremis juxta communio sententiam Thomistarum, jam dabitur in composito existentia, non unica, sed multiplex, quod vehementer displicet Thomistis.

36 *Tertia sit*: Si materia existit per existentiam formæ materialis, materia erit verè, & propriè causa sui ipsius; sed hoc ab omnibus censetur absurdum: ergo &c. *Prob. Maj.*: quod est sibi ipsi causa essendi, est causa sui ipsius; sed materia, si existit per existentiam formæ materialis, sibi ipsi verè & propriè est causa essendi: ergo &c. *Prob. Min.*: quia verè & propriè est causa sui esse, sive existentia, per quam ipsa existit: causat enim formæ existentiam eo modo, quo formam; & hanc verè & propriè causat. Quod autem verè est causa sui esse, verè est sibi causa essendi. Et quidem materia causare poterit esse sui, etiam primum, quo incipit existere, videlicet in casibus num. 31. *Quarta probatio* sumi potest ab auctoritate D. Thomæ: sed hanc sequi. inter solvendum argumenta dabimus.

## CAP. IV.

*Argumenta contraria solvuntur.*

1 **O** *Bij. 1.*: Materia prima est pura potentia, ut passim Philosophi loquuntur; sed pura potentia nullum habet actum: cum ergo existentia sit actus, materia prima nullam ex



se habet existentiam. Prob. Min. Tum quia potentia, si mixtionem habet actualitatis, jam non est pura. Tum quia Deus, eo quod sit *actus purus*, nullam habet potentialitatem: ergo pariter, quod est *potentia pura*, nullum actum habet. Solutioni præmittenda est explicatio terminorum *actus*, & *potentia*, quibus nihil in hac questione frequentius.

2 *Potentia*, quod ad præfens attinet, alia est activa, alia objectiva, alia passiva, seu receptiva, & informabilis. Potentia activa est virtus producendi aliquid: & hæc ex se non dicit imperfectionem; ideoque reperitur maxime in Deo. Potentia objectiva (alias Logica) est non repugnantia rei ad existendum, quæ etiam *possibilitas intrinseca* vocatur: *objectiva* dicitur, vel quia est objectum potentia activæ, vel quia est id, quod menti objicitur, quando rem non existentem concipimus existere posse. Potentia passiva, seu receptiva, & informabilis, est capacitas suscipiendi complementum aliquod, cum ijs conditionibus, quas circa nomen *subjecti* explicuimus cap. 2. à n. 8.: hæc dici solet *potentialitas*, & ex se dicit imperfectionem.

3 *Actus* accipitur 1. pro *determinatione*, quâ potentia quælibet exercetur juxta numerum suum. Et sic potentia cuique respondet suus actus: dumque potentia exercetur, & suum assequitur terminum, dicitur *reduci ad actum*, & esse *in actu secundo*, cum pro priori ad illum dicitur potentia esse *in actu primo*. Actus ergo respondens potentia objectivæ, est existentia; potentia ac-

tivæ, est effectus, vel productio illius; potentia receptivæ, est forma ut recepta, sive ut informans, vel informatio, sive receptio. Accipitur 2. *actus* pro eodem, ac *perfectio*. Atque hoc sensu, ex doctrinâ Eximii Doctoris disp. 13. Metaph. sect. 5. n. 7., *actus* est duplex: alius respectivus, alius absolutus. *Respectivus* (qui & actus actuans, & formalis, & perfectivus dicitur) est, qui respicit aliquod subjectum perficiendum: sic forma est actus materiæ. *Absolutus* est, qui suam sibi perfectionem habet, quin ad perficiendum subjectum aliquod ordinatur: sic Deus dicitur actus.

4 Uterque istorum actuum subdividitur. Nam *respectivus*, alius est actus physicus, videlicet forma physica, tum substantialis, tum accidentalis: alius est metaphysicus, quo nomine venit differentia essentialis cujusque rei, atque etiam existentia, quia hæc vel solâ ratione distinguitur à subjecto, vel siquid addit realiter distinctum, ejus consideratio non Physicæ, sed Metaphysicæ propria est. Cum enim *Esse sit actualitas omnium rerum*, ut inquit D. Thomas 1. p. q. 4. ar. 1. ad 3., & q. 5. ar. 1. corp., non minus extenditur, quàm *Ens*, ac proinde ad ejus Scientiæ considerationem pertinet, ad quam spectat *Ens* ut sic. Hoc ipsum de subsistentiâ dici solet.

5 *Absolutus* item, alius dicitur actus simpliciter, nempe qui ita perfectus est in genere substantiæ, ut neque actum physicum perfectivum involvat, neque illum expectet, ut actuetur; atque ita se habent

Deus,

Deus, & Angelus. Alius est actus secundum quid, videlicet qui veram aliquam actualitatem habet, quatenus actu est extra nihil, indiget tamen actu physico respectivo, quo compleatur in genere substantiæ. Hoc sensu materia prima est actus in nostrâ sententiâ, atque etiam in sententiâ eorum Thomistarum, qui materiæ concedunt actum entitativum.

6 Jam ad *object. resp.*: materiam primam esse puram potentiam, non in omni lineâ, sed in lineâ tantum potentia passivæ, & receptivæ actus substantialis respectivi ac physici, quam deinceps brevitate gratiâ vocabo *lineam physicam*, quò discernatur à lineâ metaphysicâ, & objectivâ, seu logicâ. Non, inquam, in omni lineâ; quia non est pura potentia objectiva; aliter esset purè possibilis, aut merum nihil: habet ergo actum potentia objectivæ respondentem, videlicet existentiam. Est igitur potentia pura in lineâ tantum physicâ: quia materia neque est forma physica, neque illam includit in suâ quidditate, sed tota ejus essentia etiam metaphysica consistit in potentia physicè receptivâ, sive informabili, ut explicuimus cap. 2. Hac etiam distinctione uti debent illi Thomistæ, qui materiæ concedunt actum metaphysicum, aut entitativum, aut *esse* viable, & in fieri, quod est aliqua actualitas, saltem inchoata, ut notavimus cap. sup. n. 18.

7 Itaque Peripatetici materiam appellant puram potentiam, ut excludant errores eorum, qui pro materiâ primâ rerum generabilium statuebât

substantiam completam, ut aërem, aquam, &c.: atque etiam eorum, qui formas omnes actualiter intrâ materiam latitare dicebant, & ex eâ velut è loculo educi. Qui errores factis excluduntur asserendo, materiam esse potentiam receptivam puram, id est, substantiam incompletam, non mixtam ex ullo actu physico, sed ordinatam ad illum: quàmvis non ita pura sit, ut non habeat eas actualitates de lineâ metaphysicâ, quæ necessariæ sunt ad sustinendam realitatem potentia receptivæ de lineâ physicâ, à Deo creatæ, positæque extrâ nihilum: nam, ut ajunt, *Dictio exclusiva non tollit concomitantia*.

8 Nec obstat illa comparatio puræ potentia cum puro Actu: quæ eatenus tenet, quatenus, sicut Actus purus excludit omnem potentiam receptivam, ita potentia pura excludit à sui identitate omnem actum formalem physicum. De cætero, quòd paritas non teneat, vel Adversarij fateri debent. Tum quia Deus ita est actus purus, ut nullam potentialitatem sibi exigat, nec admittat, sed potius essentialiter excludat, non solum ut identificatam, sed etiam ut unitam. At pura potentia materiæ non ita se habet respectu actus, cum admittat, & exigat unionem cum formâ, & ejus existentia. Tum etiam; quia Deus ita est purus Actus, ut nullum perfectionis & bonitatis defectum habeat. At materia non ita est pura potentia, ut omnis bonitatis & perfectionis sit experta: alioquin foret experta omnis entitatis, cum *ens* & *bonum* convertantur. *Di-*



oes: Pura potentia summè distat ab Actu puro. *Dist.*: summè distat, distantia negativa, qualis est inter Deum & nihil, *neg.*: distantia positiva, sive entis ab ente, *cont.*, quantum est ex parte Dei; nam ex parte extremi creati magis à Deo distat quantitas v. g., quam materia.

9 *Replie. 1.*: Deus non dicitur pura potentia activa, quamvis nullum includat actum secundum hujus potentia; nec forma dicitur actus purus, quamvis nullam includat materiam: ergo quod materia nullam formam includat, non sufficit, ut dicatur pura potentia, nisi etiam omni actualitate cujuscumque linea constituat. 2.: Ens dividitur in actum & potentiam: sed membra dividenda non se invicem participant: ergo illud ens, quod est potentia, præsertim pura, nullum actum participat. 3.: Materia prima, juxta Aristotelem, ita est potentia in naturalibus, sicut æs, aut lignum in artificialibus: sed æs, aut lignum, ita est pura potentia, ut nullum omnino actum, nullumque proprium esse de linea artificiali ex se habeat: ergo &c..

10 *Resp. ad 1.*: Deus ideò non dicitur pura potentia activa, quia hoc sonat, non aliam in Deo esse perfectionem, quam quæ formaliter exprimitur per conceptum potentia activæ; quod falsum est; nam Deus non modò est omnipotens, verum etiam infinite sanctus, sapiens, &c.. Ex adverso, cum tota essentia materia consistat in ratione primi subjecti, nec aliam perfectionem habeat, quam quæ ad id mune-

ris est necessaria: merito dicitur pura potentia receptiva. Forma dici potest actus purus in linea substantiali physice informativa, non tamen dicitur absolute & simpliciter actus purus; quia hoc nomine denotari solet Ens actualissimum, omni potentialitate & imperfectione cujuscumque linea carès, quod solus est Deus. Idem de materia dicimus, nempe non esse puram potentiam potentialitate excludente actualitatem cujusvis linea, sed linea duntaxat physica.

11 *Ad 2.*: Ex ipsidem præmissis poterit etiam absurde concludi sic: Ergo forma, quæ est actus, nullam potentiam participat, nec activam operationum, nec receptivam earundem: ergo anima rationalis nec est activa, nec receptiva intellectus. Illa igitur Entis divisio intelligi potest 1. in ens pure actuale, & ens aliquomodo potenziale, id est, in Deum, & creaturam, quæ semper aliquomodo potentialis est. 2. in ens actu existens, & ens pure possibile, sive in potentia logica; quo sensu materia jam producta pertinet ad primum membrum. 3. in actum, & potentiam, sibi invicem respondententes; quo sensu potentia ex se non participat actum, illum scilicet, ad quem est potentia: quod utique in materia primâ verificatur.

12 *Ad 3. replie.*: Illa comparatio est opportuna, tum ut explicetur indifferentia materia primæ ad quamlibet formam naturalem; tum ut constet, materiam ita esse in potentia ad formas physicas, ut nullam earum ex se habeat. Quod tamen paritas non sit in omnibus, evidens

dens est: aliter, sicut æs, aut lignum ex se nullam habet essentiam artificialem, nullam terminat actionem artificis, nullam exigit artificialem formam, sed omnibus carere potest naturaliter; ita materia prima nullam habebit essentiam naturalem, nullam terminabit actionem Creatoris, nullamque appetet, aut exigit formam, sed omnibus privari poterit naturaliter: quas certe sequelas Thomistæ reputant absurdas.

13 *Obje. 2.*: Si materia propriam habet existentiam, materia & forma erunt duo entia in actu: sed ex duobus entibus in actu fieri nequit unum per se, si quidquam valet axioma vetus ex Aristotele desumptum: ergo ex materia & forma fieri non poterit compositum substantiale, quod est unum per se. Pro solutione adverte, *Unum per se* vocari, quod vel est realiter simplex, & indivisibile, v. g. natura Angeli; vel, si partes habet, nulla earum est omnino perfecta & consummata in suo genere, seu Prædicamento, sed invicem ex partes ordinantur, ut per naturalem intimam unionem altera alteram in suo genere compleat, & consummet. Sic homo, & quodvis compositum substantiale, dicitur per se unum in genere substantia: sic etiam calor ut octo, dicitur unum per se in genere qualitatis; quia gradus intensiois, maximè si sint etherogeni, ordinantur invicem, ut per naturalem unionem eorum resultet calor in suo genere consummatus. E. contra, quando Unum componitur ex partibus diversi generis, seu Prædicamenti (v. g. ex

substantia & accidenti); vel ex partibus ejusdem generis, quarum aliqua, vel omnes aliunde sunt in eo genere completæ (v. g. acervus lapidum); vel etiam, quæ non invicem ordinantur ad mutuum naturalem unionem (v. g. si fieret acervus formarum equi, leonis, capis &c.): tunc dicitur *Unum per accidens*. Vid. Doctor. Exim. disp. 4. Metaph. sect. 3.

14 *Jam ad object. resp.*. Unum per se fieri nequit ex duobus entibus in actu completo, seu quorum quodlibet sit in aliquo genere, v. g. in genere substantia, consummatum, v. g. ex homine, & equo; quia quod advenit post consummationem istam, dicitur advenire per accidens: fieri tamen posse ac debere ex duobus entibus in actu incompleto, nempe quorum quodlibet verè sit existens, & actuale quid in rerum natura, sic tamen, ut alterum egeat complemento alterius ad sui perfectionem in genere substantia. Ratio est. Tum quia unum per se positivum constitui nequit ex nihilo & ex ente in actu, vel ex duobus entibus in pura potentia objectiva, nondumque productis: ergo constitui debet ex duobus entibus jam productis, vereque positis in actu potentia objectiva respondente. Tum quia, licet existentia sit unica, ut Thomistæ volunt, verè tamen reddit existentes materiam & formam, quæ sunt duo entia: jam ergo compositum sit ex duobus entibus verè existentibus, ac proinde in actu.

15 Tum etiam, quia generationem loquendo, non est contra rationem *Unius per se*, quod resultet ex



ex pluribus entibus in actu. Nam totum integrale continuum est unum per se: cum tamen quælibet ejus pars sit in actu. Qualitas item intensa, vel etiam extensa, dicitur unum per se in genere qualitatis; quàmvis constet partibus, quarum quælibet est actus, sive forma. Denique instatur objectio in actu entitativo, vel metaphyfico, quem agnoscunt in materia plures Thomistæ. Quodsi dicant, illum actum non esse de lineâ physicâ, de quâ est forma, nos idem dicimus.

16 *Contrâ hanc solutionem acriter insurgunt Thomistæ, præsertim Bayona, & Palancus. Repl. 1.: Si materia ratione sui est ens in actu, non est cur non sit in actu completo: ergo non poterit cum formâ constituere unum per se. Prob. Antec. 1.: quia illud est completè ens in actu, cui, ut absolutè sit ens in actu, nihil deest: at materiæ, si propriam habet existentiam, nihil deest, ut absolutè sit ens in actu. 2.: quia illud est completum in esse Entis, quod habet ultimum actum entitativum, quo nomine significatur existentia. 3.: quia res eo modo existit, quo producitur; sed materia, si est in actu per existentiam propriam, completè producitur: ergo completè existit. Prob. Min.: quia productio est completa, quando nihil ultrâ desiderat producendum, ut effectus absolutè sit in rerum naturâ: at productio materiæ, si ad existentiam ejus terminatur, nihil ultrâ desiderat producendum, ut materia sit absolutè in rebus.*

17 *Resp. neg. Antec.: non*

enim dicitur esse in actu completo simpliciter & absolutè, nisi quod habet actualitates & complementa omnia sibi naturaliter debita in suo genere: materia autem, quàmvis ratione sui verè existat, non habet omnia complementa sibi debita in genere substantiæ, donec formam habeat. Exemplum habes in anima rationali, quæ ratione sui existit, & est ens in actu, etiam dum est à corpore separata; & tamen non est in actu completo, quia non habet complementa omnia in genere substantiæ. Quod exemplum præ oculis habendum, ut planè intentur omnes argumenti probationes. Nec dicas cum Bayona, formam non existere *ut quod*, sed tantum *ut quo*, sive non tam existere, quàm esse id, quo existit compositum. Nam quæro, Quid est existere *ut quod*? Si enim significet esse id, quod redditur verè & propriè existens, utique anima S. Petri existit *ut quod*: si verò significet esse id, quod existit per modum compositi, fateor, animam non existere *ut quod*, quia non est totum, sed pars. At quid inde? Nec nos volumus, ut materia in hoc sensu existat *ut quod*.

18 *Ad 1. prob.. Materiæ nihil deest, ut sit ens in actu entitativo, sive in actu respondente potentia objective: deest tamen aliquid, ut sit ens in actu formali phyfico, qui respondet potentia receptivæ de lineâ physicâ. Quare dici potest ens in actu absolutè, id est, verè ac propriè; non tamen absolutè, id est, consummatè. Exemplo sit anima rationalis, ut nuper. Ad 2.: quod ha-*

bet

bet ultimum actum entitativum, est completum in esse entis, prout à non ente, sive à nihilo distinguitur; non tamen idèò est completum in esse entis, prout habentis omnem perfectionem sibi debitam in genere substantiæ; atque hoc sensu non est completa ex se materia prima, sicut nec rationalis anima separata.

19 *Dicitur autem existentia ultimus actus entitativus, quia in eâ terminatur potentia objectiva cujuslibet entitatis, sive partialis, sive totalis; & aliunde differentia rerum essentielles, infima, & subalternæ, sunt actus entitativi quodamodò priores existentia, cum verificentur de rebus in statu possibilitatis. De cætero, non existentia, sed subsistentia est, quæ in lineâ substantiali dicitur actus ultimus. Existentia verò, cum sit actus transcendentalis, potius est actus primus & intimior enti cui libet. Ipsum esse (inquit D. Thomas q. 3. de pot. art. 7. corp.) est communissimus effectus, primus, & intimior omnibus alijs effectibus. Unde in omni subjecto actuabili prius debet intelligi existentia, quàm alius actus, substantialis, aut accidentalis.*

20 *Ad 3., dist. Min.: completè producitur complemento potentia objective conced.; complemento potentia physicè receptivæ, neg. Min., & similiter dist. Conseq. Ad prob. Min.: productio materiæ nihil ultrâ desiderat producendum, ut materia in rerum naturâ sit absolutè, id est, verè ac propriè secundum suum esse parziale; desiderat tamen aliquid, ut materia in rebus sit ab-*

solutè, id est, consummatè in genere substantiæ. Creatio itaque materiæ dicitur productio incompleta terminativè; non quia expectet alium terminum præter essentiam & existentiam materiæ (aliter haberet pro termino formam, aut existentiam ejus, & hæc esset creata simul & educata); sed quia producit terminum incompletum in genere substantiæ. Alio tamen sensu dici potest productio completa, quatenus est unica in ratione creationis, & suo munere perfectè fungitur producendo materiam in esse primi subjecti physicè receptivi. Denique meminoris exemplum animæ rationalis.

21 *Repl. 2.: Ens claudens totam lineam entis à primo subjecto usque ad ultimum actum de tali lineâ, est ens completum in lineâ entis: sicut est completum in lineâ intelligendi, quod totam hanc lineam claudit à primo subjecto usque ad ultimum actum. Atqui materia, si propriam existentiam habet, priori ad formam claudit totam lineam entis à primo subjecto usque ad ultimum actum; claudit enim suam essentiam, quæ est primum subjectum, & insuper claudit existentiam, quæ est ultimus actus de lineâ entis, juxta illud D. Thomæ q. unic. de Anim. ar. 6. ad 2., *Ipsum esse est actus ultimus, qui participabilis est ab omnibus, ipsum autem nihil participat.* Materia ergo seorsum à formâ est ens completum, ac proinde non faciet cum formâ unum per se. *Confirm. 1.* Materia æquè existit pro priori ad formam, ac pro posteriori, cum in nullo instan-*

L

ti



ti vel signo existat, nisi per suam existentiam: sed pro posteriori existit complete: ergo & pro priori. *Confirm. 2.*: Quod non indiget forma ad existendum, est ens completum; sed si materia existit pro priori ad formam, non indiget forma ad existendum: ergo &c.

22 *Ad Repl. neganda est Minor*, si accipiatur de linea entis qua late patet. Nam linea entis extenditur etiam ad actus accidentales, qui certe adveniunt post existentiam subjecti substantialis: extenditur item ad subsistentiam, que similiter existentia supervenit: non ergo existentia est actus ultimus de linea entis generatim sumpta. D. Thomas autem loc. cit. non loquitur de esse pure existentiali, sed de esse subsistenti, proprio substantia complete, ut patet ex verbis immediate sequentibus ibi: *Unde si sit aliquid, quod sit ipsum esse subsistens, sicut de Deo dicimus, nihil participare dicimus.* Quapropter existentia solum est ultimus actus de linea entis metaphysica, seu transcendentali, vel de linea entis prout discreti a non ente, sive ab ente in potentia objectiva. Vide num. 19. Non tamen est actus ultimus de linea entis physica, & substantiali, qua in linea sunt materia esse ens incompletum.

23 *Ad 1. confirm. dist. Maj.*: aequa existit &c., existentia excludente nihilum materia, *conc.* (& hoc sensu tenet adjuncta probatio); existentia excludente incomplezionem physicam materię, *neg. Maj.*, & *concess. Min.*, *neg. Consequ.*. En similem syllogismum: Corpus aequa existit

pro priori ad quantitatem, ac pro posteriori, cum nunquam existat, nisi per suam existentiam; sed pro posteriori existit extensum: ergo & pro priori. *Ad 2. confirm. dist. Maj.*: quod non indiget forma ad existendum utcumque, *neg.*; ad existendum cum tota perfectione sui generis, cujus est capax, *conc. Maj.*, & similiter distincta *Min.*, *neg. Consequ.* Et insto in anima rationali, qua sine materia non est ens completum, quamvis non indigeat materia ad existendam.

24 *Repl. 3.*: Si materia presupponitur ens in actu, quamvis dicatur incompleta, non potest ordinari ad constituendum unum per se cum forma superveniente: ergo &c. *Prob. Antec. 1.*: quia ex subjecto & albedine non fit unum per se, quamvis subjectum ex se sit incompletum in esse accidentali, sive in esse albi; sicut nec ex intellectu & substantia Angeli, quamvis haec sit incompleta in linea intellectiva; non alia ratione, nisi quia subjectum presupponitur ens in actu. 2.: quia nec fieri potest unum per se ex duplici forma substantiali, v.g. leonis, & equi, eo quod utraque, licet incompleta, est ens in actu. 3.: quia materia cum forma corporeitatis, quantumcumque dicatur incompleta in esse viventis, non potest, juxta communiorum sententiam, ordinari ad animam, ut cum ea faciat unum per se; utique propter rationem dictam. Similiter elementa vulgaria, licet sint incompleta in specie Mixtorum, quia tamen per proprias formas sunt entia in actu, non ingrediuntur formaliter

ter Mixtum, ut cum ejus formaificent unum per se. 4.: quia posset alioqui nostra solutione defendi sententia ponentium in materia totidem formas substantiales subordinatas, quot sunt gradus metaphysici.

25 *Resp. ad repl. dist. Antec.*: si presupponitur in actu formali physico, *admitt.*; si tantum in actu metaphysico, vel entitativo, *neg. Antec.*, & *Consequ.* *Ad 1. prob.*: ratio exemplorum illiusmodi non est, quod subjectum supponatur in actu utcumque, sed quod supponatur in actu formali physico, vel in actu absoluto, vi cujus jam non est incompletum in genere, seu linea substantiali, quamvis in alijs lineis incompletum sit. At materia neutro modo supponitur in actu. *Ad 2.*: non sufficit incompletio, nisi addatur insuper proportio mutua inter utrumque ens, vel per modum actus & potentia, vel alio naturali titulo; qualis non est inter duas formas substantiales & est inter materiam & formam. Sic, si materia caelestis specie distinguitur a sublunari, non potest unum per se fieri ex forma terrae & materia caelesti, quamvis ponatur pura potentia in sensu Thomastico: non alia de causa, nisi quia deest proportio, & ordo mutuus.

26 *Ad 3.*: quidquid sit de forma corporeitatis (de qua fito loco), constat disparitas ad actum existentia. Tum quia materia cum forma corporeitatis jam non est pura potentia in linea physica, cum jam habeat actum hujus linea. Tum etiam, quia forma corporeitatis, ideo

impugnatur, quia, si vere est forma substantialis, debet esse primarius & praecipuus actus in composito, in quo proinde non dat locum alteri formae substantiali. At neutra ratio militat in existentia materiae. Elementa vero, si non manent formaliter in Mixto, ut objectio supponit, falso dicuntur incompleta in specie Mixtorum (nisi sermo sit de incomplezione pure negativa, quo sensu lapis etiam est incompletus in specie hominis), cum sint incapacia constitutiendi talem speciem. Adde quod Elementa supponuntur in actu, non qualicumque, sed formali physico. *Ad 4.*: illa sententia ideo rejicitur, quia ponit in composito plures actus subordinatos, non qualescumque, sed physicos, & omnes quidem specificos, cum repugnet forma individua, quae det gradum pure genericum, & non pertineat ad speciem determinatam. At hujusmodi actus nostra solutio non adtruit.

*Explicatur super hac controversia mens D. Thomae.*

27 **R** *Epl. 4.*: juxta Philosophum 7. Metaph., & D. Thomam ibi lect. 13. litt. h., *Duo, quae sunt in actu, nunquam sunt unum actu: & paulo inferius addit D. Thomas: Patet, quod si substantia particularis est una, non erit ex subsistentiis in ea existentibus in actu: & paucis interjectis: Duo in actu existentia, nunquam faciunt unum.* Si ergo materia vere est ens in actu, quamvis incompleto, unquam cum forma



faciet unum per se. Confirmatur ex alijs locis D. Thomæ, ubi aperte negatur, quòd materia aliter existat, vel sit in actu, nisi per formam. V.g. q. 4. de pot. ar. 1. corp.: *Quidquid in rerum naturâ invenitur, actu existit; quod quidem non habet materia nisi per formam, quæ est actus ejus.* 1. p. q. 7. ar. 2. ad 3.: *Materia prima non existit in rerum naturâ per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentiâ tantum.* 1. 2. q. 4. ar. 5. ad 2.: *Idem est esse formæ, & materia: & hoc idem est esse compositi.* Similia docet alijs Angelicus Doctor; quem ideò Thomistæ pro se fidenter allegant.

28 Verùm, quòd D. Thomas agnoscat in materiâ partialem existentiam, proportionatam enti summe potentiâ, & imperfecto in genere substantiæ, probatur 1.: quia 1. p. q. 14. ar. 11. ad 3., cum sibi objecisset, quòd *materia, cum sit ens in potentiâ tantum, omninò est dissimilis Deo, qui est actus purus*, respondet, *Quòd materia, licet recedat à Dei similitudine secundum suam potentialitatem; tamen in quantum vel sic esse habet, similitudinem quamdam retinet Divini esse.* Consonat q. 3. de verit. ar. 5. ad 1. dicens: *Quamvis materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio primæ formæ (nempe Dei): quantumcumque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi Entis. Et secundum hoc potest habere similitudinem in Deo.* En ut materia, juxta D. Thomam, ita est potentialis, ut tamen *vel sic esse habeat*, quamvis hoc esse sit debile, ut patet, proportionatam essen-

tiâ debili, seu valde imperfectæ. En item, ut materia ita recedit ab Actu puro, ut tamen *infit ei imitatio primæ formæ*, & quidem ut existentis, quia *retinet similitudinem quamdam Divini esse, & ipsum esse materiæ est imitatio primi Entis.* His adjunge pronuntiatum illud D. Thomæ 2. cont. Gent. cap. 53. n. 4., *Assimilatio cujuslibet substantiæ creata ad Deum, est per ipsum esse.*

29 Prob. 2.: Materia, juxta D. Thomam, habet propriam bonitatem: ergo & propriam existentiam. Antecedens traditur à D. Thomâ varijs in locis, & clarissimè q. 2. de mal. ar. 2. corp. per hæc verba: *Patet, quòd id, quòd est in potentiâ, ex hoc ipso quòd est in potentiâ, habet rationem boni. Omne ergo subjectum, in quantum est in potentiâ respectu cujuscumque perfectionis, etiam Materia prima, ex hoc ipso quòd est in potentiâ, habet rationem boni.* Et nè quis diceret, rationem boni convenire materiæ, non per se ipsam, sed per formam, subdit Ang. Doctor ibi: *Materia prima potentiam habet per se ipsam; & cum potentia pertineat ad rationem boni, sequitur quòd bonum conveniat ei per se ipsam.* Consequentia verò non minus clarè ostenditur ex D. Thomâ, sæpe docente, quòd bonitas fundatur in esse. V. g. q. 21. de Verit. ar. 2. corp.: & q. 6. de pot. ar. 6. corp.. Item 1. p. q. 5. ar. 1. corp., ubi sic loquitur: *Ratio boni in hoc consistit, quòd aliquid sit appetibile... Manifestum est autem, quòd unumquodque est appetibile secundum quòd est perfectum...*

*In tantum est autem perfectum unumquodque, in quantum est actu: unde manifestum est, quòd in tantum est aliquid bonum, in quantum est ens: esse enim est actualitas omnis rei.* Confirmatur: D. Thomas 3. contr. Gent. cap. 7. n. 2. inde probat, quòd nulla essentia est mala, sed omnis est bona, quia *Unumquodque secundum suam essentiam habet esse: in quantum autem habet esse, habet aliquod bonum.* En regulam generalem, ex quâ nequit excipi materia, nisi ipsi negetur essentia propria.

30 Prob. 3. Materia prima, eo ipso quòd sit Ens in potentiâ, aliquomodo est, atque ita est ut verè computetur inter ea, quæ sunt, ideòque verè causetur à Deo: sed materia ratione sui est ens in potentiâ, neque hoc accipit à formâ: ergo & ratione sui ita est, ut verè computetur inter ea, quæ sunt, quin hoc habeat à formâ. Major, quæ sola negari posset, expressè traditur à D. Thomâ 2. contra Gent. cap. 16. n. 11. sic: *Materia prima aliquomodo est, quia est ens in potentiâ: Deus autem est causa omnium, quæ sunt: Deus igitur est causa materiæ primæ.* Fallitur ergo, qui materiam ita concipit *Ens in potentiâ*, ut in eâ nullam esse, nullamvè existentiam concipiat: hoc enim est confundere potentiam passivam cum objectivâ, seu cum possibilitate rei non existentis; quas tamen potentias perspicue distinguit D. Thomas 1. p. q. 46. art. 1. ad 1.

31 Urgetur hoc ipsum: Materia, secundum quòd est ens in po-

tentiâ, competit habere causam agentem, videlicet Deum creantem, ut docet D. Thomas cit. loco 2. contra Gent., & sæpe alijs: sed *Unicuique competit habere causam agentem, secundum quòd habet esse*, ut ait Angelic. Doctor 1. p. q. 44. ar. 1. ad 3.: materia igitur habet esse, secundum quòd est ens in potentiâ. Adde, quòd D. Thomas ead. quæst. art. 2. corp. agnoscit in rebus compositis aliquod esse præter id, quod provenit à formis substantialibus, & accidentalibus; & inde colligit materiam primam à Deo creari, ut scilicet totum esse rerum causetur à Deo. Quare ibid. ad 3., *Oportet, inquit, quòd etiam illud, quod se habet ex parte potentiæ, sit creatum, si totum, quod ad esse ipsius pertinet, creatum est.*

32 Itaque apud D. Thomam non semper eodem sensu accipitur verbum esse, vel ens in actu. Interdum accipitur transcendentallyter, prout convenit omni enti, ut est ens: quò spectat illud 1. p. q. 5. ar. 1 corp., *Esse est actualitas omnis rei*, & ibi ar. 3. corp., *Omne ens, in quantum est ens, est in actu, & quodammodo perfectum; quia omnis actus perfectio quædam est.* Hoc sensu materiam ratione sui dicimus esse in actu, & habere esse; idemque sentit D. Thomas, ut ostendimus; nec potest negari, nisi materiæ negetur vera ratio entis.

33 Interdum verò accipitur pro existentia Suppositi, vel pro substantiâ propria substantiæ completæ, ut patet q. unica. de Spirit. Creatis ar. 1. ad 8. ibi: *Materia*



non proprie potest dici quod est, cum non sit nisi in potentia: sed quod est, est id, quod subsistit in esse; quod quidem in substantijs corporeis est ipsam compositum ex materia & forma; in substantijs autem incorporeis est ipsa forma simplex. Hoc sensu nos etiam cum D. Thomâ negamus, materiam esse, nisi per formam. Si quæras, cur non etiam forma dicitur esse per materiam, cum per eam reddatur etiam substantia completa? Respondeo, causam esse, quia forma determinat materiam ad certam speciem entis completi, non è converso: unde potius dicitur corpus in esse hominis constitui per animam, quam vice versa.

34 Interdum præterea accipitur pro actu simpliciter dicto; quo nomine venit, vel actus respectivas phycus, quia in eo sita est præcipua perfectio, & actualitas substantiæ compositæ; vel actus absolutus simpliciter talis, cuiusmodi est Angelus (vide supra n. 3. 4. & 5.), non autem actus absolutus secundum quid, qualis est materia; quia actualitas illius, eo quod valde imperfecta sit, & pure potentialis in linea phycâ, quasi pro nulla reputatur. Hinc D. Thomas 1. p. q. 5. ar. 2. ad 2. de materiâ primâ loquens dicit, *per non existentia* intelligi posse, *non ea simpliciter, quæ penitus non sunt, sed ea, quæ sunt in potentia, & non in actu.* Materia ergo dicitur *non existens*, non quia penitus non est (nam aliquomodo est, ut aiebat ipse S. Thomas supra cit. n. 30.), sed quia est in potentia, & non in actu simpliciter dicto, ideo-

que eas existentia quasi nulla despicitur.

35 Huc etiam facit illud S. Thomæ Opusc. 31., *Materia... de se esse incompletum, imò nullum esse habet, ut dicit Commentator in 2. de Anima: unde simpliciter loquendo forma dat esse materia. En, quo sensu esse incompletum materia dicatur nullum esse, nimirum simpliciter loquendo.* Illud iterum ejusdem S. Doctoris in 1. Physic. lect. 15. lit. b, *Materia est propè rem, & est aliqua'iter, quia est in potentia ad rem.* Et Opusc. 15. cap. 7., *Actus est potentia perfectior & magis habet de ratione essendi; non enim simpliciter esse dicimus quod est in potentia, sed solam quod est in actu.* Unde, juxta D. Thomam materia ratione sui vere existit, & est in actu essendi, non simpliciter, sed cum addito *aliqua'iter, aliquomodo*, quia habet esse incompletum, ac devile.

36 Hinc objecta testimonia 27. facile explicantur. In loco cit. in 7. Metaph. loquitur D. Thomas de actu sumpto pro divisione, ut legenti constabit; ideoque addit, *Sed duo, quæ sunt in potentia, sunt unum actu, sicut patet in partibus continui.* Quare à Thomistis, an veliat, ut duo in potentia, cuiusmodi sunt duæ materiæ primæ, sint unum actu? Præterea, tum ibi, tum in ceteris locis, commodè explicatur D. Thomas de actu completo, vel simpliciter dicto, seu de existentia, quæ talis sit simpliciter, & non cum addito *aliqua'iter*, vel *aliquomodo*. Ultimum verò testimonium accipit esse pro substantiâ propriâ S. ppositi-

## Perficitur Argumentorum solutio.

1 **O**bjic. 3.: Eatenus plura possunt dici unum, quatenus participant aliquid ipsas commune, quod sit unum per identitatem; nam, si nihil est commune, sed singula sunt singulis propria, non dabitur unitas, sed pluralitas. Sic ea, quæ sunt unum cognitione, loco, aut tempore, ideo unum sunt, quia comprehenduntur unâ cognitione, &c.. Ut ergo materia, & forma vere constituent unum per se existens, dari debet unica actualitas existentia utrique communis. *Confirm.* 1.: quia duo entia in actu, sunt simpliciter plura entia: ergo ex ijs constitui nequit ens simpliciter unum.

2 *Confirm.* 2.: principium activum, & passivum actuantur eodem actu de lineâ operandi, scilicet unâ operatione, quæ realiter est actio & passio: ergo pariter materia, & forma, quæ sunt principium passivum, & activum de lineâ essendi, actuari debent eodem actu essendi, videlicet eadem existentia. Patet Consequentia: quia utrobique se habet utrumque principium per modum unius; imò conjunctio formæ cum materiâ major est, quam principij activi cum passivo. *Confirm.* 3.: materia & forma lapidis per eandem quantitatem extenduntur, & per eandem albedinem redduntur albæ: ergo per eandem existentiam existunt. *Confirm.* 4.: unum per se dicitur quod est unum unitate formæ, seu rationis forma-

lis; sed ratio formalis Entis est esse: ergo compositum ex materiâ & formâ, dici nequit ens unum per se, nisi habeat unicum esse.

3 *Resp. ad object.* Doctrina Antecedentis, generatim accepta, falsa est, nisi loquatur de unionne, vel nexu, qui debet esse mutuus, & communis partibus in unum copulatis. Nam quid aliud commune designabis in partibus unius Republicæ, quæ democraticè gubernetur? vel in partibus Mundi corporei? vel, ut propius accedam, in composito substantiali essentialiter sumpto? Certè materia & forma faciunt essentiam per se unam, & quidem proprio ad existentiam juxta Thomistas: in quo ergo uno, nisi in unionne mutuâ, conveniunt illæ plures essentia partiales, ut dicantur essentia composita per se una? Quod de essentijs dixeris, tibi dictum habe pro existentijs.

4 *Ad 1. Confirm.* Communi usu non dicuntur simpliciter plura, nisi quæ sunt actu divisa, vel nullo naturali nexu copulata: quo sensu *neg. Antecedens*, intellectum de materiâ, & formâ intra compositum. Si tamen vocare velis *simpliciter plura*, quæ sunt verè distincta, & existentia; potest utique fieri unum ex pluribus; non quidem in eâ ratione, in quâ sunt plura, nempe in ratione partis, vel entis incompleti; sed in aliâ ratione, scilicet in ratione entis completi: quod tu ipse fateri debes in essentia unâ, constitutâ ex pluribus. *Ad 2.* Redit eadem instantia materiæ & formæ constituentium unam essentiam. Et præterea solam in-



inde infertur, quod sicut unica operatio est exercitium utriusque principij extrinseci, activi, & passivi, ita unica unio est exercitium intrinsecè principandi respectu materiæ, & formæ; quod ultrò fatemur. Nec materia & forma sunt principia in lineâ essendi utcumque, sed in lineâ essendi complete; quo sensu actualitas essendi est unio ipsa. *Ad 3. neg. Conseq.*: quia non eadem ratio utrobique militat.

5 *Ad 4.* Major in primis obscura est, & absolute falsa: nam Unum per se, dum simplex est, dicitur unum ab identitate prædicatorum; dum est compositum, dicitur unum ab unione partium ejusdem generis naturaliter unibilium, vel etiam ab unitate formæ physicæ, ut ait D. Thomas 2. contr. Gent. cap. 58.. Deinde Minor etiam est falsa juxta Thomistas, si loquatur de Ente essentialiter sumpto; si enim *esse*, sive existentia, foret ratio formalis essentia, non distingueretur ab ipsa. Si verò loquatur de Ente prout existenti, sic ratio formalis erit existentia, vel simplex, vel composita, prout fuerit ipsum ens. Quod si nomine *rationis formalis* intelligas differentiam physicam; tunc formalis ratio Entis compositi ut complete existentis, erit solum *esse* formæ, quin inde sequatur, quod materia non habeat proprium *esse*; sicut ex eo quod sola essentia formæ sit in hoc sensu ratio formalis essentia complete, non sequitur, quod materia non habeat propriam essentiam.

6 *Obje.* 4.: Generatio substantialis ab alteratione distinguitur

in eo, quod generatio dat esse simpliciter, alteratio verò dat esse secundum quid: & hinc inferunt Aristoteles & D. Thomas contra veteres Philosophos, materiam primam non præsupponi ens actu; sic enim jam præhaberet esse simpliciter, foretque tota substantia rerum, juxta illud D. Thomæ Opusc. 15. cap. 7., *Ubi cumque ponitur materia Ens actu, nihil differt dicere materiam, & substantiam rei*: unde quæcumque forma superveniens foret accidentalis, tantum afferens esse secundum quid; ac proinde omnis productio foret alteratio. At, si materia propriam habet existentiam, præsupponitur ens actu, & habens esse simpliciter: ergo de medio tollitur generatio, & forma substantialis.

7 *Confirm.*: Si materia præsupponitur in actu ante formam, non est unde impugnentur dicentes materiam esse totam rei substantiam, ita ut omnis forma superveniens, sit accidentalis. Nam si dicas, materiam præsupponi in actu incompleto in genere substantia, qui expectat complementum ejusdem generis; petis principium: quia hoc ipsum est, quod Adversarij negant. Si dicas, materiam non præsupponi completam in specie ignis, aut lapidis, aut equi, &c.: dicent, similiter non præsupponi completam in specie artefacti, nec in specie albi, calidi, &c., quin ideò complementa ista sint substantialia. Mitto recursus alios, quos fuse rejicit Palancus. Quibus addi potest ex Bayonâ, quod forma ignis v. g. non est unde probetur substantialis.

Nam

Nam in primis non dat subjecto esse simpliciter ( siquidem subjectum per existentiam propriam supponitur absolute & simpliciter esse in reum naturâ ), sed tantum esse cum addito, nempe esse ignem: hoc autem etiam dat forma accidentalis, nempe esse album, calidum, &c.. Deinde non dat esse subjecto secundum se, sed tantum composito ut tali: & hoc etiam præstat albedo respectu compositi ex ipsâ & subjecto resultantis. Denique, quod à subjecto naturaliter exigatur, nihil probat: nam similiter calor ab igne exigatur.

8 *Respond. ad object.* Apud Aristotelem, & D. Thomam, nomine *Entis in actu* absolute dicti, & habentis *esse simpliciter*, plerumque venit ens in actu physico, vel ens substantialiter completum, constitutumque in aliquâ specie physicâ elementorum, aut mixtorum. Idcirco materia non dicitur absolute Ens actu, nec habens esse simpliciter, nisi per formam. Idcirco etiam materia foret tota substantia rei, si foret ens actu: sic enim esset substantia physice completa; ac proinde non nisi ad formas accidentales ordinabilis. Unde sequeretur, quod omnis nova productio esset alteratio, sive mutatio accidentalis; nulla verò esset generatio, cum hæc dare debeat esse simpliciter, idest, esse substantiale physice completum, atque adeò non illud præsupponat in materiâ. Aliquando tamen dicitur *ens simpliciter*, quod jam habet aliquod *esse* condistinctum à nihilo: & hoc sensu generatio, quæ est actio agentium

creatorum, non dat esse simpliciter, nec facit Ens simpliciter, sed *ens hoc*, v. g. hominem, aut lapidem; ut expressè docet D. Thomas 2. contr. Gent. cap. 16. & 21.

9 *Ad Confirm.* Quære à Thomistis, unde probent formam substantialem à materiâ realiter distinctam, contra Cartesianos, & Atomistas? An ex eo, quod materia sit pura potentia nullum habens *esse*? At hoc ipsum est, quod negant illi Philosophi, contententes, materiam esse totam rei substantiam: qui prætereà dicent, Thomistas vitioso circulo ludere; probant enim, materiam non esse ens actu, quia facit unum per se cum formâ substantiali; formam autem esse substantialem probant, quia supervenit materiæ, tamquam enti in potentiâ, & non in actu. Constet ergo, probationem formæ substantialis aliunde petendam esse, quàm ex Thomistica potentialitate materiæ; ut agnoscunt vel ipsi Thomistæ, qui, dum agunt contra Philosophos Corpusculares, argumentis utantur longe diversis: v. g. quod lupus & ovis substantialiter differunt, ut patet ex diversitate operationum, & proprietatum accidentalium, quæ diversam radicem substantialem necessario supponit: sed non differunt in materiâ: ergo in aliquâ parte substantiali, quæ materiæ superadditur, & illam contrahit ad certam speciem substantia complete: hanc autem partem vocamus formam substantialem; ex cuius positione rectè sequitur, quod materia ex se non est substantia completa, sed ordinatur ad conf-



eritendum unum cum alia compar-  
te ejusdem generis. Sed de hoc latius  
disp. 4.

10. Non ergo principium  
petimus, dum materiam dicimus  
esse in actu incompleto; sed hoc de-  
ducimus ex aliunde probatâ ordina-  
tione illius ad complementum sui  
generis. Nec item ex incompletione  
materie probamus formam substan-  
tialiam lapidis, aut equi: sed è con-  
verso, quia forma hæc aliunde pro-  
batur substantialis potius quam for-  
ma artefacti, vel albi, calidi, &c.,  
ideò materiam dicimus substantia-  
liter incompletam. Præterea, quamvis  
materia propriam existentiam ha-  
beat, potest à formâ ignis accipere  
esse simpliciter, ex num. 8.; quod  
quidem potest etiam vocari *esse cum*  
*addito*, non alienante, sed contra-  
hente ad certam speciem substantiæ  
compleri. Et, licet subjectum ab eâ  
formâ non accipiat suam esse partia-  
le, accipit tamen esse physicè com-  
pletum; hoc enim à formâ simul da-  
tur composito per identitatem, &  
subjecto per unionem: quia in re  
convenit quidem forma ignis cum  
albedine; sed in eo differt, quòd illa  
dat esse substantiale, albedo autem ac-  
cidentalitè: sicut etiam à calore differt  
in eo, quòd à subjecto exigatur ut  
complementum proprii generis, cal-  
or autem ut proprietatis generis  
diversi.

11. *Obje.* 5.: Existentia pro-  
pria materie, nec potest cum mate-  
riâ identificari, nec ab eâ distingui.  
*Non identificari*: quia repugnat,  
quòd materia ipsa sit actus entitati-  
vus. 1.: quia foret alioqui non mi-

nus actualis, quam forma; nam actus  
entitativus non minus est actus,  
quam formalis. 2.: quia repug-  
nat actus creatus, cui non res-  
pondeat potentia receptiva; materie  
autem nulla potentia receptiva res-  
pondet; alioqui non esset primum  
subjectum. *Non deinde distingui*:  
quia inde fieret, materiam pro prio-  
ri ad formam, esse compositam ex  
subjecto & actu, nempe ex essentia  
& existentia. Hinc autem sequitur 1.,  
quòd materia non comparatur ad  
formam ut primum subjectum, sed  
ut quid constitutum ex alio subjec-  
to. Sequitur 2., quòd forma non est  
actus primus materie, cum adve-  
niat post alium actum, scilicet post  
existentiam.

12. *Resp.* Neutro ex capite  
bene impugnatur existentia mate-  
riæ. Non inprimis ex capite identi-  
tatis: quia non ideò materia erit  
equè actualis, ac forma: cum enim  
actualitas idem sit, ac perfectio, præ-  
fertim specificativa, ac distinctiva,  
illud est actualius, quod est perfec-  
tius, magisque vim habet specifi-  
candi, ac distinguendi: quo in mu-  
nere actus formalis superat entitati-  
vum cum materia identificatum;  
quia non solum semetipsum, sed  
totum etiam compositum specificat.  
Quod autem repugnet actus creatus,  
cui non respondeat potentia recep-  
tiva, verum est de actu respectivo, non  
de absoluto, ut patet in substantiâ  
Angeli. Vide cap. præced. à n. 3. ad 5.

13. Dices: talis actus abso-  
lutus erit actus purus, utpotè carens  
omni potentialitate. Sed quæro abs-  
te, cur substantia Angeli non sit ac-  
tus

tus purus, omnis potentialitatis ex-  
pers? Si dicas, substantiam Angeli,  
quamvis non dicat ordinem ad po-  
tentiam receptivam, in quâ reci-  
piatur, secum tamen identificare  
potentiam receptivam suarum pro-  
prietatum, & operationum; id tibi  
dictum puta de materia, quæ pari-  
ter secum identificat potentiam re-  
ceptivam formarum substantialium,  
& accidentalium. Insites: actus &  
potentia non possunt identificari,  
cum sint differentia entis opposita.  
Sed quomodo identificantur in An-  
gelo? quomodo etiam in Animâ ra-  
tionali, quæ simul est actus corpo-  
ris, & potentia receptiva proprieta-  
tum, & actuum spiritualium? Non  
alia certè ratio est, nisi quia actus &  
potentia non sunt respectu ejusdem  
termini: quod pariter verificatur in  
materia; quippe quæ non est actus  
respectu formarum, ad quas est po-  
tentia, sed solum est actus, quate-  
nus est in se perfectio quædam ex-  
cludens suum nihilum.

14. Non deinde ex capite  
distinctionis, quam in præsentem per-  
mittimus. Nam, si essentia ab exis-  
tentiâ distinguitur, subjectum re-  
ceptivum formæ est sola essentia ma-  
teriæ, & hæc non constituitur ex alio  
subjecto, nec in alio recipitur; ac  
proinde est subjectum primum. Re-  
quirit quidem essentia hæc actum  
existentiæ, ut constituatur actualiter  
potens recipere formam: attamen  
existentia non est potentia receptiva  
formæ, ne partialiter quidem; sed  
est tantum conditio essentialiter re-  
quisita, ut essentia materie gerat  
munus potentie receptivæ. Sic, juxta

Thomistas, causa efficiens nequit  
intelligi simpliciter potens operari  
sine propria existentia; quæ tamen  
non est virtus operativa, sed condi-  
tio essentialiter requisita, ut essentia  
operetur. Sic etiam Voluntas non est  
proxime potens amare sine cogni-  
tione objecti; quæ tamen cognitio  
non est virtus amandi, sed conditio.

15. Forma item est actus pri-  
mus materie, non ordine executio-  
nis, sed ordine intentionis, & dig-  
nitatis: quia est actus ille, quem  
primariò & principaliter natura in-  
tendit, & propter quem exequitur  
alios actus; natura enim præcipue  
intendit esse compositi, quod à for-  
mâ provenit: prius tamen exequi-  
tur actum existentie materie, & il-  
los etiam actus accidentales, qui-  
bus materia ultimò disponitur ad  
substantialem formam. *Replie.*: exis-  
tentia materie est actus substantialis:  
ergo materia pro priori ad formam  
componitur ex subjecto & actu sub-  
stantiali: ergo jam est compositum  
substantiale. Mirum, si hoc objiciant  
Thomistæ. Nam similiter probari  
poterit, quòd Angelus est Compositum  
substantiale, constitutum scilicet  
ex essentia & existentia, tam-  
quam ex subjecto & formâ substan-  
tiali: vel etiam, quòd omne corpus  
naturale continet compositum sub-  
stantiale duplex, alterum ex essentijs  
materie & formæ, alteram ex utra-  
que essentia ut subjecto, & ex actu  
existentie superaddito. Omnibus  
ergo dicendum est, quòd existen-  
tia (si ab essentia distinguitur) vel  
non est actus substantialis, vel cer-  
te non est actus de linea physica, sed



de lineâ metaphysicâ, ideòque non efficit compositionem physicam.

16 *Objc. 6.* si dantur in composito existentia partiales, ex his resultabit existentia composita per se una: hoc autem impossibile est; quia unum per se non resultat nisi ex actu & potentiâ; & una existentia nequit esse potentia respectu alterius. *Resp.* Si existentia realiter identificatur cum essentiâ, potest, & debet existentia materiæ esse potentia respectu existentia formæ, non quidem ut per illam reddatur existens in suâ entitate partiali, sed ut reddatur physicè completa. Si verò distinguitur ab essentiâ, ut nunc permittimus, dubitari posset de proportione actus & potentiæ inter existentias materiæ & formæ, præsertim si non sint res, sed modi. Nihilominus eam proportionem admittimus ex doctrinâ, quam in simili tradit Exim. Doctor disp. 34. Metaph. sect. 5. à n. 22., dicimusque, existentiam materiæ esse perfectibilem, & actuabilem per existentiam formæ, & ex utrâque fieri existentiam compositam per se unam.

17 Sed contra hoc multa replicant Thomistæ. 1.: repugnat, quòd una existentia reddatur existens per alteram, nec completè, nec incompletè; sicut repugnat, quòd una quantitas, aut qualitas, reddatur quanta, vel qualificata per alteram, etiam cum addito completè. *Resp.* Existentia materiæ per existentiam formæ non redditur existens in suâ specie partiali & incompletâ, sed tantum in specie physicâ completâ, v. g. in specie ignis, aut lapidis: quâ

in re non major est repugnantia, quàm in eo, quòd una essentia, vel substantia partialis, per aliam reddatur habens essentiam, vel substantiam in specie completâ. Exemplum quantitatis non est ad rem; quia quantitas nullo titulo probatur apta ad unionem cum aliâ quantitate, nisi in lineâ integrali, seu continuativâ. At existentia correspondet essentia, ac proinde, ubi essentia est composita ex duabus partialibus, debet existentia similiter esse composita; quia *Unumquodque secundum suam essentiam habet esse*, ut aiebat D. Thomas 3. cont. Gent. cap. 7.. Exemplum qualitatis retorquetur: nam potentia intellectiva, quæ juxta Thomistas est qualitas, recipit suos actus & habitus, qui sunt etiam de genere qualitatis.

18 *Replc. 2.* una forma physica non est actuabilis per aliam, nec una differentia metaphysica per aliam determinabilis: ergo nec una existentia potest actuari, & perfici per aliam. *Resp.* Antecedens falsum est de formâ physicâ accidentali, ut patet exemplo intellectivæ potentiæ, atque etiam quantitatis, quæ per qualitates actuatur. De substantiali formâ idem dicunt, qui formam corporeitatis defendunt: & qui aliter sentiunt, moventur eâ ratione, quam indicavimus cap. præc. n. 26., & quæ non militat in existentia materiæ. Alterum exemplum planè retorquetur: nam differentia metaphysicâ subalteræ per differentiam intimam determinantur.

19 *Insistes*; existentia com-

parari debet ultimæ differentia; quia est actus secundus in lineâ entis; & actus secundus cujusvis lineæ, est ultimus in eâ. Hinc D. Thomas q. 7. de pot. ar. 2. ad 9. dicit, quòd *esse nihil additur quòd sit eo formalius, ipsum determinans, sicut actus potentiam*. *Resp.* Existentia est actus secundus potentiæ objectivæ, & est actus ultimus in lineâ entis, non quomodolibet accepti, sed ut discreti à nihilo, prout fuerit essentia, partialis, vel totalis: quare existentia materiæ reddit essentiam ejus ultimò positam extra nihilum sui. Cum hoc tamen bene coheret, quòd sit ulterius actuabilis in lineâ entis physicè completi; sicut ultima differentia essentialis actuatur ulterius in lineâ individuali. D. Thomas loquitur ibi de *esse* completo, & subsistenti per modum suppositi, ut constabit attentè legenti.

20 *Replc. 3.* repugnat existentia partialis & potentialis. *Prob. 1.* existentia in communi, cum ex formali suo conceptu sit actualitas, non est contrahibilis per id, quòd secundum ultimam differentiam est extra lineam actus: sed existentia potentialis est extra lineam actus secundum ultimam differentiam sui, quæ est potentialitas: ergo &c. 2.: primum in quocumque genere, est in eo genere completum; quia est id, à quo cetera sunt talia, & non participat ab alijs, v. g. relatio in lineâ referendi, quantitas in lineâ extendendi, formæ in lineâ dandi speciem: sed existentia est primum principium in genere existendi: ergo repugnat existentia, quæ non sit

completa. 3.: existentia non datur existentia: quia est ratio formalis existendi, & rationis formalis non datur alia ratio, alioquin daretur actionis actio, & unionis unio: ergo repugnat existentia partialis, quæ sit potentia ad aliam existentiam.

21 *Resp. neg. assumpt.*, quin obstant probationes. *Ad 1.* Potentialitas, quæ invenitur in existentia materiæ, non est extra lineam actus metaphysici (de quâ lineâ est actualitas existentia in communi), cum sit formalitas contrahens existentiam ut sic: solum ergo est extra lineam actus physici, in quâ tantum lineâ est actuabilis per existentiam formæ; hæc enim ad illam comparatur, non ut actus metaphysicus, aut entitativus, sed ut actus physicus. *Ad 2.* Multa ibi dicuntur gratis, aut indigeste. Numquid tam materia, quàm forma, non est primum principium in genere constituendi corpus naturale? An propterea qualibet earum est quid completum in hoc genere? Si dicas forsitan, quamlibet earum esse completam in suo genere partiali, alteram in genere primi subjecti, alteram in genere actus: dicam pariter, existentiam materiæ esse completam in genere existendi subjectivo (in quo solo erit primum principium), non verò in omni genere existendi. *Ad 3.* In eo sensu, in quo existentia est ratio formalis existendi, nequit actuari per aliam existentiam: unde, quia existentia materiæ est ratio formalis ponendi essentiam ejus extra nihilum, in hoc sensu non indiget aliâ. Ceterum; quia non est ratio



formalis existendi in specie physica completa, ideo in hoc sensu potest actu ari per existentiam formæ.

22 Ex dictis facile solves alias objectiones: ut, quod *esse est propter operari*, juxta vetus adagium; & materia prima nullam habet operationem propriam. Item, quod substantialis forma debet dare subjecto primum *esse*: tum quia in hoc differt à formâ accidentali: tum quia *esse*, quod non est primum, non est fundamentale, & substans omnibus: ergo non est substantiale. Hęc, inquam, facile solves. Primum; si intelligas illud *operari* de operatione, vel propriâ ipsius *esse*, vel compositi ex tali *esse* constituti: vel si dicas, quod *esse* est propter *operari* in rebus activis; at in passivis est propter *patis*. Secundum; si dicas, *esse* substantiale, quod à formâ datur, esse *primum*, idest primum, & principale, cujusmodi non datur ab accidentibus: esse item fundamentale, & substans omnibus, quæ superveniunt enti physice completo.

*Solvitur Argumentum desumptum ex distinctione permissâ inter essentiam & existentiam.*

23 **O**bjic. ult.: si essentia distinguitur ab existentia, ut modo permitimus, ruit præcipuum nostræ sententiæ fundamentum. Nam essentia materiæ (ut & rei cujuslibet) est causa materialis, & subjectum sustentativum suæ existentia, atque adeo pro signo priori ad existentiam

intelligitur producta, distincta à nihilo, exigens, & potens recipere actum existentia: & tamen nondum intelligitur existens, ut est manifestum: quàmvis ergo similia verificentur de materiâ pro priori ad formam, ut prima nostra probatio ponderabat, non ideo materia debet intelligi existens ante formam.

24 *Resp.* Negandam est omnino, quod essentia sit causa materialis existentia suæ, quàmvis ab eâ distinguatur. 1.: quia sequeretur inde, quod essentia causaret semetipsam quoad primum *esse*, foretque sibi ipsi verè, ac proprie causa essendi, ac sibi deberet existentiam in vero ac proprio sensu: causa enim materialis, juxta Thomistas, est vera & propria causa. 2.: quia materialis causa sustentativa dicitur illa, ex qua, tamquam ex præsupposito subjecto, educitur aliqua formæ: si autem existentia educeretur ex essentia, cujus est, sequeretur, quod existentia omnis creaturæ foret educta; atque adeo etiam existentia animæ rationalis, aut Angeli, educta esset: hoc autem dici non potest, nisi absurdè dicatur, quod Angelus ut actu existens, non est creatus, sed genitus.

25 Itaque, si essentia & existentia distinguuntur, utraque produci debet per eandem actionem, ita ut repugnet productio terminata ad essentiam, quin simul terminetur ad existentiam. Tum quia *Productio rei terminatur ad esse rei*, ut inquit D. Thomas q. 5. de verit. ar. 4. ad 6.: & *Omnis actio activa potentia terminatur ad esse*, ut ait idem Ang. Doc-

Doctor q. 1. de pot. ar. 3. corp. Tum quia non aliter quidditas creatur, nisi quatenus ipsi tribuitur *esse* per creationem, ut item docet D. Thomas q. 3. de pot. ar. 5. ad 2. Tum etiam, quia ita docet expressè Thomistarum Princeps Capreolus in 1. dist. 8. q. 1., de mente D. Thomæ dicens: *Esse non se habet ad essentiam, ut accidens ad subjectum: & ideo non oportet, quod essentia prius creetur, quàm esse; sed eadem creatione producit essentia, & acquiritur esse.* Idem Author docet ibidem, quod, dum essentia creationem terminat, existentia est ratio formalis terminandi, & formalis terminus creationis.

26 Hinc negandum est, quod essentia intelligatur producta pro priori ad existentiam: potius enim, si fieri posset, existentia deberet intelligi producta pro priori ad essentiam, cum hæc non terminet productionem, nisi ratione existentia. Certè repugnat, quod aliquid actionem terminet præcindendo à ratione formali terminandi; sicut implicat, quod objectum visibile terminet visionem præcindendo à colore, seu luce, quæ est ratio formalis cur videatur. Negandum item, quod essentia respectu existentia prioritatem ullam physicam habeat. Tum quia prioritas physica fundatur in munere causæ; quod munus habere requirit essentia respectu existentia, ut vidimus. Tum etiam, quia termini per eandem actionem producti, debent intelligi in eodem nature signa indivisibili, saltem quando unus est alteri ratio formalis cur producat.

27 Negandum præterea, quod essentia respectu existentia sit *subjectum sustentativum*, si hoc nomen accipiatur, ut solet, pro causâ materiali, vel subjecto, ex quo præsupposito educitur forma. Si autem præter morem accipiatur pro subjecto, sine quo stare nequit forma, quæ tamen ab eo in nullo genere causetur; transeat quod essentia dicatur subjectum sustentativum existentia: ceterum hoc genus subjecti nullam requirit prioritatem physicam. Rectius essentia respectu existentia vocabitur subjectum *adhesionis*, sicut Nostri dicere solent de substantiâ Angeli respectu modi creationis, quem terminat. Vel dicatur, si placeat, subjectum *pura informationis*, de cujus conceptu non est prioritas; ut notavimus cap. 2. n. 15. Quocirca falsò dicitur, quod essentia pro priori ad existentiam intelligitur producta, distincta à nihilo, & physice potens recipere existentiam: nam, ut ait D. Thomas q. 3. de pot. ar. 5. ad 2., *Quidditas, antequàm esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creatis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia.* Quidditas ergo, dum concipitur ante existentiam, non concipitur potens, nisi logicè, vel objective.

28 Quod si aliquando indicat D. Thomas, essentiam præsupponi ad existentiam more subjecti receptivi, debet intelligi vel de prioritate logicâ, vel de prioritate connotativâ, seu ex modo nostro concipiendi, quatenus essentiam concipimus per species subjecti præsuppositi, sicut Angelum per species



juvenis. Ubi nota, quod existentia rei substantialis, licet ab essentia distinguatur, non est accidens physicum, sed reducitur ad genus substantiae, juxta Thomistas, nominatum Capreolum loc. cit.. Quare existentia substantiae per creationem productae non indiget subiecto praesupposito: existentia vero substantiae genitae, vel eductae, habet quidem subiectum praesuppositum, sed illud ipsum, quod habet essentia, cuius est.

29 Nota insuper, quod essentia, sive pro priori, sive concomitanter, non potest concipi actualis, sive in actu posita, praescindendo ab existentia; sed ut summum poterit concipi praescindens ab actuali & possibili, sive ab statibus possibilitatis & existentiae. Quare potentia propria subiecti adhesionis, vel informationis, quam habet essentia respectu existentiae, non potest intelligi actualis & physica, nisi per existentiam ipsam, per quam habet essentia, non quidem quod sit absolute potens & apta ad existendum, sed quod sit tali modo potens, scilicet actualiter, & physice. Non ab similitur discurret Collegium S. Thomae q. 7. Physic. ar. 3. §. 3.; nisi quod prioritatem admittit, quam nos negamus.

30 Ex his habes, quo sensu admitti possit hypothesis de distinctione essentiae ab existentia. Non enim tenemur eam admittere cum ijs omnibus conditionibus, quas Thomistis placeat statuere; sed cum illis tantummodo, quas dicit ratio, & auctoritas D. Thomae, mag-

norumque Thomistarum, & quae nullam repugnantiam involvunt praesentis controversiae propriae. Sic autem admissa hypothesis nullo modo infirmat argumenta nostra, ut patebit consideranti.

*Deciditur ex dictis quaestiuicula duplex.*

31 **E**X dictis inferes 1., quid dicendum ad quaestiuiculam hic excitari solitam, An scilicet, supposita distinctione essentiae ab existentia, possint Divinitus materia & forma privari proprijs existentijs partialibus, & existere per eandem existentiam, quae sit unica totius Compositi? Affirmandum enim est, dummodo tamen unica actione concomitanter creentur materia & forma simul cum eiusmodi existentia, vel, si distinctis actionibus producantur, utraque actio sit creatio, & utraque ad existentiam illam indivisibilem terminetur. Ratio affirmandi est: quia in hoc eventu miraculoso cessarent inconvenientia omnia supra tacta; & aliunde nulla contradictio apparet.

32 Inferes 2. decisionem alterius quaestiuiculae hinc subortae, Utrum scilicet in eo eventu existentia illa totalis & indivisibilis, dicenda esset propria materiae potius, quam formae? an e converso? Respondet enim, illam futuram ex aequo propriam utriusque. Quia foret existentia valde diversa ab his, quibus de facto & connaturaliter existunt materia & forma, videlicet

non

non praecise commensurata cum essentia partiali formae, aut materiae, sed ex se destinata, ut utramque simul redderet existentem. Unde talis existentia non potius exigitur a materia, quam a forma, vel e converso; nam ab utraque exigitur naturaliter partialis existentia sibi commensurata, & ex suppositione

quod ista denegetur, ab utraque exigitur existentia illa totalis ratione juris, quod utraque habet ad existendum. Existentia autem, quae eodem modo exigitur a materia, & forma, & in utriusque gratiam producit, & in eodem signo communicatur utrique, non est cur dicatur propria magis unius, quam alterius.



## DISPUTATIO III.

### RELIQUA DE MATERIA PRIMA DISCUTIUNTUR.

#### CAP. I.

#### DE APPETITU MATERIAE prima erga formas.

1 **A**PPETITUS est inclinatio, seu propensio rei in bonum. Alius est *elicitus*, alius *innatus*, vel *naturalis*. Appetitus *elicitus* (ita dictus, quia elicitur, seu producit a potentia appetitiva tamquam actus ab ea distinctus) est inclinatio in bonum praecognitum ab appetente. Varias sortitur divisiones, quae non sunt huius loci. Pro re praesenti, notanda est ejus divisio in Amorem strictum, Desiderium, & Gaudium. Amor strictus est appetitus boni, praescindendo ab ejus absentia, & praesentia, non illud procurando, sed ejus bonitatem pure diligendo. Desiderium est appetitus boni absentis, ita ut illud procuret, &

quantum in se est, causet, vel causare conerur. Gaudium est appetitus, quo quis de bono praesenti delectatur.

2 Communis jam doctrina est, ad desiderium non requiri, quod bonum sit absens positive, seu quod detur carentia boni in instanti desiderij; sed sat esse, quod sit absens praecise, sive quod in signo priori ad desiderium non cognoscatur praesens, sed ab ejus absentia vel praesentia praescindatur; quamvis pro posteriori existat tale bonum tamquam effectus desiderij. Sic in eodem instanti, quo justus desiderat augmentum gratiae, ut Deo sit conjunctior, gratiam obtinet in praemium desiderij ipsius.

3 Si obiicias paritatem gaudij, quod requirit positivam praesentiam boni, saltem apprehensam: *resp.*, latum esse discrimen ex conceptu, & indole utriusque ap-



petitus. Character enim gaudij est tendere in bonum, non ut sit, sed quia est; non practicè conando adquirere, sed ut jam acquisitum approbando quasi reflexè: ad hoc autem necesse est persuasum habere, quòd bonum adest. At character desiderij est tendere in bonum, ut sit, sive ut acquiratur; ideoque est appetitus practicus, & procurativus sui objecti: ad hoc autem sufficit, quòd nondum sciatur bonum adesse, quamvis non appareat positivè absens. Si rursus objicias proloquium illud, *Privatio est causa appetitus*, scilicet desiderij, quòd antonomastice *appetitus* dicitur. *Dist.*; est causa unica, *neg.*; est causa sufficiens, *conc.* Vel aliter: privatio, quæ nondum cognoscitur exclusa, *conc.*; privatio, quæ positivè noscitur adesse, *neg.*

4 Appetitus *innatus*, improprie, & metaphoricè dicitur *appetitus*, ob quamdam proportionem, quam habet cum *elicto*, sicut cum humano risu risu prati. Vocatur itaque *appetitus innatus*, exigentia illa naturalis, quam res omnes habent ad bona sibi convenientia; ut cum levia exigunt ferri fursum, gravia deorsum. *Res omnes*, inquam: nam, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 26. ar. 1. ad 3., hujusmodi exigentia, vel appetitus, est *universaliter in omnibus rebus*: consistit enim, vel fundatur in connaturalitate; & *unaquaque res habet connaturalitatem ad id, quòd est sibi convenientis secundum suam naturam*. Hinc etiam rebus supernaturalibus inest appetitus innatus: sic

enim Gratia habitualis appetit uniri cum animà rationali, & Lumen gloriæ producere Visionem beatam. Nequis autem putet, recentem esse metaphoræ istius usum in rebus inanimis, legat elegantem Magni Augustini locum *lib. 11. de Civit. Dei cap. 28.*

5 Hujusmodi exigentia, vel appetitus naturalis, consistit in connaturalitate, ut nunc tetigi. Connaturalitas autem nihil est aliud, quàm proportio, & ordinatio nativa rei ad bonum sibi conveniens secundum suam naturam: quæ proportio, & ordinatio, vera & propria est, quamvis improprie significetur nomine *appetitus*; sicut propria est pratorum amanitas, nomine *risus* improprie significata. Ista connaturalitas plerumque importat connexionem, seu necessitatem obtinendi terminum; tunc que dici potest appetitus efficax; sic tamen, ut efficacia, vel connexio, varios gradus admittat: aliquando enim est frustrabilis per Agens naturale fortius, aliquando per solum Deum, aliquando per nullam potentiam, quandiu res permanet, ut connexio unionis cum extremis, vel actionis cum termino. Interdum tamen ea connaturalitas non fundat necessitatem, sed meram congruentiam; tunc que vocari potest appetitus inefficax, & sine violentia separabilis est ab effectu, v.g. connaturalitas aeris ad lucem.

6 Ex his colliges 1., res naturales non appetere innate, nisi bonum ex se naturaliter possibile: quia hoc solum esse potest *se. u. u. d. u. u.*

*dum naturam* talis rei: nec in re naturali datur proportio, & ordinatio nativa ad bona supernaturalia, multoque minus connexio, vel efficacia obtinendi. Colliges 2., ad appetitum innatum non sufficere meram capacitatem aliquid recipiendi; ut patet in aqua respectu caloris, vel in animali respectu doloris, vel in vate respectu liquoris. Requiritur ergo connaturalitas nuper explicat. Colliges 3., dari quoque in rebus odium, fugam, & aversionem innatam, in malum naturæ suæ contrarium. Id quòd fundatur pariter in analogia cum odio elicto, &c.

7 Multis differt appetitus innatus ab elicto. 1.: quia elictus consistit in actu distincto à potentia appetente: innatus verò identificatur cum re ipsa, vel potentia, quæ immediate appetit. Dico *immediate*: quia sepe res appetunt ignate aliquid medio accidenti, quod radicant, vel exigunt; & tunc appetitus proximus identificatur cum tali accidenti. Sic lapis appetit innate centrum mediæ gravitate, & materia prima extensionem mediæ quantitate, vel formam igneam præ alijs medio calore. Appetitus tamen, quo lapis appetit gravitatem ipsam, aut materia quantitatem, identificatur cum lapide, vel materia. 2., & consequenter: quia elictus variari potest, stante eadem potentia: innatus verò invariabilis est, non variatà re appetitiva, utpote cum ipsa identificatus.

8 3.: quia elictus cognitione appetentis præviâ dirigitur:

innatus verò solâ dirigitur cognitione Dei ut naturæ Authoris, qui res omnes ad suos fines, & status connaturales sapienter ordinat; quo sensu dicitur, *opus naturæ esse opus intelligentiæ*, scilicet Divinæ. 4.: quia elictus potest esse inordinatus, & superflua, vel inutilia velle: innatus verò utpote à Deo inditus, semper est ordinatissimus, & non nisi ad necessaria, vel saltem vere utilia fertur. Unde Aristoteles appetitui innato prudentiam attribuit. Ex quibus deduces, non esse querendam omnimodam similitudinem inter appetitum innatum, & elictum, sicut non queritur inter risum prati & hominis. Præ oculis habito, versari nos in metaphorâ. Sed jam ad appetitum Materie primæ, qui non nisi innatus esse potest, deveniamus.

*Materia prima efficaciter innate appetit Formas vagè sumptas.*

9 **A**ssertio est passim recepta, vix que indiget probatione. Nam inprimis constat, materiam naturaliter ordinari ad formam, tamquam ad bonum sibi connaturale, quo scilicet perficitur, ac substantialiter completur. Talis autem ordinatio est appetitus innatus, ut vidimus. Constat deinde, materiam connecti naturaliter cum formâ, ut probabimus cum communi sententiâ cap. 3. Hæc autem connexio est efficacia appetitus, ex num. 5.. Constat demum, materiam ex se indifferentem esse ad quamlibet for-



inam sublunarem, ita ut quavis earum substantialiter compleatur, & contenta sit. Non enim appetit plures simul habere, utpote sic naturaliter impossibiles. Nec item appetit plures successivè: tum quia sic violenta foret sub formâ tenaciori, v.g. adamantis: tum quia perpetuò foret irrequieta, cum, statim ac unam formam obtineret, inhiaret aliam: cur enim magis post annum, quam statim à primo instanti? Materia igitur appetit aliquam formam vagè sumptam; quemadmodum qui appetit aliquem equum ad equitandum, vel aliquem cibum, ne fame pereat.

10 Sed nota, materiam considerari posse in triplici signo. Primum est *signum potentia remota*, in quo materia intelligitur secundum suam tantum entitatem propriam, non modò ad formas, sed etiam ad omnes dispositiones, indifferens que ut recipiat dispositiones quascumque, sive ignis, sive lapidis, &c.. Secundum est *signum potentia proxima*, in quo materia intelligitur quidem prior formâ, sed jam cum dispositionibus ad illam, atque adeò jam non indifferens ad varias species formarum, sed determinatè connexa cum formâ unius speciei, v. g. ignis. Tertium est *signum potentia actu recipientis* formam: in quo signo materia ad nullam aliam formam est indifferens.

11 Assertio ergo proposita loquitur de materiâ in primo signo consideratâ: sic enim ejus appetitus vagatur per omnes formarum & dispositionum species. Si autem ap-

plicetur ad secundum signum, datur quidem appetitus determinatus quoad speciem formarum, non in solâ entitate materiæ, sed in dispositionibus consistens: adhuc tamen est indeterminatus quoad varias formas individuas ejusdem speciei; nam formas quoad individuum solus Deus determinat. Demùm, quòd in tertio signo nulla sit indifferencia, nihil aliud sonat, quam quòd una forma non est indifferens ad alias.

12 Nihilominus contra Assertionem *objic.* 1.: appetitus sequitur ad formam; sed materia secundum se nullam habet formam: ergo nec appetitum. *Objic.* 2.: si appetitus materiæ extenditur ad omnes formas, semper erit violentus, cum nunquam possit omnes assequi, utpote infinitas. *Objic.* 3.: vel materia, dum est sub unâ formâ, adhuc appetit alias, vel non. Si appetit: ergo 1. semper erit irrequieta, & fastidians formam præsentem: ergo 2. semper appetet ruinam compositi, quod constituit; nequit enim aliam formam obtinere, nisi amittendo quam habet. Si non appetit: ergo nunquam appetit formas absentes; quia nunquam existit, nisi sub formâ. Hæc tamen facillè diluuntur.

13 *Ad 1. dist. Maj.*: appetitus substantiæ completæ, *conc.*; substantiæ incompletæ, *neg. Maj.* & *concess. Min.*, *neg. Consequ.* *Ad 2.*: verum id esset, si appetitus extenderetur ad omnes formas collectivè, aut successivè. At non extenditur ad omnes, nisi vagè; & appetitui vago *satisfit*, si vel unus ex plu-

pluribus terminis concedatur; ut in appetitu elicitò passim accidit. *Ad 2.*: concedo primam partem, & nego utramque Consequentiam. Appetitus enim materiæ, cum in ejus entitate consistat, idem invariatus perseverat sub formâ quâlibet præsentè: &c., cum solum vagè feratur in omnes formas, non est irrequietus, dum unam obtinet, nec eam fastidit, nec ejus ruinam cupit; sed eâ contentus est, paratus tamen similiter contentus esse quâlibet aliâ, si advenerit. Id quod patet exemplo appetitus elicitò cupientis aliquem equum ad iter agendum, si nimirum perseveret idem ætus, postquam obtinet equum A. Aliud est non resistere ruinæ compositi præsentis; aliud eam appetere.

14 *Replie.* 1.: appetitus materiæ identificatur cum ejus entitate determinatâ: ergo non est indeterminatus, aut vagus. *Dist. Consequ.*: non est indeterminatus subjectivè, aut entitativè, *conc.*; terminativè, *neg. Consequ.*; non enim connectitur cum formâ determinatâ, sed cum aliquâ ex pluribus. Res est clara, & mille exemplis obvia, tum appetitus elicitò, tum connexionis naturalis, quæ sæpe vaga est terminativè, v. g. connexio libertatis cum amore vel odio.

15 *Replie.* 2.: materia formam appetit eo modo, quo forma potest existere; sed non potest existere, nisi determinatâ; repugnat enim à parte rei quidquam existere indeterminatum, & vagum: ergo materia formam appetit determinatam. *Dist. Maj.*: formam unam præ-

alijs, *neg.*; formam unam & multis, quæ sit individua, ac designabilis, dum existit, *conc. Maj.*. Tum *dist. Min.*: nisi determinata, id est, una præ alijs, *neg.*; nisi determinata, id est, individua, ac designabilis, quæcumque illa sit, *conc. Min.*; & similiter *dist. Consequ.* Itaque materia appetit sibi dari formam, quæ, dum existit, verè sit individua, ac designabilis, atque adeò determinata. Cum tamen possibiles sint plures formæ determinatæ, quarum quâlibet materiæ sufficit, idcirco materia non determinat unam præ alijs, sed hanc determinationem relinquit alijs causis, præsertim Causæ primæ. Exempla, & instantias habes in appetitu elicitò, & in quavis connexionione vagâ cum termino, qui ab alienâ determinatione pendet.

16 Moneo tamen, ne connexio indeterminata ( idem est de appetitu ) cum conditionali confundatur, quasi solum perat unum extremum sub conditione quòd non detur alterum. Differunt enim 1.: quia indeterminata potest esse efficaciter illativa alicujus è pluribus terminis: conditionalis verò nihil absolutè infert, donec ponatur conditio; sed interim quasi suspenditur; nec conditionem ipsam, aut ejus carentiam inferre debet; alioquin jam erit connexio absoluta. 2.: quia, ubi adest connexio propriè conditionalis, prius debet poni conditio, quam ponatur conditionatum: at connexio indeterminata sæpe fertur in extrema, quorum unius exclusio non est prior, sed



posterior positione alterius; & tunc improprie dicitur exigi unum sub conditione quod non detur alterum. Sic accidit in re presenti: nam exclusio unius forme a materia non præcedit, sed subsequitur introductionem alterius forme.

17 3.: quia sæpe datur connexio vaga cum extremis immediate contradijorijs, v. g. connexio Dei cum Mundo, vel Mundi carentia. Tunc autem locum non habet connexio conditionalis. Inepte quippe dices, exigi Mundum sub conditione quod desit Mundi carentia; cum idem formaliter sit deesse carentiam Mundi, ac dari Mundum. Dices: cum adest connexio vaga inferens unum è duobus, vere colligimus dari unum, si non datur alterum. Fateor: verum hic dicendi modus non est proprie conditionalis, sed arguitivus, aut illativus a posteriori. Sic hæc propositio, *Si Petrus loquitur, linguam habet*, non est conditionalis, quasi locutio Petri sit conditio, ut linguam habeat; sed est arguitiva, & sic exponenda: *Petrus loquitur, ergo linguam habet*. Eodem modo exponi debet in re presenti propositio hæc: *Materia, si non habet hanc formam, habet aliam*.

*Materia prima aequaliter appetit omnes Formas appetitu efficaci: appetitu tamen inefficaci magis appetit Formas perfectiores.*

18 **S**ic in concordiam rediguntur contrarias Authorum sententias: quorum aliqui ab-

solute volunt, materiam magis appetere formas perfectiores, quam imperfectiores: plerique vero id absolute negant. Voco autem appetitum efficacem, qui termini positionem infert, nisi obsistat causa robustior; seu qui violentiam patitur, si frustratur: inefficacem vero, qui sine violentia carere potest effectu, instar simplicis velleitatis, aut inclinationis elicite. *Probat*ur ergo *prima pars*. 1. ex indifferentia naturali ad omnes formas sublunares, quam omnes agnoscunt in materia. Talis quippe indifferentia stare nequit cum appetitu efficaci ad has formarum species præ alijs, ita ut sub unis contenta sit, sub alijs violenta. Sic lapis non est naturaliter indifferens ad motum fursum, vel deorsum.

19 Urgetur: nemo negat, quamlibet formam esse bonum connaturale materie: at non ita esset, si materia efficaciter appeteret formam vitalem v. g. præ non vitali. Patet hoc, tum ratione: quia nequit esse bonum connaturale materie, quod facit materiam esse violentam, & privari bono efficaciter appetito; sicuti faceret forma non vitalis in materia existens. Tum exemplo: nam ideò calor non est connaturalis respectu aquæ, quia privat aquam frigore, quod illa efficaciter appetit, indeque facit esse violentam.

20 2.: quia ex contraria sententia sequeretur, omnes individas totius Mundi materias actu esse violentas, præter eas, quæ per animas racionales informantur: imò &

& istas quoque violentas esse, quia privantur alijs animabus possibilibus, quæ perfectiores sicut existentibus de facto. Sequela autem absurda est, & à nemine concedi videtur. Frustrà quippe materie datus esset appetitus efficax, qui ex directâ intentione Authoris nature semper violaretur. 3.: quia appetitus efficacax ad formas perfectiores foret inordinatus, tum quia insatiabilis, tum quia contrarius bono totius Universi, quod per se exigit varietatem, & inæqualitatem formarum. At appetitus innatus, nequit esse inordinatus, ut supra notavimus. Ex his colliges, appetitum efficacem materie solum tendere in formas sub ratione genericâ complementi substantialis, quæ ratio æquè verificatur in singulis.

21 *Probat*ur *secunda pars*. Forma equina v. g. secundum perfectionem specificam, per quam excedit formam lapideam, est bonum connaturale materie; sed appetitus innatus fundatur, vel consistit in connaturalitate, ut supra dictum est cum D. Thomâ: ergo materia innatè appetit formam equinam secundum excessum perfectionis supra lapideam, atque adeò appetitu non-communi, & indifferente ad utramque, sed speciali, & majore. Consequentia videtur legitima, Minor indubia, & Major satis clara: nam perfectio specifica formæ equinæ proculdubio materiam perficit, & quidem connaturaliter, utpotè per se instituta ad illam perficiendam.

22 Urgetur: forma equina

magis perficit naturaliter materiam, quam lapidea: ergo est bonum naturaliter magis utile, magisque commodum materie. Sed materia nequit non habere specialem inclinationem innatam ad bonum sibi naturaliter utilius, & nullo titulo noxium. Patet hoc, tum ex connaturalitate ipsâ, tum paritate appetitus eliciti, & quidem recti, ac prudentis, cujus ad instar cogitamus appetitum innatum. Dices: appetitus elicitus ducitur cognitione discernente inter majus, & minus bonum; non ita innatus. Sed contrâ est, quod innatus dirigitur cognitione Authoris nature, vi cujus, sicut discernit inter bonum, & malum, seu inter commodum, & incommodum, poterit etiam discernere inter bonum majus, & minus.

23 Sed contrâ *primam partem objicies*. 1. hæc ipsa argumenta, quæ pro *secundâ* dedimus. *Resp.* Hæc probant quidem aliquem appetitum innatum, sed non efficacem: nam appetitus efficax naturalis fundatur in indigentia, seu necessitate habendi bonum, quo sine violentia non careat: forma autem perfectior, ita est bonum utile, ut non sit necessarium, sed possit citrà violentiam negari; alioquin jam foret inordinatus appetitus ad illam, ut ostendimus in probatione primæ partis. Sic aer innatè appetit lumen, sed ineffaciter. Sic etiam Intellectus humanus ineffaciter innatè appetit crescere in scientia: si enim appeteret efficaciter, foret violentus, nisi in scientia perpetuò cresceret.



24 *Objic. 2.*: appetitus elicitus potest esse efficax circa bonum utilius, quamvis non necessarium: ergo & innatus. *Neg. Conseq.*, saltem de appetitu materiæ ad formam perfectiorem; foret enim inordinatus, si esset efficax; & appetitus innatus non eòsque imitatur elicitum, ut inordinatus evadat. Et quidem elicitus efficax, foret etiam imprudens, si esset contra bonum commune, & se exponeret frustrationi perpetuæ.

25 *Objic. 3.*: ultima dispositio materiæ ad animam rationalem, hanc appetit efficaciter præ alijs formis: ergo similiter illam appetit materia, quæ perfectior est, quam dispositio accidentalis. *Neg. Conseq.*: quia efficacitas appetitus innati de meliori termino, non sumitur ex perfectione subjecti appetentis, sed ex alijs capitibus, præsertim ex indigentia, saltem quando appetitus non causat physicè terminum, sed ab alio emendicat.

26 *Objic. 4.*: materia efficaciter appetit formam lapidis, quia per eam perficitur; sed magis perficitur per formam equi: ergo hanc magis efficaciter appetit: nam, ut est in proverbio, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Confirm.*: quia ob eandem rationem efficacius appetit materia formam substantialem, quam accidentalem. *Dist. Maj.*: quia perficitur utcumque, *neg.*; quia perficitur perfectione necessariâ, seu quâ simpliciter indiget materia, *conc. Maj.*. Tum *dist. Min.*: magis perficitur perfectione non necessariâ, *conc.*; ne-

cessaria, *neg. Min.*, & *Conseq.*. Nec proloquium adjunctum tenet, nisi quando crescit eadem ratio motiva. *Confirmatio* falsum asserit: quia materia tam non potest esse sine omni formâ accidentali, quam sine omni substantiali; vel si hac magis indiget, quam illa, jam eo ipso est disparitas ad rem nostram.

27 *Contra secundam partem objic. 1.* *Appetitus omnis est propter indigentiam*, ut ait D. Thomas 1. *Phylic. lect. 15.*; sed materia non indiget formâ perfectiori, quâ tali: ergo illam nullo modo appetit. *Objic. 2.*: appetitus ad formam perfectiorem, quamvis inefficax, erit insatiabilis, perpetuò frustratus, & contra bonam Universi, ob rationem supra datam pro appetitu efficaci: ergo erit inordinatus. *Objic. 3.*: appetitus innatus non est præcisivus: ergo repugnat, quòd tendat in eandem formam, efficaciter sub ratione genericâ complementi substantialis, & inefficaciter sub ratione specificâ. Et quidem alioqui sequeretur, quòd appetitus entitative unicus respectu ejusdem termini esset efficax, & inefficax.

28 *Resp. ad 1.* Loquitur ibi D. Thomas de appetitu efficaci, qui connexionem importat: nam in genere S. Doctor non fundat appetitum innatum in indigentia, sed in connaturalitate, v. g. 1. 2. q. 26. ar. 1. c.. *Resp. ad 2.* Appetitus inefficax, sicut non dicit famem, anxietatem, aut inquietudinem de privatione boni, sed tenem dumtaxat inclinationem paratam libenter suscipere bonum, si detur; ita non

est proprie satiabilis, aut insatiabilis. Nec item proprie frustratur; quia non importat conatum, aut nisum, qui evadat irritus. Nec demum est contra bonum Universi; cum nihil causet, aut inferat Universo incommodum. Imò commodum est Universi, quòd quoties oportet existere formas perfectiores, eas materia suscipiat quasi libenter, etiam quoad excessum perfectionis, tamquam bonum sibi connaturale.

29 *Resp. ad 3.* Instantia manifesta est in sententiâ contraria. Nam, si materia nullo modo appetit perfectionem specificam formæ vitalis v. g.; ergo appetitus materiæ ita præscindit in formâ vitali rationem genericam ab specificâ, ut in genericam feratur efficaciter, in specificam nullo modo: item erit simul & non erit appetitus respectu ejusdem termini. Ille igitur appetitus non præscindit ( nisi ad summum fundamentaliter, quatenus fundamentum præbet, ut nos præcindamus), sed ita se habet, ut verè dicatur: Materia simpliciter indiget aliquâ formâ ex omnibus, quæcumque illa sit; nec magis indiget formâ nobiliore, quam viliore, quamvis illam susciperet libentius, si daretur. Hinc eadem forma nobilior ab eodem appetitu materiæ suscipit denominationes *appetita efficaciter*, & *appetita inefficaciter*: sed primam denominationem suscipit conjunctim cum alijs formis vilioribus, quibuscum constituit unum subjectum vagum: secundana verò suscipit seorsum à formis vi-

lioribus. Quare nulla est contradictio, vel oppositio; quia datur distinctio realis inadæquata ex parte subjectorum.

30 Sed adhuc *Objic.*: si materia magis inclinatur in aliquas formas, præferre debet formas materiales spiritualibus, utpotè magis materiæ cognatas, & in quibus materia exercet munus causæ materialis. *Resp.* Tota ista major cognatio, & congruentia causalitatis, non efficit quominus materia magis perficiatur ab animâ rationali, & quidem perfectione connaturali: non solum ergo cognatio, & causalitas compensatur, sed connaturaliter commutatur in melius, atque adeò dignius inclinatione materiæ.

*Appetitus innatus Materia primæ, de quo hætenus, est appetitus Desiderij.*

31 **A**sertio communis est, & probatur: quia appetitus materiæ procurat formam, atque in eam tendit, ut sit, sive ut adquiratur, movetque Deum ut formam tribuat; quæ omnes proprietates sunt desiderij prout distincti ab alijs appetitibus, ex dictis n. 1. & 3. Nec solum materia desiderat in instanti A v. g. formas, quas non habet; sed etiam formam, quam actu habet (vide licet appetitu vago, de quo supra); nec solum pro sequentibus instantibus, ut volunt aliqui; sed etiam pro hoc eodem instanti desiderat, inquam, in signo priori ad formam.



32 Ratio est: quia pro signo priori materia intelligitur appetens appetitu vagè procurativo, & illativo illius etiam formæ, quæ pro posteriori existit: existit enim talis forma ad exigentiam appetitus præsuppositi, à quo vagè infertur, & causatur, vel physice, si forma sit materialis, vel moralitèr, si forma sit spiritualis. At appetitus huiusmodi non est gaudium, nec amor strictus: ergo est desiderium. Nec obstat, quòd pro signo priori non detur absentia positiva formæ pro posteriori existentis: sufficit enim absentia præcisiva, ex num. 2. & 3.. Quòd saltem in appetitu innato (quidquid sit de elicitio) debet admitti; cum certum sit, pro signo priori ad formam ignis v. g. dari in materia appetitum quasi prædicatum, & operativum talis formæ, non solum in primo instanti, quo forma acquiritur, sed etiam in omni instanti, quo in materia conservatur.

33 *Objicies* tamen: pro signo posteriori datur in materia gaudium de formâ præsentem: ergo pro signo priori dari nequit desiderium de eadem formâ; ne alioquin concurrant in eodem instanti, & subiecto desiderium & gaudium de eodem termino, ac pròinde quies, & inquietudo, sitis, & satietas. *Admiss. antec., neg. Conseq.*: nam concurrentia illa desiderij & gaudij etiam in elicitis non repugnat. Fac, Deum mihi revelare se daturum Gratiam pro instanti, quo illam desiderarem. Tunc in eodem instanti habere possem desiderium & gaudium de eadem Gra-

tiâ, obtinendâ, & obtentâ. Non est igitur de essentia desiderij sitis, aut inquietudo positiva, sed utsummum præcisiva, idest, præcisio à quiete & satietate pro posteriori adveniente.

34 Id quòd saltem in desiderio innato facile percipitur. Nam desiderium materiæ innatum nihil est aliud, quàm appetitus procurativus formæ; & gaudium innatum, si datur, est idem appetitus, prout jam cum formâ conjunctus. In eo autem, quòd pro eodem instanti detur in materia appetitus procurativus formæ, à quâ ex se præscindit, & in signo posteriori cum formâ jungatur, non est major difficultas, quàm in eo quòd pro eodem instanti materia ex se præscindat a formâ, atque illam exigat, & in signo posteriori formam possideat: in quo omnes conveniunt. Quòd si D. Thomas interdum negat, quòd materia formam appetit, secundum quòd est sub ipsa formâ, loquitur de materia reduplicante formam ipsam tamquam rationem appetendi, scilicet appetita desiderij.

*Habet etiam Materia prima Gaudium innatum de formâ præsentem; valde tamen improprie.*

35 **P**robatur: quia appetitus materiæ, prout jam formam possidentis, est appetitus quietus, & satietatus, ac veluti de possessione contentus: habet ergo similitudinem ali-

aliquam cum delectatione, seu cum gaudio elicito: nam, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 31. ar. 8. ad 2., *Delectatio se habet in affectibus animæ sicut quies naturalis in corporibus: est enim in aliquo convenienti, & quasi connaturali. Tristitia autem se habet, sicut quies violenta &c.* At similitudo ista sufficit ad metaphorice cum nomen gaudij, sicuti sufficit in amantitate pratorum ad nomen *risus*.

36 Est tamen locutio hæc in re præsentem *valde impropria*, propter ingentem dissimilitudinem gaudij innati cum elicito. Nam 1. gaudium elicatum præsupponit bonum possessum; innatum verò per possessionem ipsam intrinsicè constituitur. 2. gaudium elicatum est actus adæquatè distinctus à desiderio ejusdem boni; innatum verò est ipsemet appetitus desiderij, hoc solo discrimine, quòd appetitus innatus, prout à formâ præindens, est desiderium, & prout dicens formæ possessionem, est gaudium. 3. gaudium elicatum adæquatè distinguitur à suo termino; innatum verò non distinguitur à termino, nisi penes rectum, nimirum penes entitatem materiæ. Quare gaudium innatum non tam est comparandum gaudio elicito formali, quàm fundamentali, videlicet illi fundamento, ex quo resultare solet gaudium elicatum; quòd fundamentum est ipsa entitas subiecti ut possidentis bonum.

37 Hinc gaudium materiæ innatum eadem involvit constitutiva, quæ totum Compositum, aliter

tamen importata: nam Compositum importat in recto tam formam, quàm materiam; gaudium verò dicit in recto materiam, & de obliquo formam cum unione. Quare sola materia suscipit denominationem gaudientis, non verò forma, nec totum compositum: quemadmodum similitudo Petri ad Paulum, solum Petrum denominat Paulum similem, quàmvis per Paulum constituatur; & veritas formalis, quàmvis ex actu & objecto constituta, solum actum denominat verum: denominatio enim cadit supra rectum. Vide quæ in Logica diximus circa Relationem predicamentalem, ubi solum invenies quidquid in præsentem posset opponi.

*Nullus in Materia realiter est appetitus ad Formas instar Amoris stricti.*

38 **R**atio est: quia Amor strictus, ut communiter explicatur, ita fertur in bonum secundum se, ut nihil de illius possessione, vel acquisitione curet: sed in materia nullus est appetitus talis genij erga formas: ergo &c.. Constat Minor: quia materia non alio titulo appetit formas, nisi quatenus sunt bonum materiæ connaturale, idest, naturaliter utile, vel necessarium: ex terminis autem repugnat, quòd quis appetat bonum ut sibi naturaliter utile, vel necessarium, & tamen nullatenus curet acquisitionem ejus. Quapropter ille etiam appetitus inefficax ad formam perfectiorem, quem



quem in materiâ agnovimus, non est amor strictus, sed desiderium inefficax; quia licet non proprie nâtur acquirere, tamen tota ejus inclinatio est ad adquirendum.

39 *Objic. 1.*: juxta D. Thom. 1. 2. q. 26. ar. 1., c. *In appetitu naturali ... connaturalitas appetentis ad id, in quod tendit, dici potest amor naturalis; sicut ipsa connaturalitas corporis gravis ad locum medium*: ergo connaturalitas materiæ ad formam, dici potest amor naturalis. *Objic. 2.*: amor est radix desiderij, & aliorum affectuum; sed in materiâ datur desiderium innatum: ergo & amor innatus. *Objic. 3.*: materia pro signo priori formam appetit præscindendo ab ejus absentia, vel presentia; sed appetitus præscindens à presentia, vel absentia termini, est amor strictus: ergo.

40 *Resp. ad 1.* D. Thomas loquitur de amore, non prout est species particularis diversa à desiderio, quæ dicitur *amor strictus*, sed prout est ratio reperta in quolibet appetitu boni, ac proinde in desiderio, quod verè est amor. Vel aliter: loquitur, non de amore quasi speculativo, qualis est amor strictus, sed de amore practico, seu procurante bonum, qui est desiderium. Quod si velis mente præscindere in appetitu innato formalitatem amoris à vi procurativa, atque ita vocare *amorem strictum*; per me transeat. Non idèò realiter dabitur amor ille strictus, quæ est species à desiderio diversa. *Ad 2. dist. Maj.*: si sermo sit de affectibus elicitis, *conc.*; si de appetitu innato,

*neg. Maj. & consec. Min. neg. consec. de amore stricto.*

41 *Ad 3. dist. Maj.*: præscindendo ab ejus absentia, vel presentia, & nihil de alterutra curando, *neg.*; curando de presentia boni pro posteriori obtinenda, *conc. Maj.* Tum *dist. Min.*: si appetitus ita præscindat, ut non inferat presentiam termini, *conc.*; si illam inferat, seu procuret, *neg. Min., & Consec.* Præcisio propria amoris stricti consistit in modo tendendi appetitus, nullatenus de possessione sollicitus: talis autem præcisio non est in appetitu materiæ. Solum ergo in signo priori datur in materiâ præcisio propria causæ in actu primo potentis causare; quæ præcisio nihil confert ad amorem strictum.

#### Illationes ex dictis.

42 1. Quæ diximus de appetitu materiæ ad formas substantiales, intelligenda pariter de accidentibus, quæ ad illas disponunt: hæc enim accidentia appetuntur à materiâ tamquam medium ad finem. 2. Desiderium materiæ innatum in signo remoto (de qua supra n. 10.) adæquatè cum materiâ identificatur, ad discrimen gaudij innati, quod de obliquo importat formam unicam. Ratio est: quia si solam materiam secundum se spectes, invenies connexionem naturalem cum formâ, quam exigit, & procurat: talis autem connexio est desiderium innatum. Nec opponas, desiderium innatum constitui per præcisionem à formâ. Nam hæc præcisio, reali-

ter

ter sumpta, nihil est aliud, quam materiam realiter à formâ distingui, & esse indifferentem ad varias formarum species, tamquam earum causam; quod totum in solâ materiâ consistit.

43 3. Hoc ipsum desiderium innatum nunquam intrinsicè variatur, nec suum modum tendendi mutat, sed ex se tendit semper in omnes formas vagè; dum que possidet formam ignis. v. g., actualiter appetit ceteras omnes, quin idèò violentus sit, ob rationem datam num. 13. Hoc tamen est discrimen inter formam actu possessam, & alias absentes; quod has appetit materia appetitu desiderij tantum; illam verò appetitu desiderij, & gaudij, desiderij in signo priori, gaudij in signo posteriori. Quod discrimen non arguit varietatem in appetitu materiæ specificativè sumpto, sed consistit in denominatione adventitiâ, constitutaque per actualem formæ possessionem, quam gaudium importat de obliquo. 4. Materia etiam innatè odit, ac refugit quod sibi malum est, videlicet privationem omnium formarum, & sui ipsius annihilationem.

#### CAP. II.

#### UTRUM MATERIA PRIMA appetat Formas corruptas?

UT Quæstio proposita, quæ difficilior est præcedentibus, locum habeat, supponendum est cum communi sententiâ (de qua in tract. de ort. & interit. commodius agemus).

formas semel corruptas, sive destructas, non posse naturaliter reproduci: si enim sint reproducibiles naturaliter, non est cur appetitum materiæ non terminent. Quo posito, negativa sententia satis communis est inter Thomistas, ut affirmativa inter Authores nostros. Sed notandum, posse formam corruptam spectari bifariam. 1. specificativè, aut secundum se, id est, secundum sua prædicata intrinsicè, præscindendo ab statu corruptionis. 2. reduplicativè *ut corruptam*.

2. In primo sensu concedere solent etiam Thomistæ, formam corruptam appeti à materiâ appetitu quodam speculativo instar amoris stricti: negant tamen appetitum practicum, seu procurativum. In secundo sensu nostri etiam Authores negare solent, si reduplicetur corruptio tamquam circumstantia objectiva, quasi appetitus materiæ sic explicari debeat, *Detur mihi forma A, quamvis corrupta sit*, vel sic, *Utinam forma corrupta reproducat in me!* Ratio negandi est, quia hoc esset appetere rem impossibilem ut talem. Si tamen solum reduplicetur corruptio ut circumstantia subjectiva, quatenus subjectum appetens, etiam dum existit in circumstantiis corruptionis formæ, adhuc appetat illam specificativè sumptam; in hoc sensu concedunt communiter Authores nostri appetitum materiæ procurativum ad formam *ut corruptam*: illum, inquam, eundem appetitum vagum, quo materia ferebatur in eandem formam ante corruptionem.

Con-



3 **Conclusio** nostra sit: *Materia formam corruptam appetit post corruptionem. sicut antea, proindeque appetitu desiderij innati.* Claritatis gratiâ, fac posibles esse duas tantum formas, A, & B: Has, antequam primò produantur, appetit materia appetitum vago, procurante, vel exigente, ut sibi detur earum aliqua, sive A, sive B: qui appetitus est desiderium innatum, ut ostendimus cap. præced. Fac deinde corruptam esse solam formam A: etiam hac suppositione factâ, Materia pergit appetere vagè formas A, & B, exigendo ut sibi detur earum aliqua, ita ut status corruptionis formæ A non extinguat, nec mutet appetitum materiæ.

4 *Prob.*: Appetitus innatus rei naturalis fertur in bonum, quod per se est ordinis naturæ, & appetenti connaturale, præscindendo à circumstantijs, quibus reddi potest per accidens impossibile naturaliter: sed forma A, per se, & ex se est bonam ordinis naturæ, & materiæ connaturale, solumque redditur per accidens impossibile à circumstantiâ corruptionis: ergo appetitus materiæ innatus fertur in formam A, præscindendo à tali circumstantiâ: ergo, sive adsit hæc circumstantiâ, sive non, appetitus materiæ eodem modo fertur in illam formam. Utraque consequentia recta est; & Minor constat: quia naturalis impossibilitas formæ corruptæ oritur ex circumstantiâ præteritionis, sive ex eo quod forma extiterit antea, & jam desierit: hæc autem circumstantiâ extrinseca est, & accidentaria ref-

pectu formæ, quæ eandem essentiam, & naturam habet, sive jam extiterit, sive secus; ac proinde in se & intrinsicè spectata, etiam post corruptionem, proculdubio est entitas ordinis naturæ, &, si iterum materiæ daretur, foret bonum ipsi connaturale.

5. Major ergo, quæ doctrinam continet generalem, ad alia multa perutilem, in primis probatur aliarum rerum exemplo. Anima cæci à nativitate appetit innatè visum: omnis quippe anima innatè appetit naturales suas facultates habere ad operandum expeditas; imò generatim omnis causa innatè appetit explicare virtutem suam naturalem. Similiter intellectus fatui, qui ex primigeniâ organizatione fatuus sit, innatè appetit usum rationis in corpore. At & visus, & rationis usus, est bonam naturaliter impossibile in ijs circumstantijs. Cur ergo innatè appetitur, nisi quia est bonum ordinis naturæ, & appetenti connaturale, solumque redditur impossibile ab impedimento accidentario, à quo præscindit appetitus innatus?

6 Si dicas, in ijs casibus dari appetitum speculativum, non practicum instar desiderij. Contrâ est, quod appetitus in ijs casibus explicatur nomine *exigentia*; passim quippe dicitur, quod omnis causa exigit nativam virtutem explicare: *exigentia* autem est desiderium innatum. Contrâ item est, quod anima & intellectus cæci sunt ejusdem speciei cum alijs aliorum hominum: sed animæ & intellectus alio-

rum

rum secum identificant appetitum ad visum & usum rationis per modum exigentiæ & conatus: ergo. Contrâ demum est, quod illa anima, vel intellectus, violentiam patitur per cæcitatem, aut fatuitatem. At violentia non est, ubi non datur conatus, & exigentia in contrarium.

7 Addi potest exemplum robusti juvenis, qui lethali vulnere faucibus, vel correptus violento morbo naturaliter insanabili, appetit innatè conservare vitam; non enim sine violentiâ & resistentiâ perit. Similiter aquæ gutta, in caninum ignis injecta, aliquandiu calori resistit, & ab igne violentiam patitur: ergo calorem à se arcere conatur, & propriam frigiditatem appetit retinere. Quorum ratio est, quod & vita juvenis, & depulsio caloris, solum est naturaliter impossibile propter circumstantias accidentarias; & ab his præscindit appetitus. Huc etiam facit exemplum animæ rationalis, quæ à corpore separata, innatè appetit uniri corpori sicut corpus leve proprium locum appetit, dum ab eo separatur; ut docet D. Thomas 1. p. q. 76. ar. 1. ad 6.: qui rursus 1. 2. q. 85. ar. 2. ad 3. dicit, *quod etiam in damnatis manet naturalis inclinatio ad virtutem.., sicut etiam in cæco remanet aptitudo ad videndum.*

8 Deinde probatur illa Major in ipsâ materiâ primâ: hæc enim in signo potentiæ remotæ æqualiter appetit indeterminatè formas ignis, & aquæ, pro hoc instanti. (considera materiâ in exordio Mundi, & fac elementares formas tunc educi,

quod fieri potuisse concedunt Thomistæ); & tamen in sequenti signo ejusdem instantis, positâ ultimâ dispositione ad ignem, jam forma aquæ redditur naturaliter impossibilis in tali materiâ pro tali instanti, cum certum sit repugnare naturaliter formæ aquæ in subjecto habente ultimam dispositionem ad ignem. Urgetur, & applicatur exemplum ad rem præsentem. Materia in casu proposito ideò appetit formam aquæ pro hoc instanti impossibilem, quia impossibilitas, utpotè orta ab impedimento contrariæ dispositionis, est extrinseca formæ aquæ, & aliunde materia à tali dispositione præscindit in signo remoto. Atqui etiam in possibili formæ destructæ, utpotè orta à circumstantiâ præteritionis, est extrinseca formæ, & aliunde materia à tali præteritione præscindit. *Prob.* hoc ultimum signum potentiæ remotæ est signum materiæ secundum se, prout est causa remota formæ: unde in eo præscinditur ab omni, quod non constituit materiam in esse causa remota; quâ ratione præscinditur à quavis dispositione, & ejus carentiâ. Sed præteritio formæ non constituit materiam in esse causæ remotæ respectu formæ: ergo &c.,

9 *Dices*: nequit appetitus innatus præscindere à naturali possibilitate sui termini, sed debet potius eam præsupponere, & carentiam ejus excludere. Sed quæro abs te, quomodo præscindit ab ultimâ dispositione contrariâ, quæ reverâ est naturalis impossibilitas formæ hic & nunc? Quomodo non eam præ-



præsupponit exclusam? Dicendum ergo, appetitum innatum non præcindere à naturali termini possibilitate intrinsicâ, & per se; præcindere tamen ab extrinsecâ, & accidentariâ.

10 *Dices* insuper: impedimentum contrariæ dispositionis est naturaliter auferibile; secus verò impedimentum præteritionis, seu destructionis. *Contra*: ultima dispositio ad ignem etiam est inauferebilis in hoc instanti, dum adest causa efficiens proximè expedita, ut suppono: & tamen forma aquæ in signo remoto materiæ appetitur pro hoc instanti. *Contra* insuper: dispositio illa eatenus est auferibilis, quatenus attentâ conditione materiæ, potuit in hoc instanti non esse, quamvis ex suppositione, quod sit, jam non possit non esse in hoc instanti. At similiter corruptio formæ naturaliter potuit non esse in hoc tempore, quamvis jam non possit non esse ex suppositione, quod fuerit.

11 *Confirmans*: hucusque dicta. Materia potest innatè appetere formam, quando adest circumstantia, quæ in sensu composito reddat formam metaphysicè impossibilem: ergo à fortiori poterit formam appetere, quando adest circumstantia reddens illam naturaliter impossibilem. *Probat. Antec.*: decernat Deus irrevocabili decreto non producere formam A, ex se possibilem naturaliter, & nunquam hæcenus productam, in sensu composito istius decreti forma A est metaphysicè impossibile: & tamen appetitur

à materiâ appetitu desiderij vago cum ceteris formis possibilibus, ut Adversarij concedunt, & nulla ratione negari potest: ergo, &c.. Hinc clarescet quod ajebam n. 2. de circumstantiâ *objectivâ*, & *subjectivâ*: nam circumstantia dicti decreti non ita se tenet ex parte objecti, ut appetitus tendat hoc modo, *Detur mihi forma A, quamvis Deus decreverit nunquam dare*; hoc enim foret appetere insignem chymeram: sed tamen se tenet ex parte subjecti appetentis, ita ut hoc subjectum pergat appetere, quando existit decretum, sicut si non existeret.

12 Dicunt Adversarij, materiam præcindere ab eo decreto, & appetere formam, non ut habendam in sensu composito illius decreti, sed ut antecedenter possibilem. Sed cur materia non appetet similiter formam corruptam, non ut habendam in sensu composito corruptionis, sed ut secundum se possibilem? Perfectò non minor est ratio, ut materia præcindat à circumstantiâ destructionis, quam à circumstantiâ decreti. Nam, si destructio est impedimentum naturaliter contingens, etiam decretum; non enim est supernaturale, nec contra ullam naturalem exigentiam; nulla quippe datur exigentia naturalis de productione formæ A determinatè, & materiæ satisficit per quamlibet aliam, cum solum appetat aliquam vage: & alioquin teneretur Deus ut naturæ Author producere omnes formas posibles. Præterea, si decretum est impossibilitas extrinsecâ, & quæ potuit non esse, etiam destructio:

si decretum relinquit formam secundum se, & antecedenter possibilem, similiter destructio; quia non minus verum est, formam contineri in virtute causarum naturalium antecedenter ad destructionem, & ab eâ præcindendo, quam antecedenter ad decretum, & præcindendo ab illo.

13 Denique ratio à priori est: quia appetitus innatus non deficit, quamdiu permanet proportio, & connaturalitas: hæc autem eadem est in materiâ respectu formæ A, post corruptionem, ac antea. Tum quia illa proportio adæquatè identificatur cum materiâ & quidditate formæ secundum se; consistit enim in coaptatione intrinsicâ utriusque. Tum etiam, quia si forma A post corruptionem iterum daretur materiæ, tam benè, tam commodè, tam connaturaliter materiam completeret, quam antea.

14 Huc spectat syllogismus D. Thomæ 1. Physic. lect. 15., nempe: *Nihil est aliud appetitus naturalis, quam ordinatio aliquorum secundum propriam naturam in finem suum... Forma autem est finis materiæ. Nihil igitur est aliud materiam appetere formam, quam eam ordinari ad formam, ut potentia ad actum.* Unde sic arguo: forma post destructionem non desinit esse finis materiæ, & actus ejus: ergo materia non desinit secundum propriam naturam ordinari ad illam, proindeque non desinit appetere. *Probat. Antec.*: quia si forma destructa miraculosè reproduceretur, materia tam verè actuaretur per illam,

quam ante destructionem, plenè que obtineret finem suum, alioquin violenta foret, utpotè sine suo frustrata, quod nemo dixerit.

### Argumenta contraria.

15 **O**mnia reducuntur ad hoc unum, quod

varijs modis urgeri solet. Forma destructa, est naturaliter impossibilis, ut supponimus: sed appetitus naturalis non fertur in bonum naturaliter impossibile: ergo, &c.. *Prob. Min.*: appetitus naturalis, utpotè directus ab Authore naturæ, nequit esse inordinatus, imprudens, & inutilis: talis autem esset, si appeteret bonum naturaliter impossibile. *Probat. hoc 1.* paritate appetitus elicit, qui non nisi imprudenter ferri potest in bonum cognitum ut impossibile: unde Aristoteles ait, *solos stultos impossibilia velle.* 2.: quia prorsus inutilis est appetitus naturalis, qui necessario frustrari debet lege naturæ. Hoc tamen argumentum imprimis instatur in appetitu materiæ ad formam, quam Deus decreverit nunquam producere: hoc enim decretoposito, forma illa multò magis est impossibile, quam forma destructa.

16 Deinde *dist. Maj.*: est naturaliter impossibilis per se, & intrinsicè, *neg.*; per accidens, & extrinsecè, *conc. Maj.*. Similiter *dist. Min.*: in bonum, quod sit naturaliter impossibile per se, & intrinsicè (hujusmodi sunt entia supernaturalia) *conc.*; quod sit naturaliter impossibile per accidens, &



extrinsecè, *subdit.*: non fertur in illud, ut habendum in sensu composito istius impossibilitatis, *conc.*; præscindendo ab impossibilitate istiusmodi, *neg. Min., & Conseq.* Id ipsum dicere debent Adversarij pro Nego autem, inordinatum esse appetitum, qui sic tendat in bonum impossibile.

17 Nec obstant *probationes.* Non *prima*: quia, dum bonum cognoscitur ut impossibile, jam impossibilitas proponitur ut circumstantia objectiva, ideòque appetitum reddit imprudentem. Si tamen bonum cognoscatur secundum se possibile, præscindendo à circumstantijs, à quibus forte redditur impossibile, potest, & solet prudenter appeti. Sæpe enim prudenter appetimus, & à Deo petimus bona, quæ Deus decrevit nunquam dare, atque adeò jam sunt impossibilia: quia nimirum à tali decreto præscindimus.

18 Non *secunda*: quia solum est vera, si loquatur de lege naturæ antecedente ad suppositiones per accidens contingentes: quo sensu negamus, quòd in casu nostro appetitus frustrari debeat lege naturæ. Si verò loquatur de lege naturæ consequente suppositiones accidentarias, qualis est lex non producendi formam A ex suppositione, quòd tueri corrupta, falsum est quòd appetitus, eà lege frustrandus, sit inutilis: deservit enim ad explicandam indolem, ac naturam intrinsicam, & invariabilem, tam subjecti appetentis, quam termini, & connatu-

ralitatem, quæ inter utrumque datur; ut videre est in anima cæci, & intellectu fatui. Et quidem alioquin multò inutilior esset appetitus in casu Divini decreti, quippe qui necessitate metaphysicà frustrari de-

19 *Repl.* 1.: repugnat appetitus naturalis, cui nullum agens naturale satisfacere possit, ne ipse quidem Deus ut Author natura: talis autem esset appetitus ad formam destructam. *Repl.* 2.: appetitus innatus supponit in materià potentiam passivam naturalem: huic autem respondere debet potentia naturalis activa. Sed ad formam corruptam nulla est potentia naturalis activa: ergo, &c. *Repl.* 3.: si materia formam appetit post corruptionem, sicut antea, illum appetit desiderio efficaci, seu exigentià verè tali dicente connexionem cum formâ. Hinc autem sequitur 1., quòd materia efficaciter opponitur exigentiæ totius Universi postulantis, ne forma corrupta producat. Sequitur 2., quòd eadem forma est naturaliter debita, & naturaliter indebita: debita propter exigentiã materiæ; indebita propter exigentiã Universi. Sequitur 3., quòd materia post corruptionem appetit media necessaria, ut formam obtineat; sic enim fert indoles appetitus efficax: sed post corruptionem ad formam obtinendam necessarium est decretum Dei supernaturalis, & reproductio formæ: hæc ergo media appetuntur à materiâ.

20 Ad hæc omnia, præter inf:

instantiam manifestam in casu divini decreti, de quo supra, facile responderi potest ex dictis. *Ad* 1.: appetitui naturali sufficit, quòd ei satisfacere queat agens naturale in eo sensu in quo ipse respicit terminum, quamvis in alio sensu non possit. Appetitus autem materiæ solum respicit formam destructam specificativè sumptam, præscindendo ab statu destructionis: quo sensu forma illa verè continetur in virtute naturalium agentium, sicut ante destructionem continebatur: manet enim ea virtus intrinsicè invariata, solumque extrinsecè ligata, & impedita per circumstantiam destructionis formæ. Verum est, quòd agens naturale nequit producere formam ex suppositione istius circumstantiæ: cæterum appetitus non tendit sub tali suppositione ex parte objecti, sed ab eà præscindit.

21 Idem ergo dicimus de virtute activâ naturali, ac de appetitu materiæ, quòd scilicet in sensu composito destructionis formæ verè potest illam producere, sed non potest producere illam in sensu composito destructionis: id est, virtus ipsa componitur cum destructione, sed non est virtus ad componendam formam cum destructione præcedenti; quemadmodum potentia loquendi componitur cum silentio, sed non potest componere cum silentio locutionem. Hinc *ad* 2.: verè in materiâ datur potentia passiva naturalis ad formam post ejus destructionem, sicut antea; verèque illi respondet potentia naturalis activa, ut nunc explicuimus.

22 *Ad* 3.: appetitus, quo de loquimur, est quidem efficax, dicitque connexionem cum forma destructâ, sed non nisi vage cum illa & alijs non destructis, ut sæpe advertimus. Unde non opponitur exigentiæ Universi: tum quia satiari potest sine violentiâ, vel querela, per aliam formam non corruptam: tum quia exigentiã Universi solum excludit formam ut producendam ex suppositione corruptionis; quo sensu non illam exigit appetitus. Nec forma destructa, est naturaliter debita & indebita in eodem sensu, sed in diverso ut summum, juxta dicta. Imò propter exigentiã materiæ non nisi valde improprie debita est, etiam specificativè sumpta; cum solum debeat indeterminate cum infinitis alijs nondum productis, quarum qualibet sit satis illi exigentiæ. Denique appetitus ille non exigit decretum supernaturale, nec reproductioem ut talem: quia hæc solum sunt media ad formam ut habendam in sensu composito præviæ destructionis; sub quâ ratione non appetitur forma.

23 Dico *reproductionem ut talem*: quia, si reproductio non sit actio quoad substantiam diversa à primâ productione, potest etiam secundum se appeti à materiâ; non tamen reduplicativè ut reproductio est; quia sic supponit præviã destructionem. Forma igitur heri destructa potuit primò produci hodie per decretum & actionem omninò naturalia: non enim ea forma essentialiter alligata est determinato temporis: ergo possibile est decretum



naturale, & naturalis actio reddens illam formam hodie existentem, finitus ex suppositione destructionis, saltem præscindendo ab illâ, & attentis meritis intrinsicis formæ. Hoc ergo decretum, & hæc actio, sunt media, per quæ appetit formam destructa; non verò per alia, quæ destructionem supponunt.

24 Ut alias objectiones præcaveas, *observa 1.*, formam corruptam non alio ex capite reddi naturaliter impossibilem, nisi quia agentia naturalia exigunt semper speciem suam propagare, suamque virtutem explicare per novos effectus: id quod etiam exigit Universum ob majorem sui pulchritudinem, quæ ex eâ varietate ac novitate resultat. Unde non redditur impossibile ex defectu virtutis in agentibus, quasi jam non possit in causis contineri semel posita extra causas, ut aliqui frigide philosophantur. Nam poni extra causas, non est ex eis extrahi, velut ex arcâ nummum, sed est transire de non esse ad esse per actionem essentialiter pendentem à virtute causarum, quæ opus sit ut hæc virtus aliquam sui partem amittat. Quare virtus ista tam integra manet post existentiam, & corruptionem effectus, quam antea; ut in Omnipotentia Divina patet.

25 *Observa 2.*, formam destructam non esse absolute impossibilem naturaliter; quia absolute idem sonat, ac *per se*, & antecedenter ad omnem suppositionem accidentariam. Solum ergo est naturaliter impossibile cum addito *per ac-*

*cidens, extrinsecè*, aut *ex suppositione*: quæ impossibilitas non retardat appetitum innatum, ut ostendimus. *Observa 3.*, non deficere objectum formale specificativum, ac motivum appetitus innati ex eo, quòd deficiat naturalis possibilitas termini ex accidentaria circumstantia: motivum quippe appetitus naturalis solum est bonum, quod per se, & ex se fit ordinis nature, & appetenti connaturale. *Observa 4.*, materiam A pariter appetere innatè formas ab alijs materijs possessas: quamvis enim jam non sint naturaliter posibles huic materiæ, quia migrare non possunt de uno subjecto in aliud; hæc impossibilitas est per accidens.

26 *Observa 5.*, cum dicimus, appetitum materiæ præscindere ab impossibilitate accidentaria formæ, non loqui nos de præcisione mentali, sed de præcisione omniſivâ, ut sic dicam; quatenus appetitus materiæ in respiciendo formam se habet quasi non curans, nec attendens circumstantias, quibus fortasse redditur forma per accidens impossibilis. Hoc etiam modo juxta Adversarios præscindit à Divino decreto non producendi formam. Ideò autem appetitus ille non curat circumstantias ejusmodi, quia istæ non tollunt proportionem materiæ cum tali formâ, & aliunde perfrunt, appetitum satiari posse per infinitas alias. Si tamen non alia forma superesset præter destructas, tunc materia refugeret quodam odio innato circumstantiam destructis formarum; sicut anima refugit cecitatem, aut fatuitatem. De-

27 Denique nihil nostra interest, quòd dari possit, vel non possit, appetitus innatus conditionalis, exigens scilicet terminum sub conditione dumtaxat, quòd adfit hæc, aut illa circumstantia; qualis fortasse est appetitus ignis ad comburendum lignum sub conditione proximitatis. Quidquid enim de hoc sit, appetitus materiæ ad formas, licet vagns, non est conditionalis, ut vidimus cap. præced. Et alioqui, si materia nullam formarum appeteret, nisi sub conditione, quòd non essent destructæ, sequeretur, materiam ex se paratam esse nullam formam exigere, sed quiescere in privatione omnium, si scilicet contingeret omnes esse destructas: quæ hypothesi, licet repugnet ex capite infinitudinis formarum, nihil involvit contra essentialiam materiæ, & proculdubio est utilis ad ejus indolem explorandam. Sequela autem etiam Adversarijs erit absurda, ut patebit ex cap. sequ.

### CAP. III.

**UTRUM MATERIA PRIMA possit naturaliter privari omni Formâ?**

**N**UNC jam quæritur, quàm sit efficax appetitus materiæ? & an possit citrà miraculum omni formâ privari? Afirmant apud Exim. Doctorem disp. 15. Metaph. sect. 8. nonnulli veteres, quos sequuntur Recentiores aliqui, saltem attentâ materiæ solius exigentiâ; quamvis

id forte contingere non possit, attentâ constitutione agentium naturalium. Vera tamen, & communissima in omni Scholâ sententia tenet, connexionem materiæ cum formâ tantam esse, ut non possit citrà miraculum violari; seu, quòd idem est, ut nullius agentis naturalis actione possit omni formâ privari. Ex connexionibus physicis, aliæ sunt violabiles per naturalem causam robustiorem, ut connexio aquæ cum frigore, vel animæ cum facultate vivivâ: aliæ essentialiter infrustrabiles, ut connexio unionis cum extremis: aliæ infrustrabiles sine miraculo, sive à nullâ naturali causâ, in nulloque naturali eventu frustrabiles, ut connexio Solis cum fulgore, vel ignis cum calore. Ultimis hisce comparamus ut minimum connexionem materiæ cum formâ.

2 Vera ergo sententia sic ostendi potest ex Doctore Eximio loc. cit.: non repugnat materia, quæ ita indigeat complemento formæ, ut sine illo naturaliter esse nequeat: ergo talis est materia, quæ de facto existit. Antecedens constat: quia talis indigentia, & dependentia tantum abest ut contradictionem involvat, ut potius valde consentanea sit imperfectioni, incompletiõni, & potentialitati materiæ. Consequentia autem suadetur: materia, quæ de facto est, habet omnes titulos exigentiæ, & indigentia naturalis, qui possunt in alia materiâ possibili cogitari: supponitur enim à Peripateticis substantia imperfectissima, & propè nihil, incompleta, vacua, tota ad formam ordinata & illam expect-



pectans ut complementum proprii generis, cujus defectum nullo alio bono compensare valet, ac demum ad eum finem posita in rerum natura, ut cum formâ constituat compositum substantiale. Si autem his titulis non fundatur indigentia, & exigentia, naturaliter inseparabilis à formâ, quinam erunt alij, quibus primum subjectum concipiatur magis à formâ dependens?

3 *Confirm. 1.* : materia nequit existere naturaliter sine quantitate, ut omnes supponunt: ergo nec sine formâ substantiali. *Prob. Conseq.*: quia potior ratio esse videtur, ut materia formam substantialem exigat, quàm ut exigat quantitatem. Nam forma est complementum proprii generis, nempe substantialis; quantitas est complementum generis diversi, nempe accidentalis: ad formam primariò & principalis ordinatur materia; ad quantitatem secundariò: formam respicit materia ut finem; quantitatem ut medium: ac demum in possessione formæ suam explicat potentiam potissimam, redditurque Univerfo utilior, quàm in possessione quantitatis. *Confirm. 2.* paritate simili cujusvis substantiæ, quæ sine proprietatibus suis naturaliter esse nequeat, ut Sol sine luce, vel ignis sine calore: nullus enim potior connexionistitulus apparet in igne, quàm in materia.

4 Dices, ignem idè tam fortiter connecti cum calore, quia calor est ejus proprietas connaturalis, per emanationem producta; sicut etiam quantitas respectu mate-

ria. Sed quæro, quid confert titulus proprietatis, aut emanationis, ad connexionem infrustrabilem? An, quòd proprietas pertinet ad statum rei connaturalem? At etiam unio ad formam sine dubio constituit materiam in statu connaturali. An, quòd emanatio est resultantia quædam necessaria? At cur resultantia caloris debet esse magis necessaria respectu ignis, quàm unio ad formam respectu materiæ? Adde, quòd dari potest connexio cum termino posteriori naturaliter infrustrabilis, quin detur emanatio. Ignis enim ad passum applicatus, necessariò connectitur cum combustione, quæ nec emanatio est, nec per emanationem oritur.

5 *Confirm. 2.* : quando semper & ubique alicui potentia conceditur terminus aliquis, putandus est naturaliter necessarius; saltem quando aliunde adest optima congruentia ex parte talis potentia; ut adest ex parte materiæ, titulo imperfectionis, & potentialitatis. Sic, quia semper conjungitur Sol cum luce, ignis cum calore, nix cum frigore, credimus hæc esse naturaliter necessaria. Atqui semper & ubique materiæ conceditur forma substantialis, neque ullus hætenus materiam omni formâ privatam vidit, aut expertus est: ergo, &c. Probatio hæc multifariam impugnari solet.

6 Dices 1. : nemo terras omnes peragravit, nec revelationem habuit, quòd materia nunquam, aut nullibi extiterit sine formâ. Verùm hoc frivolum est: nam eadem ratio-

ne posset quis jure dicere, incertum esse, num alicubi gentium ignis sit frigidus, aut nix calida. Dices 2. : multa sunt naturaliter possibilia, quæ tamen nunquam evenient. Fortè etiam possibilia sunt agentia naturalia, præsentibus robustiora, quorum astrictione violari possit exigentia materiæ. Sed nonne vides, hac eadem viâ negari posse, quòd ignis necessariò calefaciat, aut Sol necessariò luceat? Connexiones physicas ab effectu, & experientia discimus: nam intimas rerum essentias in se ipsis perspicere non possumus. Cedo mihi, cur magis connectitur ignis cum calore, quàm aqua cum frigore, quod est etiam proprietas ab aquâ per emanationem producta?

Vel ergo neganda est omnis connexio physica naturaliter infrustrabilis, vel nostra probatio stare debet.

7 Itaque, quidquid sit de alijs rebus nunquam eventuris, certe quando sermo est de termino alicujus potentia, sive activæ, sive passivæ, si natura semper terminum concedit ob indigentiam, vel exigentiam talis potentia, satis inde arguitur connexio infrustrabilis naturaliter. Illud verò de possibilitate naturali robustiorum agentium, quæ talem connexionem violare possint, incertum est: nec recursus iste locum habet in quæstionibus hujusmodi, quando non adest fundamentum positivum in rebus, quas nominamus; alioquin abolenda erit magna pars Physicæ. Sufficit ergo, quòd constat, in præsentis rerum constitutione connexionem aliquam violari

non posse sine miraculo, ut absolute asseratur naturaliter inviolabilis.

8 Dices 3. : ab exigentiâ naturalium agentium, quæ semper materiam circumdant, provenire potest, quòd materia nunquam amittat unam formam, quin suscipiat aliam; ac proinde non debet id provenire ab exigentiâ materiæ. Sed verò, si agentia naturalia tantopere exigunt producere formam in materia, ut suam virtutem explicant, vel speciem propagent; multò magis ea exigentia congruet materiæ, cujus præcipuè interest habere formam. Nec inconveniens est, quòd respectu ejusdem termini detur duplex determinatio, vel exigentia, altera ex parte agentis, altera ex parte subjecti; ut juxta omnes accidit saltem quando materia est ultimo disposita.

9 Dices 4. : materia jam aliquando extitit sine formâ, scilicet initio Mundi, juxta illud Genes., *Terra autem erat inanis, & vacua*, quod perinde sonat, ac *Materia erat sine formâ*, ut insinuare videntur aliqui Patres. Verùm hæc interpretatio & incredibilis, & violenta est, ut ostendunt PP. Cornel. à Lapide, & Pereyra. SS. Basilus, & Augustinus immeritò pro illâ citari solent. Nam Basilus homil. 2. Hexamer., illam vocat textus perversionem, & depravationem: Augustinus autem pluribus in locis, adductis à P. Suar. ubi supra n. 14., ait, materiam nullâ duratione, aut morâ præcessisse formam. Sensus ergo illius textus est, Terram initio fuisset



fuisse vacuum decore florum, & plantarum ornatu.

10 Dices denique: dum homo repentino vulnere moritur, materia tantisper remanet sine forma: adest enim causa sufficiens ad expellendam animam, & non ad producendam tam subito novam formam. Hæc difficultas explicabitur inferius disp. 4., ubi de formâ corporeitatis in viventibus: solet enim ex hoc capite impugnari forma cadaveris, nimirum ex defectu causæ productivæ in morte subitâ. Nunc sat est dicere, nullum esse Authorem, qui asserere audeat, materiam in morte viventium manere passim sine ullâ formâ substantiali: id enim absurdum, & paradoxum esset in Philosophiâ, ut ait Exim. Doctor. Idcirco, qui negant, novam formam cadaveris introduci, simul asserunt, remanere in materiâ formam corporeitatis. Non ergo ex hoc capite infirmatur perpetua experientia, de quâ num. 5.

*Contraria argumenta solvantur.*

**O**bjic. 1.: materia producitur actione independente à formâ, & est partialiter subsistens: poterit ergo naturaliter esse sine formâ. *Prob. Conseq.* paritate animæ rationalis, quæ, quia producitur actione creativâ independente à materiâ, & est partialiter subsistens, potest naturaliter esse sine materiâ, non obstante incomplezione, & ordine intrinseco, quem ad materiam dicit. *Resp.* Actio creativa materiæ, sicut & ma-

teria ipsa, est quidem à formâ independentens à priori, seu tamquam à causâ; à formâ tamen pendet à posteriori, seu tamquam à complemento naturaliter debito. Sic materia pendet à quantitate, sic ignis à calore, sic anima à suis potentiis. Nec obstat, quod materia partialiter subsistens; quia hoc non tollit indigentiam complementi connaturalis. Paritas animæ rationalis nulla est; quia ducitur à majori ad minus, quasi dicat: Anima, cum sit spiritualis, & valde perfecta, non pendet à materiâ: ergo materia, licet imperfectissima, & quæ tota est propter compositum cum formâ constituendum, non pendet à formâ: quæ illatio inepta est.

12 Anima igitur potest naturaliter à materiâ separari, non præcisè quia creatur, & subsistit; sed quia est substantia spiritualis intellectiva, potensque melius extra, quam intra corpus, exercere nobilissimas operationes. Nam intra corpus non potest cognoscere quidditative, & intuitive res substantiales, & spirituales, imò nec se ipsam: potest autem extra corpus. Quare detrimentum incomplezionis, quod ex separatione à corpore patitur, abundè compensat tanto virtutis intellectivæ lucro. At materia sine formâ quid boni habet, nisi meram nuditatem, & vacuitatem? Adde, quòd ad disparitatem inter materiam & animam rationalem sufficit experientia: quemadmodum sola experientia pro ratione redditur quærenti, cur magis ignis cum calore connectitur, quam aqua cum frigore? Se,

13 Solent hic alia nobis obijci exempla rerum incompletarum, quæ sine suis complementis esse possunt. Sed verò nos non argumentamur ex incomplezione qualicumque, sed in suo substantiali genere pauperimâ, dicenteque vacuitatem illius perfectionis, ad quam unice à natura destinatur, quin ejus defectum compensare possit alio bono. Hujusmodi autem incompletio, adjunctâ perpetuâ experienciâ conjunctionis materiæ cum formâ, nobis est argumentum efficacissimum, nullo exemplo evandandum, & quo fortius non invenietur pro connexionione ignis cum calore, nec pro aliâ connexionione physica.

14 *Objic. 2.:* materia nequit à formâ pendere à posteriori: ergo, cum à priori non pendeat, nullo modo pendet. *Prob. Antec. 1.:* quidquid à posteriori pendet ab aliquo termino, habet hoc ipso virtutem producendi talem terminum per emanationem, ut patet in igne respectu caloris, & inductione perpetuâ: sed materia non producit formam per emanationem: ergo, &c.. Perfectò congruum est, ut res quælibet ex se virtutem sufficientem habeat acquirendi terminos, à quibus necessario pendet: alioquin pendebit simul ab agentibus extrinsecis, à quibus debet accipere terminos sibi debitos. 2.: dependere à posteriori, est dependere tamquam ab effectu: at non omnis forma est effectus materiæ, etiam ut causâ materialis, ut cernitur in anima rationali. 3.: si forma est naturaliter debita materiæ, sequitur, rem perfectiorem esse

debitam imperfectiori, & in gratiam illius existere; quod absurdum est.

15 *Resp. Neg. Antec.* Ad 1. *prob. neg. Maj.:* nam sepe datur dependentia à posteriori, quin detur, nec dari possit emanatio; ut patet in ultimâ dispositione ad quamlibet formam, præsertim ad animam rationalem; ea quippe dispositio à formâ necessario pendet à posteriori, quin possit formam producere per emanationem. Nec emanatio sufficit ad dependentiam infrustrabilem, ut videre est in aqua respectu frigoris. Cum ergo dari possit dependentia infrustrabilis absque emanatione, & è converso, aliunde quærendus est titulus, quo dependentia ista fundetur. Doctrina, quæ additur, falsa est, ut iterum patet in ultimâ dispositione ad formam, non habente se solâ virtutem acquirendi formam, quacumque necessario connectitur: patet etiam in lumine gloriæ, quod non est adequatè productivum visionis Dei, quam tamen sibi debitam facit. Quòd ergo materia pendeat ab aliquo agenti naturali productivo formæ, dependentiâ non immediatâ, sed mediata dumtaxat, quatenus materia pendet à formâ, & hæc ab agentibus; nihil absurditatis habet.

16 Ad 2. *prob.* Dependentiâ à posteriori vocari solet quæcumque non est à priori, sed, vel à concomitanti, vel ab effectu, vel à complemento, seu termino ad præsuppositam rei exigentiam producto; quæ exigentia, licet non influat physice, vocari solet causa moralis. Hoc ergo modo pendet materia ab ani-



mâ rationali; quemadmodum etiam ultima dispositio corporis ad animam. Ad 3. *prob.* concedo sequentem: quam non esse absurdam, constat in ultimâ dispositione, cui debetur forma substantialis; in actione, cui debetur terminus illâ perfectior; & in lumine gloriæ, cui debetur Visio lumine præstantior. Quod ergo res perfectior ad exigentiam imperfectioris producat, non est inconveniens, saltem si non unice producat in gratiam imperfectioris, sed simul propter alium finem nobiliorem, ut accidit in productione formæ, cujus finis est, non præcisè ut satisfiat materiæ, sed præcipuè ut resultet compositum.

17 *Objic.* 3. : si materialis forma crearetur, non penderet à materiâ: cum ergo materia creetur, non pendeat à formâ. *Neg. Antec.*: quia, licet non penderet à materiâ, tamquam à causâ: penderet tamen tamquam à complemento naturaliter debito: & idem est de accidentibus actione creativâ productis. Sic juxta plures Gratia habitualis non educitur, sed creatur; & tamen nequit esse naturaliter sine subiecto.

18 *Objic.* 4. : quando minimum naturale ( sic vocant corpusculum illud, in quod primò introducit anima rationalis intra materna viscera ) disponitur ad animam, partes ejus agenti viciniores citius acquirunt ultimam dispositionem, quam remotiores. Illæ autem materiæ partes, citius dispositæ, amittunt formam embryonis, quæ necessario expellitur cum adest ultima dispositio ad animam: &

aliunde nondum habent animam, quia hæc non advenit, donec tota minimi materia disponatur. Illæ igitur materiæ partes existunt sine ulla formâ substantiali. *Resp.* In primis objectio ruit, admittens formam corporeitatis. Deinde P. Ovied. cujus est argumentum *Controv.* 2. *Physic. punct.* 7. n. 20., illud solvit *Controv.* 1. *de Gener. punct.* 4., negando, formam Embryonis expelli ex defectu dispositionum, donec adveniat anima. Denique dicatur, partes agenti viciniores disponi quidem prius quoad plures dispositiones, non tamen quoad ultimam; quia ultima dispositio ad animam importat in ratione talis extensionem per omnes partes minimi naturalis.

19 *Objic. ult.*: termini sunt repugnantes, *dependere*, & *à posteriori*: si enim res præsupponitur existens, jam præsupponitur habere totum suum esse sine interventu termini subsequenter: jam igitur præhabet quidquid necessarium est, ut existat: quomodo ergo à posteriori termino dependet? siquidem dependere idem est, ac ab alio suum esse accipere, vel sine alio existere non posse. Accedit, quod D. Thomas ait, corrupto composito manere in materiâ illud, quod ante formam erat, *Quia remoto posteriori remanet adhuc prius*: unde sequitur, non pendere à formâ, quod est illâ prius. *Resp.* Si pendere idem sit, ac accipere suum esse ab alio, repugnat quidem dependentiâ à posteriori. Certum, si dependentiâ sumatur, ut solet, pro infrustrabili connexion-

ne

nè enim termino, quo res aliqua indiget, vel quem exigit, ut in statu sibi debito, & connaturali sit, negari nequit dependentiâ à posteriori, salvâ communi Philosophiâ: hoc enim modo proculdubio dependet materia à quantitate, ultima dispositio à formâ, Sol à luce, ignis à calore, &c.

20 Quare res dependens potest præsupponi existens ante terminum dependentiæ, non duratione aliqua, vel prioritare temporis, sed solâ prioritare naturæ, quæ solum significat, terminum illum non esse causam talis rei, sed potius effectum, aut quasi effectum, naturaliter exactum pro eodem momento, proindeque pertinentem ad statum rei connaturalem, ac necessarium. Itaque, dum infers, Ergo res pro priori jam præhabet quidquid necessarium est, ut existat, *distinguo*; ut existat in statu sibi naturaliter debito, *nego*; ut existat quin intelligatur jam posita in hoc statu, *subdistinguo*; ut existat existentiâ naturaliter connexâ cum termino pertinente ad hunc statum, *concedo*; existentiâ non ita connexâ, *nego*. Similiter sine interventu termini subsequenter præsupponitur res habere totum suum esse, sed non in statu sibi naturaliter debito, nec ita ut illud esse sit inconnexum cum tali termino.

21 Ad adjunctam doctrinam D. Thomæ dicimus, idè remanere in materiâ quod erat ante formam, corrupto uno composito, quia materia subit novam formam, novumque compositum, ac proinde

non manet sine termino connexionis: non enim connectitur cum determinata formâ, sed cum aliquâ vage. Verum autem est generatim, quod remoto posteriori remanet adhuc prius, si hoc non sit connexum cum illo; vel etiam, si non sit connexum metaphysicè, sed tantum physicè, seu naturaliter; tunc enim, remoto per miraculum posteriori, potest adhuc remanere prius naturali actione conservatum. Vide dicenda inferius cap. 5.

## CAP. IV.

UTRUM MATERIA PRIMA  
possit divinitus conservari  
sine Formâ?

**V**IDIMUS, non posse contingere naturaliter, ut materia existat omni formâ privata. Nunc quaerimus, utrum id possit contingere saltem de potentiâ Dei absolutâ. Affirmant Scotistæ cum Subtili Doctore, & Authores nostri cum Eximio. Negant verò Thomistæ ferè omnes, quibus hac in re non parum favet D. Thomas; à quo tamen reverenter discedere nos docet Magister. Sotus super 1. *Physic.* q. 6. ar. 2. concl. 2., sententiam affirmantem propugnans, licet fateatur esse contra D. Thomam: *quia res*, inquit, *non est tanti momenti.*

\*\*\*

\*\*\*



§. I.

**PRIMA NOSTRÆ SENTENTIAE** probatio ex non ostensione repugnantia. Ubi, an probatio istiusmodi sit efficax?

**S**ENTENTIA affirmativa, quæ nostra est, probatur i. sic: Id, in quo nulla repugnantia, seu contradictio ostenditur, possibile est Divinæ Omnipotentia: sed in conservatione materiae sine formâ, nulla ostenditur contradictio, ut ex argumentorum solutione patebit: ea igitur conservatio Divinitus possibilis est. Hic arguendi modus, in quæstionibus de possibili frequentissimus, quæstionem aliam veluti reflexam movet: Utrum scilicet sola non ostensio repugnantia, ex argumentorum solutione descendens, quamvis non adsit alia probatio positiva, sufficiens fundamentum sit asserendi possibilitatem oppositam? Quam quæstionem hic breviter decidemus, ne dubij roboris maneat argumentatio illa, sapius in decursu repetenda.

3 Negativam partem tuentur ingeniosi Recentiores in M. S., quibus præluxit P. Antonius Perez disp. 7. de Justific., & Cardinal. Sforzia Pallavic. in 1. 2. disp. 6. q. 2. art. 1.. Moventur 1.: quia inter judicium affirmativum & negativum de possibilitate rei datur medium, nempe dubium, aut suspensio judicij: ergo, quamvis non adsit fundamentum sufficiens ad judicium ne-

gativum, non idè adest ad affirmativum. Sic, quamvis non adsit ratio convincens stellas esse pares, non idè affirmamus esse impares. Sed argumentorum solutio, sive non ostensio repugnantia, ut summum efficit, ne detur fundamentum sufficiens ad negandam possibilitatem rei: ergo ex eo capite non idè datur sufficiens fundamentum ad possibilitatem affirmandam. Ratio a priori: quia, licet mihi non appareat repugnantia, forsitan in re datur.

4 Moventur 2.: quia nihil alioquin dici poterit impossibile, nisi repugnantia demonstraretur evidenter. Ex hoc autem redduntur inutiles quæstiones de possibili: nam, si assertur demonstratio, non superest quæstio. Moventur 3.: quia argumenta probabilia pro impossibilitate, licet solvantur, manent adhuc probabilia, saltem si non solvantur evidenter: ergo sunt adhuc rationes positivæ pro impossibilitate: ergo prævalere debent, dum alia positivæ rationes pro possibilitate non adsunt.

5 Moventur 4.: quia, sicut non satis apparet impossibilitas, quoties ejus probationes solvantur, ita non satis apparet possibilitas, quoties solvantur positivæ probationes illius: ergo à fortiori non satis apparet possibilitas, quando pro illâ præter solutionem objectionum non alia ratio positiva datur, nec soluta, nec insoluta. Moventur denique: quia, dum fors educitur ex urna, in qua sunt sortes nigrae centum, & unica alba, in dubio pro nigra stat præ-

sumptio ratione majoris numeri: sed in nostro Intellectu major est numerus chymerarum, quam conceptuum possibilium, ut constat ex innumeris falsis opinionibus circa rerum essentias: ergo in dubio de qualitate conceptus, præsumendum est pro chymerico.

6 Nihilominus affirmativam partem amplectuntur, nec tam probant, quam supponunt, quoties incidit quæstio de possibili in ordine ad potentiam Dei absolutam, non solum ferè omnes Authores nostri, quos citat, & sequitur P. Compton disp. 27. Physic. sect. 1. 2. & 3.; verum etiam passim ex omni Scholâ Theologi, ac Philosophi. Cum his ergo nostra conclusio sit: Quoties argumenta repugnantia, sapienti ac diligenti examine discussa, sufficienter solvantur, adest hoc ipso positivum fundamentum sine aliâ peculiari probatione directâ, ut res prudenter censeatur possibilis, nisi valde remota sit à cognitione nostrâ.

7 Probatur: solutis argumentis in contrarium, ut minimum resultat dubium de possibilitate rei, ut Adversarij concedunt, & per se patet: sed hoc ipso ex principijs reflexis adest valida & positiva ratio pro possibilitate: ergo, &c.. Prob. Min.: cum de possibilitate dubitatur, locum habet hoc principium reflexum, *In dubio melior est conditio possidentis*: quod principium, in utroque Jure notissimum, nusquam opportunius adducitur, quam ubi de coarctanda sphaera Divinæ Omnipotentia dis-

ceptatur: nam Omnipotentia ratione virtutis infinita, & incomprehensibilis, præsertim post tot miracula, quibus se supra humanum captum posse probavit, proculdubio jus possidet, ut pro illâ præsumatur, quoties nihil in contrarium convincit. At, ubi locum habet principium illud, adest hoc ipso fundamentum, ut prudenter asseratur extremum, cui favet: ergo, &c..

8 Confirm. 1.: quoties dubium est, an licita sit res à superiore præcepta, ratione dicti principij reflexi tenetur subditus obedire, atque adèò prudenter judicare, rem esse licitam, & à superiore præcipi posse: ergo pariter in caso nostro: neque enim minus verè dicitur, *Deus potest quidquid non ostenditur repugnans*, quam, *Superior potest quidquid non ostenditur illicitum*. Confirm. 2.: cum dubitatur de crimine viri probi, ipsa non probatio criminis sufficit ad judicium prudens de illius innocentia; quia consuetudo bonè operandi fundat præsumptionem de crimine non commisso: ergo pariter in Deo consuetudo mira patranda fundare debet præsumptionem in favorem Omnipotentia, ubi non constat rei impossibilitas. Certe, qui potuit facere, ut existeret *Virgo mater*, *Deus homo*, *Immortalis mortuus*, &c.; &, ut loquat cum S. Augustino lib. 21. de Civit. cap. 7., *Qui potuit creare tam multa, quæ si non ostenderentur, aut a creatis hominibus testibus dicerentur, profecto impossibilia putarentur*: quid non poterit?



9 *Confirm.* 3. nemo negaverit, tam verum esse hoc estatum, *Nihil negandum est Omnipotentia sine necessitate*, quam hoc aliud in Scholis tritum, *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*: sed propter hoc secundum, ubi agitur de admittendâ novâ entitate, omnes Philosophi ad eam rejiciendam, & positivè asserendam ejus carentiam, satis habent solvere argumenta in contrariam: ergo propter primum, solutio argumentorum sufficere debet, ut Omnipotentia positivè adscribatur rei possibilitas. Ratio utrobique est eadem: quia nimirum, qui dicit rem esse impossibilem, & qui nova entia multiplicat, habendi sunt loco actorum, & accusantium, quibus incumbit probare, & convincere: qui verò ex adverso militat, habendus est pro reo, & negante, qui, dummodo plausibiliter ad objecta respondeat, censetur hoc solo suam causam positivè firmare. Vide Carameum in *Metalog. lib. 8. de princip. per se not. princip. 18.*, ubi pulchra, & optima adducit in id ipsum circa celebre illud axioma, *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, quem appellant *Equum Ochami*.

10 *Confirm.* denique: quia negandum Deo non est sine urgenti fundamento, sed potius adscribendum, quidquid ejus supremum dominium ampliare potest; sicut non est negandum, quidquid ejus bonitatem, sapientiam, aut alias perfectiones commendat. At conservatio materiae sine formâ v. g.,

ex terminis ampliatur supremum Dei dominium: dum ergo opposita argumenta non urgent, asserenda est Deo possibilis. Dices: jam ergo ex objectionum solutione oritur positiva probatio possibilitatis: ergo destruimus sensum quaestionis, quae inquit, an objectionum solutio sine positivâ probatione sufficiat. *Resp.* Quaestionis sensus est, An ad asserendam possibilitatem rei sufficiat objectionum solutio sine alijs probationibus directis ejusdem possibilitatis in particulari: non tamen excludantur argumenta positiva reflexa, & generalia, quae ex objectionum solutione resultant.

11 Hinc ad argumenta negativae partis facile respondetur. *Ad 1.* fateor, non sufficere generatim solam non ostensionem unius extremi, ut oppositum hoc ipso probatum maneat; sed communiter debere suspendi iudicium: sufficit tamen, quando alteri extremo favet praesumptio, aut possessio; ut cernere est in exemplis adductis, atque etiam in quaestione de existentia legis, aut praeccepti, ubi ipsa non probatio existentiae est positiva ratio pro carentia, ob possessionem libertatis. Unde constat disparitas ad exemplum stellarum, quarum pari, aut impari numero nulla favet praesumptio. Ratio adjuvata nulla est: nam, etiam dum adest peculiaris positiva probatio possibilitatis, saepe timere possumus, ne forte lateat repugnantia: & tamen tunc prudenter asseritur possibilitas, juxta Adversarios. Dicatur ergo, quando re mature discussâ nul-

la occurrit repugnantia, solutu non facilis, tunc, licet reverâ detur, posse tamen prudenter asseri possibilitatem, ut cernitur in exemplis nostrae probationis.

12 *Ad 2.* concedo, nihil jure dici impossibile, nisi quod tale probetur demonstrative, aut fere. *Nihil Deo negandum est* (inquit Sotus loc. cit. supra n. 1.), *nisi ubi manifestissima est contradictio*. Hoc tamen non reddit inutiles quaestiones de possibili. Tum quia haec nostra sententia non ab omnibus approbatur. Tum quia saepe auctores amant producere peculiaris argumenta positiva, praeter objectionum solutionem, & eorum efficaciam experiri. Tum quia passim argumenta, quae alijs apparent demonstrativa, alijs debilia sunt, & vix probabilia: unde saltem oportet examinare, an argumenta repugnantiae demonstrativa sint, an verò solutionem admittant; itemque, an solutiones sint tenuis, vel magnae, vel nullius probabilitatis, ut fidentius, quid tenendum sit, statuatur.

13 *Ad 2.*: si argumenta repugnantiae evidentè solvantur, non manent probabilia: si verò solvantur probabiliter, licet probabilia maneant secundum se, & seorsum spectata; secus tamen comparata cum principio reflexo possessionis: vel certè manent minus probabilia, quam argumenta reflexa possibilitatis: quia praesumptio, & possessio Omnipotentiae semper est ratio fortior, & praeponderans argumentis in contrarium non convincenti-

bus. *Ad 4.* concedo, quòd non satis apparet possibilitas ex mera solutione probationis contrariae, si praecise sistatur in argumentis peculiaribus, ac directis: satis tamen apparet, si solutio illa jungatur cum principio generali reflexo de privilegio possessionis. Unde falsum est, quòd tunc non detur alia ratio positiva, nec soluta, nec insoluta: quàmvis enim non adsit ratio directa, & peculiaris, adest reflexa, & generalis. Nec dicas, hanc etiam rationem reflexam solvi ab Adversarijs: nos enim contendimus, non bene solvi.

14 *Ultim. argum.* retorquetur: nam, si ex urnâ, ubi sortes nigrae majore sunt numero, quàm albae, una educatur, quae diligenter ad lucem inspecta, nulla ostendat signa nigroris, nullus Arcopagita, nullus Aëacus, aut Rhadamantus, sortem praesumat nigram, nec reum condemnabit: ergo pariter, si conceptus aliquis, diligenter ad Sapientiae lucem inspectus, nulla ostendat indicia repugnantiae, non poterit praesumi chymericus. Illa ergo praesumptio, de qua in argumento, ut summum habebit locum, quando conceptus non examinatur, vel examinari non potest; minime verò, quando exactè discutitur; quo sensu nos loquimur.

15 Propterea notanter in Conclusionem diximus, *nisi res valde remota sit à cognitione nostrâ*: quia si conceptus objectivus ita perplexus, & obscurus sit, ut introspici, & examinari non possit, tunc non nisi temere asseretur possi-



sibilis, aut impossibilis; ac proinde iudicium suspendi debet. Ratio est 1.: quia tunc urget illa major intellectus nostri fecunditas, vel saltem non minor, ad conceptus chimericos, quam ad possibiles, adjuncto fortitionis exemplo: fors enim extracta ex urnâ, quæ pari numero continet nigras, & albas, si ad lucem saltem tenuem inspicere non possit, non nisi temere dicetur alba, nec nigra. 2.: quia tunc reverâ nescitur de quo sit quæstio: unde nec applicari potest ratio reflexa præsumptionis, aut possessionis. Debent ergo cognosci distinctè more nostro prædicata objecti, saltem præcipua: quo modo in quæstione de conservatione materiæ sine formâ, cognoscuntur a nobis prædicata materiæ, &c..

## §. II.

## Probationes aliæ positivæ.

16 **R**EGREDIMUR jam ad Conclusionem principalem, quæ probatur 2. paritate accidentis, & formæ materialis. Nam accidens potest Divinitus sine subjecto conservari, ut nos docet Eucharistiæ miraculum: materialis item forma substantialis, v.g. anima equi, existere Divinitus potest extra materiam, ut communiter concedunt etiam Thomistæ: ergo & materia poterit à Deo conservari sine formâ. *Prob. Conseq.*: quia, si forma accidentalis & anima equina sunt entitates absolute, propria que existentia prædicata; id ipsam de materiâ verificatur:

& præterea magis illæ dependent à subjecto, quam materia à formâ; dependent enim à priori, tamquam à verâ causâ materiali, & sunt activæ; cum tamen materia à priori non pendeat à formâ in ullo genere causæ physice (causâ finalis nihil refert ad præsens, quia finis potius est physice posterior), sed solum à posteriori, tamquam à complemento naturaliter debito.

17 Sed, quia Thomistæ materiam faciunt à formâ pendente, tamquam à causâ formali, probare oportet, hoc esse tum falsum, tum inutile. Et imprimis, quod forma non sit materiæ causa formalis intrinsicè constitutiva, & distinctiva (qualiter albedo est causâ formalis albi, anima hominis, & Gratia sancti), certum omninò est: alioquin materia foret totum compositum, nec haberet entitatem adæquate distinctam à formâ. Deinde, quod forma dicatur materiæ causa formalis, non constitutiva, sed adæquate distincta ab effectu (quo modo forma comparatur ad quosdam effectus secundarios, quos ideo causare dicitur in genere causæ formalis, quia eos inducit informando subjectum; atque ita forma ignis causat expulsionem formæ ligni, calor expulsionem frigoris, & peccatum expulsionem Gratiæ), hoc, inquam, falsum est in nostris principiis de existentia materiæ; & aliunde non potest Adversariis in præsentem. Tum quia effectus formalis secundarius, sive adæquate distinctus à formâ, potest à Deo sine formâ causari: Deus enim facere potest, ut sine calore de-

detur expulsio frigoris è subjecto, ut etiam de potentia absoluta potest auferre Gratiâ, quin præcedat peccatum.

18 Tum etiam, quia tam verè dicitur, Deum non posse supplere munus causæ materialis, quam causæ formalis: & tamen hoc intelligitur de causâ materiali constitutivâ, non verò de adæquate distinctâ ab effectu; Deus enim in genere efficientis supplet munus causæ materialis respectu quantitatis Eucharistiæ: cur ergo non idem dicatur de munere causæ formalis non constitutivæ? Certe communiter dici solet, Deum se solo supplere posse influxum cujusvis causæ creatæ in effectus adæquate distinctos à causâ, & influxu ipso. Dices, materiam non existere nisi per existentiam formæ, quæ existentia sine formâ suppleri nequit. Verum hoc & falsum est, ut suo loco vidimus, & præterea insufficient, ut jam ostendo.

19 *Probatur* itaque 3. nostra Conclusio: etiam admisso, materiam carere propriâ existentia, & connaturaliter existere per existentiam formæ, adhuc ex principiis Adversariorum concedi debet, materiam conservari Divinitus posse sine formâ. *Prob.*: materia prima Christi D. de facto non existit per existentiam formæ, juxta Thomistæ, sed per existentiam Verbi supplementem existentiam creatam. Tum ergo materia non ita pendet à formæ existentia, ut hæc suppleri Divinitus non possit. Sicut ergo de facto materia simul cum formâ per existentiam Verbi existit, poterit etiam

Divinitus per eandem Verbi existentiam existere seorsum à formâ; si nimirum absque ullâ formâ maneret unita Verbo, ut de facto contigit juxta nonnullos in triduo mortis Domini; in quo saltem potuisse Deum nullam aliam formam materiæ tribuere loco animæ, non est cur negetur.

20 Adde, quod juxta sententiam communem apud Thomistas cum Cajetano, & Bañez, existentia non est modus, sed entitas absoluta: unde existentia formæ non habet modalem alligationem ad formam. Poterit ergo ab essentia formæ Divinitus separari, reddereque materiam seorsum existentem. Urgetur hoc ipsum: nihil apud Thomistas frequentius, & solemnius, quam quod existentia non tam sit propria formæ, quam compositi, quod solum existere dicunt proprie, & ut quod. Tum sic: existentia formæ, licet principaliter sit instituta propter compositum ut proprius actus illius, nihilominus potest à composito separari, ut de facto separatur cum animâ rationali, & Divinitus separari posset cum animâ equinâ: ergo eadem existentia, licet magis sit formæ, quam materiæ, poterit à formâ separari, & sine illâ communicari materiæ.

21 Respondent Thomistæ, formam essentialiter requiri, ut materiæ communicetur existentia, non quia existentia formæ suppleri nequeat suppletur entia in Christo D; sed quia materia sine formâ non est intrinsicè, & immediatè capax existentie. Hinc formam, inquam, in-



omni eventu praequiratur ante quamlibet existentiam, ut scilicet materiam habilitate, & constituat capacem ad existendum. Et inde disparitatem reddunt ad formas materiales: in his enim datur immediata capacitas existentia, quia sunt actus ratione sui: at in materia, utpote pura potentia, nulla est capacitas existentia, nisi ratione formae.

22 Hæc tamen doctrina sic impugnari potest. Materia immediate, & ratione sui, & prout a forma distinguitur, est capax existentia: ergo forma, quidquid sit, an illi tribuat existentiam, non tribuit saltem capacitate existentie. *Prob. Antec.*: materia immediate & ratione sui est possibilis; sed eo modo, quo est possibilis, est capax existentia: ergo immediate & ratione sui est capax existentia. Consequentia legitima est, & Minor evidens, nam hi termini synonymi sunt, *possibile, potens existere, aptum existere*. Major denique non minus certa videtur: materia enim immediate & ratione sui est ens reale, non est chymera, non implicat contradictionem: ergo immediate & ratione sui est possibilis: nam possibile est citra dubium, quidquid est ens reale, quidquid non implicat contradictionem. Item, materia immediate & ratione sui est producibilis à Deo: possibile autem, & producibile, idem est. Rursus: materia immediate & ratione sui terminat creationem sui; hæc enim non terminatur ad formam: creatio autem dat suo termino existentiam, ut ex D. Thomâ constitit disp. præced.: ergo

à fortiori dat capacitate existentia. Sed non dat formam, cum hæc plerumque detur per eductionem: ergo materiae capacitas ad existendum non constituitur per formam.

### §. III.

#### *Solvuntur argumenta contraria.*

23 **O** Bjic. I. si materia existeret sine forma, foret ens in actu sine actu: *Creationis enim terminus* (inquit D. Thomas 1. p. q. 66. ar. 1.) *est ens actu: ipsam autem, quod est actus, est forma: dicere igitur, materiam precedere sine forma, est dicere ens actu sine actu; quod implicat contradictionem.* *Resp.* Materia sine forma existens, non foret ens in actu sine actu eodem, sed sine diverso: foret enim ens in actu entitativo, qui est existentia, sine actu formali physico: in quo nulla est contradictio, cum illi actus sint inter se realiter distincti.

24. Mens D. Thomæ multis est dubia: videtur enim loqui, non tantum de forma substantiali physica, sed generatim de forma prout comprehendit substantialem, & accidentalem, physicam, & metaphysicam, seu entitativam: alioquin non diceret generaliter, *Ipsam, quod est actus, est forma*; quia certum est, multos esse actus, qui non sunt formae physicae substantiales: nec item diceret indistincte, quod *creationis terminus est ens actu*; quia terminus creationis materiae, saltem post mundi exordium, non est for-

forma. Verissimam autem est, implicare contradictionem, quod materia existat sine omni actu, sive forma generatim sumptâ, & quod in hoc sensu daret *informis*: quia saltem habere debet actus metaphysicos differentia essentialis, existentie, & substantia, necnon actus accidentales ubicationis, & durationis. Quod si hac interpretatione non satisfeceris Thomistis, dic, te modeste discedere à D. Thomâ in re præfenti cum Magistro Soto.

25 *Replic.*: si materia est sine forma substantiali, est etiam sine actu existentia. *Probat.*: quia forma est actus primus, & existentia est actus secundus: repugnat autem actus secundus sine primo. Quare, sicut actus vitalis, seu vita in actu secundo, essentialiter præsupponit vitam in actu primo, seu principium vitale; ita existentia essentialiter præsupponit formam. Ob eandem rationem implicat, aliquem intelligere sine intellectu, quia scilicet intellectus est actus primus, & intellectio est actus secundus: similiter implicat, causam agere sine virtute activa, quia hæc est actus primus, & actio est actus secundus. Accedit, quod existentia est ultimus actus, ultimumque complementum in linea entis: debet ergo supponere primum actum, primumque complementum, quod est forma.

26 *Resp. neg. assumpt.* Ad *prob.*: Si materia gaudet propria existentia, jam diximus disp. præced., quo sensu existentia vocetur actus secundus, nimirum vel respectu potentia objectiva, vel secun-

das ordine intentionis, non ordine executionis: unde non debet formam præsupponere. Si verò admittas, materiam existere per existentiam formae; vel dic, existentiam esse actum secundum naturaliter, non verò essentialiter, posseque Divinitus ordinem inverti; quemadmodum potest inverti ordo, quo materia debet naturaliter prius recipere calorem, quam formam ignis: vel dic potius, existentiam connaturalem, quâ de facto existit materia, esse quidem actum secundum supponentem formam; secus verò existentiam aliam miraculosam, quam Deus potest tribuere materiae, v. g. existentiam Verbi, vel aliam. Sic, juxta Adversarios, existentia accidentium connaturaliter præsupponit inhærentiam eorum ad subiectum; & tamen accidentia possunt à subiecto separata existere.

27 Paritas in actu vitali nulla est. Nam actus vitalis, vel est modus principij vitalis, ut plures volunt; & ita nihil mirum, si essentialiter alligetur principio vitali: vel, si non est modus, sed qualitas absoluta, poterit à vitali principio Divinitus separari. Quare idem dicendum de materia, & ejus existentia, cum non sit modus formae. Imò & ipsa existentia formae non est modus ejus, ut volunt plerique Thomistae; ac proinde poterit à forma separari, reddereque materiam existentem, pereunte formâ: quemadmodum conservatur nunc in anima D. Petri existentia illa, per quam antea compositum, & materia ipsius existebant, quin tamen per illam modo



existent : conservatur, inquam, per eunte composito, cujus erat propria magis, quam anime, juxta Adversarios. Adde, quod res componi potest, quin forma pereat : si nimirum existentia formæ biluatur hic, & Romæ; & hic reddat existentem materiam sine forma, Romæ verò existentem formam sine materia. Denique, recursus superest ad existentiam Verbi, vel ad creatam miraculosam.

28 Adjuncta exempla ideò vera sunt, non quia Intellectus, aut virtus activa, est actus primus utcumque, sed quia est actus primus per modum potentia & capacitatis ad intelligendum, aut agendum. Idcirco repugnat intelligere sine Intellectu, & agere sine virtute activâ: foret enim intelligere sine capacitate intelligendi, & agere sine potentia agendi; in quo manifesta est contradictio, cum ab actu ad potentiam valeat consequentia. Ille igitur actus primus, qui consistit in capacitate ad actum secundum ut denominantem, essentialiter prærequiritur. Ceterum ille non deficit materiæ existenti sine formâ, cum habeat materia ratione sui capacitatem ad existendum. Demum, quo sensu existentia dicatur ultimus actus, aut ultimum complementum in lineâ entis, explicuimus disp. 2. cap. 4. n. 19. & 22. Poterit etiam applicari solutio, quam nuper dedimus circa nomen *actus secundæ*.

29 *Objic. 2.* : implicat esse accidentale sine formâ accidentali: ergo & implicat esse substantiale sine formâ substantiali. *Neg. Conseq.* : nam omne esse accidentale involvit

accidens, & omne accidens est forma; quia *Accidentis esse est inesse*, sive esse in subiecto : at non omnis substantia est forma; ideòque dari potest esse substantiale, quod nec sit forma, nec formam includat. Et instatur : implicat essentia accidentalis adæquatè distincta à formâ accidentali : ergo & essentia substantialis adæquatè distincta à formâ substantiali : ergo essentia materiæ erit implicatoria.

30 *Objic. 3.* : materia nequiritur sine omni formâ accidentali, cum saltem habere debeat ubi actionem, & durationem : ergo nec potest existere sine omni formâ substantiali. *Prob. Conseq. 1.* : quia materia magis indiget substantiali formâ, quam accidentali, siquidem per substantialem magis perficitur, magisque ad eam ordinatur. 2. quia, quæ magis accedunt ad unitatem, magis sunt inseparabilia : magis autem ad unitatem accedit materia cum formâ substantiali, quam cum accidentali; cum hac enim facit *unum per accidens*; cum illâ verò *unum per se*, quod est maxime *unum*.

31 *Neg. Consequ.* ; cujus prima *probatio* instatur in accidentibus Eucharisticis, quæ nequeunt esse sine ubicatione, ac duratione, cum tamen possint esse sine subiecto, à quo magis perficiuntur, & ad quod magis ordinantur: item in formâ substantiali, quæ magis ex consortio materiæ perficitur, quam ex illis modulis, magisque ad materiam ordinatur, quin ideò magis indigeat consortio ejus: item in ma-

teriâ ipsâ, quæ magis perficitur quantitate, calore, & alijs accidentibus absolutis, atque etiam formâ substantiali determinatâ, v. g. animâ, quam prædictis modulis, quibuscum tamen magis connectitur. Connexio igitur, vel indigentia essentialis relatè ad eos modulòs, non sumitur ex perfectibilitate materiæ, nec ex ordine incomplectionis, sed ex alio titulo, qui non militat respectu formæ substantialis : videlicet ex eo, quod implicat, rem verè existere, quin sit alicubi, & aliquando, ac proinde quin habeat ubicationem, & durationem : ex terminis enim repugnare videtur, quod res existat verè, & tamen existat nunquam, & nullibi, nec intra Invenitatem, & Æternitatem Dei continetur.

32 Secunda *probatio* instatur etiam evidenter : nam materia facit *unum per se* cum formâ substantiali determinatâ, v. g. cum animâ hominis; & tamen non est magis ab eâ inseparabilis, quam ab ubicatione : imò facilius ab eâ separatur, quam à quantitate, & alijs accidentibus, etiam absolutis, & determinatis. Illud ergo principium, *Quæ magis accedunt ad unitatem, magis sunt inseparabilia*; verum est de unitate identitatis; magis enim per rationem inseparabilia sunt, quæ identificantur formaliter, quam quæ purè realiter. Falsum autem est de unitate compositionis : nam unio physica corporis cum animâ proculdubio est major, quam unio artificialis, vel puræ aggregationis; & tamen facilius moritur homo, quam

dissolvitur solicum ædificium, aut grandium lapidam acervus. Omnium item viventium animæ cum materiâ uniantur æqualiter; & tamen ex viventibus alia alijs difficilius pereunt. Idem patet comparatione factâ inter adamantem & pomum.

33 *Objic. 4.* : materia est indifferens, & contrahibilis per formam ad varias species Entis : ergo, si existeret sine formâ, ad nullam speciem entis pertineret; quod non minus implicat, quam animal existere à parte rei, quin sit rationale, vel irrationale, defectu differentia contrahentis. *Dist. Antec.* : ad varias species Entis completi, *con.*; Entis incompleti, *neg. Antec.*; similiterque *dist. Conseq.* Itaque materia sublunaris, existens sine formâ, ad nullam pertineret speciem Entis completi, ut ignis, arboris, hominis, &c. : foret tamen entitas, & substantia incompleta, specie diversa ab omni formâ, atque etiam à materiâ cœlesti, juxta plures. Nec obstat, quod *Species sumatur à formâ*, ut est in proverbio. Id enim verum est de specie Entis completi. Verum etiam est de Ente incompleto, si loquatur de formâ metaphysicâ, quæ est differentia essentialis: ab hac enim sumitur species incompleta materiæ, & entis cujuscumque.

34 Exemplum animalis sine differentia existentis, non est ad rem. Tum quia pari exemplo probaretur, non posse existere formam sine materiâ, sicut non potest differentia sine genere. Tum quia animal illud caveret specie metaphysicâ, seu



differentiâ essentiali; secus autem materia sine formâ. Tum etiam, quia contrahibilitas materiæ per formas, non est indifferentia mere logica supponens identitatem realem cum differentijs, qualis datur in animali ut sic; sed est indifferentia physica rei determinatæ, ac singularis, ad varia complementa realiter distincta.

35 *Objic.* 5. Deus, quia summè perfectus, essentialiter est actu totum: ergo materia, quia summè imperfecta, essentialiter est actu pars: ergo requirit essentialiter consortium alterius compartis, nempe formæ. *Confirm.* 1.: Deus ob summam perfectionem summè non indiget: ergo materia ob summam imperfectionem summè indiget: ergo essentialiter indiget complemento formæ. *Confirm.* 2.: potentia summè productiva nequit non esse actu producens, ut patet in potentia Dei semper ad intra prodacente: ergo potentia summè receptiva, qualis est materia, nequit non esse actu recipiens. *Confirm.* 3.: modi ubicationis, & inhesionis v.g., quia sunt minimæ entitatis in genere accidentium, nequeunt existere separati; sed materia est minimæ entitatis in genere substantiæ, cum sit propè nihil: ergo nec poterit existere separatim.

36 *Resp.* Materia non ita est summè imperfecta, sicut Deus est summè perfectus. Nam summa perfectio Dei essentialiter excludit omnem imperfectionem, sive identificatam, sive unitam: at summa imperfectio materiæ non excludit essentialiter omnem perfectionem, nec

identificatam, cum sit vera entitas positiva & substantialis, nec unitam, cum possit per unionem perfici ab innumeris formis. Materiæ igitur imperfectio solum dicitur summa in genere substantiæ absolutæ; quocum bene cohæret, quòd supponat perfectionem aliquam verè talem, imò majorem, quàm sit perfectio plurium accidentium, modorumque substantialium. Hinc ad *objec. neg. Conseq.*: eodem quippe jure posset inferri, quòd materia est purum nihil. Materia ergo solum est essentialiter pars aptitudinalis respectu compositi, sicut forma. Si tamen referatur ad hoc totum, *Subsistens*, aut *Locatum*, erit etiam essentialiter pars actualis, requirens consortium substantiæ, & ubicationis.

37 Ad 1. *confirm. neg.* pariter *Conseq.*; nisi referatur indigentia materiæ ad concursum Dei, vel ad ubicationem; quæ est indigentia communis omni creaturæ. Ratio negandi est disparitas, de quâ nuper, inter imperfectionem materiæ, & perfectionem Dei. Ad 2. instantia est in Omnipotentia Dei, quæ est summè productiva ad extra, quin debeat semper actu producere. Productio autem ad intra, cum identificetur cum Deo ipso, quid mirum, quòd sit necessaria? Non sic certè identificatur cum materia receptio actualis. Adde quòd materia semper est actu recipiens ubicationem.

38 Ad 3.: in primis nego causalem Majoris: quia cognitio, & amor, in plurium sententia, habent modalem alligationem ad suas potentias; & tamen non sunt minimæ

entitatis in genere accidentium: unio item Gratiæ cum anima perfectior est nigredine v.g., quin possit existere separatim. Vera ergo ratio inseparabilitatis modorum desumitur ex eorum essentia, quæ consistit in actuali exercitio, & ultimâ determinatione. Deinde, transmissa *Maj.*, *neg. Min.*: quia materia non est minimæ entitatis in genere substantiæ ut sic (excedit enim plures modos substantiales), sed tantum in genere substantiæ absolutæ. Dicitur autem propè nihil, dum comparatur ad formas substantiales.

## CAP. V.

## QUA ACTIONE CONSERVATUR MATERIA PRIVATA DIVINITUS OMNI FORMA?

I **D**isputatur inter Auctores nostros, utrum actio, quâ Deus conservaret materiam sine formâ, foret intrinsicè naturalis, & eadem, quæ modo est? an verò foret intrinsicè supernaturalis, atque ad eò diversa, sicut diversa est actio conservans accidentia sine subjecto ab eâ, quâ in subjecto conservantur? Supponitur autem, materiam habere propriam existentiam; si enim per alienam existat, & nihilominus sine formâ conservetur (quod ex principijs Thomistarum fieri posse diximus cap. præced.), absdubio necessaria erit actio diversa, quæ terminetur vel ad existentiam adventitiam, vel ad ejus unionem cum materia, quarum utraque pertineret ad materiæ

conservationem. Videlicet, si existentia sit Divina, requiritur nova actio unitiva: si verò sit creata, tunc, vel est in se miraculosa, proindeque non poterit naturali actione produci; vel est ipsa formæ existentia, à formâ avulla, atque ita non produceretur per educationem, sicut modò, sed per creationem.

2 Quòd ergo conservatio materiæ in casu privationis omnium formarum non deberet intrinsicè variari, tenent, & meritò, cum Eximio Doct. disp. 15. Metaph. sect. 9. n. 7. plerique Nostrorum contra paucos alios. *Probat.*: actio variari non debet, ubi non variatur, nec deficit terminus, neque ulla causa, vel principium influens: tum quia ab his solis specificatur, & pendet actio: tum quia non alio ex capite variatur conservatio accidentis extra subjectum (ut etiam variaretur conservatio formæ lapidis extra materiam) nisi quia deficit, & suppletur concursus alicujus causæ, nempe materialis. At in casu quæstionis non variatur, nec deficit actionis terminus, neque ulla causa, vel principium influens: ergo non debet actio variari. *Prob. Min.*: nam in primis invariata perseverat totum esse partiale materiæ, qui est unicus terminus creationis ejus; hæc enim creatio nec ad compositum, nec ad formam terminatur: ac deinde creatio illa non aliud principium, aliamve causam physicam habet, præter efficientem, qui est Deus; & qui certè perseverat idem, est que summè præsens, & supponitur volens conservare materiam.



3 Nec prodest recursus ad variationem finis. Nam actio externa, cum non proprie, sed denominative, sit propter finem, eadem esse potest, quamvis ad varios fines intentione operantis ordinatur: quare, licet conservatio materiae sine forma non ponatur, sicut antea, ob finem constituendi compositam, sed ob alium, v.g. ob ostensionem Divinae Omnipotentiae; non ideo intrinsece variari debet. Sic externa largitio elemosynae potest eadem esse, sive ponatur ob finem naturalem, sive ob supernaturalem placendi Deo, vel redimendi peccata. Et ratio est: quia physica actio non specificatur a fine sui termini, sive a fine, quem non immediate attingit, sed tantum a termino immediate producto, qui dici potest finis intrinsecus actionis.

4 Nec item prodest recursus ad exigentiam contrariam. Nam 1. valde probabile est, in casu questionis nullam esse exigentiam naturalem, quae materiae conservationi resistat, vel ejus anihilationem petat. Haec enim exigentia, vel esset materiae ipsius, vel naturalium agentium, vel totius Universi. At materia ipsa formam quidem appetit, & privationi resistit, sed non est cur appetat defensionem sui, utpote nullo ex capite sibi bonam, etiam dum omni forma privatur; de quo iterum in solutione objectionum. Agentibus naturalibus nullatenus nocet conservatio materiae: quamvis enim violentiam patiantur eo, quod non finantur suam in ea propagare, haec tamen violentia non provenit a

materia, quae potius id ipsum horret; sed provenit a Divino decreto subtrahendi concursum ad formam in hac materia producendam. D. nique Universum nihil continet, praeter causas activas & passivas, in quibus nulla est exigentia talis, ut vidimus: & praeterea potius debet exigere conservationem materiae, ne detur vacuum.

5 2. : quamvis admittatur naturalis exigentia petens defensionem materiae, non ideo, nolente Deo huic exigentiae attendere, requiritur actio diversa, & supernaturalis intrinsece, & quoad substantiam, ut ajunt. Sic, dum caeco miraculose restituitur visus contra exigentiam dispositionis contrariae, non est opus actione quoad substantiam supernaturali, nec diversa ab ea, qua visus naturaliter conservatur. Sic etiam resurrectio, quae non nisi per miraculum fieri potest, non requirit actionem intrinsece diversam a prima generatione; ut probat P. Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 44. sect. 5. Sic item non requiritur diversa actio, ut Deus conservet in subjecto frigus contra exigentiam caloris validioris, nec ut conservet in materia formam ligni contra exigentiam formae ignis denuo introductae.

6 Videri potest P. Arriaga disp. 3. *Physic. sect. 7.*, ubi generationem hanc conclusionem statuit, ac tuetur: *Quandocumque* in actione aliqua miraculosa Deus non supplet defectum alienae causae creatae, non est opus influxu fortiori, & ut dicit solent, supernaturali quoad substantiam,

tiam, sed solum ut illum influxum conservet, & det, quando causae naturales exigebant, ne ille esset, sed potius carentia illius. Et in hac conclusione dicit Arriaga convenire Philosophos omnes, quotquot vidit, uno excepto Recentiore, contra quem agit; item & Theologos. Ratio a priori est: quia naturalis exigentia contraria eatenus obstitit productioni, vel conservationi rei, v. g. materiae in calu nostro, quatenus petit, ac veluti precatur Deum, ut talem actionem suspendat, vel ab ea cesset: ergo eo praecise, quod huic petitioni Deus nolit attendere, manebit eadem actio, non obstante exigentia contraria. Atqui potest Deus ita nolle; alioquin jam illa exigentia non esset mere physica & naturalis, ut supponitur, sed essentialis & metaphysica: ergo per solum nolle Divinae voluntatis sine nova actione totum hoc negotium peragitur.

7 *Dices*: Deus conservat tunc materiam ut Author supernaturalis: ergo conservat actione supernaturali. *Dist. Conseq.*: actione supernaturali quoad substantiam, *neg.*; supernaturali quoad modum, *conc. Conseq.*. Bifariam operatur Deus ut supernaturalis Author. 1. producendo effectum intrinsece supernaturalem, cujusmodi est Gratia, vel unio hypostatica; & tunc operatur actione supernaturali quoad substantiam. 2. violando, vel frustrando exigentias rerum naturales; & tunc non semper opus est actione supernaturali quoad substantiam, ut patet ex num. 5. & 6.: denominatur

tamen actio *supernaturalis quoad modum* a volitione Divina, quam supponit hic & nunc, de frustrando iterum exigentias; quae volitio vocatur supernaturalis, quia est supra exigentiam totius naturae, quamvis nihil intrinsece supernaturale causet ad extra. Sic volitio anihilandi Angelum, aut negandi concursum igni applicato ad comburendum, nihil infert quoad substantiam supernaturalem; & tamen supernaturalis censetur.

8 *Dices* iterum: conservatio materiae contra exigentiam naturalem, superat virtutem Dei ut naturae Authoris. *Dist.*: conservatio per se, & intrinsece spectata, *neg.*; per accidens, & prout in his circumstantiis, *subdist.*: superat virtutem Authoris naturae specificativè sumptam, *neg.*; sumptam reduplicativè, prout implementem munus Authoris naturae, *conc.* Deus non habet aliam virtutem ut Author naturae, & aliam ut supernaturalis Author, sed unam simplicissimam Omnipotentiam, etiam absque distinctione rationis, saltem pro effectibus non intrinsece supernaturalibus. Dicitur tamen ea virtus agere ut propria Authoris naturae, quando agit ex decreto Dei volentis operari juxta rerum exigentias: quando verò ex alio decreto agit, tametsi & virtus, & actio sit eadem, non dicitur agere ut propria naturae Authoris.

9 *Dices* 3. : conservatio materiae sine forma excedit vires activas & exactivas totius naturae, qui est character entis supernaturalis. *Dist.*: excedit per se, *neg.*; excedit per



accidens, seu propter circumstantias extrinsecas, & accidentarias privationis omnium formarum, *conc.* Character entis supernaturalis est per se & intrinsicè excedere vires illas, ita ut numquam possit existere ex vi, aut exigentiâ naturæ. Si tamen res hoc non habeat ex se, & per se, sed ex accidentariâ circumstantiâ, ut in casu nostro; non definit esse intrinsicè naturalis. Et alioquin ex hoc argumento probaretur, non solum actionem, sed ipsam quoque entitatem materiæ esse intrinsicè supernaturalem; quia entitas ipsa, proat in his circumstantijs, excedit vires activas & exactivas totius naturæ.

10. Denique sententia nostra confirmatur paritate ignis Babilonici, qui miraculosè prohibitus à combustione trium puerorum, eadem actione conservatus fuit, quâ conservaretur, si combureret: quod pariter accideret in animâ, si Divinitus privaretur potentijs naturaliter debitis; & in quâlibet aliâ substantiâ, sine suis proprietatibus conservatâ. Hæc enim exempla non aliâ ratione vera sunt, nisi quia combustio, potentia, vel proprietas, licet sint termini naturaliter debiti, nullo modo influunt in prædictas substantias, sed eas pro priori productas, & existentes supponunt: quod pariter in formâ respectu materiæ verificatur. Exempla ista, quibus planè instantur argumenta contraria, non videntur ab Adversarijs negari, nec jare possunt. Quis enim credat, ignem Babilonicum supernaturali actione extitisse, quandiu à

combustione cessavit? Et alioquin dicendum pariter esset, quod substantia aquæ, dum privatur frigore, aut anima rationalis, dum separatur à corpore, quod innatè appetit, conservatur actione diversâ, & robustiore, saltem intra lineam naturalem; quod tamen nemo dixerit.

### Solvuntur Objectiones.

11. **O**bjic. 1.: si conservatio materiæ foret actio naturalis, materia existeret naturaliter sine formâ, contra communem sententiam, quam supra defendimus. *Resp.* Ut res absolute dicatur non fieri vel existere naturaliter, non requiritur existentia vel actio supernaturalis quoad substantiam (idest, quæ entitativè superet pro omni eventu vires activas & exactivas totius naturæ), sed sufficit, quod existentia vel actio sit supernaturalis quoad modum (idest, quod, licet entitativè sit ordinis naturalis, existat tamen hic & nunc in circumstantijs indebitis, & miraculosis, supponentibus que decretum Dei supernaturale, juxta dicta n. 7.), ut patet in exemplis num. 5. & 10. Conservatio autem materiæ sine formâ ita est actio quoad substantiam naturalis, ut simul sit supernaturalis quoad modum, quatenus ponitur in circumstantiâ privationis omnium formarum, quæ privatio, ut potè contraria exigentiâ materiæ naturaliter invincibili, supponit decretum Dei supernaturale. Quare propositio argumenti absolute neganda est, sicut absolute negatur, quod visus

naturaliter restituitur cæco nato, quod Lazarus naturaliter resurrexit, quod ignis Babilonicus naturaliter extitit sine combustione.

12. Aliter: hic conceptus, *Materia existit naturaliter sine formâ*, duo dicit, alterum positivum, negativum alterum: positivum est existentia & conservatio materiæ: negativum est privatio omnis formæ. Si ly *naturaliter* referatur tantummodo ad positivum, propositio vera est; falsa tamen, si *naturaliter* referatur ad negativum; quia privatio illa non contingit naturaliter, sed est supernaturalis, saltem præsuppositivè ex decreto Dei. Quare sub his terminis distingui poterit propositio claritatis gratiâ. Mellius tamen absolute negabitur; vel quia ly *naturaliter* excludit supernaturalitatem quoad modum; vel quia in communi acceptione refertur ad negativum. Sic absolute negatur hæc, *Ignis Babilonicus naturaliter extitit sine combustione*; & hæc etiam, *Aqua connaturaliter existit sine frigore*; ut è converso absolute conceditur hæc alia, *Aqua violenter existit sine frigore*; quia scilicet ly *violenter* refertur ad negativum; nam, si ad positivum referretur, esset absurdum propositio falsa.

13. *Objic.* 2.: materia, si privaretur divinitus omni formâ, deberet naturaliter deficere: tunc ergo conservatio ejus non foret actio naturalis, utpotè contraria debito & exigentiâ naturali. *Prob. Antec.* 1.: quia naturalis ordo rerum exigit, nè quidquam existat prorsus otiosum, & inutile: materia autem sine for-

mâ, prorsus inutilis, & otiosa foret. 2.: quia materia ipsa innatè appeteret non esse potius, quàm permanere in statu violento cum miserâ paupertate, nuditate, & vacuitate perfectionis sibi naturaliter debite. Nam, juxta Philosophum, ut appetitur innatè, quod possit esse objectum appetitus elicitum prudentis: non est autem à prudenti alienum optare potius non esse, quàm male, ac miserè esse; quod suaderi poterit ex loco *Math. cap. 26. v. 24.* & *Job cap. 3. v. 11.* & *cap. 10. v. 18.*

14. 3.: quia privatio omnis formæ connecteretur physicè cum defitione materiæ. *Prob.*: quando A connectitur physicè cum B, defectus rei B connectitur etiam physicè cum defectu rei A: quod patet exemplo connexionis metaphysicæ; sic enim, quia actio connectitur metaphysicè cum termino, defectus termini connectitur metaphysicè cum defectu actionis. Atqui materia connectitur physicè cum formâ: ergo omnis formæ privatio, sive defectus, invicem connectitur physicè cum defectu materiæ. Vel alijs terminis: Ex hoc antecedenti, *Materia existit*, inferitur necessitate physicâ, *Ergo materia aliquam habet formam*: sed ab opposito consequentis inferitur oppositum antecedentis: igitur ex hoc alio, *Materia nullam habet formam*, inferitur etiam necessitate physicâ, *Ergo materia non existit*.

15. *Confir.*: materia exigit non decerni à Deo, nisi in ordine ad finem, ad quem ipsa naturaliter



ordinatur, & quem exigit efficaciter: ergo exigit non decerni, nisi per decretum simul volens existentiam compositi, qui est finis materie: sed, materia existente sine forma, non daretur tale decretum, sed aliud volens materiam sine composito: ergo tunc materia decerneretur & existeret contra exigentiam propriam. Accedit, quod decretum, volens materiam sine composito, esset supernaturale: ergo actio pendens à tali decreto, non esset naturalis.

16 Resp. 1. Admitto *Antec. objectionis*, & *neg. Conseq.*, vel *dist. Conseq.*: non foret actio naturalis quoad modum, *conc.*: quoad substantiam, *neg. Conseq.*. Quamvis materia in casu questionis naturaliter deficere deberet, sive ex propria exigentiâ, sive ex aliâ connexionem physicâ, non ideo, ut conservaretur, opus esset actione novâ: sed sufficeret, quod exigentijs istis à Deo petentibus, ut cessaret à conservatione materie, diceret Deus, *Nolo cessare*. Relege dicta à num. 5. ad 10. In *Confirmatione* admitto pariter, materiam sine formâ decerni & existere contra exigentiam propriam: non ideo necessaria esset actio intrinsicè diversa. Penderet quidem illa actio hic & nunc à decreto supernaturali; at non penderet per se, sed per accidens, atque adeò non foret supernaturalis quoad substantiam, sed quoad modum. Sic externa actio dandi elemosynam, licet quandoque pendeat à volitione supernaturali, non ideo intrinsicè supernaturalis est, nec diversa ab eâ,

que pendet à volitione naturali; quia nimirum ex se non necessaria: id supponit actum supernaturalem Voluntatis, quamvis hic & nunc per accidens ab illo pendeat.

17 Dices: major influxus est necessarius ad conservandam rem in statu violento, quam in statu conaturali; idcirco enim majore conatu opus est, ut lapis in aere suspendatur, quam ut in centro locetur. *Resp.* Inprimis instantia est in aquâ fervente, cujus conservatio non mutatur eo, quod sit in statu violento. Deinde exemplum lapidis retorquetur: nam Deus potest lapidem in aere suspendere sine novo influxu positivo, si nimirum nolit concurrere cum gravitate lapidis ad motum deorsum. Quod autem id fieri nequeat à creaturâ, ideo est, quia causa creata nequit obistere gravitati lapidis, nisi per conatum positivum. Postremo, quando status violentus non affert secum defectum alicujus comprincipij, cujus causalitas suppleri debeat, falsum est generatim, quod ratione status violenti requiratur major influxus Dei positivus, ut patet in exemplis num. 10.

18 Scio, Recentiores non admittere, quod materie desitio in casu questionis exigatur à materia ipsâ, vel ab aliâ re naturali; sed velle, ut totum miraculum stet in denegatione formæ, minimè verò in conservatione materie, nec in decreto, à quo pendet, etiam supposita omnis formæ privatione. Verum Exim. Doctor tom. 3. in 3. p. disp. 50. sect. 6. docet, quod in Eucharistia

ristia ex vi actionis separantis accidentia definit naturaliter, non solum forma, sed materia panis; *Quia*, inquit, *ita postulat materia naturalem modum existendi cum quantitate & forma, ut, si omnino illo privetur, non debeat illi conservatio naturalis sub alio existendi modo: quomodo dici potest, animam naturaliter esse non posse sine intellectu & voluntate, ita ut, si illis privetur, naturaliter etiam postulet privari esse suo, & conservatione in rerum natura.* Consonat idem Eximius cit. disp. 15. *Metaph. sect. 9. n. 7.*, ubi negatâ necessitate novæ actionis ad conservandam materiam sine formâ, subdit: *Miraculum solum in eo esset positum, quod Deus continuaret actionem conservativam materie in eo statu, in quo illi non deberetur esse.* Illa igitur Divina voluntas continuandi conservationem materie, esset indebita, & miraculosa.

19 Similiter P. Vazquez tom. 3. in 3. p. disp. 181. cap. 9. & 13. inde colligit desitionem substantiæ panis in Eucharistia, quia substantiam panis conservari, separatis accidentibus, esset *præter naturam, & novum miraculum.* Id ipsum explicatius tradit Cardinalis de Lugo disp. 7. de Euchar. num. 114. ubi dicit, conservationem materie sine formâ, etiam pro signo priori ad privationem formæ, miraculosam fore quoad modum: quia, ut esset naturalis, deberet supponere Divinum decretum conservandi materiam in ordine ad constituendum compositum, qui est finis materie:

tunc autem conservatio materie, licet naturalis quoad substantiam, non supponeret tale decretum, sed aliud conservandi materiam pro instanti, vel tempore, quo non est habitura formam; quod decretum non est Dei ut naturæ Authoris. Eandem doctrinam amplectitur P. Ariaga disp. 2. *Physic. sect. 6. subsect. 4.*

20 *Resp. 2.* ad mentem Recentiorum, *neg. Antec.* objectionis n. 13.: quia nulla daretur exigentia naturalis petens desitionem materie. Conversio autem Eucharistica inducens desitionem totius substantiæ panis, alijs modis probabiliter explicari potest, ut videre est apud Theologos. Ad 1. *prob.*: Materia sine formâ non esset inutilis & otiosa per se, & attento ordine naturali, sed tantum per accidens, & ex circumstantiâ miraculosâ privationis formationis: ordo autem rerum naturalis, licet exigat, ut hæc circumstantia removeatur, non exigit, ut pereat materia innocens, quæ innatè odit illud ipsum otium.

21 *Ad 2.*: nego talem appetitum materie. Tum quia non est amissa naturalis spes evadendi à statu misero, cum assecutio formæ verè maneat possibilis naturaliter: nam decreta supernaturalia denegandi terminum naturaliter debitum, non auferunt, sed supponunt naturalem termini possibilitatem: unde, si materia, quæ talia decreta ignorat, appeteret non esse, hic appetitus foret desperatio irrationabilis. Tum etiam, quia formæ privatio est malum purè negativum respectu mate-



riâ, nullum importans cruciatum, aut miseriam positivam, sed præcisè consistens in non affectuione boni sibi debiti. Si autem materia propter hoc malum projiceret suura esse, tam stultè se gereret, quàm qui centum argenteos, quos possidet, in mare projiceret, non aliâ ratione, nisi quia non obtinet mille aureos sibi debitos. Hinc patet disparitas ad homines, qui ad vitandum peccatum (quod est malum in lineâ morali positivam), vel propter ingentes cruciatus animi, vel corporis, mortem optant.

22 *Ad 3. neg.* assumptum. *Ad prob. neg. Maj.*, si indistinctè sumatur: datâ enim eâ physicâ connexionem, contingere potest, ut defectus rei B, non solum non connectatur physicè cum defectu rei A, verum etiam connectatur metaphysicè cum positione ipsius A. Sic enim hæc veritas objectiva, *Accidens existit*, connectitur physicè cum hac aliâ, *Accidens non existit extra subjectum*, cujus defectus, nempe, *Accidens existit extra subjectum*, connectitur metaphysicè cum positione illius, *Accidens existit*. Similiter quantitas A connectitur physicè cum carentiâ bilocationis sui, aut penetrationis cum aliâ quantitate: & tamen hujus carentiæ defectus, nempe bilocatio, aut penetratio, connectitur metaphysicè cum existentiâ ejusdem quantitatis. Nihil simile invenietur in connectione metaphysicâ: quare neganda est paritas.

23 Illa verò regula, *Ab opposito consequentis &c.*, vera est,

quando datur eonnectio metaphysicâ antecedentis cum consequenti: at non semper, quando connectio est purè physica, ut jam in Summulis advertimus. En consequentias physicas, *Quantitas A existit, ergo non est bilocata, ergo non est penetrata cum alia quantitate, ergo non existit extra subjectum*: item, *Sol existit, ergo non existit sine luce: Ignis conservatur, ergo non conservatur sine combustionem, vel sine calore*. Fac dari divinitus oppositum cujuslibet istorum consequentium, & vide an inferatur necessitate physica oppositum antecedentis.

24 *Ad Confirm.*: Materia non exigit decerni per decretum simul volens existentiam formæ, vel compositi, nisi ut summum negativè, aut inefficaciter; potius enim connaturalis est, ut materia & forma decernantur duplici decreto, formaliter aut virtualiter distincto, cum ordine quodam prioris & posterioris. Id quod suaderi potest: quia ipse naturalium rerum ordo postulat, ut prius priora, posterius posteriora decernantur, ut ordini rerum correspondeat ordo decretorum. Sic prius decernitur substantia, quàm proprietas accidentalis, prius etiam ignis, quàm combustio, &c.. Cum ergo materia sit naturâ prior, quàm forma, prius decerni debet, proindeque distincto decreto. Profectò Deus, nec decernit simul cum materiâ formam determinatam, nec aliquam vagè. Non primum: nam alioquin toties variaretur decretum circa materiam, quoties nova forma introducitur; quod est incredi-

bile. Non secundum: nam, si Deus alio deinde indiget decreto, ut determinet formam, ut quid illa prior volitio efficax alicujus formæ vagè sumptæ?

25 Præterea, forma producit ad exigentiam materiæ: ergo ad exigentiam materiæ decernitur: nam Deus, ut naturæ Author, eo titulo decernit res, quo illas producit. Sed materia, prius quàm existat, non exigit formam: prius ergo debet prævideri existens vi proprii decreti, ut ad illius exigentiam forma decernatur. Denique, materia & forma diversis admodum actionibus producuntur; materia, actione creativâ, quæ à solo Deo pendet; forma (intellige materiale) actione educitivâ, quæ pendet etiam ab agente creato: hæc autem actionum diversitas congruum est ut decretorum diversitatem supponat.

26 Hinc Deus, ut naturæ Author, & ut volens juxta exigentiam materiæ, non debet primo decreto velle materiam in ordine ad suum finem positivè, sed tantum negativè, quatenus debet nihil velle tali fini contrarium: atque ita reverâ se gereret in casu quæstionis; non enim cum finem excluderet per decretum materiæ conservativum, sed per aliud subsequens decretum supernaturale denegandi formam. Concedi præterea potest, Deum, cum decernit materiam, velle finem illius, non tamen omninò absolutè, & intrinsechiter, sed potius eo modo, quo materiam talem finem sibi debitum facit. Unde, cum materia solum naturaliter

sibi debitam faciat formam, quin Deo libertatem adimat formam denegandi de potentiâ absolutâ, sic Deus ex vi decreti productivi materiæ solum vult formam esse naturaliter debitam, nec sibi libertatem adimit decernendi contrarium.

27 Illud ergo decretum non respicit existentiam formæ, nisi sub conditione, saltem tacitâ, sive implicitâ, quod Deus pro posteriori nolit exigentiam materiæ contraire: atque ita explicari potest, *Volo absolute ut existat materia, simulque volo ut habeat formam, si servetur ordo naturalis, vel, nisi aliter decrevero de potentia absoluta*. Hoc autem decretum sine dubio permanere potest, quàmvis Deus pro posteriori formam denegat. Solutio clarescet exemplis supra positis, v. g. in igne, cujus finis naturalis est operatio combustiva, juxta illud, *Esse est propter operari*; & tamen decretum ad ignem terminatum non ita absolutè vult combustionem, ut nequeat cum illius carentiâ conjungi.

28 Ex dictis in hac secundâ Responsione colliges 1., miraculum conservandi materiam sine forma, solum spectare ad negativum *sive forma*, non verò ad positivum conservationis materiæ: id est, in eo positum esse, quod, suppositâ existentiam materiæ, velit Deus omnem illi formam denegare; non verò in eo, quod, positâ istâ denegatione, velit Deus continuare materiam conservationem; quia & ista conservatio, & ejus volitio, naturalis est, & eadem, quæ materiam sub so ma



conservat. Hoc tamen non tollit, quòd absolute negetur, materiam existere posse naturaliter sine formâ, juxta dicta n. 12. Colliges 2., materiam, sine formâ existentem, pati violentiam, non in eo quòd existat & conservetur (hoc enim ipsa appetit etiam tunc), sed in eo præcisè quòd non habeat formam. Quare, si *dicat*: materia non existit in statu violento. *Dist.*: exigendo violentiâ suppositâ existentiâ *conc.*; exigendo existentiam suppositâ violentiâ, *neg.* Si *inflat*: materiam conservari sine formâ, miraculum est: sed materia non existit miraculum: ergo. *Dist. Maj.*: miraculum est, præcisè consistens in denegatione formæ, suppositâ existentiam materiæ, *conc.*; consistens in conservatione materiæ, suppositâ denegatione formæ, *neg. Maj.*, & *concess. Min.*, *neg. Conseq.*

## CAP. VI.

DE UNITATE, AC DISTINC-  
TIONE MATERIÆ PRIMÆ.

**Q**ueritur 1., utrum materiæ sublunares de facto sint omnes ejusdem speciei? Certum est, materiam primam non esse unam numero in omnibus compositis, quidquid dixerit Averroes. Non enim eadem individua materia potest simul suscipere naturaliter tot formas & dispositiones oppositas, nec in tot locis disitis simul esse. Unde solum est controversia de unitate specifi- cæ materiæ sublunaris. De materia

cœlesti fatius duxi quæstionem remittere ad Libros de Cœlo.

2 Affirmat communis sententia, & merito. Quia species non sunt multiplicandæ sine fundamento: nullum autem est fundamentum sufficiens pro diversitate specificâ inter materias sublunares. Nam imprimis omnes conveniunt in ratione substantiæ incompletæ, corporeæ, primi subjecti, & puræ potentia physica. Deinde omnes dicunt ordinem ad easdem formas: perpetua namque rerum transmutatio satis ostendit, quamlibet materiam esse cujusvis formæ capacem. Neque ulla est forma sublunaris, etiam adamantis, quæ non possit aliquâ vi corrumpi, materiamque suam alteri relinquere. Denique easdem operationes, aut proprietates, ex se radican, videlicet quantitatem, ubicationem, durationem; nec in alias influere possunt, ut supra vidimus. Non est igitur, unde species differant.

3 *Dices* 1.: materiæ distinguuntur per ordinem ad formas; sed formæ sunt specie diversæ: ergo & materiæ. *Resp.* Si detur una materia dicens ordinem ad unas formas, & alia dicens ordinem ad diversas alias; erunt materiæ specie diversæ: cæterum, si tam una, quam alia, dicat ordinem ad easdem formas inter se specie diversas, non possunt ex hoc ordine distingui, cum potius in eo conveniant. Atque ita de facto se habet omnes materiæ sublunares. *Dices* 2.: formæ inter se specie differunt, licet ordinem dicant ad eandem materiam: er-

ergo & materiæ poterunt inter se differre, licet ordinem dicant ad easdem formas. *Neg. Conseq.*: quia formæ aliunde habent, unde inter se differant, videlicet ex vi radican- di proprietates & operationes diversas. At una materia nihil ex se radicat, quod non sit exteris commune.

4 *Dices* 3.: ergo leo, & equus non differunt specie adæquatè, cum specificè conveniant in materia. *Conc. Conseq.* Specie tamen differunt absolute, quia distinctio specifica absolute desumitur à formâ, quæ se habet in lineâ physicâ, sicut differentia in lineâ metaphysicâ, in qua lineâ simpliciter differunt leo & equus, quamvis conveniant in formalitate animalis. Si inferas: ergo magis inter se differunt formæ ipsæ leonis & equi, seorsum spectatæ, quam tota composita. *Conc. pariter Conseq.*: quia, licet composita includant totam differentiam formarum, at non solum, sed aliquid ultra, in quo specificè conveniunt; quod iterum patet exemplo lineæ metaphysicæ.

5 *Quer.* 2.: utrum unitas specifica materiæ sublunaris sit positiva? Negant plerique Thomistæ, dicentes, materias esse ejusdem speciei negativè tantum: cum enim ex se nullam habeant actum, etiam metaphysicum, non sunt ratione sui positivè constitutæ in aliqua specie, quæ semper ab actu desumitur: quia tamen neque habent actum, in quo differant, idèò neque sunt specie diversæ positivè, ac proinde sunt ejusdem speciei negativè. Idem di-

cunt de unitate numericâ, scilicet materiam ratione sui non habere unitatem, nec multiplicatam numericam, idèst, nec esse unum, nec multiplex individuum, nisi negativè duntaxat.

6 Affirmant tamen Authores nostri, & Scotistæ, imò quotquot materiæ concedunt propriam existentiam, vel saltem proprium actum metaphysicum, ut ex Thomistis Palancus hic q. 5., & Froylan hac q. 2. ar. 5., qui tamen quoad unitatem numericam assentitur suis. Hæc sententia probatur facile: quia species positiva datur, ubi datur differentia positiva contrahens rationem genericam, & rem ultimò discernens ab alijs speciebus. Talis autem differentia utique datur in materia primâ, ut ostendimus disp. 2. cap. 3. n. 5. & seqq.. Certè ordo primi subjecti ad omnes formas sublunares est positivus, ut concedit Bayona hic q. 3. n. 329. & 346. *Edit.* 2.. Per illam autem ordinem ultimò differt materia sublunaris ab omni formâ, nec non à materia cœlesti juxta Thomistas: ergo differt positivè, sive in aliquo positivo. Sed non differt genericè à materia cœlesti; nec item purè numericè, ut Thomistæ volunt: ergo ab eâ differt specificè in formalitate, seu realitate positivâ: ergo datur inter materias, cœlestem, & sublunarem, differentia specifica positiva. Item, materia leonis, & materia equi, inter se conveniunt positivè, nempe ratione ordinis positivi ad easdem formas, quæ secum identificant; sed hæc convenientia non est generica,



nes numerica, sed specifica, ut Thomistæ fatentur: ergo datur inter eas materias ratione sui convenientia, siue unitas specifica positiva.

7 Ratio à priori: quia materia est ens positivum, ut nemo dubitat. Implicat autem ens positivum à parte rei productum, quod non distinguatur ab omni non ipso, tum specie, tum numero, per aliquam differentiam, & hæcitatatem positivam: alioquin unum ens positivum distingueretur ab alijs per puram negationem, seu per non ens, foretque proinde in specie & in individuo ens non ens. Accedit, quod, si materia unice habet à formâ speciem & individuationem positivam, ut volunt Thomistæ; materia, quoties mutat formam, mutabit etiam speciem & individuationem positivam, erit que alia materia numero & specie diversa. Hoc Thomistæ concedunt, ut videre est apud Bayonam l. c. n. 350. & 409.

8 Sed inde sequitur 1. contra Philosophum, & communem Philosophiam, mutationes substantiales, & oppositionem formæ & privationis, non exerceri circa idem subjectum, sed circa distinctum numero & specie. Dices, subjectum esse idem negativè. Sed contra: Tum quia subjectum negativè non magis est idem, quam distinctum: nam, sicut est idem negativè, quia ratione sui non habet principium positivæ distinctionis, ita erit distinctum negativè, quia ratione sui non habet principium positivæ unitatis. Tum etiam, quia positiva diversitas est propriè & simpliciter talis;

unitas autem purè negativa est impropria: ergo propriè & absolutè loquendo falsa erit illa Philosophorum doctrina.

9 Sequitur 2. contra sententiam omnium Scholarum (de quâ in Logica), quod datur distinctio realis inter gradus metaphysicos, siue inter prædicata superiora & inferiora: nam in materiâ ratio substantiæ incompletæ, primi principij materialis, & partis potentialis, distinguitur realiter à formâ, à quâ formaliter & constitutivè provenit gradus individualis & specificus ejusdem materiæ, idest, differentia specifica, & singularitas, seu hæcitas. Sequitur 3., quod entitas materiæ, prout realiter distincta à formâ, erit quoddam Universale à parte rei, cum sit entitas ex se nec una, nec multiplex, in specie, nec in individuo, sed realiter indifferens ad varias species, & hæcitates. Sequitur 4., quod non licebit Sanctorum ceneres, tamquam proprias eorum reliquias, venerari; cum jam materia sit simpliciter alia numero, & specie. Item, si in die Judicij materia cadaveris Petri uniretur animæ Pauli, & è converso, tam Petrus, quam Paulus resurgeret in eadem individuo corpore, in quo vixit; siquidem qualibet materia, eo ipso quod unitur eidem animæ, fit eadem in individuo.

10 Argumenta Thomistarum fundantur in eo, quod materia sit pura potentia, proinde que nullum actum habeat, sicut Deus nullam habet potentialitatem, quia est actus purus. Verum hoc fundam-

entum

tum cum alijs similibus abunde solvimus disp. præced. c. 3. & seqq.. Certè materiæ convenit aliqua similitudo & imitatio Dei, ut expressè nos docuit D. Thomas citatus ibid. cap. 4. n. 28.. Sed materia non imitatur Deum in potentialitate, quæ nulla in Deo est: ergo imitatur in aliqua actualitate. Tantum hic adverto, quod, cum materia dicitur specificari à formâ, & generatim potentia quælibet à suo actu, vel objecto; sermo est de specificativo extrinsecò: nam intrinsecum specificativum est ordo ipse ad actum, vel ad objectum, qui ordo cum potentia identificatur.

11 Sed *objicies* adhuc: materia prima ex se non est una unitate compositionis, cum non componatur ex actu & potentia; nec est una unitate simplicitatis, cum sit divisibilis in partes integrantes: ergo ratione sui nullo modo est una. *Confirm.*: materia, quæ modo divisa est in plures portiones numero distinctas, potest fieri una materia, si nimirum sub unâ continuâ quantitate ponatur: ergo materia ex se nec est una, nec plures. *Objeçto* evidenter instatur in formâ materiali, v. g. lapideâ, ut applicanti manifestum erit. Præterea, materia est una unitate simplicitatis, non integralis, sed essentialis, in eo consistentis, quod essentia materiæ non constituatur physicè ex actu & potentia, siue ex partibus, quarum separatione formaliter deficiat essentia: cui simplicitati non obstat compositio integralis, seu continuativa: quamvis enim materia quali-

ter dividendi possit in plures particulas, in quavis particulâ salvatur essentia materiæ; ut cum dividitur aqua in plures guttas. Ad *Confirm.* fateor, materiam ex se indifferentem esse ad unitatem vel multiplici-  
*integram*, siue in esse continui: quæ indifferentia pariter convenit omnibus compositis homogeneis, ut aquæ, igni, lapidi, &c., nec non eorum formis secundum se spectatis. Cæterum, sicut inde perperam inferres, his formis & compositis ratione sui non convenire unitatem specificam, & numericam *entitativam*, de quâ loquimur, in eo consistentem, quod quælibet eorum particula designabilis (siue continuativè unita cum alijs, siue separata), determinatè sit hæc, & non alia; ita de materiâ censendum.

12 *Queritur* 3., utrum sub materiâ dari possit latitudo specifica?, siue, utrum sit possibilis materia specie diversa à sublunari de facto existente? Affirmativa sententia satis communis est in Scholâ nostrâ cum Eximio Doct. disp. 13. Metaph. sect. 11. à n. 8.. Bifariam potest hæc sententia defendi. 1. statuendo duas materias, quarum altera solum sit susceptiva formæ incorruptibilis, potestque proinde inamissibiliter informari; altera verò susceptiva sit cujuslibet formæ corruptibilis, siue amissibilis. 2. ita, ut utraque materia recipere possit formas amissibiles, sed altera coarctata sit ad certas formarum species, altera ad diversas alias, vel indiscriminatim ad omnes. In primo



sensu, affirmativa sententia placet etiam Thomistis, apud quos propter eam rationem materia celestis specie distinguitur à sublunari: sed displicet Scotistis cum Scotò apud Mastrium hìc disp. 2. n. 64.. In secundo sensu dubitat Exim. Doctor cit. Disp. sect. 12. n. 6.: Recentiores nostri passim affirmant; quibus consentiunt Bayona hìc q. 3. n. 355., & Mastrius loc. cit.. In utroque sensu negat P. Jo. Baptist. de Benedictis l. 1. Phys. c. 5.. Mihi in utroque probabilius apparet pars affirmativa.

12 *Prob. 1.*: quia, ut ex objectionum solutione patebit, nulla repugnantia satis ostenditur in conceptu materiae ex se limitatae, vel ad unam speciem formae inamissibilis, vel ad quatuor, aut quinque species formae amissibilis: quae limitatio recederet sine dubio materiam specie diversam à sublunari nunc existente. 2.: quia in materia sic limitata salvaretur essentia metaphysica materiae primae, quam explicuimus disp. 2. cap. 2.. 3.: quia in potentijs activis ex virtute producendi effectus aliquos, non inferitur virtus ad diversos alios etiam perfectione aequales, aut inferiores; sic que potentia visiva non habet virtutem ad actus audiendi, aut odorandi: ergo pariter in potentia passiva stare poterit capacitas ad aliquas formas sine capacitate ad omnes. Quare capacitas illimitata materiae de facto existentis non probatur ex capacitate ad formas aliquas, sed ex varia rerum transmutatione, quae satis ostendit, quam-

libet materiam esse e jusvis formae capacem.

14 *Objic. 1.*: Actus purus nequit specie multiplicari: ergo nec pura potentia. *Nego Conseq.*, & iusto in multiplicatione numerica, quam non admittit Actus purus, admittit autem pura potentia. Itaque Actus purus, nempe Deus, utpote simpliciter infinitus in omni genere perfectionis, essentialiter multiplicationi repugnat. At finitudo, & imperfectio materiae non excludit multiplicationem, sed potius fundat. *Replie.*: materia est entitas imperfectissima, cum sit prope nihil: ergo in ea dari nequit perfectio major, & minor: ergo nec dari potest latitudo specifica, quae perfectionis inaequalitatem requirit. *Resp.*: Hoc ultimum est incertum: sed, eo omisso, *dist. Antec.*: est entitas imperfectissima ex genere suo, *transseat*; in specie, vel in individuo, *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Sicut Angelus (quem Augustinus vocat *propè Deum*, sicut materiam *propè nihil*) est substantia creata ex genere suo perfectissima; & tamen admittit inaequalitatem perfectionis specificam: ita materia, licet forsan ex genere suo imperfectissima, poterit species admittere perfectione inaequales.

15 *Objic. 2.*: ergo possibilis erit materia intrinsicè limitata ad unam tantam speciem formae corruptibilis. *Nego Conseq.*: quia talis forma foret corruptibilis, ut supponitur; & aliunde non foret corruptibilis; quia nec posset ab alia forma expelli, nec materiam defe-

rere omni formam nudatam. Nostrae sententiae sufficit, quod limitatio materiae non repugnet modo explicato num. 12.. Alij *concedunt Conseq.*: quia, licet illa forma corrupti non posset per accidens, & ex suppositione unionis cum tali materia; foret tamen ex se corruptibilis, quia posset primò recipi in materia communi, in qua suam corruptibilitatem explicaret. Nec inde inferitur, possibilem quoque fore materiam, unius tantum individuae formae capacem. Nam sicut causa activa limitari valet ad unicam speciem effectuum, non tamen ad unicum individuum, quia si unum potest, non est cur non & alios ejusdem omnino rationis: ita causa passiva, seu materiae capacitas.

16 *Objic. 3.* ex P. Jo. Baptist. de Benedictis: materia limitata ad unam speciem formae inamissibilis, qualis de facto à multis creditur materia Solis, non foret pars subjectiva, sed integra natura, non indigens forma substantiali: ergo non foret materia prima. *Prob. Antec. 1.*: quia talis materia foret primum principium, non solum passivum, sed etiam activum, idest, primum exigitivum, prima que radix potentiarum, & operationum Solis v.g.: reverà enim primò fundaret, & exigeret determinatè potentias & operationes solares. 2.: quia forma Solis, siquidem materiae determinatè debita esset, & ab ipsa radicaretur, foret passio & accidens talis materiae, sicut quantitas. 3.: quia materia istiusmodi constitueret Solem in esse talis, illum primò distingue-

ret ab omni non Sole, foretque id, ex quo à priori probarentur reliqua; nam ipsa forma Solis probaretur ex materia, tamquam ex principio praesupposito: illa ergo materia esset tota natura, vel essentia Solis.

17 *Confirm.* ex eod. Authore: potentia materiae nullo ex capite potest limitari. Non imprimis, quatenus *sustentativa*: quia materia non plus laborat in sustentanda formam perfectiore, quam imperfectiore, sed eadem vi sustentat quamlibet: sicut ergo vires aptae ad sustentandum pondus ut quatuor v.g., non possunt limitari potius ad pondus plumbeum, quam ad ligneum; ita vis sustentativa materiae limitari nequit ad formam unius speciei praesertim. Non deinde, quatenus *receptiva*: quia materiae capacitas ad recipiendam formam, fundatur in vacuitate, & carentia; & haec necessario convenire debet omni materiae respectu omnis formae. Ob hanc rationem repugnat quantitas unius tantum figurae capax, locus unius tantum corporis susceptivus, vas unius tantum liquoris. *Confirm. iterum*: quoties potentiae passivae specie distinguuntur, non sunt pure passivae, sed simul activae, ut patet in potentijs intellectiva, volitiva, visiva, &c.. At materia prima nequit esse activa.

18 Argumentum grave, sed non satis convincens pro quaestione praesenti, ubi agitur de potentia Dei absoluta. Quare ad *object. neg. Antec.* Ad 1. *prob.*: talis materia exigeret quidem mediate potentias,



& operationis Solis; sed non ideo foret earum principium activum, nec prima radix: ad hoc enim non sufficit exigentia qualibet, sed ea tantum, quæ fundatur in perfectione, & fecunditate, qualis invenitur in formâ Solis, & non invenitur in ejus materiâ, cujus tota exigentia fundaretur in imperfectione, & indigentia purâ, licet ex se ordinatâ ad tales potentias, & operationes præ alijs. Sic ultima dispositio corporis ad animam rationalem, hanc exigit determinatè, quin ideo sit principium activum, aut radix animæ. Sic etiam materia sublunaris exigit vagè formam aliquam substantialem; & tamen à nemine dicitur primum principium activum, primavè radix formæ vagè sumptæ.

19 Ad 2. prob. neg. sequel.: quia materiæ concedi solet major perfectio, & fecunditas respectu quantitatis, quæ proinde materiæ debetur ex fecunditate: non ita forma Solis, quæ solum ex indigentia deberetur. Ad 3. prob.: illa materia constitueret Solem in esse talis, non plenè, sed inchoativè: non enim Sol intelligeretur plenè constitutus in specie suâ, donec haberet primam radicem proprietatum & operationum suarum, quæ est forma. Item primò distingueret Solem ab omni non Sole, at non ut præcipua differentia, sed ut minùs præcipua. Vide dicta disp. 1. cap. 2. n. 10. & 13.. Denique nego, quòd forma Solis à priori probaretur ex tali materiâ: quia non ex eâ probaretur tamquam ex principio activo,

seu radice fecundâ. Si tamen vocetur probatio à priori, quæcumque fieri potest ex aliquo præsupposito determinatè connexo, nihil contra nos: nam hoc sensu etiam anima rationalis potest à priori probari ex ultimâ dispositione, quin ideo desinat esse forma pertinet ad essentiam hominis.

20 Ad Confirmat. fateor non dari locum limitationi potentiz, quando sermo est de terminis ejusdem speciei, & ejusdem omninò rationis. Et hætenus tenent exempla objecta. Nam pondus consistit in gravitate, quæ ejusdem rationis est in plumbo & in ligno. Similiter corpora locum occupant, & liquores vas implent ratione extensionis, quæ pariter est ejusdem rationis in quovis corpore & liquore magnitudinis equalis. Exemplum quantitatis in ordine ad figuras forte non est certum. Sed esto. Omnis figura est ejusdem rationis physicè, licet mathematicè diversas admittat species: nulla quippe physica diversitas est in eo, quòd extremitates quantitatis locentur, aut continuativè uniantur, in hac aut illâ lineâ, in hoc aut illo ordine.


21 At, quando sermo est de terminis specie diversis, potest utique limitari potentia, sive sustentativa, sive receptiva, ut patet in potentijs activis: jam enim tunc non militat eadem omninò ratio. Cuiam verò potentiz competat limitatio, vel extensio, probari non potest nisi à signo, vel experientia: nam de rerum essentijs non est ratio à priori. Sic nulla ratio est,

cur

cur potentia visiva non possit audire, nisi quia experientia monstrat, illam esse suapte naturâ destinatam ad videndum, non ad audiendum. Nec obstat, quòd vis sustentativa non magis laboratura videatur in uno, quam in alio: potest enim transcendentaliter ordinari ad unum, & non ad aliud. Nec materiæ capacitas fundatur in vacuitate & carentiâ utcumque; sed in carentiâ, quæ sit privatio, & in vacuitate, quæ habeat ordinem ad formam. Nam etiam in lapide datur va-

cuitas & carentia perfectionis intellectivæ, quin ideo detur capacitas.

22 Denique observa, quòd ordo ad formam sub ratione genericâ complementi substantialis, non est de conceptu Materiæ primæ ut sic: quamvis enim invenitur in materiâ sublunari nunc existente, nihil prohibet possibilem esse aliam materiam, cujus ordo solum tendat sub ratione formæ elementaris, vel sub ratione formæ mixti inanimati.



## DISPUTATIO IV.

### DE FORMA SUBSTANTIALI.

**F**ORMA dicitur multifariam. Nam Exemplar, cujus ad instar formatur aliquid, dicitur forma extrinseca. Angelus propter suam actualitatem, nullius complementi substantialis indigam, vocatur forma separata, & subsistens: quo sensu Deus etiam interdum dicitur prima forma. Quod sine unione intrinsecâ localiter præsens adest, ut aliud impellat, vel adjuvet ad motum, vocatur forma assistens; ut omnipotentia causam secundam adjuvans ad operandum, Angelus cælum movens, vel demon corpus energumeni. Denique, ut alias acceptiones præteream, quod suapte naturâ destinatum est, ut subjectum aliquod intrinsecè perficiat, & actuet, appellatur forma informans. Forma istiusmodi, alia est substantialis, ut anima hominis; alia accidentalis, ut albedo. De solâ substantiali formâ, quæ alterum est principium intrinsecum corporis naturalis, in præsentem differimus. Nec dubium est, an ea detur in rebus; cum nullas hodiè Philosophus neget, corpora naturalia, saltem quæ mixta vocantur, substantias esse ex materiâ & formâ constitutas.

Quæstionis tantum est, quid sit, aut in quo consistat ea forma? Nam Peripatetici volunt esse veram entitatem absolutam, veramque substantiam incompletam, quæ superadditur materiæ, quoties novum corpus generatur. Ex adverso noviores Philosophi, quos Corpusculares appel-



pellant, ut sunt Cartesiani, & Atomistæ, nolunt quidquam entitatis superaddi materiæ, dum novam formam induit (excepta dumtaxat animâ rationali), solum que generatim loco formæ novos modos agnoscent, quibus materiæ corpuscula conjugantur, atque nectuntur aliter, & aliter; sic ramentum, ut hisce modis nihil importetur entitative distinctum à materiâ. Cujus doctrinæ exemplum esse dicuntur in artificialibus: nam corpora naturalia & artefacta non aliâ ratione distingui putant, nisi quod naturalia compaginantur mirabiliore modo, nostris que sensibus occultiore. Physicam istam Corpuscularem distinctius explicuimus, & rejecimus in Dissertatione præliminari. Nunc tantum breviter indicabimus præcipua argumenta, vel argumentorum fontes, quibus forma substantialis Peripatetica demonstrari solet: & quidquid alicujus momenti contra objicitur, dissolvemus.

## CAP. I.

## PROBATUR FORMA SUBSTANTIALIS PERIPATETICA.

**A**rg. 1.. Homo præter materiam constituitur animâ rationali, quæ substantialis forma est à materiâ realiter distincta, ut Fide sanctum est, & tamquam lumine naturæ notum à sæculis habitum: ergo & alia viventia, v. g. canes, formâ substantiali constant à materiâ realiter distinctâ. *Prob. Conseq. 1.*: quia materia ejusdem rationis est in cane, & in homine, ut Adversarij non negant: ergo sicut tota materia hominis est substantia incompleta, expectans formam substantialem realiter superadditam; ita de tota canis materiâ censendum. Quæro abs te, an materia hominis sit ex se substantia completa? Si asseras: ergo non poterit cum animâ constituere Unum per se; sicut ob eandem rationem nequit anima uniri Angelo ad Unum per se consti-

tuendum. Si neges: ergo nec materia canis erit substantia completa, cum ejusdem sit speciei: ergo, vel debet compleri per novam substantiam superadditam, vel nulla dabitur substantia completa in cane, vel in alio composito substantiali, præter hominem; quod est absurdissimum. Nec recurras ad formam modalem: nam hæc pariter datur in materiâ hominis, quæ nihilominus incompleta manet.

**2** Hinc *2. prob. ead. Conseq.*: quia tota materia hominis, quamvis perfectius organizata, quam canina, inepta est ad operationes sentiendi seorsum à formâ realiter superadditâ; ut cernitur in morte hominis, præsertim suffocati, ubi organizatio vix læditur: ergo pariter tota materia canis inepta erit &c.: **3.**: quia in morte canis non minor mutatio cernitur, quam in morte hominis: ergo, sicut mors hominis physice demonstrat, anisam esse partem hominis vivi, materiâ nobiliorem, ita mors canis, &c. Scio, quid ad hæc respondeant

Ato-

Atomistæ: sed eos satis confutavimus in Dissert. prælim.

**3** Quodli in brutis animalibus admittitur forma substantialis Peripatetica, necessario admitenda est in cæteris compositis. Tum quia jam hoc ipso ruunt omnia Adversariorum fundamenta pro materiali formâ denegandâ. Tum quia par, aut major mutatio apparet, dum lignum comburitur, quam dum moritur canis: si ergo in morte canis aliquid substantiale perit, manente materiâ, pariter in combustione ligni. Tum demum, quia in quovis composito reperitur peculiaris accidentium & operationum collectio, quæ radicem substantialem exposcit à materiâ distinctam, ut mox dicam.

**4** Arg. 2. ex generatione, & corruptione rerum. Dum è terrâ nascitur arbor, aliquid substantiale de novo producitur: dumque lignum comburitur, aliquid substantiale perit. Sed materia prima nec de novo producitur, nec perit, ut Adversarij est in confesso: ergo producitur, & perit forma substantialis à materiâ distincta. Dicunt Atomistæ, solum compositum produci, ac perire, quin aliquid entitatis ejus producat, aut pereat, eo præcisè, quod nova modalis combinatio atomorum incipiat, ac desinat. Sed *contra.* Combinatio ista, vel est aliqua vera entitas à materiâ distincta, vel non. Si primum dicas, omnino exarmaris: nam quidquid opponis contra formam Peripateticam, in illâ entitate militat. Si secundum: ergo compositum, dum

producitur, & perit, nihil propriæ entitatis acquirit, vel amittit: ergo tota ipsius entitas & substantia præsupponitur ante generationem, & tota remanet post corruptionem: ergo compositum generatur & fit ex se toto, atque in se totum resolvitur: quod ridiculum est, & in Physicâ inauditum. Nec evades, si voces ingemines, dicasque, produci, ac perire compositi entitatem, non secundum se, sed prout est *sub tali statu, sub tali plexu, sub tali harmonia*, &c.. Nam semper quæram, an his vocibus aliqua vera entitas importetur distincta à totâ materiâ secundum se? redibitque argumentum, quidquid dixeris.

**5** Arg. 3. Corpora naturalia inter se differunt specie substantiali, v. g. magnes & aurum, mus & porcum. Hoc adversarij concedunt, & ut ait Maignanus, *nemo sane mentis* negabit. At ea differentia stare non potest, si non datur forma substantialis à materiâ realiter distincta. *Prob.*: corpora naturalia inprimis non differunt substantialiter in materiâ. Nam, juxta Cartesianos, & plerisque Atomistas, quos sequitur Tosca *Phys. Gener. Lib. 1. propos. 25.*, omnia materiæ corpuscula, vel atomi, sunt *ejusdem nature substantialis, & specificæ*. Maignanus etiam, qui atomos agnoscit substantialiter diversas, non negat, plurima mixta, quæ specie differunt, constare iisdem elementis, vel iisdem speciebus atomorum, illa v. g. quorum alia ex alijs nutriuntur, ut lupus & ovis, ciconia & coluber: in his autem nulla est specifica diversi-

M

CAG



tas ex parte materiæ: nam diversa proportio elementorum (v.g. quod in uno mixto sit major portio terræ, quam ignis; in alio è converso) non fundat differentiam secundum speciem, sed duntaxat secundum magis & minus in quantitate, vel multitudine atomorum ejusdem indolis.

6 Deinde nec differunt substantialiter corpora naturalia in figurâ, situ, & plexu corpusculorum. Nam figura (idem cogita de situ, & plexu) vel nihil est à materia distinctum ante opus mentis, juxta Maignanum; vel est modus accidentalis, ac proinde insufficientis ad substantialem differentiam; nisi velis, ut eadem cera, dum figuram mutat, substantialiter varietur. Nihil ergo est, unde substantialiter differant lupus & ovis, nisi toti materiæ cum suâ figurâ, plexuque, formam entitative distinctam superaddas. Si dicas cum Tosca, figuram, situm, & nexum, quibus plectuntur atomi, esse modos substantiales, quorum proinde diversitas reddit corpora substantialiter differentia. *Contra 1.*: cur sunt modi substantiales? An, quia substantiam modificant? ergo omnis figura est modus substantialis, cum nulla sit, quæ non modificet substantiam immediate, saltem in suis principiis, rejicientibus omne accidens entitativum, sive absolutum: ergo generatim figuræ diversitas erit diversitas substantialis, v.g. inter ceram rotundam & angularem, inter manum plicatam & extensam, inter hominem sedentem & stantem. An,

quia constituit Unum per se, v.g. pomum? At hoc quarimus, cur magis figura corpusculorum pomi, quam figura digitorum manus compressæ, constituat Unum per se? cum utraque sit ejusdem rationis, atque adeo utraque accidentalis.

7 *Contra 2.*: atomi, quæ sunt prima rerum corporearum materia, ab initio sunt diversimodè figuratæ, ut ait Tosca cit. lib. 1. propos. 23.: *sed omnes atomi sunt ejusdem naturæ substantialiter, & specificè*, ut ait idem Tosca ibid. propos. 25.: ergo figuræ diversitas non tollit identitatem in specie substantiali: ergo, quamvis aurum & pomum consent atomis diversimodè figuratis, erunt ejusdem naturæ substantialiter & specificè. *Contra 3.*: figura, caterique modi, juxta Toscam, nihil veræ entitatis addunt supra materiam: ergo nihil addunt veræ substantialitatis: nam vera substantialitas sine verâ entitate implicat in terminis. Differre igitur in atomorum figurâ pomum & aurum, non est differre in aliquâ verâ substantialitate: ergo non est verè differre substantialiter. Rogo te, num pomum & aurum (quæ suppono paria in atomorum numero) differant entitative? Si asseras, ergo, cum solum differant in modificatione, jam hæc erit aliquid entitativum; quod horres. Si neges: ergo implicat in terminis, quod differant substantialiter.

8 *Arg. 4.* ex peculiaribus proprietatibus, & operationibus, quæ cuivis composito conveniunt, ita ut quæ propriæ sunt pomi, non conveniant

niant auro, & sic de alijs. Pro his enim assignari debet in naturâ compositi radix aliqua substantialis, quæ has præ alijs exigat, si que ratio à priori, cur non easdem habeant aurum & pomum. *Substantialis*, inquam, *radix*: nam de quocumque accidenti pariter queri potest, cur magis conveniat auro, quam pomo? Recurrere autem ad voluntatem Causæ primæ, quæ, sine fundamento in rerum naturis, unicuique pro arbitrio attribuerit certas quasdam proprietates, & operationes; compendium quidem est, sed minime Philosophicum, nec ab ullo Physico approbatum; sic enim uno verbo absolveretur tota Physica.

9 Porro, quod natura rerum ab intrinseco radice proprietates suas, ex eo constat, quod si quid detrimenti patitur à contratio agente, vi propriâ conatur statum violentum amovere, & connaturalem reparare. Sic aqua calida, sibi relicta, calorem abijcit, & nativum frigus recuperat: sic metallum liquefactum, amoto igne, solidatur, & ad pristinam duritiem redit: sic equus, aut canis, proprium corpus, morbo, aut vulnere læsum, sæpe restituit sanitati. Tota hæc doctrina placet etiam Atomistis; qui propterea fatentur, cuivis composito inesse propriam naturam, prout natura definitur ab Aristotele *principium & causa motus, & quietis ejus, in quo est primo, & per se, & non secundum accidens*.

10 Tum sic. Sed prædicta radix, aut natura, non consistit in materiâ, n. c. in atomorum figurâ,

& plexu: ergo consistit in formâ substantiali realiter superadditâ. *Prob. Min. sive sumpt.*: quia materia, cum ejusdem rationis sit in lapo & in ove v.g., ut vidimus in argum. 4., nequit esse radix proprietatum magis lupi, quam ovis. Figura item, & plexus, aliæ vè similes modificationes materiæ, nequeunt esse radix prædicta. Tum quia sunt modi accidentales, ut ostendimus. Tum quia, juxta Adversarios, nihil important veræ entitatis, adeoque nec veræ substantialitatis. Tum etiam, quia figura, & quævis alia pura modificatio localis, non est activa, nec aliud munus, aut essentiam habet, quam ultimum determinare rem, ut sit in tali loco, cum his, vel illis terminationibus. Quare, licet figura sæpe conducatur ad operationem, aut motum, ut in horologio rotato, & in alijs automatis, non conducit tamquam vis motiva, sed tamquam mera conditio, ut virtus alia naturalis motum causet: nihil enim in horologio juvaret figura rotarum, nisi adesset nativa vis ponderis, aut nativa elasticitas laminæ calyceæ, quæ motum produceret.

11 Atque hinc colliges, cur Peripatetici agnoscant in formâ substantiali, non solum veram entitatem ex parte rei distinctam à materiâ, verum etiam entitatem absolutam, idest, non modalem, sed aptam à materiâ separari saltem Divinitus. Ratio enim est; quia puris modificationibus materiæ solius nequit attribui tanta vis, & activitas, quanta convenit naturæ specificæ, primæque radici proprietatum, &



operationum compositi: modi enim sunt entitates tenuissimæ, non nisi ad ultimò terminandum, vel determinandum indifferentiam aliquam, instituta. Item: quia solius materiæ modus nequit esse materiæ ipsa nobilior, prout esse debet forma substantialis titulo primæ radicis, & naturæ activæ. Quare, licet per formam modalem salvari utcumque posset differentia specifica corporum naturalium (sicut salvatur in artificialibus; in quibus tamen differentia ex parte formæ non est substantialis), dummodò talis forma foret aliqua vera entitas, veraque substantia, quamvis tenuis; tamen sine formâ absolutâ salvari nequit eorum activitas, & specifica naturæ nobilitas.

12 Dices: si daretur forma substantialis exigens, & radicans proprietates rerum, sequeretur 1., quod forma ipsa sui interitus sæpe esset causa facilitans: est enim proprietas olei v. g. ignem facile concipere, quo forma olei perit. Sequeretur 2., quòd etiam anima rationalis radicaret proprietates hominis: unde, cum proprietates hominum sint valde diversæ, dum alius est ingeniosus, alius hebes, alius naturâ mitis, alius asper, &c., non omnes haberent animas ejusdem speciei. Verùm hæc obiectio non magis nos, quam Atomistas urget: non enim ipsi negant, oleum, & quodvis aliud corpus naturale ex propriâ indole specificâ exigere certas proprietates præ alijs: oleum ergo exigit facilitatem combustionis, quâ pereat in esse compositi. Simili-

ter juxta omnes anima rationalis exigit in corpore temperamentum humanum potius quam belluinum: humani ergo temperamenti diversitas inferet diversitatem animarum. Homo quoque naturaliter exigit facilius mori, quam taurus; siquidem homo temperamentum exigit pluribus obnoxium morbis.

13 Itaque, sive homo, sive oleum, sive quodvis aliud facile corruptibile, non est sui interitus causa facilitans, nisi ut summum quasi permissivè, aut indirectè, quatenus exigit temperamentum qualitatum parum resistens agentis contrario, non ex intentione facile pereundi, sed ob alia propriæ naturæ comoda ex illis qualitibus provenientia. Animæ verò rationales exigunt ex se temperamentum corporis uniforme: in hoc tamen per accidens dari potest varietas ex causis extrinsecis prævalentibus contra existentiam animarum; quæ tamen non abscedunt quandiu manet temperamentum simpliciter humanum.

14 Arg. 5. ex eo, quòd, negatâ formâ Peripateticâ, subtrahitur causis creatis physica activitas. Verùm hoc, & alia argumenta, vel absurda, quæ ex Atomistarum doctrinâ deducuntur, videri possunt in Dissert. prælim. Pro præsentī loco dicta sufficiunt. Alia quoque inter solvendum argumenta contraria superaddemus.



CAP. II.  
PRIMA OBIECTIO AB AUCTORITATE SOLVITUR, & RETORQUETUR.

¶ **O** Bjic. 1. ex Thomâ Vincent. Tosca lib. 1. Physic. General. plures

Aristotelis textus, quibus expressè docet, formam non fieri, nec generari, & omne, quod fit, semper esse compositum. Cui doctrinæ consonat D. Thomas, sæpe dicens, quòd forma non generatur, nec fit, nisi per accidens, nec propriè habet esse. Id quod generatim uterque docet de formâ, tum substantiali, tum accidentali. Atqui, si forma est vera entitas, materiæ superaddita, negari nequit, quòd propriè fiat, generetur, & habeat esse: ergo forma, quam adstruimus, aliena est à mente Aristotelis, & D. Thomæ. *Confirm.* ex alijs locis Aristotel., quibus forma vocatur *ratio essentia*, seu *quidditatis*, dicitur que esse *unum*, ut *ordo*, vel *musica*, & (ut habetur 2. Physic. text. 28.) est *ratio ipsius quod quid erat esse, ut ejus, quæ est diapason duo ad unum*, & *omnino numerus*, & *partes, que in definitione*. At his nominibus planè significatur forma respectiva, consistens in habitudine, & proportionem partium materiæ, cujusmodi est forma Atomistica. Idcirco Aristoteles passim comparat formam naturalem artificiali, quæ certe mera modificatio est.

2 Resp. Mirum est, quòd in Aristotele. & D. Thomâ patrocini-

nium quærat Atomistica forma; sum uterque illam explodat, & formam entitativè distinctam à materiâ vel asserat, vel supponat, innumeris in locis. Quadam attingam in specimen: quorum vim ut intelligas, præ oculis habe, quòd forma Atomistica nihil est aliud, quam modificatio multiplex, vi cujus atomi variè figuratæ combinantur, nectunturque multifariam: hæc autem modificatio, juxta Atomistas, non est vera entitas, nec substantia, sed merus respectus, quo nihil entitativum additur materiæ, id est, atomis: unde materia est tota entitas, & substantia rerum; quarum generatio, & corruptio, atomorum congregatione, & segregatione peragitur. Vide Toscam cit. lib. 1. Physic. General.

3 Aristoteles ergo 1. Physic. totus est in confutandis veterum opinionibus, nominatim Democriti, & Empedoclis, asserentium, omnia fieri ex præexistentibus atomis, aut elementis, absque aliâ formâ, quam congregatione & segregatione, aut varietate figuræ & positionis: contra quos docet, admitteandam esse, præter materiam, aliam substantiam, quæ sit forma rerum: *substantiam*, inquam; quia *fieri non potest, ut è non substantijs substantia constet*, ut ipse ait cap. 6. text. 52. Vide D. Thomam ibi lect. 2., ubi, *Democritus*, inquit, *posuit indivisibilia corpora, quæ dicuntur atomi, esse principia omnium rerum. Sed hujusmodi corpora posuit esse omnia unius generis secundam naturam, sed tamen differbant se-*



cantium figuram, &c.. Tum subdit: *Antiqui Physici non cognoverunt, nisi causam materiale, de alijs autem parum tetigerunt. Ponebant autem, formas naturales esse accidentia, sicut & artificiales. Sicut ergo tota substantia artificialium est eorum materia, ita sequebatur secundum eos, quod tota substantia naturalium esset eorum materia.* Postea lect. 9., cum retulisset easdem veterum opiniones, subiungit: *Et omnes hi decepti fuerunt, quis nesciverunt distinguere inter potentiam & actum, &c.*

4 Eandem opinionem Democriti rejicit Aristotel. 8. Metaph. cap. 2., quia non assignat formam substantialem, quæ sit causa figuræ, positionis, missionis, &c.. *Si substantia (inquit) causa est, ut unumquodque sit, in his quarendum est, quænam, ut horum singula sint, causa est. Substantia itaque nihil horum est, &c.* D. Thomas ibi lect. 2.: *Democritus ponebat, principia rerum materialium esse corpora indivisibilia, quæ cum sint ejusdem naturæ, convenientia sunt adinvicem: diversitatem autem rerum constituunt propter differentiam positionis, figuræ, & ordinis.* An non hæc est opinio Toscæ? At D. Thomas docet ibidem, quod præter illas & similes alias differentias assignanda est alia causa formalis essendi, sive substantia formalis: quia, inquit, *Nulla differentiarum predictarum est substantia, neque aliquid substantiæ affine, quasi pertinens ad genus substantiæ.*

5 Sed nullibi fusius, & ex-

pressius totam Atomistarum doctrinam de principijs & elementis, de materia & formâ, de generatione & corruptione, de alteratione, de missionione, refutat Aristoteles, quàm in Libris de Generat.: quos qui legit, mirabitur vehementer, quod Tosca, vel alius Atomista, pro se Philosophum ausit allegare. Et quod attinet D. Thomam, mirabitur vehementius, qui commentarios ejus in eisdem Libros vel raptim iustraverit. Audiatur in Specimen S. Doctor in 1. de Gener. lect. 5., ubi relatâ Atomistarum doctrinâ circa generationem, corruptionem, alterationem, sic pergit: *Credebant enim, hoc accidere in rebus naturalibus, sicut accidit in domo, vel navi, & in basijmodi; quorum forma constat in compositione, vel ordine; non enim fiunt nisi per congregationem partium, neque corrumpuntur nisi per segregationem; quacumque autem alia transmutatio accidit præter solutionem continui, alteratio est. Hoc ergo est, ex quo procedit tota fallacia.*

6 *Est enim (subdit) generatio in rebus naturalibus, quarum forma non est positio, & ordo, non quidem per congregationem, & segregationem, sed quia fit transmutatio ex hoc toto, id est, non dissoluto in partes, in hoc totum, quasi non congregatum ex aliquibus partibus. Sed antiqui Philosophi putabant, omnem talem transmutationem, quæ fit aliquo toto integro manente, esse alterationem; quod quidem non est verum; quandoque enim potest esse simplex generatio,*

*& quandoque alteratio... Quando igitur est transmutatio secundum materiam & formam, ita scilicet quod materia accipiat aliam formam substantialem, erit simplex generatio, & corruptio: quando autem est transmutatio secundum accidentia, & passionem, erit alteratio.*

7 Vixulla in dictis commentarijs D. Thomæ lectio est, in quâ non aliquid contra Atomistarum systema dicatur: ut in lect. 10. in 1. de Gener., *Quando materia accipit aliam formam substantialem, ... nulla segregatione, aut congregatione interveniente, at Democritus posuit, talis transmutatio est unius generatio, & alterius corruptio.* Et in lect. 22., quod Atomistæ nullam possunt assignare causam actionis, & passionis; *Quia figura non est activa, nec passiva &c.* Et in lect. 23., quod Atomistarum doctrina (quam ibi explicat omnino, ut Tosca) destruit alterationem, & augmentum: & quod passim alteratio fit sine divisione ipsius corporis continui, & sine aliqua alia compositione, & sine conversione suarum partium, & absque tactu diverso in ordine componentium partium, ... & quin aliqua corpora indivisibilia subintrent, ... & quin partes corporis alterati mutant ordinem, vel situm.

8 Similiter ex lectionib. in 2. de Gener. plurima depromes, præsertim contra missionem, seu generationem mixtorum, prout ab Atomistis exponitur. V.g. lect. 7.: *Si os, & caro (inquit D. Thomæ) com-*

*ponantur per quamdam accumulationem elementorum convenientium; tunc nihil generatur, sed in his, quæ generantur, est solum ratio, vel relatio aliqua (en, ut forma respectiva generationem destruit, juxta D. Thomam). Quæ igitur est causa istorum, quod ex homine generetur homo, & similiter ex frumento frumentum, & non oliva? Addit, quod horum causa esse non potest, nec elementa ipsa, nec lis, & amicitia, ut volebat Empedocles, & vult etiam Maignanus sub nomine sympathiæ & antipathiæ atomorum.*

9 *Amicitia enim (subdit D. Thomas) non est causa, nisi congregationis; lis autem solum est causa segregationis: sed necessarium horum est forma rei, quæ facit hominem esse hominem, & carnem esse carnem: forma autem est substantia uniuscujusque: & idem non solum in re est mixtio, id est, compositio congregatorum, & separatio eorum, sicut dicit Empedocles, sed etiam est forma, ... cum natura, quæ est forma, sit causa entium... Sed de hac forma, vel natura, nihil dicit Empedocles (at aliquid certe dicebat de formâ respectivâ, & elementorum harmoniâ); cum tamen ipsa natura, quæ dicitur forma, sit bonum, & optimum uniuscujusque rei, bonum quidem in se, & optimum in ordine Universi. Laudat autem Empedocles solum missionem, quæ in rei veritate non est mixtio, sed solum quædam compositio.*

10 Ex his, opinor, patet evidentissime, quod Aristoteles & D. Thomas aliam formam in rebus na-



turalibus agnoverunt, præter corpusculorum figuram, situm, combinationem, & plexum. Et quidem formam, quæ sit, non solum ens, sed *magis ens*, quam materia, non solum substantia, sed *magis substantia*, quam materia ipsa, ut expresse docet Aristoteles 7. Metaph. cap. 3., & ibi D. Thomas lect. 2.; nec solum natura, sed *magis natura*, quam materia, juxta Aristot. 2. Physic. text. 12., & D. Thom. ibi lect. 2.. Formam item, quæ non solum sit vera entitas, sed sit *quoddam Divinum, & optimum, & appetibile*, ut ait Aristot., tum 2. de Gener. text. 41., tum præcipue 1. Physic. text. 81.; quem ad locum, perfectionem formæ magnopere commendat D. Thomas lect. 15., videndus etiam in 3. de Cælo lect. 2..

11 Numquid hæc quadrant in formam modalem, quæ nihil entitativum superaddat materiæ? Negat Tosca lib. cit. propos. 35. & 36., quod forma sit substantia. At quoties Aristoteles oppositum rorunde affirmat? Quoties substantiam dividit in materiam, formam, & compositum, nominatim lib. 7. & 8. Metaph. & 2. de Anima? Quoties rationem substantiæ potius attribuit formæ, quam materiæ, tam ipse, quam D. Thomas? Vide D. Thom. in 7. Metaph. lect. 2., & in 8. Metaph. lect. 1., & in 9. Metaph. lect. 8., ubi addit, quod *nomine substantiæ consuevit forma significari*: item in 2. de Anim. lect. 1..

12 Millies asserit Tosca, nihil esse discriminis inter artificialia, & naturalia, nisi quod hæc fiunt

modo mirabiliore, nostrisque sensibus occultiore; tenetur que fieri, quodvis artefactum verè esse compositum substantiale, cum non aliâ ratione dicat, naturale compositum esse substantiale, nisi quia confurgit ex atomis, quæ sunt substantiæ. At Aristoteles millies discriminat ex alijs capitibus artificialia & naturalia: v. g. 2. de Anima cap. 1. ex eo discriminat, quod naturalis forma est substantia, & est principium insitum motus & quietis. Audi D. Thom. ibi lect. 1.: *Forma, quæ per artem inducitur, est forma accidentalis, sicut figura, vel aliquid hujusmodi. Unde corpora artificialia non sunt in genere substantiæ per suam formam, sed solum per suam materiam, quæ est naturalis... Unde corpora naturalia sunt magis substantiæ, quam corpora artificialia: sunt enim substantiæ, non solum ex parte materiæ, sed etiam ex parte formæ.* Vide etiam D. Thom. lect. 1. in 2. Physic. cum Aristotele ibi.

13 Hæc fusiùs exscribere, & annotare placuit, ne deinceps Atomistæ dicitare pergant, hodiernos Peripatericos ab Aristotelis genuinâ mente descivisse, secutos scilicet interpretum Arabum deliramenta. Nec dicas forsan, Aristotelis ac D. Thomæ dicta convenire posse *formæ speciali*, quam ponit Tosca in plerisque compositis, præsertim in viventibus, & quæ est materiæ portio subtilior, & agilior. Contra enim est 1., quod Aristotel. ac D. Thomas planè loquuntur de formâ toti materiæ superadditâ. 2., quod ipse Tosca, quidquid Aristoteles de

for-

formâ docuit, pariterque doctrinam D. Thomæ, trahere conatur ad formam respectivam, ac modalem, quam *formam generalem* appellat, & ad constitutionem compositi substantialis, ad ejusque generationem, corruptionem, activitatem, sufficere vult.

14 Nec momenti sunt, quæ supra objiciebantur. Illud enim de *fieri*, & *generari*, magis consistit in verbis, & modo loquendi, quam in re; ut bene advertit P. Suar. disp. 15. Metaph. sect. 2.. *Generatio* apud veteres non significat quamlibet productionem verè entitatis, sed tantummodo productionem entis per se subsistentis, nempe totius compositi, vel suppositi; ut sæpe monet D. Thomas. Similiter *factio*, seu *fieri*, solum propriè dicitur de productione rei subsistentis, seu potentis existere independentè ab aliâ comparte substantiali: quæ sola res propriè dicitur *esse*, seu *habens esse*, in phrasi D. Thomæ. Vide v. g. q. 3. de pot. ar. 1. ad 12.. Hinc forma non dicitur proprie *esse*, nec *fieri*, sed *conferri*, seu *fieri per accidens*, id est, non *per se*, quatenus *fieri per se* significat fieri per modum subsistentis. At nec Aristoteles, nec D. Thomas negat, formam verè *produci*: quin potius ita loquitur sæpe D. Thomas, v. g. q. 3. de pot. ar. 8. ad 10. dicens: *Forma tota præexistit in potentia, & postmodum tota producitur in actu.* Certè Aristoteles & D. Thomas agnoscant, formam esse veram entitatem, veramque substantiam, ut evidenter constat ex dictis: cum ergo forma edu-

citar, vera entitas, vera que substantia denuò incipit esse. Dummodo hoc constet, de cætero quod taliseductio, vel inceptio, nominetur *factio* seu *generatio*, propriè vel impropriè, nihil ad rem; ut Atomistæ non dubitant.

15 Sed instat Tosca: si materialis forma verè producitur; ergo vel per creationem, quod negamus, vel per generationem, quod est contra Aristotelem, & D. Thomam, negantes, formam generari. *Resp.*, produci per generationem; nam eadem actio, quæ est generatio compositi, esteductio formæ, ideoque *forma exit in esse per generationem*, ut ait D. Thomas q. 3. de pot. ar. 9. corp.: non tamen actio ista denominat formam *generatam*, sed *eductam*; quia denominatio *generati*, seu *geniti*, soli composito propriè reservatur. Quare? quia ita fert usus Veterum. Si ex Tosca quæras, cur artefacta non dicuntur *genita*, nec eorum factio vocatur *generatio*, cum tamen eadem in his militet ratio, ac in lapidibus, metallis, &c., quæ (inquit) *nihil sunt præter artefacta quedam naturalia*? nullam causam reddet, nisi communem usum loquendi; ut videre est in ejus lib. 4. Metaph. propos. 35.; ubi etiam notat, quod *generatio* præfusiùs dicitur de productione viventium. Si rursus ab eodem quæras, cur modificationes partium equi potius, quam partium horologii, dicuntur *modi substantiales*, cum eadem indoles sit utrisque? nullam opinor, rationem, dabit, præter Atomistarum libitum, & usum.



Quid ergo tantopere litem nobis intentat circa nomen *factiosis*, aut *generationis*?

16 Adde, quod, juxta D. Thomam in 7. Metaph. lect. 6., nomine *factiosis* utimur magis proprie in artificialibus, quam in naturalibus. An idcirco plus entitatis in erit formæ artificiali, quam naturali? Adde rursus, quod nec materia proprie dicitur fieri, nec proprie creari, juxta D. Thom. q. 3. de pot. ar. 1. ad 11. : & tamen vera entitas est, vera substantia, verè que producta per creationem, ut nemo dubitat. Adde præterea, quod, ut docent Aristoteles 1. de Cælo text. 113., & D. Thomas ibi lect. 24., nomen *geniti*, seu *generati*, potest extendi universim ad omne, quod incipit esse, licet sit purè modale, ut sunt tactus, motus, & generatio ipsa; poterit ergo à fortiori extendi ad formam substantialem. Atque ita hodie fert usus, ut passim dicatur *fieri*, & *generari*, quæcumque vera entitas incipit esse virtute causæ creatæ; quin idèò ignoretur, hæc verba magis proprie convenire compositis.

17 Ad Confirm.. *Forma* (inquit D. Thomas in 8. Metaph. lect. 1.) *ratio nominatur, quia ex ipsa sumitur ratio spici-i*: quærenti enim, cur hoc corpus sit in specie lapidis, & non auri, forma redditur pro ratione. Illud autem, *Unum, ut ordo, vel musica*, quod affert Aristoteles 1. Physic. text. 67., & illud de consonantiâ, quæ est *diapason* &c., dicta sunt ex more Philosophi, passim explicantis formam substantialem exemplo formæ accidentalis, & arti-

ficialis, cujusmodi est ordo in partibus domi, & musica in homine musico, & in consonantiâ *diapason* proportio dupla, quæ est duorum ad unum, & in quodam numero consistit; ut explicat D. Thomas in 2. Physic. lect. 5.. At hujusmodi exempla non sunt identica, sed quamdam tantum analogicam similitudinem important.

18 Cur autem Aristoteles toties ijs exemplis utatur, rationem reddit D. Thomas in 2. de Anima lect. 2. per hæc verba: *Quia formæ artificiales accidentia sunt, quæ sunt magis nota quoad nos, quam formæ substantiales, utpotè sensui propinquiora, idèò convenienter rationem animæ, quæ est forma substantialis, per comparationem ad formas accidentales manifestat.* Et inferius: *Quia formæ substantiales, cujusmodi sunt formæ corporum naturalium, sunt latentes, manifestat hoc (Aristoteles) per formas artificiales, quæ sunt accidentales.*

### CAP. III.

#### OBJECTIONES ALIÆ repelluntur.

1. **O**bjec. 2. ex eod. Tosca. Formæ, quas ponimus, sunt prius inutiles. Prob. 1. : quia nulli sunt in Philosophiâ usui: nullum enim experimentum, nullum naturæ phænomenon explicatur earum ope. 2. : quia vires illarum occultæ sunt, nec qualiter operentur, explicari potest. 3. : quia virtus, qua his formis tribuitur,

tur, facilius tribui poterit atomis ipsis, quin frustra multiplicentur entitates. 4. : quia posita mole corporeâ ex atomis varie figuratis, & artificiosè contextis, nempe igneis, aereis, aqueis, terreis, absque aliâ formâ substantiali, salvatur quidquid est de ratione corporis naturalis. Nam imprimis illud corpus est compositum substantiale, cum coalescat ex partibus, quæ sunt substantiæ. Deinde est corpus *mixtum*, utpotè coalitum ex elementis. Præterea verè differt à quovis alio corpore constante ex elementis, diversa proportione, texturâ que permixtis: quemadmodum artefacta vere differunt inter se per solam diversitatem proportionis, ordinis, & texturæ partium. Demùm per illam atomorum harmoniam explicari possunt quilibet effectus naturales.

2. Resp. neg. assumptam. Nam formas in Philosophiâ esse non solum utiles, sed necessarias, demonstrant argumenta cap. 1.. Item, quæ ex D. Thomâ dedimus cap. 2.. Quibus addi possunt duo alia, quæ ponderat cum Aristotele D. Thomas in 2. de Anima lect. 8.. *Alterum*: quod, sublaris formis, nulla erit causa firmitatis, & consistentiæ rerum. Si enim in equo v. g. nihil est præter elementa variè conjugata, cur hæc tandiù coherent? siquidem ex se diversis, contrarijsque motibus agitantur. Cur non citò dissiliant, & disrupta machinæ corpage diffugiunt? Solius ergo vi formæ, vel animæ, poterunt in officio contineri. *Alterum*: quod neque ulia erit causa physica, præfigens viventibus termi-

nam magnitudinis, & parvitas. Nam, cum elementa ex se possint in quâlibet quantitate concurrere, misceri, & colligari, cur non fabricant naturæ ingenio *instar montis equum*, ut quondam Græci *divina Palladis arte*? vel cur non passim occurrat elephas instar muris, aut mus instar elephantis? Vide D. Thom. loc. cit..

3. Ad 1. prob.. Imò sublata formâ, quam ponimus, tollitur usus Philosophiæ, & Philosophia ipsa naturalis: tollitur enim ejus objectum, quod est Corpus naturale, siquidem tollitur *natura*, per quam corpus *naturale* est: ut enim ait D. Thomas in 1. de Cæl. lect. 3., *corpora naturalia sunt, quæ habent naturam*, id est, *principium motus in eis, in quibus est.* Vide dicta cap. 1. n. 9. & seqq. Nullum ergo naturæ phænomenon explicatur philosophicè, nisi perveniat ad primam ejus radicem, quæ est natura rerum specificata: hæc autem natura inexplicabilis est, negatâ formâ substantiali.

4. Laudandi quidem Corporulculares Physici, quod variorum corporum, v. g. plantarum, texturam, & anatomiam curiosè dispiciunt, & proponunt. Sed præterquam quod multa divinant inter explicandum organizationem, nutritionem, & incrementum plantæ, reipsâ explicant effectus sine causâ: nullam quippe causam reddunt idoneam, cur plantæ corpus tam variè, tam subtiliter, & ordinatè organizetur: cur alia particulæ fermentur in lignum, alia in corticem, alia in fr-



bras, alię in folia; cur succus tam opportunę subeiat, tam apte distribuatur, & circulariter moveatur. Lege Toscam tract. 9. lib. 2., nihil que invenies, præter descriptiones anatomicas istorum effectuum, quin appareat causa sufficiens tot motuum, & combinationum, quibus opus est. Una, vel altera per conjecturas assignatur causa extrinseca, v.g. aer, aut ignis subterraneus, *propof.* 12.: sed causa intrinseca, quę mereatur *natura* nomen, omnino nulla. Nec verò assignari poterat in principijs hujus Authoris, qui negat atomis vim intrinsecam ad motum, docetque, nullum corpus moveri posse, nisi vel à motore spirituali, vel ab alio corpore, quod prius ab Spiritu motum fuerit. Unde sequitur, quod omne corpus merè passivè se habet ad motum, & actionem, ac proinde quod nulla causa corporalis verè agit. Merito igitur de Philosophis hisce dixeris, quod Lucretius, turpiter & ipse lapsus, de alijs cecinit:

*Quamquam multa bene, ac divinitus inventientes,*

*Principijs tamen in rerum fecere ruinas.*

5 *Ad 2..* Vires formarum, substantialium occultæ sunt, quatenus per se immediate non cadunt sub sensum; *Quia nulla forma substantialis est sensu perceptibilis, sed solum intellectu*, ut sepe monet D. Thomas, v.g. in 1. de Gener. lect. 7.: manifestantur tamen per effectus sensibiles, v.g. vis & perfectio forme ignis innotescit nobis per calorem, & formæ terræ per frigus, ut ibidem

docet, & explicat D. Thomas. Modus autem operandi est per emanationem, vel per actionem propriam causæ efficientis, de quâ tract. 2..

6 *Ad 3..* Atomi, juxta Toscam, nullam ex se virtutem activam habent, ne ad motum quidem localem, cum illum accipere debeant à motore spirituali. Et præterea, cum ejusdem sint naturæ substantialis, juxta ipsum, quomodo poterit atomis adscribi varietas virtutum, quas experimur in rebus? Nec juvat sententia Maignani, ponentis atomos heterogeneas, & intrinsecà vi motrice præditas. Nam, cum ipse totam atomorum virtutem coarctet ad motum localem, quem negat ex parte rei distingui à corpore, & loco, re ipsa dat atomis virtutem ad nihil, seu virtutem non virtutem.

7 *Ad 4..* Falsum assumitur, maleque probatur. Nam illa moles inprimis non magis esset compositum substantiale, quam acervus lapidum, aut quodlibet artefactum: figura enim, & contextus atomorum, mera sunt accidentia. Nec refert, quod partes, ex quibus tamquam ex materia coalescit, sint substantiæ; nisi insuper pars formalis sit etiam substantia, vel saltem modus substantialis: alioquin nullum esset in Mundo compositum accidentale. Deinde foret *mixtum* in sensu vulgari, sicut massa ex farre, casco & saccharo concreta; non tamen in sensu philosophico, quo *mixtum* dicitur compositum ex materia elementorum & nobiliore forma resultans. Præterea nec specie substantiali differret ab alijs corporibus, sola figu-

râ, proportionem, & plexu differentibus: quemadmodum non nisi accidentaliter inter se differunt artefacta, quæ ex lapidibus, aut metallis similibus construuntur.

8 Denique per solam atomorum harmoniam nulli effectus explicari possunt more physico; semper enim desiderabitur vera causa, & radix illorum. Idquod etiam patet in artificialibus, quæ nullum motum eherent virtute solius harmoniæ, nisi simul haberent virtutem aliquam naturalem; ut notavimus cap. 1., notavitque D. Thomas in 2. Physic. lect. 1. dicens: *Artificialia nullius mutationis principium habent in se ipsis, nisi per accidens, in quantum scilicet materia & substantia corporum artificiatorum sunt res naturales. Sic igitur in quantum artificialibus accidit esse ferrea, vel lapidea, habent aliquod principium motus in se ipsis, sed non in quantum sunt artificiata: cultellus enim habet in se principium motus deorsum, non in quantum est cultellus, sed in quantum est ferreus. Idem puta de horologijs, & alijs automaticis.*

9 *Objic. 3..* Forma lapidis v.g., quam adstruimus, est substantia corporea: ergo est materia. *Prob. Conseq.*: tum quia, sicut omnis substantia incorporea est spiritus, ita omnis substantia corporea debet esse materia. Tum quia inter materiam & spiritum non datur medium, sicut nec inter substantiam & accidens: cum ergo substantia corporea non sit spiritus, superest ut materia sit. *Confirm. 1..* Illa forma,

si est substantia corporea, erit quantitas, sive impenetrabiliter extensa: ergo 1. non poterit cum materia penetrari, nisi duo corpora sint in eodem loco: ergo 2. erit proprie corpus: quid enim aliud est corpus, nisi substantia impenetrabiliter extensa? Si autem corpus est, quomodo poterit à tota materia distingui?

10 *Confirm. 2..* Forma prædicta simul est & non est substantia. Est, ut asserimus. Aliunde non est. *Quod patet 1.:* quia implicat substantia incompleta: si enim illi non convenit definitio substantiæ, nullo modo erit substantia: Si autem convenit, nequit non habere essentiam substantiæ plene, seu complete, sicut est plene homo, cui convenit hominis definitio. *Patet 2.:* quia materialis forma nequit existere naturaliter, nisi in subjecto, & dependenter à subjecto: ergo non est *ens per se*, quæ est definitio substantiæ, sed est *ens in alio*, quæ est definitio accidentis. *Urgetur:* ideo albedo est accidens, quia suapte natura inest, & inhæret subjecto, juxta illud, *Accidentis esse est inesse:* sed forma lapidis non minus, quam albedo, est impotens existere, quin insit, & inhæreat subjecto: ergo, &c.. *Urgetur iterum:* de ratione substantiæ est *substare* omnibus, & non sustentari ab alio: hoc autem non convenit formæ, quæ indiget à substante materia sustentari.

11 *Resp. ad object. neg. Conseq.*, si materia proprie sumatur proprio subjecto rerum corporearum. *Ad prob..* Nego primam partem. Cum enim *Spiritus* apud Toscam



definiatur *Substantia intellectiva*, & omnis substantia incorporea (absolutam intelligo, non modalem) intellectiva sit; hinc omnis substantia incorporea est Spiritus. Datur tamen ens incorporeum, quod non est spiritus juxta definitionem modo positam, nempe intellectio, amor, Gratia, charitas, &c.. At *corporeum* dicitur quicquid est quantum, seu quicquid est perpetuo connexum physice cum quantitate: potest autem dari substantia, sic cum quantitate connexa, quin sit primum subiectum, atque adeo quin sit materia. Saltem de hoc ipso est questio: nec Adversarij licet ut certum assumere, quod probandum est. Similiter, quod non detur medium inter materiam, & spiritum, seu quod omne ens debeat esse aut spiritus, aut materia, asserunt Adversarij, sed non probant. Nam, ut omittam Gratiam, & alia accidentia spiritualia, de quibus nuper; non est cur repugnet entitas, aut substantia, quæ a materia distinguatur, & tamen ab eâ pendeat naturaliter. Talis autem substantia nec est spiritus, nec materia, sed est materialis.

12 *Instabis*: cur forma lapidis dicitur materialis? An, quia naturaliter unitur materiæ? ergo etiam anima humana dici poterit materialis; vel materia dicetur spiritualis, quia unitur animæ. An, quia non quit naturaliter existere sine materiâ? ergo & materia dici debet formalis, quia non potest naturaliter existere sine formâ; aut etiam accidentalis, cum sit impotens existere sine accidentibus. *Resp.* Ad conceptam ma-

terialis non sufficit unio cum materiâ, sed requiritur, vel identitas, vel naturalis dependentia in fieri & conservari; quæ dependentia discernit ens materiale ab spirituali, de cujus conceptu est opposita independentia. Sic autem nec anima hominis dependet à materiâ, nec vice versa. Quod verò materia non dicatur *formalis*, nec *accidentalis*, oritur ex proprietate vocum istarum; nam ens formale significat, quod gerit munus formæ; & accidentale, quod accidens est, vel accidens includit: quorum neutrum verificatur de materiâ. Quare ab Adversarij, cur materia non dicitur *modalis*, siquidem apud ipsos nequit existere sine aliquo modo, saltem sine figurâ? cum tamen modi dicantur  *materiales*, quia sine materiâ esse non possunt?

13 *Instabis* iterum cum Tosticâ: forma lapidis eodem modo est materialis, quo est substantialis; sed ita est substantialis, ut sit substantia: ergo ita est materialis, ut sit materia. *Resp.* En etiam syllogismum omnino similem: forma Atomistica eodem modo est materialis, quo est modalis; sed ita est modalis, ut sit modus: ergo ita est materialis, ut sit materia. En insuper alium: intellectio, aut amor, eodem modo est spiritualis, quo est vitalis; sed ita est vitalis, ut sit vita: ergo ita est spiritualis, ut sit spiritus: ergo erit substantia intellectiva. Plures alios similes, nec minus sophisticos, formare quis poterit. Quare neganda est Major: quia forma lapidis ita est substantialis, ut

habeat in se quidditatem substantiæ substantivè dictæ: at non ita est materialis, ut in se habeat quidditatem materiæ. Simile quid in exemplis nunc propositis dicere debent Adversarij.

14 Jam ad 1. *Confir. dist. Antec.*: erit quanta per quantitatem sibi & materiæ communem, *concl.*: per quantitatem sibi soli propriam, *neg. Antec.*. Nego etiam *utramque Conseq.* *Primum*: quia quantitas non reddit impenetrabilem substantiam corpoream, nisi respectu alterius substantiæ distinctâ quantitate præditæ: materia autem & forma unius compositi unicam quantitatem exigunt utrique communem: quæ etiam est ratio, cur qualitates corporeæ penetrarentur cum materiâ & formâ, & inter se. *Neque propter hoc sequitur* (inquit D. Thomas in 1. de Gener. lect. 15.) *duo corpora esse in eodem loco: quia forma & speciei non debetur locus nisi ratione materiæ, in qua fundatur, quæ est propriè subiectum quantitatis dimensiva.* *Secundam*: quia corpus propriè & simpliciter dictum, est substantia completa quantitatem exigens. Unde materia, & forma, seorsum acceptæ, licet sint substantiæ corporeæ, non sunt absolute corpora. Materia tamen, potius quam forma etiam materialis, dicitur interdum corpus incompletum; vel quia quantitas magis est propria materiæ, quam formæ, vel quia fert usus.

15 Ad 2. *Confir. neg.* assumptum. Cujus prima probatio planè instatur in animâ rationali, quæ si-

ne dubio substantia est, cum tamen in. ompleta sit; alioquin non esset forma corporis, nec posset cum eo facere unum per se: vel, si hoc potest, quin sit substantia incompleta, poterit etiam quilibet Angelus esse corporis forma. *Anima* (inquit D. Thomas q. 2. de pot. ar. 10. c.) *non habet perfectionem suam naturæ extra corpus, cum non sit per se ipsam species completa alicujus naturæ, sed sit pars humana naturæ; aliàs oporteret, quod ex anima & corpore non fieret unum nisi per accidens.*

16 Itaque formæ materialis non convenit definitio substantiæ prædicamentaliter sumptæ; quo sensu significat substantiam completam: convenit tamen definitio substantiæ quasi transcendentaliter acceptæ, prout nempe significat *ens per se* perfectitate opposita accidenti, de quâ statim; quo sensu ratio substantiæ abstrahit ab incompletâ, & completâ, idest, ex se ordinatâ, vel non ordinatâ ad constitutionem alterius. Quare forma illa plenè est substantia, plenitudine distinctionis ab accidenti; non tamen plenitudine physica, seu nullius complementi substantialis indigâ. Hæc autem acceptionum varietas non cadit in rationem hominis, nisi integraliter sumpti. Cadit tamen in rationem entis artificialis, ut Adversariorum utar exemplo: nam ea ratio potest abstrahi ab artefacto completo, & incompleto; verè siquidem paries, fenestra, vel tectum, est ens artificiale, quin sit completum.

17 In secundâ probatione tangitur difficultas de distinctione subst-



substantiæ ab accidenti, quæ alterius est loci. Nunc satis sit dicere, juxta omnes substantiam esse omnem entitatem, quæ vel est suppositum, vel pertinet ad intrinsicam constitutionem suppositi; huic enim propriissime convenit esse *Ens per se*. Suppositum autem definiant Adversarij prout libuerit: nobis nunc sufficit, quod nemo negat, verè inter supposita computari quodlibet corpus naturale plene verificans nomen alicujus speciei totalis, cujusmodi sunt *homo, leo, planta, lapis*, & similia nomina. Cum ergo suppositum substantia sit secundum omnia sui constitutiva, sequitur, substantiam esse quidquid est constitutum suppositi, quamvis non possit naturaliter existere sine subjecto. Forma itaque materialis, quæ cap. 1. ostendimus pertinere ad constitutionem suppositi corporei, est *ens per se* perfectitate suppositi, vel inclusionis in supposito (non aliam perfectitatem denotat definitio substantiæ), simulque est *ens in alio* alietate subjecti pertinentis ad idem suppositum, non tamen alietate propria accidentis; nam accidens requirit naturaliter esse *in alio* alietate suppositi, id est, alietate subjecti propriè talis aliunde constituti, vel constituendi in esse suppositi.

18 Hinc vides, qualiter *in esse, & inherere*, non ejusdem rationis sunt in albedine, & in formâ lapidis. Vides etiam, non esse contra rationem substantiæ sustentari ab alio, nisi sit aliud alietate suppositi. Dicta est autem substantia *à sustentando*, non rebus omnibus, sed ac-

cidentibus; quod verificatur etiam de forma lapidis, quamvis ipsi substatet materia. Denique difficultas hæc pariter premit Adversarios. Nam modi, quibus atomi formantur in lapidem, substantiales sunt juxta Toscam; cum tamen subjecto insint, & inhæreant, non utcumque, sed essentialiter. Dices, modos non esse propriè entitates. Non sint: sed eorum entitates impropriè cur non dicuntur potius accidentales, quam substantiales? siquidem accidentium character est *in esse, inherere, sustentari*, cui omnino repugnat substantiæ conceptus, ut ais.

19 *Objic. 4.*: totum Universum corporeum nihil est aliud, quam variè partes localiter ordinatæ: ergo quodlibet corpus nihil aliud erit, quam variè particulæ locali nexu copulatæ. *Nego Consequentiam*, nullâ ratione probandam: neque enim in Universo militant argumenta probantia formam substantialem in singulis corporibus. Quare argumentatio illa similis est huic: *Res publica nihil est aliud, quam multi homines, quodam morali ordine sociati: ergo quilibet homo nihil est aliud, quam partes moraliter conjunctæ.*

20 *Objic. 5.*: unumquodque ex his componitur, in quæ resolvitur, seu quæ in ejus resolutione remanent: sed quodlibet corpus naturale resolvitur in elementa, vel vulgaria, vel chymica: ex his ergo solis componitur sine aliâ formâ substantiali, cujus nullum vestigium cernitur in corporum analyti, vel resolutione chymicâ. Hæc objectio, licet non con-

contemnenda, dum queritur, an elementa maneant formaliter in mixto, in præsentia nullius est ponderis. 1.: quia, si hominem igne resolves, nihil residuum cernes præter elementa chymica. Num inde colliges, hominem ex his componi sine aliâ formâ? 2.: quia nec posita resolutione canis aut alterius animantis per alembicum, remanere cernitur illa portio materiæ subtilis, quam Atomistæ volunt esse animam bruti; nam illa insensibiliter avolat, & dissipatur. 3.: quia nec remanet forma modalis, & respectiva; quam tamen Atomistæ dicunt esse de essentiâ corporis naturalis. Admisso igitur, unumquodque componi ex ijs, quæ in ejus analysi remanent, negandum est, ex ijs solis componi: potest enim insuper includere partem aliam, quæ necessario perire debeat, pereunte composito.

21 *Objic. 6.*: si semel ponitur entitas absoluta, & substantialis, quæ suapte naturâ perire debet ob solam separationem à materiâ, difficile probabitur immortalitas animæ rationalis. Et hanc ait Tosca *cit. lib. 1. propos. 35.* sibi fuisse rationem potissimam asserendi, formas materiales in plexu modalis consistere. Sed immeritò ratione istâ motus est hic Author: non enim rationalis anima probatur immortalis ex eo præcisè, quòd sit entitas absoluta, & substantialis; sed ex eo, quòd sit à materiâ indepèdès in suo esse; quæ independentia colligitur ex independentiâ in operando, sive ex nobilitate intellectus materiæ omnem transvolantis: quâ de re la-

tius in Animalicâ. Certe difficultas hæc multò magis premit corpuscularem Philosophiam, maxime quâ parte ponit brutorum animas à corpusculis & eorum plexu iadistinctas. Vide Dissertat. præliminar., præsertim n. 29..

22 Nunc addimus, videri facillimum, quòd qui semel à Toscâ imbuti fuerint illo principio, *inter materiam & spiritum non datur medium, sed Omnis vera entitas aut est materia, aut spiritus*, inde colligant, animam bruti esse spiritum: tum quia difficillimè credent, ad omnes brutorum operationes sufficere solam materiam, quæ sit ejusdem speciei substantialis cum materiâ lapidis, quantumvis artificiosè organizatam: tum quia omnibus persuasum est, animam bruti (quam esse entitatem absolutam & substantialem non negat Tosca, cum eam identificet cum portione materiæ subtilioris) verè perire, dum brutum moritur; cumque aliunde certum sit ex omnium consensu Philosophorum, non perire materiam, proclive erit inferre, quòd anima bruti est entitas à materiâ distincta, ac proinde spiritus. Statuto autem, bruti animam esse spiritum, cum eam nihilominus immortalem esse nemo credat, consequens erit, ut negetur immortalitas animæ rationalis.

23 Dices: qui tenent principium illud, *Omnis vera entitas aut est materia, aut spiritus*, simul docent, animam bruti non esse distinctam à materiâ. Docent quidem; sed paucis id persuadebunt, refragante



ratione, experientia, & consensu totius ferè generis humani: at tuum illud principium, *Omnia vera entitas* &c., multis videbitur verisimile, & creditu facile. Illud itaque multi amplectentur, præsertim modicè docti, quin assentiantur adjunctæ doctrinæ super animâ bruti. Unde lata fatis ad Atheismum via patefcere videtur.

## CAP. IV.

## SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO, &amp; explicatur Eductio Formarum.

**P**RÆCIPUUM Corpuscularium argumentum est, quòd materialis forma juxta omnes non creatur, sed educitur: accipit enim esse à causis creatis, quæ nihil possunt creare, seu producere ex nihilo, juxta illud axioma, *Ex nihilo nihil fit*, quod, exceptâ causâ primâ, in cæteris valet. At, si forma materialis est vera entitas, verè produceretur ex nihilo, ac proinde creabitur. *Probitur*: quia forma lapidis v.g. ita produceretur, ut nihil ipsius præexistat: materia enim, quæ sola præexistit, est nihil formæ, cum nec sit forma, nec formæ pars: sicut ergo anima rationalis verè produceretur ex nihilo, quamvis materia præcedat, ita forma lapidis, &c.. Nullum ergo dabitur discrimen inter educationem & creationem. *Confirm.*: quia similiter forma materialis verè annihilabitur in corruptione rerum: verè enim desinet in nihilum, ita ut nulla ipsius vel minima parti-

cula superfit. At annihilatio pariter superat vires causæ creatæ, juxta illud, *Nihil in nihilum abit*.

2 *Resp.* Hæc objectio solvenda est pariter Adversarijs. Nam combinatio, tota que forma modalis, quâ atomi plectuntur in lapidem, est vera realitas. Tum quia per illam realiter, non phantastice, lapis est lapis, & non est aurum, nec leo. Tum quia per eandem lapis realiter differt à non lapide, nempe cumulo suarum omnium atomorum, qui cumulus, sublato plexu modalis, non est lapis, sed est non lapis. Tum etiam, quia lapis, & quodvis aliud corpus, juxta Adversarios, propriè generatur, ac denuò produceretur à causis secundis: quomodo autem propriè produceretur de novo id, cujus nulla realitas incipit esse, seu quòd præexistit secundum totam realitatem sui? At in realitate illa idem militat argumentum ex creatione & annihilatione desumptum. Idem quoque militat in actibus, quibus anima nostra, vel Angelus, intelligit, & amat: sunt enim verè realitates (nisi velis, ut Visio, & amor, in quibus beatitudo consistit, sint merum ludibrium); & aliunde virtute causæ creatæ incipiunt, ac desinunt esse, ita ut nihil sui præcedat, aut superfit.

3 Amplectenda est igitur notio educationis, quam tradit, & explicat Exim. Doctor disp. 15. Metaph. sect. 2.. Eductio nimirum est *Productio formæ pendens essentialiter à subjecto præsupposito* (id est, productio per aliam actionem) & *aliquatenus incompleto, à quo &*

fir-

*formam productam actualiter pendere, & sustentari facit.* Hæc explicatio convenit omni, & soli educationi, sive formæ substantialis, sive accidentalis, sive absolutæ, sive modalis, etiam indistinctæ ab educatione sui; ut patebit consideranti. Nec sensu differt ab alijs aliorum. explicationibus, quibus educio definitur, *Actio essentialiter unita subjecto præsupposito*, vel, *Actio essentialiter affixiva sui termini subjecto præsupposito*. Si enim productio essentialiter pendet à præsupposito subjecto, consequenter eidem unitur, eidemque affigit terminum suum. Hinc, licet fortassis non omnis actio factiva compositi ex subjecto præsupposito, sit educio, ut aliqui volunt; omnis tamen educio est actio factiva compositi ex tali subjecto & formâ resultantis; quia vel est formalis unio formæ ad subjectum, vel saltem unio; de quo alibi. Non tamen vocatur *eductio*, nisi respectu formæ: respectu autem compositi, præsertim substantialis, dicitur *factio*, vel *generatio*.

4 Hinc colliges 1. discrimen inter educationem, & creationem. Utraque est productio ex nihilo sui termini immediati: sed non utraque illum producit ex nihilo subjecti sustentativi præsuppositi. Absolutè *produci ex nihilo*, duo negat, & præ-existentiam termini, vel partis ejus, & præcedentiam subjecti, cui, veluti fundamento, imputatur existentia novi termini. Utramque negationem requirit creatio: at educio non nisi primam: ideòque sola crea-

tio dicitur absolutè *productio ex nihilo*. Excellentia ergo creationis supra educationem in eo fiat, quòd sit actio tanti roboris, ut sine fulcro, vel sustentaculo aliunde producto, suum terminum per se teneat in esse. Huc nequit pertingere educio, nec virtus causæ creatæ; cujus limitatio satis in eo apparet, quòd solum producere potest effectus tantæ debilitatis, ut sine subjecto aliunde producto sustineri non valeant. Siquis artifex columnam fabricare posset, non solo innixam, sed in aere consistentem, citra dubium excellentioris artis & operationis esset, quàm qui solo innadicant. Similem igitur excellentiam habet causa creatrix supra causas secundas.

5 *Colliges* 2., cur anima rationalis non educatur, sed creetur. Quia scilicet produceretur actione non dependente essentialiter à subjecto præsupposito. Sicut enim anima rationalis à subjecto non pendet in esse, cum extra subjectum naturaliter existat post mortem hominis, ita nec pendere debet in fieri. Quare, licet præcedere debeat materia disposita, veluti quædam occasio exigens creationem animæ rationalis, non tamen præcedit per modum causæ materialis, id est, per modum subjecti, à quo & actio essentialiter pendeat, & anima ipsa sustentetur. E converso materialis forma, sicut sine subjecto existere nequit, ita dependenter à subjecto produceretur. Unde materia exercet erga formam educatam munus causæ materialis; non intrinsecæ, seu constitutive



(qualis est materia respectu compositi), sed extrinsecæ, idest, adequate distinctæ, quàmvis intime unite.

6 *Dices*: hoc genus causæ materialis extrinsecæ non agnovit Aristoteles, qui nihil dicit ex materiâ fieri, nisi tamquam ex subiecto *infito*, idest, manente intra constitutionem effectus. *Resp.* Aristoteles explicuit materiam per illud munus, quod in eâ est præcipuum, videlicet per munus causæ intrinsecæ compositi: non tamen exclusit, sed supposuit munus causæ extrinsecæ respectu formæ, vel saltem unionis, quippe quod est ab illo altero naturaliter inseparabile, & in exercitio quasi prævium. Ubi notabis, quod materia respectu formæ creatæ non est subiectum *ex quo*, sed purè *in quo*; nec talem formam proprie *patitur*, aut *passivè causat*. at respectu formæ educæ verè subiectum est, non solum *in quo*, sed *ex quo*; quia particula *ex* interdum denotat munus causæ intrinsecæ, interdum munus causæ materialis extrinsecæ, sive passivam ejus causalitatem in formam.

7 *Dices* insuper: munus causæ materialis extrinsecæ in nihilo differt à munere causæ efficientis. *Negatur* hoc: quia materialis causa illa est, à quâ præsuppositâ essentialiter pendet actio præcisè titulo sustentaculi, cui innitatur, & incumbat: efficiens verò, à qua ut physice præexistente pendet essentialiter actio titulo perfectionis effectui physice communicabilis. Hinc materialis causa, prout talis, non agit sed

patitur, nec ejus potentia dicitur activa, sed passiva: quia scilicet nihil aliud præstat in effectum, nisi illum recipere à virtute activâ, patiendi ut sibi affigatur, & ut proprio ipsius esse præsupposito utatur causa efficiens tamquam sustentaculo suæ actionis.

8 Colliges 3., quo sensu materialis forma dicitur *extrahi*, vel *educi* de potentiâ materiæ: quod crassè intelligentes quidam veteres, & aliunde productionem *ex nihilo* vitare cupientes, varia somniarunt. Nam *aliqui* formas omnes in materiæ gremio latitare credebant, & ab agentibus non tam produci denuò, quàm in lucem extrahi, & sub aspectum poni. Hoc tamen scætet absurdum. Ut enim alia omittam, sequitur 1., intra materiam actu existere infinitas formas, cum ex materiâ possint educi formæ sine fine. Sequitur 2., amico fædere coharere simul in eadem materiâ formas oppositas. Sequitur 3., quodvis compositum esse omnia composita, cum in materiâ propriâ contineat actualiter formas omnes.

9 *Alij* præexistere in materiâ dicebant, non quidem formas integras, sed quasdam formarum inchoationes, ac veluti semina, ex quibus formæ fierent, atque ita non fierent ex nihilo totius entitatis suæ. Verùm hæc opinio eisdem ferè patet absurdum: præexistente enim in materiâ infinita entitatis, & quidem oppositæ, cum sint inchoationes & semina oppositarum formarum. Nec solvit difficultatem productionis *ex nihilo*: nam illa pars, aut consum-

matio formæ, quæ semini, vel inchoationi superadditur à causâ creatâ, verè produceretur ex nihilo sui, cum sit aliquid à præexistente inchoatione distinctum, siquidem inchoatio non est tota forma.

10 *Alij* ad possibilitates quasdam formarum recurrebant, in materiâ præcedentes, ex quibus formæ fierent, atque adeo non ex nihilo. Sed, si nomine *possibilitatis* intelligitur mera non repugnantia, forma ex hoc capite fiet ex nihilo non minus, quàm Angelus, cujus non repugnantia certè creationem ipsius præcedit. Si autem eo nomine intelligatur aliquid actu existens, à materiâ distinctum, & in materiâ latitans, sequuntur absurda opinionum præcedentium. *Alij* asseriebant, formas in materiâ præexistere secundum gradum genericum, & produci denuò secundum gradum specificum. Sed, ut omittam, implicatorium esse, quod ejusdem rei existere possit gradus genericus sine specifico; gradus hic specificus produceretur ex nihilo sui, quàmvis forma adequate sumpta produceretur ex aliquo, nempe ex gradu generico. *Alij* demùm, nihil inveniunt, quo vitaretur productio ex nihilo per causas creatas, censuerunt formas substantiales à solo Deo creari. Verùm consequenter neganda erit agenti creato vis productiva formæ accidentalis, in qua eadem est difficultas quoad productionem ex nihilo. Ex quo fit, causas creatas nihil posse, & causas non esse.

11 Formæ igitur non aliter in materiâ præcedunt, nisi in poten-

tia passivâ, quatenus præcedit in materiâ capacitas, ut formas sustentet, atque adeo per modum causæ materialis juvet ad productionem earum. Unde formam *extrahi*, vel *educi* de potentiâ materiæ, est poni extra potentiam passivam materiæ; non ita ut à materiâ separetur, cum ei potius intrinsicè inhæreat; nec ita ut intra materiam delituerit actu existens; sed ita ut actualiter accipiat esse per actionem à materiâ pendente modo explicato, vi cujus actionis potentia passiva materiæ reducitur ad actum, sive ad exercitium. Sic effectus dicitur poni extra causam efficientem; non quod intra illam præxisterit entitas effectus, vel pars ejus; sed quia produceretur per actionem, vi cujus reducitur ad actum potentia activa causæ efficientis.

12 Ex dictis patet solutio ad argumentum Atomistarum propositum num. 1.. Proloquia illa, *Ex nihilo nihil fit*, & *Nihil in nihilo abit*, falsa omnino sunt relatu ad potentiam Dei: falsa item, relatu ad causas creatas, si loquantur de nihilo cujuslibet entitatis, etiam partialis. Nam, ut concedunt Atomistæ, ab ijs causis aliquid reale verè produceretur de novo, dum generatur equus v.g.: aliquid item verè desinit esse, dum equus moritur: ergo aliqua realitas incipit esse, quæ antea non erat, atque adeo nihil erat; & aliqua realitas, quæ antea erat, jam non est, atque adeo est nihil: ergo illa realitas, qualiscumque sit, saltem partialis, aut modalis, à causis creatis produceretur ex nihilo.



fui, & desinit in nihilum sui. Voluntas nostra, dum primum Dei amore elicit, nonne producit aliquid, quod nihil erat? dumque à tali amore cessat, nonne illum abire facit in nihilum?

13. Dicta ergo proloquia relatu ad causas creatas vera sunt absolute in compositis: hæc enim fieri non possunt, nisi ex aliquo sui, nempe ex materiâ, quæ præsupponi debet à Deo creata: nec item desinere possunt, nisi in aliquid sui, nempe in materiam, quæ semper superest corrupto composito. In formis autem, tam substantialibus, tum accidentalibus, non sunt vera de *nihil*o termini producti, sed solum de *nihil*o subjecti, à quo præsupposito essentialiter pendeat actio. Nec oppositum probant, aut probabunt unquam Atomistæ.

14. Nam, dum *insistunt* 1.: forma materialis perit secundum totum suum esse: ergo proprie annihilatur. *Dist. Antec.*: manente subjecto, quo sustentabatur *conc.*; tali subjecto non manente, *neg. Antec.*, & *Conseq.*: quandiu enim tale subjectum superest, manet quodammodo forma, non in se, vel in aliqua parte sui, sed in potentiâ materiæ, quæ ipsi pro fundamento erat. Hoc ne putetur effugium recens inventum, audiatur D. Thomas 1. p. q. 104. art. 4., ubi in 3. arg. sibi objicit sic: *Forma & accidentia non habent materiam partem sui; sed quandoque desinunt esse; ergo in nihilum rediguntur*: respondet autem his verbis: *Forma & accidentia non sunt entia completa, cum non subsistant; sed*

*quodlibet eorum est aliquid entis... Et tamen eo modo, quo sunt, non omnino in nihilum rediguntur; non quia aliqua pars eorum remanet; sed remanet in potentiâ materiæ, vel subjecti*. Adde, quod etiam sine permanentiâ subjecti vitari potest annihilatio per conversionem rei pereuntis in aliam, quæ in eodem munere succedat: sic enim in Eucharistiâ, substantia panis, licet pereat secundum totum suum esse, non tamen proprie annihilatur; ut passim docent Theologi cum D. Thomâ. Itaque forma ligni, dum combustionem perit, duplici titulo non annihilatur; & quia remanet in potentiâ subjecti, & quia convertitur in formam ignis.

15. Dum *insistunt* 2.: si anima rationalis periret secundum totum suum esse, proprie annihilaretur, licet maneret subjectum ejus. *Dist.* hoc ultimum: licet maneret subjectum ejus sustentativum, *neg. suppositum* (non enim tale subjectum habet anima rationalis); licet maneret subjectum ejus purè informabile, *conc.*; nisi intercederet conversio. Dum *insistunt* 3.: idèd compositum non annihilatur, quia manet aliquid ejus: ergo è contrario, forma, si nihil ejus manet, verè annihilatur. *Dist. Antec.*: idèd, tamquam ex ratione propria entis compositi, *conc.*; idèd, tamquam ex ratione generali ad omnem entitatem, etiam simplicem, sive partialem, *neg. Antec.*, & *Conseq.* Compositum, cum non sit capax subjecti sustentativi adæquate distincti, non potest annihilationem vitare, nisi maneat aliquid

quid ejus. At non ita res habet in formâ. Mitto recursum ad conversionem totius compositi substantiæ in aliam.

16. Dum *insistunt* 4.: inepte dicitur *educi*, quod totum inducitur, seu producitur ab extrinseco agente. *Dist.*: si *educi* accipiatur in sensu vulgari, *transfert*; si sumatur in sensu philosophico, *neg.* Atomistica modificatio, seu forma modalis, apud suos etiam dicitur *educi*; cum tamen in eâ non minus ineptus appareat usus verbi *educio*, quod vulgo sonat extraditionem rei præexistentis è loco quopiam: illa quippe modificatio certè non erat, nec latebat in partibus materiæ, nisi purè in potentiâ: nunc autem tota incipit esse virtute agentis extrinseci, à quo proinde magis inducitur, quàm educitur. Usus ergo Philosophorum (cui nullo jure negabitur jus in verba, quod vulgo conceditur) effecit, ut *educi* proprie significet produci dependenter à causâ materiali non constitutivâ. Sic idem usus effecit, ut *producere* proprie significet dare esse; cum tamen apud vulgus aliter significet, ut cum quis dicitur *producere* testes, aut copias. Sic item effecit, ut *creare* proprie sonet ex nihilo facere: & tamen vulgo dicitur creari aliquis Episcopus, Cardinalis, &c.. Imò verbum *creo* significatum habuit olim omnino contrarium; nam, ut agebat S. Augustinus citatus à S. Thomâ 1. p. q. 45. art. 1. init., *Creare est ex eo, quod jam erat, educendo aliquid constituere*. Forma ergo dicitur *educi*, ut indicetur dependentia à subjecto; simul-

que dicitur *induci*, ut denotetur processus ab agente extrinseco.

17. Dum *insistunt* 5.: si educi ex materiâ, nihil est aliud, quàm actionem à materiâ pendere, cur forma non dicitur educi ex semetipsâ, cum à formâ ipsâ pendeat essentialiter actio? cur saltem non dicitur educi ex causâ efficiente, à quâ pariter actio pendet? maxime, cum magis præcontineatur forma in potentiâ istius causæ, quàm in potentiâ materiæ, ubi nec formaliter, nec æquivalenter, aut eminenter præcontinetur. *Resp.*: quia verbum *educi* cum particulâ *ex* denotat habitudinem causæ materialis, aut subjecti sustentativi præsuppositi. Forma educita non nisi intra materiam producitur & conservatur. Hinc materiam apprehendimus instar matris, cujus ex utero quasi extrahitur forma ad statum existentiam, & cujus in sinu immersa manet. Loquimur autem communiter, ut apprehendimus. Unde non sufficit essentialis dependentia actionis, nisi sit à subjecto præsupposito; quo modo non pendet actio à causâ efficiente ut tali, nec à formâ ipsâ productâ, à quâ solum pendet tamquam à termino. Hinc, si Deus eâdem actione produceret materiam & formam, actio illa non foret educitio, licet à materiâ penderet essentialiter; quia praderet ab eâ tamquam à termino partiali, non tamquam à subjecto præsupposito. Ad illud autem de *præcontinentia* formæ dicimus, quod educitio requirit præcontinentiam formalem aut eminentialem in potentiâ à qua procedit, non in po-



tentia ex qua, id est, in potentia activa, non in pure passiva; in hac enim solum requirit aptitudinem ad sustentandum actionem, & terminu.

18 Dum *insistunt* 6.: subiectum non coëfficit formam, nec auget vires causæ efficientis: ergo non minor virtus necessaria est ad producendam formam in subiecto, & ex subiecto, quam extra subiectum; atque adeo non minor ad educendum, quam ad creandum. Imò requiritur major virtus ad educendum: quia educens non solum producit formam, sed eam unit subiecto; majus autem quid est producere formam, & simul unire, quam producere solam formam more creatis. *Resp.* Licet subiectum non coëfficiat, nec vires agentis augeat in eodem genere causæ, verè tamen adjuvat in genere fundamenti necessario præsupposito, sine quo forent inutiles illæ vires causæ creatæ: quemadmodum inutiles essent vires & scientia architecti, nisi fundamentum haberet, quo domum superstrueret, vel nisi haberet materiam, in quam induceret formam domus. Hoc autem fundamentum non indiget virtus creativa.

19 Nec refert, quòd virtus educens producat simul unionem: quia unio hæc, vel est indistincta ab educatione ipsa, vel est quædam appendix formæ, naturaliter exigentis produci & conservari in esse partis actualis. Creatio autem formæ solius, licet non haberet pro termino unionem, aliunde excederet, tum ratione independentiæ, tum ex eo, quòd esset indebita, & supra meri-

ta formæ materialis, quam redderet quodammodo incorruptibilem: *Quantitas virtutis agentis* (inquit D. Thomas 1. p. q. 65. art. 3. ad 3.) *non solum mensuratur secundum rem factam, sed etiam secundum modum faciendi; quia unum & idem aliter fit & à majori, & à minori virtute. Producere autem aliquid finitum hoc modo, ut nihil præsupponatur, est virtutis infinita. Unde nulli creatura competere potest.*

20 Dum *insistunt* denique: si potest à causis creatis produci nova entitas, & substantia, dummodo producatur actione pendente à subiecto præsupposito; nullo ex capite impeditur Angelus, ne producat animam rationalem per actionem sic à materia pendentem. Non inprimis ex capite productionis, quæ foret educio, proindeque non repugnans causæ creatæ: non deinde ex capite substantiæ termini producti, siquidem causis creatis convenit producere veram substantiam: non denique ex capite spiritualitatis animæ; nam, cum Angelus spiritualis sit, hanc perfectionem præcontinet. *Resp.* Impeditur Angelus ex eo, quòd anima sit substantia spiritalis, quæ talis non esset, si naturam suam pendere posset à materia; cumque aliunde ad nullum subiectum spirituale ordinem dicat, naturam suam est independens à subiecto, seu causam materiali, proindeque est impotens produci, nisi per creationem: creatio autem repugnat omni causæ creatæ, ut modo supponimus cum Adversarijs, & alibi ostendemus.

QUÆ.

QUÆNAM FORMÆ  
educantur?

21 EX dictis facile colligitur, quibus formis conveniat educio. Illæ namque formæ naturaliter educantur, quæ subiectum præsupponunt aliâ actione productum, & aliunde naturaliter sine subiecto esse non possunt. Ratio est: quia formæ, quæ à subiecto præsupposito pendent in esse, pendere debent in modo productionis; hic enim debet esse connaturaliter juxta modum essendi: pendent ergo à subiecto præsupposito ex vi actionis, quæ producuntur; quod est educi. Dixi *subiectum aliâ actione productum*; ut nunc omittam, & aliò remittam, quætionem de formâ Cœli, ac de formis elementorum in initio Mundi, quas aliqui dicunt eadem actione cum subiecto produci debere, proindeque non educi.

22 Unde *inferes* 1., ceteras formas substantiales omnes, præter animam rationalem, educi: quia materiam præsupponunt, & experientiam constat, ita esse materiæ immersas, ut sine illâ esse non possint, nec extra illam operari. Possunt tamen creari Divinitus; quia non magis à materia pendent, quam accidentia, & hæc miraculose creari possunt, ut constat ex Eucharistiæ mysterio. *Inferes* 2., educi pariter accidentia absoluta materialia, ut sicut lux, calor, frigus, &c.: tum quia pariter experientiam constat eorum naturalis perpetuæque dependentia à subiecto: tum quia produ-

cuntur à causis creatis, quæ nihil nisi si educendo producant. Nec obstat, quòd lux producat sine alteratione, vel mutatione subiecti corruptivâ qualitatis contrariæ. Non enim conceptus educationis essentialiter postulat mutationem corruptivam, imò nec mutationem de privatione ad formam; ut ostendimus disp. 1. Quodsi interdum D. Thomas ad educationem requirit transmutationem subiecti, loquitur secundum communiter contingentiam in plerisque formis.

23 *Inferes* 3., modos omnes, qui subiectum præsupponunt, habent, cujusmodi sunt unio, ubicatio, & educio ipsa (non tamen creatio), educi quoque eâ ratione, quæ dicuntur entia producta: pendent enim à subiecto essentialiter, atque adeo magis, quam formæ absolute: producuntur etiam à causis creatis, nihil agentibus ex nihilo. *Inferes* 4., accidentia spiritalia, tum naturalia, tum supernaturalia, ut sunt habitus, & actus Intellectus, & Voluntatis, connaturaliter educi debere. De naturalibus non est dubium; cum ejusmodi formæ & ab animam producantur, & in eâ tamquam in subiecto sustententur. De supernaturalibus, si sint actus vitales, pariter non est dubium; non enim creantur, sed producuntur ab animam, vel Angelo. Si verò sint Gratiæ, Fides, Charitas, & aliæ formæ à solo Deo productæ, probatur illatio: quia formæ istæ verè à subiecto præsupposito pendent in suo esse, atque adeo in sui productione; quæ dependentia satis colligitur ex eo, quòd

Z



quod nunquam producuntur nisi in subiecto præsupposito, nec extra subiectum existunt, aut operantur.

24 Nec obstat 1., quod hæc accidentia non continentur in potentia naturali subiecti. Nam satis est, quod continentur in potentia passivâ obedienciali: quæ continentia nihil aliud est, quam capacitas obediendi soli Deo in sustentando actionem supernaturalem. Nec obstat 2., quod formæ istæ vocentur *infuse*. Nam hoc solum indicat, eas à solo Deo efficienter produci, ad discrimen illorum habituum, quos anima acquirit propria virtute. Quare infusio hæc non tollit dependentiam à subiecto; sed consideranda est quoad hoc, sicut infusio luminis in aerem. Nec obstat 3., quod Gratiæ sæpe dicatur *creata*. Nam ita dicitur, quia actio à solo Deo effective proveniens, lato sensu vocari solet creatio, quamvis à causâ materiali pendeat.

25 Distarum illationum doctrina fusius traditur, & explicatur ab Exim. Doctore disp. 15. Met. sect. 13., & disput. 16. sect. 2.; ubi etiam agit de educatione formæ artificialis, & aliarum, quæ per resultantiam, aut emanationem, produci dicuntur.

## CAP. V.

**DEFINITUR FORMA SUBSTANTIALIS.** Ubi, An sit tota quidditas Corporis naturalis?

1 **F**ORMA substantialis definiiri potest, *Substantia simplex, & absoluta, de se ordina-*

*ta, ut cum materia constituat corpus naturale, tamquam potissima illius differentia physica.* Hæc definitio planè discriminat formam substantialem ab accidentibus, à modis, à composito, à materia, & ab Angelo: & aliunde omni formæ substantiali convenit. Est etiam ad mentem Aristotelis, cui forma dicitur *Ratio quidditatis*, nempe Corporis naturalis. Nam, si forma est differentia physica cuiusque corporis, seu compositi substantialis, eo ipso est id, quod pro ratione redditur, cur unumquodque compositum talem quidditatem specificam habeat, cur sit constitutum in specie leonis & non equi, auri & non lapidis, & sic de cæteris. Sicut enim differentia metaphysica est ratio uniuscujusque speciei metaphysicæ, quia genus, de se vagum, & commune, determinat ad certam speciem: ita differentia physica, quia similiter indifferentiam materiæ determinat, est ratio specificæ quidditatis in lineâ physicâ consideratæ.

2 Hinc forma vocatur *terminus*; quia materiam, de se vagam, in certâ specie entis completi, in que certâ magnitudine figit: vocatur *character*; quia per formam unumquodque discernitur à cæteris: vocatur *species*; quia ab eâ provenit decor naturalis cuiusque corporis: vocatur *forma*, & *actus*; quia materiam ex se rudem, & informem, expolit, ac perficit: vocatur ab Aristotele *divinum, pulchrum, optimum*; quia tota varietas, & pulchritudo Mundi corporei à formâ descendit, vel in eâ consistit: vocatur de-

denique *finis*; vel quia illius gratiâ existunt accidentia; vel quia ad illam materiæ uniendam dirigitur intentio genetantis.

3 Solet etiam definiiri Forma substantialis ad mentem Aristotelis, *Actus primus corporis physici*. Ubi corpus physicum potest accipi, vel incompletè pro materiâ, quæ ordine naturæ præsupponitur quantitate affecta; vel completè pro toto composito; ut notat Exim. Doct. disp. 15. Met. sect. 5.: forma quippe dicitur *actus*, & materiæ, & compositi; materiæ quidem *actus informativus*; compositi *actus constitutivus*: sic tamen, ut munera *informandi*, & *constituendi*, non sint duo, sed unum in re; ut monet idem Eximius ead. disp. sect. 7. n. 5.; cum idem sit formam informare materiam, & constituere compositum. Dicitur autem forma substantialis *actus primus*, idest, primarius & principalis; vel *primus*, non ordine executionis, sed ordine intentionis, & dignitatis: quo discernitur ab actu materiæ metaphysico, aut entitativo, necnon ab actibus accidentalibus. Sensus tamen hujus definitionis satis in nostrâ expressus est per illa verba, *tamquam potissima differentia physica*.

4 Solet item forma substantialis definiiri, *Prima radix proprietatum, sive accidentium priorum, uniuscujusque speciei corporis naturalis*. Omnia quippe accidentia, quæ perpetuò comitantur, non unum, aut alterum duntaxat individuum, sed totam speciem, proveniunt à formâ, vel efficienter, vel analiter:

idest, vel à formâ præexistente dimanant, vel illius gratiâ præoccupant materiam, ut contingit in organizatione corporis humani. Verum hæc etiam formalitas *prima radice* satis exprimitur, vel imbibitur, in definitione nostrâ, dum forma dicitur *potissima differentia physica* cuiusque compositi in propria specie. Ex eâ quoque infertur, esse de essentiâ metaphysicâ formæ substantialis ordinem ad materiam ut ad subiectum informabile, qui simul est ordo ad compositum. Relege dicta disp. 2. cap. 2. à n. 10. Nec forma indiget potentia informativâ superadditâ, ut materiam informet: quod à fortiori colligitur ex ibi dictis à n. 24.

5 Nunc, quoniam Aristoteles nimium extollit perfectionem formæ, *Queritur 1.*, Utrum forma sit perfectior composito? Affirmant nonnulli veteres apud P. Suar. cit. sect. 7. n. 6. Moventur 1.: quia forma est causa compositi, & causa debet esse nobilior effectu. 2.: quia Aristot. 7. *Metaph. t. 7. & 8.* videtur præferre formam composito. Sed negandum omninò est: quia, quod continet totam formæ perfectionem, & insuper aliam, continet plus perfectionis, quam sola forma; ut patet ex terminis, & ex communi præxiâ, *Finitum additum finito factum majus*: at compositum, præter formam, continet materiam, quæ, ut vera entitas, & realitas, vera perfectio est. Nec obstant motiva contraria. Non 1.: quia non omnis causa debet esse nobilior effectu, maxime si non nisi partialiter causet, ut



evenit in quolibet causâ intrinsecâ, qualis est forma; hæc enim eatenus causat, quatenus est pars compositi; pars autem est minor toto. Adde, quod argumentum æquè militat in materiâ. Non 2. quia Aristoteles eo loco potius præfert compositam formam; & Advertarij decepti sunt quâdam infideli versione, ut ostendit P. Suar. l. c. n. 9.

6 *Queritur* 2., Utrum quilibet forma substantialis perfectior sit materiâ primâ? Responsio affirmativa communiter supponitur: quia forma substantialis constituta est in gradu substantiæ nobiliore, habetque perfectionem actus primi, & primæ radiis, quæ censetur absolute incompenfabilis per quamlibet perfectionem, manentem intra limites puræ potentæ. Nec obstat, quod materia sit creata, & incorruptibilis. Nam sæpe res absolute perfectior exceditur ab imperfectiore penes aliquod prædicatum: sic homo Cælo perfectior, à Cælo exceditur incorruptibilitate: sic anima rationalis lapide nobilior, à lapide exceditur titulo substantiæ completæ. Quamvis ergo materia formam materialem excedat illis prædicatis, quia tamen titulo puræ potentæ, & merè passivæ, valde deprimatur, sit, ut omnibus pensatis forma censetur absolute perfectior.

7 *Dicitur*: Si materiæ daretur optio, prudenter præligeret esse materiam, quam forn à cineris; ut ita posset frui consortio animæ rationalis. *Dist.*: si præcise attenderet perfectionem physicam & identicam, *neg.*; si attenderet utilitates alias extrinsecâ-

eus advenientes, *transit*: sic enim sæpe res præferimus, quas constat esse physicè imperfectiores alijs: nam, ut ait S. Augustinus 11. *de Civit. Dei cap. 16.*, *Quis non domi suæ panem habere, quam mures, nummos, quam pulices mali? & paucis interjectis: Plerumque carius comparatur equus, quam servus; gemma, quam famula.*

8 *Queritur* 3., & principaliter, Utrum forma sit tota quidditas compositi? Affirmant apud Eximium Doct. *disp. 36. Met. sect. 2.* nonnulli veteres, nixi quibusdam locis Aristotelis, quæ ibi citat Eximius, ubi forma vocatur *quod quid erat esse rei*, atque etiam *ratio*, id est, quidditas & substantia rei. Quantum ad hominem, affirmarunt etiam Platonici, dicentes hominem esse solam animam rationalem. Id ipsum de homine sensit, aut sensitse videtur Cartesius, quem citat, & impugnat Illustriss. Palancus *contra Novat. Philos. dialog. 2. § 4.* Sed contraria sententia, quod scilicet essentia compositi, non in solâ forma, sed in hac & materia consistit, verissima, & indubitata est in omni Scholâ. 1.: quia compositi quidditas est substantia physicè completa: forma autem non nisi incompleta substantia est; alioquin non posset uniri materiæ ut complementum ejus, sicut non potest Angelus. 2.: quia compositum alioquin esset & non esset compositum: esset, ut supponitur, & ipsum nomen præfert: non esset; quia quidditas ejus in solâ formâ simplici consisteret. 3.: quia ex actu & potentiâ constituitur

ANUM per se, juxta Aristotelem, & omnes: jam ergo ex materiâ & formâ coalescit una per se quidditas; quæ certè nullius entis est propria, nisi illius, quod *compositum* appellamus.

9 4.: quia essentia hominis non consistit in solâ animâ: ergo nec essentia cæterorum compositorum in solâ formâ. Antecedens probat contra Platonem D. Thomas 1. p. q. 75. art. 4., & lib. 2. *contra Gent. c. 57.* Nunc breviter probatur: tum quia alioquin foret homo absolute immortalis, & incorporeus, cum has proprietates habeat anima humana per se spectata. Tum quia non posset homo patrem habere, nec matrem. Tum ex consensu totius generis humani, cum nemo sit, qui proprium corpus non spectet ut partem sui. Tum denique, quia, juxta Symbolum Athanasij, *Anima rationalis & caro unus est homo.* Nec Aristoteles verbis supra relatis aliud intendit, quam ut forma sit præcipua & nobilior pars quidditatis compositi, quæ proinde per antonomasiam vocari potest *ratio*, & *quidditas*. De cætero Philosophus ex professo docet, materiam & formam esse principia intrinseca & constitutiva corporis naturalis: substantiam dividit in materiam, formam, & compositum: monet, non formam, sed compositum proprie generari: & alia habet, quæ de illius mente dubitare non sinunt.

10 Sed *Obije.* 1.: composita quidditates habent specie diversas: sola autem formæ differunt specie. *Resp.* Jam supra diximus, ut

composita simpliciter sint specie diversa, satis esse, quod in præcipuâ sui parte, quæ est velut essentiæ character, specie differant, quamvis in aliâ parte conveniant: quod evidenter patet in lineâ metaphysicâ, ubi convenientia in genere non tollit specificam diversitatem. *Obije.* 2.: si materia pertinet ad essentiam compositi, quælibet materiæ pars erit essentialis: quod tamen falsum esse constat; nam in homine v. g. materia manus, non ad essentiam, sed ad integritatem pertinet. *Resp.* Eadem difficultas est in formâ divisibili: non enim quælibet pars formæ colubri, aut arboris, est essentialis, sed plures sunt integrales. Illæ igitur partes, seu materiæ, seu formæ, dicuntur essentielles in vivente quolibet, sine quibus salvari non potest existentia talis compositi, saltem in primâ animatione: cæteræ vocantur integrales.

11 *Obije.* 3.: unius entis una est essentia: cum ergo compositum sit eius unum, constare debet essentia unicâ, non duplici, aliâ materiæ, aliâ formæ. *Resp.* Compositum non est unum unitate simplicitatis, sed unitate compositionis: unde necesse est, ut contineat plures essentias partiales; non quidem plures in eâ ratione, quâ compositum est unum (v. g. si compositum est unus leo, non debet continere plures leones); sed plures in ratione partium. *Obije.* 4.: in compositis artificialibus sola forma est tota essentia: ergo pariter in naturalibus. *Neg. Antec.*, quid quid aliqui dicant. Quis enim credat, totam domus essentiam in solâ



modali dispositione consistere, & nullatenus constitui ex lapidibus, trabibus, &c. Id ipsum puta de compositis accidentalibus, ut sunt *alburnum, muscum, &c.*, dum concretivè sumuntur: secùs verò, quando sumuntur *pro formali*, ut sapissimè solent.

12 *Dices*: materia domus secundum se, ne partialiter quidem est ens artificiale, cum nullatenus ab Arte proveniat. *Dist.*: ne partialiter quidem est ens artificiale, per modum formæ, vel actus, *cont.*: per modum potentiæ, vel subiecti, *neg.*: neque ad hoc opus est, ut proveniat ab Arte; sufficit enim, quod ex se potens sit ab Arte suscipere formam artificialem. Explicatur in his concretis, *filius Dei adoptivus, amicus Dei, videns Deum*, quæ sunt composita quædam accidentalia, & supernaturalia, quorum in essentiâ proculdubio includitur creatura rationalis per modum subiecti: quis enim concipiat filium Dei adoptivum adæquate distinctum à subiecto rationali? At subiectum istud secundum se ne partialiter quidem est ens accidentale, aut supernaturale: quomodo ergo est pars compositi accidentalis, & supernaturalis? Dicendum igitur, ut nuper, subiectum habere in utraque lineâ partialitatem, non formæ, sed puræ potentiæ saltem obedientialis, quæ nihil aliud significat, quam idoneitatem subiecti, ut à Deo suscipiat formam accidentalem, & supernaturalem.

13 *Objio*. 5. & difficultis: Si materia pertinet ad essentiam compositi, decursu vitæ variabitur essen-

tia hominis: materia quippè variatur actione caloris naturalis, vel reactione qualitatum alimentorum, vi cuius paulatim deperditur materia præhabita, & nova per nutritionem acquiritur. Hinc autem sequitur 1., quod homo senex non sit idem secum ipso juvène. 2., quod in fine Mundi non resurget idem homo: fac enim, eadem materiam successu temporis fuisse duorum hominum propriam, ut contingere potest, præsertim apud barbaras gentes, quæ humanis carnibus vescuntur: cuiusnam eorum materia ista in resurrectione reddetur? Et, cuiuscumque reddatur, alter, cui non redditur, non resurget idem, qui vixit.

14 Hujus difficultatis *prima solutio*, quæ Durando tribuitur, dicit, eundem manere hominem individuum, licet materia varietur: quia non est de essentiâ hujus hominis individui potius una, quam alia materia, sed aliqua vage, illa scilicet, quam hæc determinata anima informaverit. Hæc solutio communiter improbat. 1.: quia eadem licentiâ dici posset, non esse de essentiâ determinati hominis animam determinatam. 2.: quia de essentiâ hominis in specie est materia determinatè speciei: ergo de essentiâ hominis individui est materia individualiter determinata. Vel aliter: Si homo constaret materiâ speciei diversâ, foret compositum diversæ speciei, inadæquate saltem: ergo erit compositum numericè diversum, si constet distinctâ numero materiâ. 3.: quia insoluta manet difficultas de resurrectione; quævis enim deca-

ter resurgere idem homo, non resurget cum eodem corpore, prout Fides exigit.

15 Sententia tamen Durandi, prout refertur ab Exim. Doctore tom. 2. in 3. p. disp. 47. sect. 2., alium sensum habere videtur. Nutritur scilicet doctrinâ Thomisticâ, quod materia unitatem positivam, tam specificam, quam numericam, habet, non à se, sed à formâ: unde materia eatenus est positive talis individua materia, quatenus unitur tali formæ. Hinc, licet materia præcedens amittatur, & nova succedat, non est alia positive à præcedenti, sed semper est eadem numero, quoad eadem formæ unitur. Ex quâ doctrinâ sequi videtur, quod homo senex, licet totam amiserit materiam, quam puer habuit, & novam adquisierit; adhuc eadem individua materiâ constat: item, quod in resurrectione, licet tota materia cadaveris Pauli detur animæ Petri, & vice versâ; nihilominus uterque resurget cum eodem individuo corpore, in quo vixit. Hic discurrendi modus quomodo à Thomistis sit improbandus, ipsi viderint. Nos ex hoc capite doctrinam Thomisticam rejecimus disp. 3. cap. 6.

16 *Secunda solutio*, quam tenent plures cum Magistro Sententiarum in 2. dist. 30., nominatim PP. Quiros, Peynado, & Ulloa, statuit, solam materiæ portionem, quam primò informat anima fetus in utero materno (hæc portio vocari solet *materia primigenia, & minimum naturale*), esse de essentiâ hominis: eam verò, quæ deinceps per

nutritionem acquiritur, pertinere solum ad integritatem: & in hac solâ materia integrali variationem accidere; non autem in materiâ primigeniâ, quæ non amittitur decursu vitæ.

17 Ratio doctrinæ istius est 1.: quia homo, dum incipit nutriri, jam supponitur essentialiter constitutus; neque enim nutritur nisi homo vivens: ergo jam supponitur constans anima, & materiâ essentiali: sed non aliâ, quam primigeniâ; vel certe hæc ante alias materiæ portiones: hæc ergo est materia essentialis unicuique homini. Quæ verò nutritione acquiritur, cum præsupponat essentiam constitutam, nequit esse essentialis. Imò nec essentialis est tota Embryonis materia; sed illa tantum portiuncula, quæ primitus animatur: nam ex illâ & animâ rationali statim resultat compositum essentialiter constitutum. 2.: quia aliqua materia est essentialis huic homini: sed non tota, cui unitur anima ipsius, ut est certum; nec item aliqua portio vage sumpta, nam alioquin determinatus homo non haberet determinatam essentiam, sed foret individuum vagum, saltem ex parte: ergo portio aliqua tantum juris habet ad hoc munus, quantum illa, quæ primitus animatur, scilicet particula cerebri, vel cordis, juxta varias Anatomicorum sententias. Quod verò hæc particula nunquam amittatur vivente homine, non ineffaciter præbant PP. Quiros hæc disp. 47. sect. 2., & Peynado hæc disp. 5. sect. 2.



18 Ex hac doctrinâ *Infertur* fr., eundem esse hominem, sive senem, sive puerum, quoad essentialia, licet non quoad integralia; semper enim retinet materiam essentialem, quam puer habuit. *Infertur* 2., civis homini reddendam esse in resurrectione suam materiam primigeniam, ut verificetur, unumquemque resurgere cum suo corpore essentiali; quamvis forsan in aliquibus variatio, vel permutatio aliqua contingat circa materiam purè integram. Nec timendum est, nè fortè eadem materia sit primigenia duorum hominum. Nam, si alter alterius carne vescitur, jam præhabere supponitur propriam materiam primigeniam. Et quòd post varias transmutationes materia unius primigenia (quæ vel punctum est, vel parum excedit quantitatem formicæ, ut ait ex Aristotele D. Thomas in 3. dist. 3. q. 5. ar. 2. ad 3.) subternatur primæ alterius animationi, difficilimum est, & omninò improbabile: præterea que ad providentiam Dei spectat id impedire, quin opus sit miraculo, cum potius eventus ille tot combinationibus indigeat, ut miraculo simillimus videretur. Videri potest P. Joan. Ulloa in *Physic. Specul. disp. 1. à n. 231. ad 242.*, ubi præ cæteris doctrinam istam, valde probabilem, & expeditam, distinctè explicat, ac tuetur.

19 Semper tamen difficile apparet, quòd materia primigenia servetur illæsa toto vitæ tempore. Quia, ut arguit S. Thomas, tum in 2. d. 30. q. 2. ar. 1., tum in 3. d. 19. ar. 1., materia illa mutetur

cum materiâ alimenti, ut vitæ cum aquâ (hec enim est vis nutritionis), & utraque materia, sic permixta, manet uniformiter disposita. Quomodo ergo caloris activitas materiæ illius particulas internoscet, ut illis parcat, & in cæteras sæviat? Nihilominus dici poterit, quòd illa materiæ portio, dum homo nutritur, non mutat locum, nec discontinuatur, aut miscetur cum alijs: quia non est tota massa Embryonis (de quâ tantum loquitur D. Thomas), sed est quædam particula, Deo soli nota, quæ semper manet in medio cordis, aut cerebri. Nec ab ejus animatione incipit statim nutritio propriè talis, sed continuatur elaboratio membrorum humani corpusculi, ad quod paulatim extenditur unio animæ, donec absolutâ fabricâ incipiat nutritionis opus. Illa verò particula, titulo primæ fedis animæ, tenacius retinet temperaturam debitam, quæ non est omninò uniformis in reliquâ materiâ.

20 *Tertia solutio*, eaque communissimâ, dicit, hominem senem, quamvis aliqua ipsius pars physica vel omninò, vel magnâ ex parte, mutata sit, non solum esse eundem numero, qui fuit puer, omninò physicè quoad animam, sed etiam absolute vocari posse ac debere eundem numero quoad corpus: quia materiæ mutatio paulatim, & imperceptibili modo fit, sub organizatione omninò simili, sub eademque animâ rationali, atque ita ut, quoties additur nova materia, continuatur physicè cum majori parte præcedentis: quæ circumstantiæ faciunt,

ciunt, ut humano more loquendi, ac reputandi, non aliud sit corpus senis, quam pueri. Sic domus, licet paulatim reparetur diminutione, & accessione multarum partium, censefetur manere semper eadem. Sic etiam ignis, cui paulatim pabulum additur, *semper remanet idem ignis numero*, ut ait D. Thomas. Et tamen in his exemplis major datur mutatio, nempe non solum materiæ, sed etiam formæ. Vide D. Thomam *locis cit. supra n. 19., & P. Suar. d. 36. Met. s. 2., & tom. 2. in 3. p. d. 44. s. 2.*

21 *Dices*: hæc identitas corporis non est physica, sed moralis. *Resp.* Vocari potest identitas physica ratione physicæ continuitatis, de quâ nuper. In rigore tamen, si tota materia puerilis corporis amissa sit, solum est identitas moralis; quamvis in lineâ morali (quæ varios gradus admittit) strictissima sit, utpotè fundata tot titulis physicis. Difficultas verò de resurrectione doctè explicatur à P. Suar. *cit. loco in 3. p. cum SS. Augustino & Thomâ.* Profectò, cum homo vix centesimam alimenti partem in se convertat, ut Medici asserunt, difficilimum est, quòd tota materia unius hominis, vel etiam pars major, fiat alterius hominis propria: & ad Divinam pro-

videntiam pertinet ita unicuique propriam servare, ut non contingat confusio veritati revelatæ repugnans. Neque ad id miraculo opus est; cum potius oppositum videatur ex se moraliter impossibile. Quare dabitur unicuique resurgenti materia, quam habuit, ita ut, si duo homines in aliquâ materiæ parte convenerint, ea pars in eorum altero suppleatur ex materiâ, quam amisit decursu vitæ.

22 Nec omittendum, quòd totum hoc argumentum nihil prodest collocantibus compositi quidditatem in solâ formâ. Nam inprimis illud de identitate senis & pueri, pariter urget in animâ divisibilibus, v. g. colubri, vel arboris: ea quippe anima simul cum materiâ mutatur paulatim decursu vitæ: non ergo erit idem coluber senex secum ipso catullo. Deinde, quòd resurrectionem attinet, sive materia pertineat, sive non, ad essentialiam hominis, omnes in proprio corpore resurgemus, juxta illud *Job. 19., Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum* &c.. Præterea, si homo non esset nisi sola anima, nec verè moretur homo, nec verè resurgeret; non enim resurgit, nisi quod cecidit.

\*\*\*







# DISPUT. V.

## DE MULTIPLICITATE FORMARUM in eadem Materia.

**I**NTER formas substantiales aliæ dicuntur *subordinate*, illæ scilicet quarum una alteri subservit intra idem compositum, & materiam veluti preparat ad recipiendam alteram: aliæ vocantur *non subordinate*, seu *disparate*, videlicet quarum unaquæque suum compositum constituit in solidum, quin possint duæ vel plures ad unum constituentium conspirare. Tales sunt formæ auri, magnetis, adamantis &c.

### CAP. I.

#### DENTUR NE FORMÆ SUBS- tantiales subordinate?

**I**CIRCA formas subordinate (ut nunc omitram eorum placitum, qui formas elementorum in mixtis collocant, de quo suo loco) quadruplex est veterum sententia apud P. Suar. *disp. 13. Metaph. sect. 3.*, & *disp. 15. sect. 10.* Prima formas in quovis composito multiplicat juxta numerum prædicatorum essentialium, ita ut æquas v. g. ab unâ formâ sit substantia, ab aliâ corpus, ab aliâ vivens, &c.. Verum ex hac sententiâ, præter alia quæ continet absurda, sequitur, etiam in Angelo, in animâ rationali, in formis acci-

dentalibus, in materiâ ipsâ, imò in quâlibet ex illis formulis substantialibus, inveniri pariter entitates realiter distinctas pro numero prædicatorum superiorum & inferiorum, quæ in ipsis considerari possunt; ac proinde nullam esse entitatem realiter simplicem in rerum naturâ.

2 Dices: Aristoteles 7. *Metaph. cap. 10.* docet, partibus definitionis respondere partes rei. *Resp.* Loquitur Aristot. de definitione physicâ, ut cum homo definitur *Compositum ex corpore & anima rationali*: vel, si de metaphysicâ loquitur, solum vult, ut definitioni formali respondeant partes rei solâ ratione distinctæ. Dices iterum: idem Aristot. 2. *Metaph. cap. 2.* probat, non esse in composito infinitas formas, quia non sunt infiniti prædi-

ca-

cata essentialia: sentit ergo, numerum formarum ex numero prædicatorum esse colligendum. *Neg. Conseq.*: ex eo enim, quod prædicata non sint infinita, bene infertur, formas non esse infinitas; quia ut minimum qualibet formæ deberet asserre novum prædicatum; at non inde colligitur, prædicata non esse plura, quàm formas; quia ex alijs capitibus multiplicari possunt per rationem. Sic bene probatur, non esse infinitas civitates ex eo, quod non sint infiniti cives: num inde colliges, tot esse civitates, quot cives?

3 Secunda sententia multiplicat animas in viventibus juxta gradus vitæ, nempe vegetativæ, sensitivæ, rationalis: atque ita in homine ponit tres animas, duas in belluâ, unam in arbore. Hac tamen sententia, quod attinet ad hominem, parum est consona principijs Fidei, & doctrinæ Catholicæ, ut efficaciter ostendit Exim. Doctor. Et præterea sine fundamento fingit hominem essentialiter constitutum ex quâdam belluâ, & ex arbore quâdam: quod enim in homine dentur operationes valde diversæ, nihil probat; cum certum sit, ab unâ radice simplici provenire posse magnam operationum varietatem in eodem supposito; sicut ab eadem voluntate proveniunt amor & odium, ab eodem Intellectu apprehensio, judicium, & discursus. Sed de hoc latius in Animalicâ. Interim vid. P. Suar. *cit. disp. 15. sect. 10.*

4 Tertia sententia fuit Avicennæ, statuentis quâdam formam

corporeitatis, materiæ coarctatæ, & incorruptibilem, quæ materiam semper comitetur, & cum ipsâ transeat ad varias formas specificas, deserviatque adtribuendum composito gradum, seu prædicatum genericum corporis. Sed hæc etiam sententia cum præcedentibus antiquata est, & merito quidem. Tum quia ex nullo signo talis forma colligitur, nec ex operationibus, nec ex mutationibus substantialibus, quæ per solas materiæ transitum ab unâ formâ in aliam optime intelliguntur. Tum quia ratio corporis, si sumatur pro substantiâ extensâ impeneetrabili, provenit à quantitate, vel à determinatione ad illam, quæ determinationi, vel in solâ materiâ consistit, vel in toto composito ex materiâ & formâ specificâ: si vero accipiatur pro corpore physico prædicamentali, significat substantiam materialem physicè completam, proindeque salvatur in quovis composito ex materiâ & unica formâ, saltem materiali, v. g. lapideâ. Tum demum, quia nulla realis forma possibilis est, quæ sit corporeitas ut sic, sive ratio corporis generica, ad nullam speciem pertinet.

5 Quarta sententia, eaque celebris, est Subtilissimi Doctoris Scoti, quem sequitur tota ejus Schola, docetque, in viventibus præter animam reperiri quâdam formam substantialem, quam *mixtionis*, & *corporeitatis* appellat, & cujus nomen sit constituere materiam in esse corporis physici organici, quod est proprium viventiam, & quod ita



constitutum ordinetur ut ultimo complebile ad animam, per quam constituatur in specie corporis viventis. Hæc forma dat esse substantiale carnis, ossis, nervi, &c.; præcedit que in materiâ embryonis, quamdiu hæc disponitur ad animam, perseverat deinde cum animâ, & manet post mortem in cadavere, donec in vermes, aut cineres resolvatur. Henricus, hujus etiam formæ patronus, eam agnoscit in solis hominibus, alij in solis sensitivis, Scotus cum suis in omnibus viventibus. Plerique docent, formam istam corporeitatis constare partibus heterogeneis, ita ut forma ossis substantialiter differat à formâ carnis, & hæc à formâ nervi, &c.

6 Scotum sequuntur è nostris Authoribus PP. Conink, Tannerus, Dandinus, & alij, quibus accedunt nobiles Recentiores in M.S. Hæc sententia contra se habet Thomistas omnes cum Angelico Doctore 1. p. q. 76. art. 4., & sepe alibi: plerosque item, aut ferè omnes Authores nostros cum Doct. Eximio cit. disp. 15. sect. 10. Est tamen sine dubio valde probabilis, & gravibus rixâ fundamentis; quamquam non adeo solidis, ut solvi non possint fortassè probabilius, ut jam ostendo.

*Argumenta pro Forma corporeitatis proposita, & soluta.*

7 **P**RO formâ corporeitatis Scoticâ arg. 1.: homo constituitur ex corpore organico, tanquam ex parte realiter ab

animâ distinctâ: sed corpus organicum nec est materia sola, nec materia cum solâ organizatione accidentali, nec materia cum animâ: ergo est materia cum formâ corporeitatis Scoticâ, quæ sit organizatio substantialis, idest, substantia heterogenea, exigens & radicans totam illam supellectilem variorum accidentium, quæ cernimus in carne, ossibus, fibris, venis, nervis, & alijs organis ad vitales functiones aptis. *Prob. Minor.* quoad 1. partem. Tum quia lapis materiâ constat, & non constat corpore organico. Tum etiam, quia, cadavere in cineres redacto, manet materia, & non manet corpus organicum. *Prob.* item quoad 2. partem: quia sequeretur, hominem essentialiter constitui ex accidentibus, cum constituatur ex corpore organico. *Prob.* denique quoad 3.: quia materia cum animâ non est pars realiter ab animâ distincta.

8 *Resp.* Nomen *corpus* accipitur 1. mathematicè pro quantitate tripam dimensionem habente, nempe longitudinis, latitudinis, & profunditatis. 2. accipitur physicè pro substantiâ naturaliter inseparabili à quantitate: quæ substantia, si sit completa, dicitur *corpus physica* simpliciter, eique convenit ratio *corporis predicamentalis*, quæ scilicet directè collocatur in predicamento substantiæ: si vero non sit completa, dicitur *corpus* cum adito *incompletum*; quo sensu, licet tam forma materialis, quam materia, dici possit *corpus*; sola tamen materia sic appellari consuevit, forte

tè quia sola immediatè radicat quantitatem, ut proprietatem sui. In hac acceptione physicâ omne substantiale compositum est corpus, & constat corpore.

9 3. accipitur pro corpore organico, idest, pro corpore physico instructo illâ supellectile accidentium, de quâ num. 7. Quare corpus organicum (ut notant communiter Authores, explicantes Aristol. definitionem animæ, nominatim Pat. Suar. lib. 1. de Anim. cap. 2.) potest etiam accipi bifariam: 1. completè, pro toto composito ijs accidentibus affecto, v. g. pro cane, vel arbore: 2. incompletè, pro solâ materiâ organizatâ, importando scilicet materiam in recto, & organizationem in obliquo: atque in hoc 2. sensu accipitur, quod oties significatur ut pars physica viventis.

10 His positis, ad *argum. conc. Maj.* absolutè, & *neg. Min.* quoad 2. partem; quin inde sequatur, hominem constitui ex accidentibus. Ut enim corpus organicum verè dicatur constituere hominem, sufficit quòd constituat quoad rectum, maximè si ad hoc requiratur obliquum, tanquam conditio necessaria. Sic verè dicitur absolutè, *Adamas constat materia dura, Ferrum materia densa, Flamma materia levi, & quodlibet compositum materia quanta*; quamvis nec durities constituat adamantem, nec densitas ferrum, &c.. Sic etiam verè dicitur *Materia disposita respicit formam*, tametsi dispositio non sit receptivum parziale. *Replic.* 1.: corpus organicum, ut organicum, est

pars hominis. *Diff.*: si reduplicetur organizatio ut subjectum illius prædicati, *pars hominis, neg.*; si reduplicetur solum ut conditio ex parte subjecti conducens, *conc.* Hoc sensu verè dicimus, *Ignis, ut applicatus, comburit, Materia, ut disposita, recipit formam.*

11 *Replic.* 2.: dum anima ex Aristotele 2. de Anima definitur, *Actus primus corporis physici organici*, definitur per ordinem ad proprium subjectum: sed non definitur per ordinem ad solam materiam primam, quia hæc non est subjectum magis proprium animæ, quam alius formæ; nec item per ordinem ad accidentia, quia hæc non sunt subjectum animæ: ergo per ordinem ad materiam cum formâ corporeitatis. *Diff. Min.*: non definitur per ordinem ad solam materiam primam, solitudine excludente accidentia à munere conditionis necessario requisitæ, *conc.*; solitudine excludente accidentia à munere subjecti, *neg. Min.* & *Consequ.* Materia prima sola (idest, sine consortio alterius subjecti partialis) est subjectum animæ, & cujuslibet formæ: sed non habet sola quod sufficit, ut dicatur subjectum proprium animæ: constituitur enim subjectum proprium in actu secundo per unionem actualem; proprium autem in actu primo, & exactivè, per accidentia organica; non aliter, ac materia constituitur subjectum proprium formæ ignis per calorem in summo. Quare anima nequit definiri per ordinem ad subjectum proprium, quin definatur per ordinem ad materiam simul



& accidentia, ut in qualibet alia forma videre est: non enim formæ determinant sibi subjectum substantialiter proprium; alioquin tot essent materiæ speciei diversæ, quot formæ.

12 Illa igitur animæ definitio sic explicanda est *Actus primus corporis physici, exigens illud esse organicum*: ac proinde *ly organici* non denotat substantialem indolem subjecti, sed indicat indolem formæ, non aliter adstantis subjectum, nisi exigendo in ipso organizationem accidentalem, quæ significatur de obliquo ut connotatum, aut terminus exigentiæ formæ, sicut sensatio in hac definitione animalis, *Principium sentiendi*. Eodem sensu forma flammæ posset definiiri sic, *Actus primus materia levis, calida, fluida, ac pellucida*. Hinc inferes, in viventibus non aliam esse *organizationem radicalem* (hoc nomine intelligo radicem, aut exigentiam organizationis accidentalis) præter animam ut materiæ unitam; quia hæc sola est substantia exigens accidentia organica in materiâ. Unde solum corpus organicum completè sumptum dici potest *radicaliter organicum*; non verò sumptum incompletè; sic enim tota substantia ejus est materia, & hæc ex se non radicatur talia accidentia præ alijs; ideoque solum dici potest *substantia corporis organici*.

13 *Repl. 3.*: corpus, dum sumitur pro parte viventis, est nomen substantivum, ut etiam nomen caro, quo significatur interdum totum corpus, juxta illud ex Symbolo

Athanasij, *Sicut anima rationalis caro unus est homo*, &c.: ergo significat in recto sua omnia constitutiva, sicut nomen *homo*: si ergo ex materia & organizatione constituitur, ut amque significare debet in recto. *Resp.* Utrumque nomen, licet grammaticè substantivum, physicè tamen est adjectivum, idest, sonat materiam cum adjectâ organizatione: sicut nomen *artifex*, aut *miles*, aut *pater*, aut *mater*, quantumvis dicatur substantivum, sonat hominem cum adjectâ peritiâ artis, aut professione militiæ, aut cum paternitate, vel maternitate de obliquo. Sic ex adverso *rationalis* est grammaticè adjectivum, & tamen metaphysicè substantivum est, prædicaturque totum in recto, cum homo dicitur animal rationale.

14 *Repl. 4.*: in Eucharistiâ ponitur vi verborum corpus Christi organicum sub specie panis: at non sola ponitur materia prima; quippe quæ sola non meretur nomen corporis humani: nec aliunde ponuntur vi verborum accidentia, nè alioquin mira illa conversio dicenda sit *transaccidentatio*, non minus quam *transsubstantiatio*: nec itam vi verborum ponitur anima, quippe quæ solum ponitur per concomitantiam, juxta Tridentinum: superest ergo, ut ponatur materia cum formâ corporitatis. Hac objectio, cui maxime fidant Recentiores, variè solvitur à Theologis in tractatu de *Eucharist.*, et videre licet apud PP. Suar., Vazq., & Cardinal. de Lugo. Nobis tenenda nunc est via, quam præ alijs explicat ac tuetur P. Arriaga,

ga, tū hîc, tum *disp. 36. de Euchar. sect. 3. subsect. 4.*; quia brevior & expeditior est, & si non Theologicè probabilior, saltem verè probabilis: quod modò sufficit.

15 *Dico* igitur, in Eucharistiâ vi verborum poni corpus Christi organicum incompletè sumptum, ac proinde materiam primam cum organizatione accidentali, sic tamen, ut materia ponatur primariò, & organizatio secundariò, prout scilicet significantur nomine *corpus*, altera in recto, altera in obliquo. Quantitatem & accidentia organica poni vi verborum, tenet etiam P. Vazquez *tom. 3. in 3. p. d. 187. c. 4.*: nec in re dissentire videtur P. Suar. *tom. 3. in 3. p. d. 51. s. 5.*, ubi concedit, accidentia esse *de ratione corporis organici, ut organicum est*, & quod *quantitas consequitur ad actionem verborum ex intrinseca natura & necessitate corporis humani ut sic*: unde accidentia, inquit, *quamvis propriè non dicantur hîc adesse ex vi verborum, dici tamen possunt necessitate quadam consequi ex veritate & proprietate tailum verborum*. Quare uterque agnoscit, accidentia esse de ratione corporis humani: sed dissensio in eo stare videtur, quòd juxta Vazq. dicitur poni ex vi verborum quidquid est de ratione objecti significati; juxta Suar. verò, (ad mentè D. Thom. 3. p. q. 76. ar. 4.), non nisi id, quod significatur principaliter, ac directè, sive in recto. Hoc ultimum vult etiam Lugo *disp. 8. de Euchar. n. 97.*: qui simul *ead. disp. sect. 4.* docet, nomen *corpus*

in formâ consecrationis verificari posse per materiam cum solâ organizatione accidentali.

16 Jam verò, quòd mira illa conversio non solum sit substantiæ in substantiam, sed etiam secundariò ac minùs principaliter substantiæ in accidentia, non reputat absurdum P. Vazquez *loc. cit.*, dicens, Concilium Trident., cum docuit substantiam panis converti in *substantiam* corporis Christi, expressisse id, quod præcipuum est in termino conversionis, non tamen negasse reliqua, quæ ex parte illius termini requiruntur. Melius tamen negabis cum Lugo & Arriaga *locis cit.*, quòd accidentia sint terminus conversionis, licet ponantur vi verborum: vel quia, ut ait Lugo, solum est terminus conversionis id, quod succedit alteri in eodem munere; & sola substantia corporis Christi, non verò ejus organizatio, succedit substantiæ panis in munere substandi speciebus panis: vel quia, ut ait Arriaga, non est terminus conversionis, nisi quod habet repugnantiam cum termino à quo; & hanc repugnantiam non habet organizatio, sed sola substantia corporis D. Hinc in Eucharistiâ non fit conversio panis in accidentia, ac proinde non datur *transaccidentatio*: quia non est idem accidentia poni vi verborum, & esse terminus conversionis.

17 Hoc tamen non tollit, quòd absolutè verificetur panem converti in corpus Christi: nam ex dictis n. 10., ad id sufficit, corpus quoad substantiam, quæ sola ma-



portatur in recto, esse terminum conversionis; accidentia verò esse conditionem, sine quâ non terminaret conversionem substantia corporis, quia non significaretur per verba consecrationis. Notanda sunt verba Tridentini *ses. 13. cap. 4.* declarantis, *conversionem fieri totius substantia panis in substantiam corporis Christi, & totius substantia vini in substantiam sanguinis eius.* In termino à quo dicit totius substantia; at in termino ad quem solam dicit in substantiam, non in totam, nec in omnia quæ sunt de ratione corporis, aut sanguinis: ne scilicet significaret, corpus, aut sanguinem (si forte sanguis animatur), complete sumptam, esse terminum conversionis; ne vè sub tali termino comprehenderet etiam accidentia, quæ sunt de ratione corporis.

18 Ad extremum observa, quòd hæc obiectio nihil prodest Scotistis: nam apud ipsos (ut videre est in P. Suar. tom. cit. d. 50. s. 4.) actio conversiva in Eucharistia est actio adductiva, habetque pro termino formali præsentiam corporis Christi, quæ est modus accidentalis. Explicent ergo, quomodo illa conversio non sit *transmodatio*, & *transaccidentatio*, præsertim cum in termino à quo pereat etiam præsentia panis.

19 Arg. 2. ex Scotistis. Homo est essentialiter corpus, seu habet gradum corporis de Prædicamento substantia; quod prædicatum, sive gradus, debet ipsi provenire à formâ substantiali, sicut provenit lapidi, & alijs compositis

inanimatis. Sed homini non provenit ab animâ rationali, cum hæc non sit forma corporea, sed spiritualis: ergo provenit à materiali formâ corporeitatis. *Resp.* Hoc argumentum imprimis nihil probat in cæteris viventibus præter hominem, cum eorum animæ sint formæ corporeæ, ac proinde aptæ ad tribuendum esse corporeum sine alia formâ corporeitatis. Reponit Mastrius, esse corporeum, quod convenit brutis & plantis, non posse ab eorum animâ provenire, quia est organicum, & dissimulare, sive heterogeneum, anima verò bruti, & plantæ, non est heterogenea.

20 Sed *contrà.* Esse corporeum eatenus dicitur heterogeneum substantialiter, quatenus est substantia materialis exigens accidentia heterogenea: sed equus per suam animam constitui potest substantia materialis exigens accidentia heterogenea. Patet hoc: quia non est difficilius exigere accidentia heterogenea, quàm exigere partes formæ corporeitatis heterogeneas; & has per te exigit anima equi. *Contrà item.* Anima equi, utpotè materialis, dat verum esse corporeum, ut est certum exemplo formæ lapidis, & aliarum materialium: sed non dat solummodo esse corporeum *ut sic*, indifferens ad vivens, & non vivens, vel ad leonem, & equum, ut etiam est certum: ergo dat esse corporeum, quod est proprium speciei equinæ.

21 Præterea nec in homine vim habet. Nam homo est quidem essentialiter corporeus, sive corpus juxta secundam acceptionem supra

datam num. 8.: sed hoc prædicatum habet ab animâ rationali simul cum materia; ipsa que anima dici potest *forma corporeitatis*, ut ait Exim. Doctor *disp. 15. Met. sect. 10. n. 27.*, si hoc nomine tantum intelligatur forma dans composito esse substantiale corporeum. Nam homo ab eâ formâ habet esse corporeum, à quâ constituitur in esse substantia completæ inseparabilis à quantitate, exigentis que determinatam extensionem. At homo ab animâ constituitur substantia completa, & ab animâ sine dubio habet exigere determinatam quantitatem; neque enim anima potest materiam complere, nisi ab intrinseco supponat, aut inferat in materiâ quantitatem determinatam. Eadem ratione anima constituit hominem in esse corporis completi, non qualiscumque, sed radicaliter organici, propriæque speciei humanæ: quia constituit illum in esse substantiæ completæ exigentis certam quantitatem cum accidentibus organicis hominis proprijs. Quis enim dubitet, hominem ratione animæ exigere omnia accidentia, quæ necessaria sunt ad exercendas operationes vitales, & humanas?

22 Itaque anima rationalis in se, intransitive, & *ut quod*, spiritualis est, imaterialis, incorporea; quia est independens à materiâ, & à quantitate, potensque sine ijs existere naturaliter: est tamen corporea transitive, constitutive, & *ut quo*; quia est id, quo materia, seu homo constituitur substantia completa exigens certam quantitatem,

& alia specifica accidentia corporea. *Dices*: non minus opponuntur corporeum & incorporeum, quàm album & nigrum: ergo, sicut nigrum nequit esse formalis effectus albedinis, aut e converso; ita corporeum nequit esse formalis effectus forme incorporeæ; vel, si potest, etiam incorporeum poterit esse formalis effectus forme corporeæ.

23 *Insto* manifeste: albedo nequit exigere in subjecto proprio nigredine, nec cum eâ simul existere, & uniri: ergo forma incorporea non poterit exigere in subjecto proprio formam corporeitatis deoticam, nec cum eâ naturaliter conjugi. Vel sic: albedo nequit informare subjectum nigrum ut nigrum: ergo forma incorporea non poterit informare subjectum corporeum, sive corpus, ut tale. Tum *dist. Antec.* non minus opponuntur, quoad verificationem de eodem omnino subjecto, *conc.*; quoad munera totius & partis, aut causæ & effectus, *neg. Antec.*, & *Conseq.*: nemo quippe negare potest, formam incorpoream destinatam esse, ut sit pars hominis, qui est simpliciter ens corporeum; itemque destinatam esse, ut causet, sive ut inferat, & exigit in subjecto proprio accidentia corporea, vel formam ipsam corporeitatis juxta Scotistas: cum tamen albedo nequeat esse pars nigri, nec radix, aut exigentia nigredinis in subjecto suo.

24 Novum non est, quòd forma tribuat subjecto, vel composito, denominationem, cujus ipsa est incapax, imò cujus oppositam



habet. Sic enim cognitio præcisiua, quæ in se singularis est, & impotens prædicari de multis, constituit obiectum universale, & prædicabile de multis: Gratia, quæ non est Dei amica, nec filia, has denominationes tribuit homini, & Angelo: anima rationalis, quæ in se est incapax nutritionis, constituit hominem potentem nutrirî. Nec ex hoc inferitur, quod etiam incorporeum poterit esse formalis effectus formæ corporeæ: datur enim aperta repugnantia in terminis: nam incorporeum negat omnem corporeitatem, cum idem sonet, ac nullo ex capite dependens à quantitate in suo esse: formalis autem effectus formæ corporeæ, cum hanc ipsam in suo esse includat, jam aliquo ex capite corporeitatem habet, ac dependentiam à quantitate. At corporeum stare potest, quin omnis incorporeitatis sit expertus: homo enim, iuxta omnes, est simpliciter corporeus, sive corpus, quamvis ex animâ incorporeâ constitutur.

25 Si quæras, cur homo non denominetur spiritus ab animâ spiritali? respondeant etiam Scotistæ, apud quos anima spiritalis utique constituit hominem, & quidem ut forma præcipua: cur ergo ab animâ non dicitur homo spiritus, cum dicatur corpus à formâ corporeitatis? Sit ergo velut regula generalis pro refundendis denominationibus partium in totum. Quando attentâ definitione, aut sensu denominationum ipsarum, nihil in eis invenitur, quod naturæ, & indoli compositæ repugnet,

tunc refunduntur ex parte in totum: non refunduntur autem, quando sensus composito incongruus invenitur. Ex hac regulâ homo v. g. à materiâ & à formâ dicitur substantia, & à neutrâ dicitur substantia partialis, aut actus primus, aut primum subiectum: dicitur genitus ab unione genitâ, & non dicitur creatus ab animâ creatâ: dicitur intellectivus ab animâ intellectivâ, & non dicitur immortalis ab animâ immortali. Jam verò denominatio *Spiritus* significat independentiam à materiâ, & à quantitate; quæ certe non congruit homini.

26 Notandum hîc, quod anima rationalis est *formaliter* corporea *ut quo*, & continet *formaliter* esse corporeum, si *formaliter* nihil aliud significet, quam *in genere causa formalis*. Nam anima sine dubio est *formaliter* id, quo tamquam *formali causa* constituitur homo in esse hominis: hoc autem esse hominis, cum sit naturaliter inseparabile à quantitate, non est spirituale, sed corporeum. Quia tamen istam cum quantitate connexionem, in quâ stat corporeitas, fundat anima rationalis, non sibi, sed homini, non ita ut anima ipsa quantitate indigeat in essendo, sed ita ut solam indigeat in causando suum effectum formalem (quâ in re multum differt à formis materialibus, quæ etiam in essendo inseparabiles sunt à quantitate, adeoque sunt corporeæ in essendo): idcirco, quoties anima rationalis dicitur *corporea ut quo*, vel continens for-

Formaliter esse corporeum, toties addendum est *cum independentia in essendo* à suo effectu formali, vel à quantitate. Similiter discurrere debent Scotistæ circa esse vegetativum, quod anima rationalis *formaliter* continet, cum tamen in se ipsa vegetare nequeat sicut anima plantæ.

27 Si roges, utrum anima rationalis dici possit *corporeitas* hominis? Inprimis non est corporeitas illa, quæ ponitur in Arbore prædicamentali, ubi substantia dividitur in corpoream, & incorpoream: quia illa est corporeitas physice completa, quamvis significetur per modum abstracti, vel differentie metaphysicæ. Deinde nec est corporeitas physica totalis; quia hæc constituitur etiam ex materiâ; imò iuxta Scotistas distinguitur à materiâ & formâ simul sumptis. Denique dici potest *corporeitas per modum principij formalis*, sed addendo *cum independentia in essendo* &c., ut nuper admonui.

28 Arg. 3. : In materiâ Embryonis (id est, in illâ massâ paterni & materni feminis, aut sanguinis, ex quâ in utero matris organizatur corpusculum animabile) datur forma substantialis, quæ adveniente animâ non expellitur: ergo talis forma conjungitur cum animâ ad constituendum corpus vivens, quod est munus formæ corporeitatis. *Prob. Antea. 1.*: quia forma Embryonis est dispositio ad animam, cum idcirco introducatur, ut animæ præparet materiam: ergo non expellitur ab animâ; tum quia

nulla forma suas dispositiones excludit; tum quia alioquin forma embryonis disponderet ad sui interitum. Imò, quamvis expellatur, adhuc hujusmodi forma ostendit, non repugnare formam substantialem, quæ producatur, & existat, non propter se, sed tamquam dispositio ad nobiliorem aliam; quæ ex capite impugnari solet formæ corporeitatis. 2. : quia adveniente animâ, nulla deficit dispositio ad formam embryonis, cum potius ejus dispositiones tunc perficiantur: at nulla substantialis forma expellitur, quando nulla perit ejus dispositio. Adde, quod formæ substantiales non sunt contrariæ, nisi ratione dispositionum accidentaliū: dispositiones autem ad animam, & ad formam embryonis, contrariæ non sunt. 3. : quia sequeretur, formam embryonis ab iisdem agentibus destrui, à quibus producitur.

29 *Resp. neg. Antea.*, quâ parte dicit, formam embryonis non expelli per adventum animæ. *Ad 1. prob. neg. Antea.*, nisi nomen *dispositio* latè & improprie sumatur pro formâ, quæ naturæ ordine debet animam præcedere in materiâ; quemadmodum forma ignis necessario præcedit formam carbonis, aut cineris, forma vini formam aceti, forma ovi formam pulli, forma alimenti formam viventis in materiâ per nutritionem acquisitâ. Dispositio proprie talis est, quæ ex se intrinsicè ordinatur ad formam, & illius adventum exigit: hoc autem non convenit formæ embryonis,



quæ nec exigit adventum animæ, nec ad illam ordinatur ex se, nec idèò introducitur, ut animæ præparet materiam; sed solum, ut materiam complendo suum compositum constituat, deserviatque ad varietatem Universi, sicut alia multa composita, quorum proprias operationes nescimus. Præparatur quidem embryonis materia paulatim ad animam; ac non præparatur à formâ embryonis, sed à virtute feminis, & alijs causis cooperantibus ad generationem viventis: quemadmodum forma vini non præparat materiam ad acetum, sed alia causæ extrinsecæ præparationem istam efficiunt.

30 Hinc forma embryonis existit, & producitur præpter se, quatenus producitur, ut dominetur & præsit in suo composito, non ut intra illud alteri formæ subserviat. Hoc tamen non prohibet, formam istam eâ intentione produci ab agentibus, ut transacto aliquo tempore locum cedat alteri formæ. Nam hoc modo nulla est forma subalternæ, quæ non intendatur propter aliam. Cum enim agentia naturalia exigant virtutem suam explicare novis effectibus, ipsaque varietas Universi postulet crebras transmutationes materiam, nulla forma subalternæ producat, ut perpetuò duret, sed ut locum cedat alteri post aliquod tempus.

31 Id quod præcipue patet in formis alimentorum, quæ à natura producantur eo fine, ut viventia nutrirî possint. Id ipsum patet in formis feminum ex herbis &

plantis decidentium: quorum forma in primis distinguitur ab animâ vegetativâ, nisi velis, ut hæc anima duret annos integros in horreo sine alimento: deinde ordinatur ad novam animam, sive ad propagationem speciei, ut est evidens: denique non perseverat cum animâ, ut constat ex corruptione seminis cum ingenti variatione accidentium. Sed clarissimè id cernitur in formâ ovi; quæ certè ordinatur ad propagationem avis; & tamen expellitur ab animâ pulli; nec dici potest forma corporeitatis pulli cum ejus animâ perseverans: tum quia alioquin in ovo nondum corrupto jam esset formaliter caro pulli, proindeque non liceret ovum edere in die, quo prohibetur esus carni: tum quia forma ovi foret unica forma perseverans in cadavere pulli, liceretq; pullum mortuum comedere in die veneris: tum denique, quia ingens accidentium diversitas apparet inter ovum, & carnem, aut ossa pulli.

32 Dicendum ergo, hujusmodi ordinem unius formæ ad aliam, qui significatur particulâ *propter*, non esse intrinsicum, sed extrinsecum, consistentem scilicet in exigentiâ, non ipsius formæ, quæ ordinatur, sed agentium naturalium, quæ successiõnem formarum postulant. Vel dicatur potius, esse ordinem *successionis*, qui non obest substantialitati formarum; non verò ordinem *conjunctionis* in eodem composito, qui solus repugnat formæ substantiali.

33 Ad 2. prob.. Falso asseri-

tur, quod, adveniente animâ, nulla pereat dispositio ad formam embryonis: nam saltem perit temperamentum qualitatum, quod ipsa exigit in minore intensiõne, quam anima. Quare, sicut anima expellitur à corpore, quando aliquis ex humoribus nimium exuberat, quia perit hoc ipso proportio & temperies humorum, quam ipsa requirit; ita forma embryonis expelli debet, quando temperamentum qualitatum exuperat mensuram ipsi debitam. Perficiuntur quidem pro adventu animæ accidentia, quæ pertinent ad fabricam corporis organicam: verum hæc accidentia non sunt dispositiones ad formam embryonis, nec ab eâ exiguntur; sed causantur ab agentibus, materiam alterantibus, ac disponentibus ad animam; eo ferè modo, quo accidentia materiam vini paulatim ad acetum præparantia. Hinc etiam falsum est, quod utriusque formæ dispositiones non sint contrariæ: si enim altera postulet v. g. sex gradus frigoris, & duos tantum caloris; altera sex caloris, & duos tantum frigoris, contrarias utique dispositiones exposcent.

34 Ad 3.. Admitto sequentem, quæ nullatenus absurda est, quando dispositiones materiam jam aliter se habent, & perfectiorem formam requirunt. Sic ab eadem gallinâ & producitur forma ovi, & expellitur postea, dum pullus excluditur. Sic etiam in opere nutritionis eadem causæ, quæ introducunt in materiam alimenti formam chyli, hanc expellunt ut inducant formam

sanguinis, & hanc iterum ut animam introducant.

35 Arg. 4.: Os, & caro in homine substantialiter differunt; sed non ratione materiam, ut patet; nec ratione animæ, quæ est eadem utrobique: ergo ratione formæ corporeitatis heterogeneæ. Prob. Maj. ex diversitate accidentium sensibilium, quæ non minor est in carne, & osse, quam in auro, & argento; at in auro, & argento, & in cæteris compositis, ex diversâ collectione accidentium diversam radicem substantialem esse probamus: ergo pariter in carni, & osse, &c. Resp. Argumentum in primis non urget in cæteris viventibus præter hominem. Cum enim eorum anima sit divisibilis, poterit asseri constare partibus heterogeneis, ita ut pars carnea sit dissimilis ossi. Quod licet Mastrius hic *disp. 2. n. 74.* inconsiderate vocet *figmentum*, & *novum inventum a nemine* bucufque *formiatum*, in Animalicâ ostendemus quam sit probabile. Interim edisserat nobis Mastrius, aut si quis est ejus humore tinctus, quid absurditatis inveniatur in animâ equi constante partibus heterogeneis, quod non pariter inveniatur in formâ corporeitatis equinâ, quam ipse ponit heterogeneis partibus constantem, & nihilominus pertinentem ad essentiam unitatis equi, imò constituentem unam per se pro priori ad animam.

36 Deinde neque urget in homine. Instatur enim manifestè, & in diversitate operationum vitalium, quas exercet homo in capite



& in pedibus, in oculis & in auri-  
bus, &c.. Certè substantialis com-  
positorum diversitas non minus,  
imò magis colligitur, & probatur  
ex diversitate operationum, quàm  
ex alijs accidentibus. Si ergo valet  
argumentum, anima capitalis in  
homine diversa erit ab animâ pe-  
dum, anima ocularis ab auriculari,  
&c.: neque enim diversitas opera-  
tionum in hisce partibus tribui po-  
test formæ corporeitatis, tamquàm  
radici, sive principio; alioquin for-  
ma ista confunderetur cum animâ,  
utpotè vera radix operationum vi-  
talem. Quòd autem ipsi tribuatur  
tamquàm dispositioni, parum refert:  
tum quia in hoc sensu tribuitur  
etiam organizationi accidentali;  
tum quia Adversarij suo argumen-  
to probare volunt diversam radi-  
cem substantialem; & hæc fortius  
probatur ex operationibus. Instatur  
2. in ipsis partibus formæ corpo-  
reitatis; quarum collectio exigitur  
& radicatur ab animâ, & diversa est  
pro diversitate animarum; ideòque  
juxta Adversarios forma carnis por-  
cinæ v. g. diversa est à formâ carnis  
asiniæ. Stando igitur objectioni  
factæ, diversa erit in homine anima  
carnis ab animâ ovis, juxta diversi-  
tatem formæ corporeitatis.

37 Præterea resp. 1. neg. Maj..  
Ad prob. dist. Min.: quando diversa  
collectio accidentium cernitur in  
distinctis suppositis, conc.; quando  
cernitur in partibus ejusdem suppo-  
siti, subdist.: si aliunde constet, eas  
partes informari formâ divisibili,  
conc. vel transeat; si hoc non con-  
stet, neg. Min., & Consequ.. Certum

enim est, quòd forma indivisibilis,  
qualis est anima rationalis, potest  
exigere, & radicare (vel per modam  
efficientis, vel per modum finis) di-  
versas collectiones accidentium in  
distinctis partibus propriæ materiæ.  
Tum quia sic radicat diversas par-  
tes formæ corporeitatis, juxta Ad-  
versarios; quod magis est difficile.  
Tum quia, cum exigit exercere ope-  
rationes videndi, & audiendi v. g.,  
nequit non exigere accidentia, sine  
quibus nec videre, nec audire po-  
test; qualia sunt omnia, quibus præ-  
parantur in distinctis materiæ par-  
tibus organa visus, & auditus; pa-  
rum enim prodest forma corporei-  
tatis, si organis istis desit debita fi-  
gura, & temperamentum qualita-  
tum. Tum denique, quia anima ra-  
tionalis, sublata heterogeneitate ac-  
cidentium, vel enormiter læsa, sta-  
tim recedit à corpore, quamvis ni-  
hil pereat formæ corporeitatis. Idem  
ergo præstare potest sola anima ra-  
tionalis quoad radicationem vario-  
rum accidentium, quod præstaret  
per plures partes heterogeneas. for-  
ma divisibilis: unde & dici solet  
æquivalenter, aut eminenter hetero-  
genea, nempe quoad effectum istius-  
modi.

38 Resp. 2. conc. Maj. & Min.,  
neg. Conseq.: quia os, & caro in ho-  
mine substantialiter differre possunt  
ratione unionis ad animam, quæ  
unio divisibilis est, & juxta senten-  
tiam valde probabilem constat par-  
tibus heterogeneis. Cum enim ra-  
tionalis anima sit æquivalenter aut  
eminenter multiplex, & heteroge-  
nea, nec omnem vitam gradum exer-  
ceat

ceat in singulis materiæ partibus,  
sed in quibusdam, v. g. in ungui-  
bus, solum se ostendat vegetativam,  
in alijs sensitivam per tactum, in  
alijs visivam, in alijs imaginativam,  
&c.; valde congruum est, ut diver-  
sos unionis modos parciales exigat  
per materiæ partes distributos; sicut  
exigit diversa accidentia, vel diver-  
sas corporeitatis formas parciales.  
Dabitur ergo in carne & osse diver-  
sa radix substantialis: quia, licet  
unio non sit radix principalis acci-  
dentium, dici tamen potest radix  
minus præcipua, non activa, sed pu-  
re exactiv; reipsa enim est substan-  
tia quædam, cui debentur accid-  
entia organica subiecti, adeò ut sine  
illis naturaliter existere non possit.  
Hanc sententiam ex D. Thoma pro-  
bat P. Suar. lib. 1. de Anima cap. 2.:  
nec est cur ea displiceat Scotistis, ut  
qui animam uniri dicunt, non so-  
lum cum materiâ, sed etiam cum  
formâ corporeitatis, quæ diversa est  
in carne, & in osse: unio ergo ani-  
mæ cum carne habet extremum spe-  
cie diversum ab extremo unionis  
cum osse: ex diversitate autem ex-  
tremorum nequit non refundi diver-  
sitas in uniones ipsas.

39 Arg. 5.: mortuo homine,  
aut quovis alio viventi, aliqua for-  
ma substantialis materiam cadave-  
ris informat; sed non forma cada-  
verica, demò introducta: ergo for-  
ma corporeitatis, quæ jam antea  
fuerat in homine. Prob. Min. 1.: quia  
nullum est indicium novæ formæ,  
dum homo repente moritur; manent  
enim eadem ferè accidentia corpo-  
ris, quæ viventi inerant. 2.: quia

sæpe nulla datur causa novæ formæ  
productiva, v. g. dum homo subito  
jugulatur. Accedit, quòd introduc-  
tio novæ formæ requirit præviam  
alterationem successivam, ac proin-  
de nequit in momento fieri. 3.: quia  
formæ cadavericæ in humanis cor-  
poribus, nec possunt esse ejusdem  
speciei, nec diversæ. Non ejusdem:  
quia, cum tot sint causæ mortis, &  
tam variæ, passimque alius ferro in-  
tereat, alius laqueo, alius calore,  
alius frigore, &c.; quis credat, ab  
omnibus hæc causis produci formam  
ejusdem rationis? Non diversæ: quia,  
quacumque ex causâ homo intereat,  
eadem ferè accidentia radicari cer-  
nimus in cadavere. 4.: quia inordi-  
natum est, quòd mira humani cor-  
poris structura debeat formæ ca-  
davericæ; præsertim cum tot organa  
sint prorsus inutilia formæ, quæ nec  
videt in oculis, nec audit in auri-  
bus, nec cogitat in cerebro, &c. Et  
hæc Adversarij formam istam pro-  
bris insectantur, eamque vocant *fæ-  
tidam, horridam, &c.*

40 Confirm. ex Theologia:  
quia, si corpus Christi D. in triduo  
mortis formam cadavericam subijt,  
sequitur 1., quòd Christi corpus ve-  
rè fuit corruptum, contra testimo-  
nium Sacræ Paginæ, v. g. Act. 2.,  
*Neque caro ejus vidit corruptio-  
nem.* Nec obstat, quòd non putruerit.  
nam corruptio propriè talis, est  
transitus ad novam formam subs-  
tantialem; qui transitus, admissâ  
formâ cadavericâ, tam verè daretur  
in Christi corpore, quam si transij-  
set in vermes. Sequitur 2., quòd  
forma cadaverica in triduo assump-



ta fuit à Verbo, nè alioquin sacrum illud cadaver habuerit duplicem subsistentiam, alteram increatam, materiæ unitam, alteram creatam, formæ cadavericæ propriam. At ea forma dici nequit assumpta. Tum quia Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, juxta Theologicum axioma: illa autem forma dimissa fuisset in resurrectione Domini. Tum quia Verbum nullam assumpsit naturam irrationalem, quæ non sit pars humanitatis. Sequitur 3. contra SS. Patres, quod Christi corpus, utpotè novâ formâ constitutum, non fuit idem mortuum, ac vivum, nec idem fuit in sepulchro, quod fuerat in utero Virginis.

41 Resp. 1. Stando doctrine Scotistarum, neg. Maj. Cur enim, mortuo homine, non poterit materia (quæ utique propriam existentiam habet, juxta Scotistas) permanere sine formâ substantiali, donec paulatim disponatur ad formam veris, aut aliam? An, quia est subiectum substantialiter incompletum? At, etiam postquam habet formam corporeitatis, est subiectum incompletum substantialiter, ad novam substantialem formam ordinatum, illamque exigens, & expectans: & nihilominus potest existere naturaliter cum solâ formâ corporeitatis, ut dicitis. An, quia accidentia corporis mortui debent ab aliquâ forma radicari? At sæpe accidentia, quævis à nullâ formâ radicentur, durant aliquamdiu, donec à contrarijs paulatim expellantur, v. g. calor in ferro, vel in aquâ, postquam ab igne removetur, vel

etiam in cadavere macula extrinsecus impressa viventi: adde illud Horatij, *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu*: adde & formam ipsam corporeitatis, quæ licet in gratiam animæ producat, & ab eâ radiceatur, non statim perit abeunte animâ. Non est igitur, unde Scotistæ rejiciant existentiam materiæ sine formâ.

42 Resp. 2. neg. Min. Ad 1. prob.: in cadavere adest indicium novæ formæ, quod in alijs compositis communiter censetur sufficere. Nam imprimis adest expulsio formæ substantialis, nempe animæ: lex autem naturæ generalis est, ne unquam accidat corruptio unius sine generatione alterius: quam legem agnovit Aristoteles, nec æquum est in gratiam formæ corporeitatis abrogari. Deinde adsunt pecularia aliqua accidentia, ab intrinseco radicata, nimirum pallor, frigus, rigor, sive inflexibilitas, & quædam etiam sæditas, ac deformitas: quæ quidem ab intrinseco radicari, ex eo constat, quod cadaver, licet ab extrinseco agente calefiat v. g. postea sibi relictum, ac remoto contrario, frigus recuperat, vel citò adquiret, si à momento mortis non habuit: quæ experientia probari solet, frigus in aquâ ab intrinseco radicari.

43 Jam verò, si vel unum accidens novum adsit per modum proprietatis permanentis, quod ab intrinseco radicari constat, cum antea non radicaretur; necessario supponere debet novam radicem, ac proinde novam formam substantialem.

lem. Unde, licet non sufficiat qualiscumque mutatio accidentium; sufficit tamen mutatio aliqua notabilis, quæ sit permanens, & ab intrinseco inducta. Nec obstat, quod cadaver & corpus vivum conveniant in pluribus alijs accidentibus: nam etiam acetum cum vino precedenti convenit in quantitate, figurâ, pondere, colore, humiditate; & tamen, quia nova aliqua accidentia, v. g. saporem, & odorem, radicat permanentem, censetur novam habere formam substantialem. Certè non minor mutatio sensibilis apparet regulariter in cadavere, quàm in aceto.

44 Ad 2. prob.: Instrumenta mortis non producant formam cadaveris, sed causa illius exactiva, vel etiam instrumentaliter productiva, est temperamentum corporis organici destitutum debita proportionem ad retinendam animam; causa verò principalis est Causa prima, cui incumbit materiam dispositam completere, quando deest causa secunda proportionata. Recursus autem ad Causam primam pro influxu principali frequens est in simili, ut cum animalia generantur ex putri, & juxta plures, cum humanum corpus organizatur, & unitur animæ. Quod additur de alteratione successivâ, probat, animal non posse subito mori; quia corruptio prærequirit etiam alterationem. Adde, quod pulvis tormentarius ignem in momento concipit; & flamma candellæ exsufflatione subitâ extinguitur, succedente formâ vaporis, aut favillæ. Præviâ igitur alteratio, licet

fiat in momento morali, nunquam fit in momento physico, seu physice indivisibili; quia semper intervenit aliqua successio temporis, tamen si sensibus non percepta: quemadmodum nunquam percipimus materie punctum adeò exiguum, ut non sit physice divisibile.

45 Ad 3. prob.: idem dicimus de formâ cadavericâ, quod Adversarij de formâ corporeitatis: nimirum, constare partibus heterogeneis in unoquoque corpore, juxta diversitatem carnis, ossis, nervi, &c.; ac de cætero semper ejusdem rationis esse in cadaveribus animalium ejusdem speciei. Nec obstat varietas causarum mortis: quia hæc non producant formam cadaveris, sed tantum sunt causæ occasionales, seu removeutes prohibens; removeute enim debitam dispositionem ad animam, quâ remotâ, nihil prohibet introductionem formæ cadaveris, à propriâ ipsius causâ perendam. Sic forma carbonis, cineris, aut favillæ, ejusdem speciei est, sive ignis extinguatur aquâ, aut vino, aut lacte, aut terrâ, aut alio quovis.

46 Ubi notandum, quod ultima dispositio ad formam cadaveris consistit præcisè in accidentibus corporis organici prout destitutis debita proportionem ad retinendam animam, ita ut destitutio ista sit conditio ultimò determinans eam accidentia ad exigendum efficaciter formam cadavericam; quemadmodum remotio corporis opaci est conditio determinans luminosum ad ulterius spatium illustrandum. Sunt enim aliqua formæ à naturâ



institutæ, ut alijs determinati generis succedant, ut formæ carbonis, cineris, aceti, & cadaveris: & hæ non aliam ultimam dispositionem requirunt, quàm defectum debiti temperamenti, aut proportionis, ad formas præcedentes; quare, undecumque pereat ista proportio, statim introducuntur. Hinc, etiam dum homo nimio calore moritur, forma cadaveris inducitur: quia, licet frigus sit proprietas à cadavere exacta, ideòque postea radiceatur; non tamen necessariò prærequiritur ut ultima dispositio prævia. Sic acetum, licet suapte naturâ frigidum, sæpe ex vino per calorem corrupto generatur.

47 Ad 4. prob.: evidens infantia est in formâ corporeitatis, quæ certè non videt in oculis, nec audit in auribus, &c.: & tamen, etiam post mortem, radicat structuram corporis humani, juxta Adversarios, non certè in ordine ad animam, quæ jam naturaliter redire non potest. Itaque fatendum est omnibus, quòd organizatiò corporis humani (saltem quoad accidentia carnis, & ossium, & alia, quæ non consistunt in figurâ, seu certâ positione partium), quàmvis principaliter elaboretur propter animam, eique soli debeatur in statu perfecto, ac primario, in quo est proximè habilis ad functiones vitæ; nihilominus deberi potest formæ non vitali pro statu imperfecto, & secundario, in quo jam amisit debitam proportionem ad animam sine spe naturali recuperandi: jam enim organizatiò humana, prout sic accep-

ta, non amplius ordinatur ad operationes vitales, nec animæ subsistere potest. Quod attingit ad probra, cum nihil aliud sit forma cadaverica, quàm forma substantialis existens in cadavere, ipsi quoque formæ corporeitatis patroni tenentur eam appellare *formam cadavericam*, ac proinde *foetidam*, & *horridam*: imò, quia vetustior, consequenter cariosior erit, aut putridior.

48 Ad *Cosfirm.* Inprimis negari potest forma cadaveris in triduo mortis Domini: tum ex dictis ad hominem num. 41.: tum etiam, quia, licet opus fuerit miraculo, ut materia tunc extiterit sine formâ, erit unum ex millibus, quæ in vitâ & morte Christi Domini patrata sunt. Deinde communiter admittitur in eo triduo forma cadaveris. Nec inde sequitur, Christi corpus fuisse corruptum corruptione putrefactionis, quam solam negat Scriptura sacra, ut passim admonent Interpretes, tum ad *Psalumum* 15., tum ad *Act. cap. 2. v. 13.* Corruptio autem philosophica consistit formaliter, non in acquisitione novæ formæ, sed in separatione formæ præhabitæ, seu in desitione compositi præexistentis: ideòque verisimè corrupteretur lapis, si periret forma lapidea, quàmvis in ejus materia nulla alia forma succederet: & è converso, quàmvis nova forma subintraret, si non expelleretur præhabitæ, lapis maneret incorruptus. Cum ergo juxta Fidem verè mortuum fuerit Christi corpus, verèque ab eo separata fuerit anima rationalis, dubitari non potest, quin in eo

acciderit corruptio philosophica, quidquid sit de formâ cadaverica.

49 Ad 2. sequelam, tam assumptio, quàm non assumptio formæ cadaveris, defendi potest probabiliter; quæ de re videri potest Exim. Doctor tom. 2. in 3. p. disp 38 sect. 3. Communius tamen asseritur assumptio, & in resurrectione dimissio. Illud verò, *Quod semel assumptum, nunquam dimisit*, intelligitur de partibus humanitatis, vel de ijs, quæ Verbum assumpsit ex primariâ intentione, non verò de ijs, quæ assumpsit veluti secundariò, & transseunter, ad servandum ordinem rebus consentaneum tempore mortis. Quod etiam dictum esto de non assumptione naturæ irrationalis. Ad 3. sequel.: quàmvis Christi corpus, completè sumptum, non fuerit in sepulchro idem quoad formam, fuit tamen idem, sumptum (prout sumitur à Patribus) pro parte physicâ hominis; sic enim solum importat materiam & organizationem ex dictis n. 9., & utraque mansit eadem.

50 Arg. 6.: non repugnat forma substantialis alteri subordinata: ergo de facto admittenda est in viventibus ad constituendam corpus organicum, cum tot illi faveant argumenta. *Prob. Antec. 1.*: quia subsistentia, cum in positivo consistat juxta communem sententiam, est quædam forma substantialis, superveniens naturæ essentialiter constitutæ, & cum eâ constituens unum per se: ergo qualibet forma substantialis constitutiva naturæ, reipsâ subordinatur subsistentiæ tanquam ultimæ formæ substantiali. 2.: quia

in lineâ metaphysicâ dantur formæ subordinatæ, nempe differentiæ subalternæ, quæ respectu differentie ultimæ se habent instar materis, licet sint formæ respectu generis superioris: v. g. in homine differentie corporei, animati, sensibilis, quæ ultimò complentur per differentiam rationalis: ergo pariter in lineâ physicâ discurrere licebit. 3. paritate formarum accidentalium, quarum alia comparantur ad alias ut subiecta perfectibilia: quo modo se habent quantitas respectu qualitatum, & potentie animæ respectu actuum vitalium.

51 *Resp. neg. Antec.*: quia de conceptu formæ substantialis est ratio *actus primi*, & *primæ radice*, quæ ratio immediate tollitur per subordinationem, non minus quàm rationalitas hominis per ainitatem. Ad 1. prob.. Subsistentia, si in positivo statuatur (quod negant Scotistæ) non est substantia absoluta, sed modalis; atque adeò non est proprie ac simpliciter forma, sed appendix, & modificatio formæ. Adde, quòd subsistentiæ non tribuitur munus radice, quod est proprium formæ. Quare, sicut nemo dicit, in omni composito dari duplicem formam substantialem, quàmvis præter formam absolutam detur unio, quæ est modus substantialis, & quodammodo informat utrumque extremum: ita in subsistentiâ philosophandum. Si qui tamen sunt, qui velint subsistentiam esse formam absolutam, viderint ipsi, quid respondeant. Certè non hæc est sententia communis.

52 Ad 2. prob.. Si valet



exemplum lineę metaphysicę, nulum erit compositum, quod non constet pluribus formis subordinatis; sicut nullum est, cui non conveniant plures differentię subalternę. Omnis item forma subordinata, erit indifferens ad varias species ultimę formę; sicut omnis differentia subalterna indifferens est ad varias ultimas differentias. Disparitas igitur in eo est, quod forma metaphysica definitur per minus contrahendi rationem aliquam superiorem; & hoc minus præscindit ab eo, quod contractio sit ultima, vel non ultima. At forma physica definitur per conceptum *primę radicis*, vel *actus primi*, vel *præcipuę differentię physicę*; qui conceptus non coheret cum subordinatione prætensã. Ad 3.: eadem est disparitas; nullo enim ex capite pugnat subordinatio cum conceptu formę accidentalis.

53 Ad extremum advertere oportet, quod nomine *carnis* sæpe intelligitur totum corpus organicum, non utcumque, sed completum, id est, totum vivens, vel totus homo, vel totum cadaver. Dum autem sic accipitur, sive *caro* sive *corpus*, æquivoce dicitur de vivo & mortuo, juxta Aristotelem cap. seq. citandum; quia scilicet in morte mutat speciem substantialem. Hoc etiam sensu datur in tali corpore, non solum accidentalis, sed etiam substantialis organizatio, id est, heterogeneitas substantialis, cui debentur accidentia organica: datur, inquam, vel ratione diversarum partium formę divisibilis, vel saltem ratione unionis ex num. 38.

Quodsi velis, ut nec forma, nec unio, sit formaliter heterogenea, tunc non est concedenda in corpore completo organizatio substantialis, nisi cum addito *radicaliter*, aut *virtualiter*, quatenus anima radicat in accidentibus (sicut in formã corporeitatis juxta Adversarios) heterogeneitatem, licet illam formaliter non habeat in substantiã suã. Si tamen *caro*, vel *corpus organicum*, sumatur incomplete pro parte physica compositi, sic univocè dicitur de corpore vivo & mortuo, quamdiu manet eadem materia cum eadem organizatione accidentali: nec in hoc sensu admittenda in eo est substantialis organizatio, vel heterogeneitas radicalis, ut notavimus n. 12.

54 *Dices*: ergo caro agni recens occisi non erit substantialiter caro agni: ergo, cum aliunde non sit alterius animalis, licebit eam edere die veneris, sicut piscem, aut pomum. *Prob. 1. Consequ.*: quia nec forma cadaverica est aliquid agnię substantię, nec materia ex se substantialiter determinata est, ut sit agni potius, quam pomi. *Dist. 1. consequ.*: substantialiter, id est, cum determinatione substantiali, *caro*; substantialiter, id est, quoad substantiam, iisdem accidentibus affectam, *neg. 1. & 2. consequ.*: eadem quippe manet, & sub iisdem accidentibus, materia prima, quę erat tota substantia carnis agnię, prout condistinctę ab animã. Nec præceptum abstinentię præscindit ab accidentibus, sed ea sine dubio respicit, cum ab eis proveniat sapor, &

facilitas nutritionis. Unde, si in cadavere agni loco formę corporeitatis poneretur forma piscis sub iisdem carnis accidentibus, adhuc censeretur & esset caro prohibita. Adde, quod nomine *agnię carnis* prohibite non significatur substantia quę tota fuerit agni, sed substantia, quę immediate succedit animę agni sustinendo eadem accidentia. Unde comprehenditur etiam forma cadaveris, quę in hoc sensu est substantialiter caro agni.

## CAP. II.

ARGUMENTA CONTRA  
Formam corporeitatis.

1 **A**RG. 1.: forma corporeitatis nullo ex capite necessaria est: ergo rejicienda; quia *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, ut omnibus in confesso est. *Antecedens* probatum manet cap. super.: & nunc, breviter colligendo quę sparsa dedimus, *probatur* iterum. Inprimis forma corporeitatis non est necessaria, ut constituat hominem in esse corporis de Prædicamento substantię. *Prob.*: ad hoc sufficit anima rationalis. Tum quia corpus prædicamentale nihil est aliud, quam substantia completa naturaliter connexa cum quantitate: at anima rationalis, & hominem constituit substantiam completam, & illum reddit ita connexum cum quantitate, ut sine istã nequeat homo naturaliter existere, nec constitui per animam.

2 Tum quia anima consti-

tuit hominem in esse substantię, in esse viventis, in esse animalis, in esse hominis: ergo & in esse corporis. Patet *Consequ.*: quia, cum gradus corporis collocetur inter gradum substantię, & gradum viventis, mirum esset, quod forma physica, dum tribuit composito gradus prædicamentales, veluti saltu quodam transiret à gradu substantię ad gradum viventis, quin attingeret gradum intermedium. Nec solum mirum esset, sed contra rationem: quia gradus substantię nequit descendere ad gradum viventis, nisi medio gradu corporis; sicut gradus viventis ad gradum hominis descendere non potest, nisi medio gradu animalis: alias quem fructum feret Arbor prædicamentalis, ab omnibus plantata? vel quomodo non dabitur distinctio realis inter gradus metaphysicos, si gradus viventis & substantię constituuntur per aliquid, per quod non constituitur realiter gradus corporis? Implicat ergo forma physica, tribuens composito gradus prædicamentales, supremum, & infimum, quin tribuat omnes intermedios.

3 Deinde nec est necessaria forma corporeitatis ad constitutum in viventibus corpus organicum. Quia corpus hujusmodi, si consideretur ut substantialiter aut radicaliter organizatum, nihil est aliud, quam materia cum formã radicante accidentia heterogenea, ad vitę functiones necessaria: at accidentia ista radicat anima prout unita materia: ergo non opus est aliã formã corporeitatis. *Prob. Min.*: omnis forma substantialis radicat & exiget



in materiâ dispositiones & accidentia, quibus indiget ad operandum: sed anima indiget accidentibus illis heterogeneis ad operationes vegetandi, & sentiendi: illa igitur omnia radicat, & exigit in materiâ. Minor cum Consequentia constat, & Major est etiam perspicua: nam, cum omnis forma exigit operari, nequit non exigere instrumenta, sine quibus operari non potest. Profecro, si forma ignis per se immediate radicat propria accidentia caloris, & siccitatis, cur non radicat anima accidentia organica, quibus non minus indiget ad operandum, & existendum connaturaliter in subiecto?

4 Si dicas, animam hominis, quia spiritualis est, non posse immediate radicare accidentia materialia. *Contra 1.*: quia forma corporeitatis omnino materialis est; & tamen per te immediate exigitur, & radicitur ab anima spirituali. *Contra 2.*: quia, si ab anima spirituali immediate oriri possent operationes materiales sensuum, cur non & immediate radicare accidentia materialia? *Contra 3.*: quia vitalis calor, quamvis omnino materialis, immediate radicitur ab anima citra dubium: si enim à formâ corporeitatis radicaretur, permaneret diutius in cadavere, sicut permanent accidentia carnis, & ossis.

5 *Dices*: cur ergo anima cæci non recuperat visum, sicut aqua recuperat amissum frigus? Quæro invicem, cur anima cæci non recuperat formam corporeitatis ocularem, cujus est radix? Cur item for-

ma ipsa corporeitatis, quæ integra manet in oculis obcæcatis nubeculâ, vel obstructione nervi optici, non tunc restituit temperaturam debitam, cujus per te radix est immediata? Omnibus ergo revocandum id est, vel in tenacitatem humoris contrarij, vel in subtilitatem organizationis ocularis, quæ, semel amissa, nequit reparari naturaliter.

6 *Dices iterum*: ergo anima rationalis radicat gravitatem humani corporis. *Resp.*: radicat, non sibi, sed corpori, seu toti composito; sicut eidem radicat, aut exigit quantitatem. Quid tum? sequitur, inquis, animam sæpe causare mortem hominis; quia causabit, mediate saltem, motum deorsum, quo sæpe resultat mors hominis ex alto ruentis. Sed quæro abs te, quomodo gravitatem radicat forma corporeitatis, cui non minus, quam animæ, repugnat causare mortem hominis? Causelitas ergo istius motus & mortis, non solum est valde remota, sed etiam per accidens, & præter intentionem: non enim eo sine radicat anima gravitatem, sed eam potius retrahere conatur à tali motu, quem invita patitur, dum impedire nequit posito lapsu.

7 Ex his facile colliges, nec esse necessariam formam corporeitatis, animæ subordinatam, ad constituendum corpus organicum embryonis, & cadaveris. Nam forma ista erit otiosa toto vitæ tempore, siquidem sola anima tunc sufficit ad munus radicans accidentia organica: ergo superflue ponitur simul cum anima: ergo, si præcedit

in embryone, per animam expellitur; & si existit in cadavere, tempore mortis introducit: quod si ita contingit, non jam erit illa forma subordinata, quæ de loquimur. Adde, quod inter embryonem, & cadaver, major est diversitas accidentium sensibilibus, quam inter carnem, & nervum: si ergo propterea non est eadem forma carnis, & nervi, ut vultis, cur eadem erit embryonis, & cadaveris? Huc etiam facit, quod supra notavimus, non minorem cerni mutationem accidentium, dum corpus vivum transit in cadaver, quam dum vinum transit in acetum: cur ergo non utrobique dabitur introductio novæ formæ?

8 Denique, nec est necessaria forma corporeitatis, ut detur in homine substantialis diversitas inter carnem, & ossa. Nam hæc diversitas magis inferenda esset ex diversitate operationum, quam ex diversitate aliorum accidentium: si ergo diversitas, quam cernimus inter operationes capitis & pedum, vel oculorum & aurium, non probat in homine substantiam diversam formaliter, sed tantum æquivalenter, aut virtualiter, unam scilicet formam, quæ virtute æquivalet multis diversis; cur non idem dicatur de diversitate carnis, & ossium, in homine existentium? Si quæras, undenam proveniat, quod accidentia carnis determinate applicentur materiæ parti A, & accidentia ossis parti B, non è converso? Dicam, indidem provenire, unde per te provenit determinata distributio formarum

corporeitatis, carnez, & ossæ; nampe, vel à causâ primâ, vel à virtute feminali, vel ab alio quovis.

9 *Arg. 2.*: omnis forma substantialis est actus primus materiæ, non quidem primus in executione, nam hoc potius quantitati convenit, sed primus in nobilitate, & intentione, quatenus est actus præcipuus, & primarius, cujus gratiâ existunt in composito cæteri omnes: at hoc non convenit formæ corporeitatis, quæ in composito existit in gratiam alterius, & tamquam dispositio ad nobiliorem aliam: ergo talis forma non est substantialis. *Major* (nam cætera constant) probatur ex omnium sensu Peripateticorum; qui discrimen inter actus substantiales, & accidentales, in eo collocant, quod actus substantialis sit primarius, & propter se intentus; accidentalis vero, sit secundarius, & intentus propter alium. Quod discrimen ipsimet Scottistæ approbant cum Scoto, ut videre est apud Mastrium *disp. 2. Physic. num. 24.*, qui post alia concludit in hæc verba: *Unde ratio præcisa, cur forma substantialis est substantia, unum per se constituit cum materia, & differt ab accidentali, est, quia ipsa est actus primarius materiæ, accidens verò secundarius.*

10 *Urgetur 1.*: forma substantialis est prima radix proprietatum, & operationum componentium; nam inde probant omnes formam substantialem Peripateticam, quod in compositis assignari debet aliqua prima, & specifica radix accidentium: sed forma, quæ existit propter



ter aliam, in qua radicatur, non est prima radix in composito, ut ex terminis patet; sicut non est subiectum primum, quod in alio subiecto recipitur: ergo &c.. *Urgetur 2.*: de conceptu formæ substantialis est, quod sit præcipua compositi differentia physica, seu character specificus, quo discernatur unumquodque compositum ab alijs specie diversis: & hoc sensu dicitur ab Aristotele *Ratio essentia*, seu *quidditatis*, ut omnes explicant, & approbant. At hoc minimè quadrat in formam corporeitatis: nam in homine v.g., non formæ ista, sed anima rationalis, est præcipua differentia physica, character specificus, & ratio quidditatis.

*II Urgetur 3.*: ejusmodi forma nullo ex capite discernitur ab accidentali: ergo non est substantialis. *Prob. Antec.*: non discernitur inprimis eo quod sit actus materiæ physicae, & in executione primus; nam hoc æquè, vel magis convenit dispositionibus accidentalibus ad animam. Non deinde ex eo, quod sit radix plurium accidentium; nam etiam quatuor primæ qualitates, in Mixtis temperatæ, radicannt plures qualitates secundas. Non denique ex eo, quod constituat unum per se cum materiâ; nam hoc ipsam querimus, cur constituit unum per se, & non unum per accidens? siquidem non est actus primarius, & aliunde, teste Mastroio, *ratio præcisa, cur forma substantialis unum per se constituit cum materia, est, quia ipsa est actus primarius.*

*12 Urgetur ultimò: si forma*

corporeitatis est substantialis, anima erit forma accidentalis. *Prob.*: anima adveniet materiæ prout jam informatæ per actum physicum substantialem: ergo adveniet materiæ completæ, sive enti in actu simpliciter, utpote jam constituto in specie physica substantiali. At forma adveniens enti completo, sive enti in actu simpliciter de linea physica, est accidentalis, ut passim Peripatetici docent ad mentem Aristotelis, perpetuò dicentis, unum per se non fieri, nisi cum forma advenit enti in potentiâ.

*13 Dicit Mastroius hic disp. 2. n. 79.*, materiam cum solâ formâ corporeitatis (quo modo est in cadavere) solùm esse ens in actu incompleto, sive esse duntaxat *individuum incompletum in specie incompleta mixti*. Sed inprimis hoc est ponere contra communem sensum formam substantialem, quæ non sit complementum substantiale materiæ. Deinde, quis credat, lignum (quod est cadaver arboris, postquam animam vegetativam penitus amisit) esse individuum minùs completum, quàm papyrus? Vel quomodò poterit ens in actu incompleto, sive individuum incompletum speciei incompletæ, in hoc statu durare naturaliter per integra sæcula, sicuti durant ligna cedrina?

*14 Arg. 3.*: forma corporeitatis est contra doctrinam Aristotelis: ergo rejici debet à Scotistis, qui se Peripateticos esse fatentur. *Prob. Antec. 1.*: quia Aristoteles docet, numquam dari generationem sine corruptione, nec è con-

ver-

verso corruptionem sine generatione: id quod sæpe inculcat *1. de Gener. v. g. tex. 17., 18., 20.*, ubi sic loquitur: *In substantijs semper unius generatio, alterius est corruptio; & unius corruptio, generatio alterius.* At, admissâ formâ corporeitatis, in morte viventium passim datur corruptio sine generatione; & in eorundem conceptu generatio sine corruptione formæ præcedentis. Nec dicas, Aristoteli sermonem esse de generatione, & corruptione integrâ, non de dimidiatâ, qualis accidit in conceptu, & morte viventium. Nam hæc distinctio integræ, & dimidiatæ corruptionis, aut generationis, contra Aristotelem est, qui nusquam illius meminit, cum tamen esset notatu dignissima, & scientiæ Physicæ plurimum interesset.

*15 2.*: quia idem Philosophus in hoc *1. Physic.* duo tantum principia, seu duas tantum partes generatim statuit pro corpore in factò esse. At, si daretur forma corporeitatis, debuisset excipere corpora viventia; quam tamen exceptionem nullibi facit. *3.*: quia idem ipse *2. de Gener. Animal. cap. 1.*, *Non est, inquit, facies, nisi animam habeat, neque caro; sed corrupta equivocè dicitur facies, aut caro, perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit.* At, positâ formâ corporeitatis, humana caro v. g., prout formam substantialem importans, ejusdem est speciei infimæ substantialis, & prorsus univocæ, sive animam habeat, sive non.

*16 4.*, ut alia omittam, *eod. 7.*

*Metaph. text. 39.* explicans Philosophus quidditatem physicam animalis, *Manifestum*, inquit, *est, quod anima quidem substantia prima, corpus verò materia; homo verò, vel animal, quod ex ambobus.* En, ut nomine *corporis*, prout ab animâ distincti, solam intelligit materiam. Nec dicas, *materia* nomine non hic significari materiam primam, sed secundam, constitutam scilicet per aliam formam, quæ ad animam comparatur ut materia. Nam Aristot. *eod. lib. 7. text. 35.* nullam substantialem formam, præter animam, agnoscit in corpore organico: *Anima*, inquit, *est species, & quodquid erat esse tali corpori.*

### CAP. III.

#### QUÆDAM ALIA SENTENTIA circa Formas subordinatas expenditur.

*I P* At. Joannes Ulloa *disp. 1. Physic. Speculat. à n. 149. ad 161.* agnoscit in plerisque mixtis, vel in omnibus, quæ nobis nota sunt, sed præcipuè in viventibus, plures formas substantiales uni principali subordinatas: non ita, ut gerant munus subiecti respectu principalis; sed ita, ut sint veluti conditio, & præparatio prævia, ut forma principalis eadem materiam connaturaliter informet, & in eâ operetur: nec rursus ita, ut formæ subordinatæ constituent essentialiter illud compositum, quod à principali constituitur; sed ita, ut sint tantum partes

dd

in-



integrales illius. Ex. gr. Homo, præter animam rationalem, quæ est ejus forma principalis, & specifica, includit formas substantiales carnis, ossis, nervi, &c.: quæ formæ licet pertineant ad integritatem hominis, non illum constituunt essentialiter; quia essentia hominis salvatur in solis materiâ & animâ unitis: nec item sunt animæ subjectum; sed tantum præquiruntur in materiâ, ut hæc possit connaturaliter ab animâ informari.

2 Hanc sententiam, quod attinet ad viventia, probat ipsdem ferè argumentis, quæ supra expendimus pro formâ corporeitatis Scotticæ; solumque differt à Scotticis in eo, quod non vult, formam carnis, ossis, &c., esse subjectum animæ, nec partem essentialem viventis, sed integrali dumtaxat. Generaliter autem, pro compositis etiam inanimatis, probat ex analysi, seu resolutione mixtorum, quæ per alembicum, & alia chymicæ artis instrumenta fieri solet. Videmus enim, ex ligno v. g. chymicè resolutio passim erui fumum, salem, oleum, liquorem aqueum, cinerem, & alia: quorum omnium formæ substantiales non tunc denudè producuntur; quia nec ignis ulla ratione probatur earum productivus, nec in promptu est alia causa idonea: recurrit autem ad causam primam solum habet locum, dum præcedit materia disposita: at quamvis causa erit materiam tunc disponens ad tot, ac tam diversas formas?

3 Illæ igitur formæ præexistebant in ligno simul cum ejus tor-

mâ principali, nempe lignæ, quæ præquirebat ex parte subjecti omnia illa entia naturalia, quodam succo viscoso in unam massam conglutinata: & quia massa istiusmodi per actionem ignis dissoluta est, idcirco perijt forma ligni, manentibus seorsum illis corporibus cum suis dumtaxat formis. Non aliter, ac materia domi, cui superinducitur forma artificialis, est congeries multorum entium naturalium, puta terram, lateres, lapides, ligna, clavos, &c.; dum que congeries ista dissolvitur, perit artificialis forma domus, ijs omnibus entibus in esse cujusque proprio permanentibus.

4 Contra hanc sententiam sibi objicit 1., quod forma animalis sufficit ad actuandam materiam & constituendum compositum substantiale: ergo ceteræ formæ superfluunt. 2., quod, si anima supponit alias formas substantiales, supponit materiam jam actuatam, & completam: ergo anima erit forma accidentalis, cum adveniat enti in actu. 3., quod anima non erit actus primus, nec prima radix proprietatum animalis, cum supponat alium actum primum, aliam que radicem, que non solum radicat accidentia carnis v. g., sed etiam ipsam animam, siquidem ad animam præsupponitur, & cum ipsa connectitur. 4., quod illæ formæ subordinatæ forent dispositiones ad animam, & propter animam intentæ: ergo non forent substantiales; quia de conceptu substantiæ est intendi propter se, & non propter aliud. 5., quod forma carnis v. g. relin-

queret materiam ulteriùs actuandam substantialiter: ergo non foret complementum substantiale materiæ. 6., quod nullum totum adæquatum, ordinatur suapte naturâ ad componendum aliud totum cum aliâ formâ superadditâ; est enim hoc ex terminis contra rationem adæquati, & pleni; at totum resultans ex materiâ & formâ carnis, est adæquatum, & completum substantialiter, cum possit, juxta hanc sententiam, existere sine formâ animalis: ergo &c.

5 Respondet autem ad 1. dist. Antec.: sufficit ad actuandum materiam actuazione viventis sensibilis, & ad constituendum compositum, quod sit vivens sensibile, conc.; sufficit ad actuandum actuazione carnis, ossis, &c., neg. Antec., & Consequ.: nam, cum actuatio carnis, & ossis, eadem maneat abeunte animâ, sequitur, quod non provenit ab animâ præsentem, ac proinde quod ad illam non sufficit anima. Ad 2. similiter dist. Antec.: supponit materiam jam actuatam, & completam, actuazione & completionem carnis, ossis, &c., conc.; actuazione & completionem viventis, neg. Antec., & Consequ.. Ratio verò adjuncta, quod forma adveniens enti in actu, est accidentalis, solum vera est, quando forma supervenit ad constituendum compositum, in quo includatur illud ens in actu per modum subjecti; secus autem, quando supervenit ad constituendum compositum diversæ rationis, respectu cujus illud ens in actu, quatenus tale, idest, secundam formam,

non est subjectum, sed pars integralis.

6 Ad 3. neg. Sequel.: quia, licet ex carne & animâ resulter unum compositum unitate integrali; sunt tamen ibi duo composita essentialiter sumpta, alterum caro, alterum vivens, aut animal, quæ solum inadæquate identificantur, nempe quoad materiam: & in unoquoque composito sic sumpto, non est nisi unica forma substantialis, quæ proinde ibi sola regnat tamquam actus primus, & prima radix proprietatum, & operationum illius essentia compositæ. Sic, si Deus conjungeret in eadem materiâ duas formas disparatas, v. g. lapidis, & auri, duo composita inadæquate distincta resultarent, & in unoquoque sua ipsius forma foret actus primus, & prima radix. Hoc solum est discrimen, quod in casu nostro forma carnis esset pars integralis compositi ex animâ constituti: verum id non tollit distinctionem essentialem utriusque compositi. Nec forma carnis dici potest radix animæ: quia non connectitur cum animâ titulo fecunditatis, sed titulo cujusdam indigentia, quemadmodum accidentalis dispositio materiæ: & præterea manet extra essentiam compositi ex animâ resultantis.

7 Ad 4.: illæ formæ non forent dispositiones pure tales, sed simul intentæ propter se intra compositum, quod essentialiter constituunt, & quod vocatur caro, vel os, &c.; non enim intra illius essentiam datur aliquid, propter quod intendatur. Quod autem ejusmodi



compositum rursus ordinetur ad integritatem alterius, non est absurdum, aut contra conceptum substantiæ, ut cernitur in pede, vel caudâ lacertæ v. g. *ad 5. dist. Antec.*: ulterius actuandam in ordine ad hoc compositum *animal, conc.*; in ordine ad hoc compositum *caro, neg. Antec.*: & *dist. Consequ.*: non foret complementum substantiale in omni lineâ, sive in ordine ad quodvis compositum, *conc.*; in ordine ad aliquod, *neg. Consequ.*

8. *Ad 6.*: contra rationem *adaquatam*, & *pleni*, solum est, quod ordinetur ad componendum aliud totum ejusdem specificæ rationis, in quâ plenum, & adæquatum est: secus verò, si totum, ad quod ordinatur, sit alterius rationis specificæ. Denique, si objiciatur, quod, juxta Aristot., generatio unius est corruptio alterius, & è converso: responder, hoc intelligendum esse de generatione & corruptione versante inter formas oppositas, aut disparatas. Hæc ferè pro suâ sententiâ P. Ullor; quæ, licet summam relata, nonnihil à me explicata sunt.

9. Addi verò potest, quod in animantibus datur series plurium formarum subordinatarum: non solum enim forma carnis v. g. subordinatur animæ, sed etiam ipsi formæ carnis subordinantur aliæ formæ: nam caro chymicè resoluta definit in corpora heterogenea multo plura, quam quæ ex alijs mixtis supersunt. Imò, cum ipsa corpora per primam analysim extracta è mixto quolibet, v. g. sal, & oleum,

possint ulterius resolvi in alias portiones heterogeneas, ut experiuntur moderni Chymici; sequitur, in quovis mixto sensibili plures involvi formas, alias alijs gradatim subordinatas; quin possit sciri, vel designari à nobis (licet possit ab Angelo), quenam sit prima forma, quæ nudam materiam actuat. Nec tamen ex hac sententiâ necessario sequitur, formas elementorum manere formaliter in mixtis: nam corpora per analysim chymicam extracta, multum distant à quatuor elementis, licet cum istis quædam illorum analogiam habeant. Utinam sequitur, id non repugnare ex capite subordinationis. An autem aliunde repugnet, discutiamus alibi.

10. In ejusdem sententiæ confirmationem addo exemplum sanguinis, quem sicut & alios humani corporis humores, non animari, tenet doctrina communior. Sanguis enim, licet sit in se compositum substantiale, suâ formâ prædictam distinctâ ab animâ, tamen pertinet ad integritatem hominis, estque vera pars integralis humani compositi: sanguinis item forma vere est dispositio ad animam, illi subservit, & cum illâ mutuo connectitur, ita ut neutra possit sine alterâ in materiâ suâ diu conservari: nec tamen ideò forma sanguinis definit esse substantialis, nec amittit prerogativas *actus primi*, *primæ radialis*, & *intenta propter se*, scilicet relatè ad suum compositum, quod essentialiter constituit, & appellatur *sanguis*.

11. Quare in hac sanguinis formâ instari possunt, & explicari, præ-

præcipue difficultates contra formam carnis supra objectæ. Imò facilius videtur, quod forma conveniens cum animâ in eodem subjecto, sit integralis pars hominis, quam forma existens in aliâ materiâ. *Dices*: materia non potest naturaliter recipere simul duo complementa substantialia, licet sint diversæ speciei. *Dist.*: si complementa ipsa inter se pugnent ratione proprietatum, aut operationum, *conc.*; si non ita pugnent, sed potius se mutuo juvent, *neg.* Materia ex se non appetit efficaciter, nisi unam formam, ideòque cum quâlibet potest diu existere sine miraculo, aut violentiâ: at capacitatem naturalem (quæ non convertitur cum indigentia, nec cum appetitu efficaci) habet ad multas simul, dummodò ipsæ inter se se amicum fædas inire possint.

12. Sententia ista, sic explicata, & confirmata, vitat in primis potissimam difficultatem formæ corporeitatis Scoticæ, desumptam ex proprio conceptu formæ substantialis: nam formam subordinatam sic admittit, ut constituat compositum essentialiter aliud à viventi. Deinde, non minus, quam Scotica, commoda est ad quæstiones Theologicas de corpore Christi Domini, tum in Eucharistiâ, tum in triduo mortis: Denique in re physica satisfacit sensibus, & experientia, tum in viventibus, tum in cæteris mixtis. Quare, licet metaphysicè demonstrari nequeat, videri poterit physicè probabilior. Exaromat etiam Corpusculares Physicos, qui passim furnulis chymicis ar-

mantur, solentque Peripateticam doctrinam carpere, quod tota metaphysicis speculationibus innixa, negligat experientiam, quæ mater est Philosophiæ naturalis.

13. Et reversâ parùm videtur credibile, quod in cadaveribus viventium, & in analysi chymicâ, tor formæ repente novæ producantur, nullâ apparente causâ. Certè communis hominum apprehensio esse videtur, quod ibi deficit quidem aliquid; nihil tamen novi substituitur; sed ea tantum remanent, quæ per uncti composito incrant. Ideò in uvâ passâ, in rosâ siccâ, in ligno cedrinò, nemò concipit novam substantiam, sed amissam tantum vim vegetandi: & odor ipse rosaceus, aut cedrinus, diutissime perseverans, satis alienus est à formâ cadaveris. Ideò etiam pro diversitate mixtorum, quæ resolvuntur, diversi sales, diversum oleum, diversi spiritus expectantur; quia inibi delitescere creduntur. Si dicas, delitescere quidem, at non in materiâ, quam forma mixti informabat, sed tamquam corpuscula adventitia per poros introducta, vel ut summum tamquam partes integrantes cum diversâ materiâ, instar sanguinis in homine. Contra: Quid sit de materiâ propriâ mixti in analysi chymicâ? Quo abiit? Quam novam formam induit?

14. Ne tamen quid dissimulem, nonnullas, quæ mihi occurrunt, difficultates proponam. *Prima* sit: quod humana caro v. g. non animabitur (contra sensum omnium); tum quia secundum formam



non informatur per animam: tum quia est compositum essentialiter diversum ad animato. Sic, si Deus in eadem materiâ conjungeret animam cum formâ lapidis, hoc compositum *lapis* non animaretur. At, si caro non animatur, quomodo vegetat, & crescit per intus summptionem? *Secunda* sit: quod, si formæ carnis, ovis, &c., sunt partes hominis purè integrantes, corpus organicum substantialiter summptum non erit de essentiâ hominis: quomodo ergo verificabitur illud ex Symbolo Athanasij *Anima rationalis & caro unus est homo?* quomodo in Scripturâ sumitur *caro* per synecdochem pro toto homine, ut cum Verbum dicitur *caro* factum? quomodo homo physicè definitur per corpus & animam? vel anima inia per ordinem ad corpus organicum?

15 *Tertia* sit: quod anima verè radicatur in subjecto proprio accidentia organica carnis, ovis, oculorum, aurium, &c., ut ostendimus cap. præcedenti: si ergo eadem accidentia radicantur ab alijs formis substantialibus, simul habebunt duas, aut plures, primas radices adequatas; atque adeò idem effectus proveniet simul à duplici causâ totali; quod naturaliter repugnat.

*Quarta* sit: quod argumentum desumptum ex analysi chymicâ, locum etiam habet in elementis, prout sunt apud nos: nam etiam ex terrâ, vel aquâ, extrahuntur per alembicum multa corpora heterogenea. Id quod fatetur Ulloa disp. cit. n. 148. & 149., solum

admittens unicam formam substantialem in elementis puris, qualis negat esse sub Lunâ.

16 Hinc autem sic arguor: forma salis v. g., ex aquâ extracti, non est subordinata formæ aquæ: ergo non existit in materiâ aquæ, sed in aliâ distinctâ, licet permixtâ: ergo idem dicendum de sale extracto è ligno, vel alio mixto. *Prob. Antec.*: forma salis est forma mixti; non enim sal est elementum, ut patet: sed forma mixti nequit subordinari formæ aquæ: ergo &c. *Prob. Min.*: forma aquæ, etiam prout est apud nos, est forma elementaris: quâvis enim aqua non sit apud nos elementum purum, nemo tamen negat, quod in eâ prævaleat, ac prædominetur elementaris forma: atqui omnis forma mixti censetur nobilior formâ elementari, cum requirat plurium temperamentis qualitatibus, & ab omnibus elementis quasi tributum propriæ qualitatis exigat: ergo nequit elementari formæ subordinari. Et verò, si subordinatio admittitur, potius concedenda videtur elementis respectu mixtorum, quàm è converso: quia ordo ipse naturæ ab elementis incipit, ut inde progreditur ad mixtas: ut patet in primâ formatione Mundi.

17 *Quinta* sit: quod experimentis chymicis (argumentis de corpore viventium satisfactum est cap. 1.) satisfieri potest, quin ponantur plures formæ in eadem materiâ, vel novæ productiones sine causâ: si nimirum dicatur, quod corpora heterogenea, per analysim

sim chymicam extracta, partim spectabant ad integritatem naturalem mixti eo modo, quo sanguis, & alij humores spectant ad integritatem hominis, quâvis habeant materiam distinctam; partim erant adventitia corpuscula per poros insensibiliter inducta, quæ dissoluto mixto coadunantur, & sensu percipiuntur. Dum autem quarritur, quod ab ita materia propria mixti? vel, quam formam induit? *Resp.*, illam, separatis omnibus corporibus integrantibus, & adventitijs, portionem esse exiguam, & abire in fumum, aut exhalationem; cuius nova forma facile produci poterit à subjecto igne, adjuto corporibus alijs heterogeneis, quæ semper cum igne vulgari permixta sunt.

18 Nihilominus difficultates istæ solvi possunt utcumque. *Ad 1.*: ut caro absolute dicatur animari, sufficit, quod animetur *formaliter* quoad subjectum (eadem quippe materia carnis informatur per animam), & *effectivè* quoad formam: nam forma carnis crescit per nutritionem, non virtute propriâ, sed virtute animæ in eadem materiâ receptæ, quæ nequit materiam sibi augere, quin simul augeat dispositiones à se prærequisitas, atque adeò quin simul augeat formam carnis, sicut auget organizationem accidentalem. Quare ad formam carnis verè extenditur effectus animationis; ac proinde dici poterit *effectivè* animata. Nec alio modo animatur caro quoad formam in sententiâ eorum, qui

corpus organicum constituunt per solam materiam cum organizatione accidentali. Non ita extendetur animationis effectus ad formam lapidis in hypothese objectâ: & idcirco lapis nullo sensu animaretur.

19 *Ad 2.*: instantia est in sententiâ constituentium corpus organicum per materiam & accidentia; sic enim corpus organicum ut tale, seu quoad formam, certè non intrat essentialitatem hominis. Item in sententiâ valde receptâ dicentium, solam materiam primigeniam, seu primitivè animatam, esse essentialitatem homini: nam particula cerebri, quæ primitivè animari creditur, non est caro, nec corpus organicum, ut communiter sumitur. Itaque corpus organicum quoad materiam est essentialis pars hominis; quoad formam verò est pars integralis, non solius pedis, aut manus, sed totius hominis: & hoc sufficit, ut absolute ac simpliciter dicatur pars hominis, & ut caro per synecdochem sumatur pro toto homine: non enim communis usus loquendi secernit partes essentialitatis ab integrantibus. Sic, licet sanguis non animetur, nec sit pars essentialis, sumitur interdum in Scripturâ sacrâ pro toto homine, ut observat P. Suar. tom. 1. in 3. p. dist. 15. f. 6. Dum autem in definitione hominis nominatur *corpus*, vel ponitur per metonymiam continens pro contento, scilicet pro materiâ; vel ponitur forma corporis, non ut pars essentialitatis, sed ut connotatum, seu terminus ex gen-



tiæ naturalis; quo etiam modo ponitur in definitione animæ.

20 *Ad 3.*; vel dicatur, illa accidentia radicari ab animâ in genere causæ finalis, & ab alijs formis in genere efficientis: vel ab alijs formis radicari immediate, ab animâ verò solùm mediatè, quatenus anima radicat formas subordinatas: vel dicatur potius, radicatio nem istam, saltem ex parte animæ, non esse per influxum physicum, sed per meram exigentiam naturalem; & quando eadem accidentia describunt duplici composito, seu duplici formæ, quin altera alteram impediatur, non esse inconueniens, quòd debeantur simul duplici exigentiæ, seu duplici exactivo adæquato.

21 *Ad 4.* (ut omittam, quòd doctrina de quatuor Elementis vulgaribus per ordinem ad Mixta, prout communiter traditur, multà forsam indiget correctione) dici potest, Elementa, etiam ut sunt apud nos, non esse propriè ac philosophicè mixta, nec sibi subordinare formas eorum corporum, quæ per analysim extrahuntur, sed corpora ista esse purè adventitia, & per poros inducta, ut dicitur in quinta difficultate. Cur autem hoc potius dici debeat in elementis, quàm in ligno v.g., ratio est, quia, dum aqua, vel terra, igne resolvitur, remanere cernitur major portio materiæ terreæ, vel aqueæ (nisi hæc in vapores sensibiles abeat), quàm salis, aut aliorum corporum: unde non opus est quærere, quòd abijt materia propria elementi, nec novæ formæ productionem fingere;

facile que percipitur, cur elementaris forma prævaluerit in denominando totam materiam præcedentem, quia scilicet majorem partem illius occupabat, magisque sensibilem reddebat. Quæ omnia in resolutione mixtorum dici non possunt; nulla quippe remanere cernitur pars lignea, &c..

22 *Ad 5.*: fateor, non facile ratione metaphysicâ convinci posse, qui sic respondeat. Si tamen res physicè spectetur, parùm erit credibilis ea solutio, præter quàm in elementis vulgaribus, ut modò vidimus. Quòd enim non nisi exigua portio illius materiæ, quæ in ligno includitur, formam ligni recipiat, difficile creditur est. Nam cur tota illa moles dicitur *lignum*, & non potius *sulphur*, aut *sal*, aut aliud ex corporibus extractis? Cur sola portio materiæ ligni, vel alterius mixti resoluti, non autem materiæ purè integralis, vel adventitiæ, debet abire in fenum? Cur magis in fenum, quàm in aliud quidvis? Numquid fenum est cadaver omnis mixti, quod chymicè resolvitur? Adde, quòd vetus illud axioma, *Unumquodque ex ijs componitur, in quæ resolvitur*, intelligi debet saltem de portione materiæ sensibiliter remanente. Et hætenus de formis subordinatis: quas vel admittere, vel respuere, per me licet.



## CAP. IV.

UTRUM PLURES FORMÆ non subordinatæ conjungi possint in eadem Materia?

**L**OQUIMUR jam de formis inter se inconnexis, ac disparatis, quarum altera non exigit alterius consortium in eodem subjecto, cujusmodi sunt formæ lapidis, auri, ferri, ligni: & quærimus, an matuum consortium, licet non exigant, tamen patienter ferant, aut terre possint? Sermo autem est de subjecto prorsus eodem, seu de eadem parte materiæ: nam in diversis partibus unius materiæ contingit dari posse plures istiusmodi formas, experientiâ comprobatum est; ut cum videmus ex eodem tranco unam partem ignitam, aliam adhuc ligneam. Non tamen tunc datur continuitas, nisi inter partes materiæ: inter formas autem sola est contiguitas.

*Non possunt naturaliter.*

2 **I**TA communis, & ferè omnium sententia. Cujus probatio sumitur ab experientiâ, quæ perpetuò videmus, ex ejusmodi formis nunquam unam introduci, quin expellatur alia. Unde colligimus, eas esse naturaliter incòpossibiles in eodem subjecto; sicut è simili experientiâ colligitur, duas quantitates esse naturaliter inconjungibiles in eodem loco. Et alioquin agentia naturalia, dum

introducendo novam formam expellunt antiquam, tenderent in parum malum, contra illud axioma, *Nullum agens intendens in malum operatur*: causarent enim malum antiquæ formæ, non ut conducens ad bonum novæ (siquidem utraq; forma posset amico fædere sociari), sed propter malum ipsum, non sine vitio cujusdam invidiæ naturalis.

3 Quapropter infociabilitas ista tribuenda est ipsarum nature formarum, quæ nobis per experientiam innotuit; sicut in exemplo quantitatum nuper adducto. Non est autem tribuenda incapacitatî materiæ primæ: quia hæc, licet non appetat efficaciter, nisi unicam formam vage, & naturaliter contenta sit possessione cujuslibet, quia cum qualibet constituit ens physicè completum; non est tamen, unde probetur incapax plurium formarum, quibuscum simul constituat plura entia completa, si formæ ipsæ inter se non pugnent. Nec item tribuenda est semper contrarietati dispositionum accidentalium: quæ in vis enim inter dispositiones quarundam formarum, v.g. ignis, & aque, clara sit contrarietas; non ita clara est in omnibus.

4 Adde, quòd ex capite dispositionum possent in eadem materia conjungi plures formæ unius speciei (quod nullus admittit); non enim exigunt dispositiones contrarias; imò dispositiones unius possent eodem famulatu deservire pluribus. Dices: idèò non conjungi formas ejusdem speciei, quia *Simile non agit in simile*. Sed verò id



fieri possit; quin simile ageret in simile; si nimirum duplex forma ignis v. g. simul introduceretur in materiam ligni à duobus agentibus simul applicatis.

5 *Objic.* 1. exemplum formarum accidentalium, quæ, licet inconnexæ, ut albedo, & dulcedo, conjungi possunt in eodem subjecto. 2., quod formæ substantiales inter se contrariæ non sunt; quia substantia non habet contrarium, juxta Aristotelem. 3. exemplum ferri candentis, in quo sociari videntur formæ ignis, & ferri. 4. exemplum prunæ, seu carbonis igniti, ubi, præter formam ignis, datur alia gravitatem exigens; alioquin pruna fursum ascenderet, sicut flamma. 5., quod non semel visa sunt humana monstra duobus capitibus, & unico stomacho: in eis autem duplex erat anima rationalis: & cum neutra possit in corpore conservari, quin informet stomachum, sequitur, eandem stomachi materiam ab utraque animâ informari.

6 Hæc parùm urgent. *Ad 1.*: in formis accidentalibus non militat eadem experientia, sed potius opposita. *Ad 2.*: inter formas substantiales non datur contrarietas stricta, quæ apud Aristotelem sumitur pro solâ inimicitia qualitatum se se paulatim debellantium, v. g. frigoris, & caloris: datur tamen contrarietas sumpta pro inconjunctibilitate naturali; qualem etiam habent duo lapides in ordine ad locum, licet non sint proprie contrarij. *Ad 3.*: nullâ in parte materiæ junguntur formæ ignis, &

ferri: sed intra ferri poros, calore laxatos, introducuntur plures igneæ particule, novus que etiam ignis producitur in extimâ ferri superficie, ex quâ ferream formam expellit, ut satis indicat scoria superstes: hinc autem provenit totus ille calor, & fulgor. Profectò, si forma ignis cohereret cum ferreâ, non consumeretur ferrum ab igne, quamvis per sæculum esset in fornace: nec ignis tam brevi extingueretur extra fornacem, si totam ferri materiam invasisset.

7 *Ad 4.*: gravitas prunæ est qualitas à ligno residua, quæ non statim expelli potest à formâ ignis. *Ad 5.*: in ejusmodi monstis, si duæ sunt animæ (quod aliqui ex duplici capite, alij ex duplici corde, alij ex discordiâ in operando colligendum putant), unicuique distincta pars stomachi respondet; ipseque stomachus, licet videatur unicus, reverâ continet materiam duplici stomacho, saltem imperfecto, respondentem. Neque aliter nutriri posset duplex illud, aut semiduplex compositum, sine perpetuâ rixâ inter facultates utriusque nutritivas, quarum unaquæque sibi raperet alimentum.

#### *Possunt Divinitus.*

8 **I**TA communiter Auctores nostri cum Exim. Doctore *disput. 15. Metaph. sect. 10. n. 60.*, & plures Scotistæ cum Subtili Doctore apud Maffrinum, contra Thomistas ferè omnes. *Probat*ur Assertio: formæ sub-

tan-

stantiales nullo ex capite sunt inconjunctibiles essentialiter in eadem materiâ: ergo, licet naturaliter conjungi nequeant, possunt tamen divinitus; non aliter, ac duo corpora divinitus penetrari possunt in eodem loco, licet naturaliter non possint. *Prob. Antec.* evertendo præcipua capita (cætera evertet argumentorum solutio) repugnantia essentialis, quæ Adversarios movent.

9 *Primum* est, quod introductio unius formæ est formalis expulsio alterius, vel saltem formalis & immediata causalitas expulsionis. Evertitur autem sic: forma non expellitur formaliter, nisi per sui privationem, sive per suum non esse in materiâ; sicut è converso privatio formaliter non excluditur, nisi per esse formæ in materia. Item immediata & formalis causalitas istius non esse, sive privationis, est subtractio, vel cessatio Divini concursus, quo forma in materiâ conservabatur; sicut è contrario immediata causalitas existentia formæ in materiâ, est actio, quâ forma in materiâ producitur. Atqui novæ formæ introductio, nec est formalis privatio præcedentis, ut est evidens: nec item est formalis cessatio Divini concursus, vel actionis conservativæ illius, ut item est evidens: ergo nec est formalis expulsio, nec formalis causalitas, aut executio expulsionis.

10 *Confirm.*: juxta Thomistas potest effectus non resultare, stante illius ultimâ causalitate: ergo quamvis introductio unius formæ foret ultima causalitas expulsionis

alterius (quod tamen non concedimus), adhuc, eâ stante, posset expulsio divinitus impediri. *Antecedens* patet in productione substantiæ, quæ simul est ultima causalitas proprietatum accidentalium; hæc quippe non producuntur actione distinctâ, juxta Thomistas, ut videre licet apud Bayonam *hic q. 4. ar. 5.* & Froylan. *q. 5. ar. 2. §. ult.*: & tamen, stante productione substantiæ, possunt proprietates divinitus deficere, vel non resultare; nec solum divinitus, sed interdum etiam per violentiam agentis naturalis, ut cum aqua privatur frigore; neque enim tunc deficit, aut mutatur aque productio. Patet etiam in creatione materiæ primæ, quæ simul fuit ultima causalitas formæ elementaris initio Mundi, ut Thomistæ volunt: & tamen hodiè, cum eadem creatio perseveret, ut ipsi concedunt, ex eâ non resultat elementaris forma, saltem in plurimis partibus materiæ.

11 *Secundum* est, quod nova forma introducta exigit essentialiter expulsionem præcedentis, titulo causæ formalis. Hoc etiam evertitur facile. Hæc exigentia ideò dicitur essentialis, quia expulsio formæ præcedentis est formalis effectus secundarius novæ formæ (non esse effectum primum fatentur Adversarij): sed hæc ratio non probat exigentiam essentialem, seu divinitus infrustrabilem: ergo, &c. *Prob. Min.* Tum quia frigus & calor in summo divinitus coherere possunt in eodem subjecto, ut concedunt plures ex Adversarijs: & ta-



men expulsio frigoris est effectus formalis secundarius caloris, & è converso. Tum etiam, quia impenetrabilitas est formalis effectus quantitatis, ex quo sequitur impenetratio actualis, sive actualis exclusio alterius corporis ab eodem loco, tamquam effectus secundarius: & nihilominus duo corpora divinitus penetrari valent. Similiter extensio in ordine ad locum est formalis effectus quantitatis: quia tamen est effectus secundarius, potest divinitus impediri.

12 Nec momenti est solutio dicentium, posse quidem impediri formalem effectum secundarium positivum, quia indiget novo concursu, quem Deus suspendere valet; secus verò formalem effectum negativum, qualis est expulsio formæ prehabita. Non, inquam, est momenti. 1.: quia posita productione aquæ, non opus est novo concursu, ut resultet frigus, juxta Thomistas: & tamen potest non resultare, vel deficere, eò quòd sit terminus secundarius illius productionis. 2.: quia expulsio frigoris per calorem summum, est effectus formalis negativus: sicut etiam exclusio corporis à loco per aliud occupato; quamvis enim quantitati A negaret Deus concursum ad omnem actionem positivam, adhuc naturaliter impediret ingressum quantitatis B in eundem locum, quandiu illam occuparet: uterque tamen effectus potest à Deo impediri. 3.: quia etiam expulsio formæ à materia, est effectus indigens suspensione concursus conservativi, quem

Deus potest non suspendere, cum aquè sit Dominus sui concursus quoad suspensionem, ac quoad positionem.

*Non obstant argumenta contraria.*

13 **O**bjic. 1.: posita forma in subjecto capaci, nequit Deus impedire illius effectum formalem: sed expulsio unius formæ est effectus formalis alterius; neque enim una ab alterâ expellitur, nisi in genere causæ formalis: ergo nullatenus impediri potest expulsio unius formæ, posita introductione alterius. *Confirm.*: informatio actualis est formalis, & ultima causalitas, quæ una forma in actu secundo expellit alteram; est enim ultimum exercitium causæ formalis ut talis: at, posita causalitate in actu secundo, omninò repugnat impeditio effectus: ergo, &c.

14 *Resp.* Duplex est effectus formalis: alias primarius, & positivus, v. g. denominatio calidi respectu caloris: alius secundarius, & negativus, v. g. respectu caloris expulsio frigoris à subjecto. Primarius intrinsicè constituitur per formam, consistit que in ipsa formâ ut communicatâ subjecto capaci: unde, posita communicatione, omninò implicat, hunc effectum impediri à Deo. At secundarius adæquare distinguitur à formâ positivâ; quia consistit in eo, quòd subjectum sit *privatum*, seu *derelictum* formâ frigoris v. g., quæ denominatio, cum merè negativa sit, à formâ positivâ constitui non potest. Di-

15 Dicitur tamen hujusmodi secundarius effectus provenire à formâ positivâ, quia hæc exigit non conjungi cum aliâ formâ, & exigentia suâ movet naturæ Authorem, ut suspendat actionem illius conservativam. Dicitur etiam *effectus formalis*; quia una forma non opponitur alteri quoad subjectum, nisi quatenus idem subjectum informat. Unde, quia exigentia expellendi alteram, exercetur per unionem, sive informationem, quæ est exercitium causæ formalis, ideò una forma dicitur *se ipsa formaliter*, vel (quod eodem redit) *in genere causæ formalis*, aliam expellere. Sed aliud est exercitium exigendi, aliud verò exercitium obtinendi; sicut in paupere non est idem exercitium petendi elemosynam, & exercitium assequendi. Quare, licet informatio actualis sit exercitium exigendi expulsionem alterius formæ, & illius ultima causalitas purè exactiva; non ideò est ultima causalitas executiva; quia superest adhuc alia, quam Deus negare potest, nempe suspensio, vel cessatio actionis alteram formam conservantis. Quæ doctrina explicari potest exemplo quantitatis exigentis extensionem localem, & alijs nostræ probationis.

16 Hinc facile solvitur obiectio. Quamvis Deus, posita formâ in subjecto, impedire non possit effectum formalem primarium, quia hic jam habet sua omnia constitutiva; potest tamen impedire secundarium, quia hic indiget ulteriore causalitate, nempe cessatione concursus Dei, qui potest eam cessationem

nolle, nec attendere exigentiæ formæ introductæ, pro suo absoluto dominio. *Ad Confirm.*: informatio actualis est ultimum exercitium causæ formalis ut talis in ordine ad effectum primarium: at in ordine ad secundarium, non est ultimum exercitium, nec ultima causalitas in lineâ executivâ, sed tantum in lineâ purè exactivâ: quare, cum exigentia hæc sit purè naturalis, adhuc potest effectus à Deo impediri.

17 *Repl.* 1.: juxta Aristotelem, *Introductio unius est expulsio alterius*: ergo stare nequit introductio sine expulsionem. 2.: ideò Deus impedire non potest effectum formalem primarium, quia illum se solo supplere nequit sine formâ: sed nec se solo supplere valet effectum secundarium absque formâ: ergo &c. 3.: nequit Deus efficere, ut una differentia metaphysica non excludat aliam, v. g. rationalitas afinityatem: ergo nec potest efficere, ut una differentia physica, qualis est forma substantialis, aliam non excludat. Patet *Consequentia*, tum à paritate rationis, tum quia *una forma habet sibi intellectam privationem alterius formæ*, ut docet D. Thomas in 11. *Metaph. lect.* 12.

18 *Resp. ad 1.*: dictum Aristotelis verum est, non in sensu formali, vel executivo, sed in sensu exactivo, ratione scilicet exigentiæ naturalis: quo sensu verè dicimus, quòd introductio unius corporis est expulsio alterius ab eodem loco, & quòd *Accidens esse est inefficax*, quâvis accidens possit esse divi-



nitus sine *in esse*, ut in Eucharistia. Ad 2., omisâ *Maj.*, *neg. Min.*, si sermo sit de formâ positivâ: potest enim Deus, nullâ formâ denuò introductâ, se solo expellere à materiâ formam præhabitam, cessando scilicet à conservatione illius; si ut potest à subjecto expellere frigus, nullo calore subrogato, ut nemo negat. Si tamen sermo sit de formâ negativâ, concedo *Min.*, & *Consequ.*: quia talis forma respectu effectus negativi est privatio formæ in materiâ; sine quâ privatione verissimum est non posse formam expelli.

19 Ad 3. *dist. Antec.*: ne excludat aliam ab identitate secum ipsâ, *conc.*; à subjecto, in quo est, *neg. Antec.*, & sub eadem distinctione *Consequ.*. Quævis differentia, sive physica, sive metaphysica, imò quævis etiam forma accidentalis, essentialiter excludit aliam à sui identitate, neque unquam fieri potest, ut una sit alia: non tamen quævis excludit essentialiter aliam à subjecto physico, in quo est: ideoque possunt in eadem materiâ conjungi anima rationalis, & asinina; quo in eventu darentur in eadem, vel ex eadem materiâ rationalitas, & asinitas. D. Thomas autem, vel loquitur de negatione identitatis, quæ lato sensu dicitur privatio; vel loquitur potius attentâ exigentiâ naturali, quo sensu unum corpus habet sibi intellectam privationem alterius in eodem loco. Porro D. Thomas, ubicumque asserit impossibilem pluralitatem formarum in eadem materiâ, loquitur de formis

subordinatis, & ad essentiam unius compositi spectantibus: de ceteris vero nusquam movet quæstionem in ordine ad potentiam Dei absolutam, ut notat M. Joannes à S. Thom. 1. *Physic. q. 10.*

20 *Objic. 2.*: si duæ formæ substantiales essent in eadem materiâ, neutra foret actus primus, nec ordine temporis, si una post aliam adveniret; nec ordine dignitatis, quia neutra sibi subordinaret alteram, nec esset radix illius. *Confirm.*: quia forma posterior non foret substantialis, nec faceret unum per se, cum adveniret enti in actu, sive jam substantialiter completo. *Resp.* Qualibet forma tunc esset actus primarius, seu dignitate primus, respectu sui compositi. Tunc enim resultarent absolutè duo composita; quia forma, præcipuum compositi constitutum, duplicaretur. Quòd autem materia foret eadem, parum refert: nam, sicut ignis, qui ex materiâ ligni fit, dicitur absolutè compositum aliud à ligno, quamvis ab eo non distinguatur penes materiam; ita in casu nostro. Tunc ergo darentur proprietates & operationes duplici composito respondentes; & unaquæque forma esset primaria radix proprietatum pertinentium ad suum compositum, eas que sibi subordinaret; in quo sita est ratio actus primi: neque interim se immisceret alteri composito, cujus proprietatibus & actibus altera forma præsideret. Nec forma substantialis debet esse actus primus comparative ad omnes actus in materiâ existentes; sed tantum comparati-

vè ad actus spectantes ad illud compositum, quod talis forma constituit.

21 *Ad Confirm.*: forma posterior non adveniret enti in actu prout in actu, nec reduplicativè ut completo; non enim per se supponeret formam priorem, nec totum compositum præcedens pro subjecto informaret: solum ergo adveniret materiæ specificativè sumptæ, quam solam sibi uniret, de materiali se habente aliâ formâ, quæ per accidens in materiâ præcederet. Hoc modo se haberent tres Divinæ Personæ, si eandem simul assumerent humanitatem, ut possunt, juxta Thomistas; ideoque unaquæque foret ultimus naturæ terminus, quamvis una post aliam adveniret. Si dicas, materiam semel completam non posse magis compleri. *Dist.*: non magis, nec pluries, *neg.*; non magis, sed tamen pluries, id est, iterum, atque iterum per alia complementa supervenientia materiæ, non ut completæ, sed specificativè sumptæ, *neg.*. Sic locus, semel uno corpore occupatus, non potest magis occupari: potest tamen pluries, sive iterum atque iterum per alia corpora divinitus penetrata.

22 Quocirca forma posterior adveniret materiæ incompletæ, non incompletionem negativâ, seu dicente negationem omnis complementi substantialis; sed incompletionem præcisivâ, quatenus adveniret materiæ specificativè sumptæ, quo sensu materia præcindit ab omni complemento. Id quod etiam acci-

dit in transmutatione naturali: non enim pro priorî ad novam formam supponitur materia cum privatione formæ præcedentis, sed tantum cum præcisione à tali formâ, cujus privatio intelligitur pro posteriori ad novam formam, utpote effectus secundarius illius.

23 *Objic. 3.*: ex nostrâ hypothese multa sequerentur absurda. Nam 1., positis in eadem materiâ formis ligni & hominis, resultaret compositum, specie multiplex ratione formarum, & aliunde numero unum; quia juxta Aristot. 5. *Metaph. text. 12.*, ea sunt unum numero, quorum materia est una. 2. verè diceretur, *Lignum est homo.*, & è converso; sicut verè dicitur, *Album est dulce*, & vice versâ, cum albedo & dulcedo concurrunt in eodem subjecto: saltem lignum denominaretur *animatum*. 3., positis in unâ materiâ formis hirci & cervi, daretur hircocervus, qui passim adducitur in exemplum entis chymerici. 4. posset idem corpus simul esse vivum, & mortuum, si nimirum conjungeretur anima cum formâ cadaveris.

24 5. posset etiam uniri eadem corpori duæ animæ rationales: quo in eventu altera alteram impediret in operando, & neutra esset libera: vel, si esset utraque libera, posset altera Cælum, altera Infernum mereri; tunc autem quid fieret de corpore? Adde, quòd non essent numero distinctæ; quia distinctio numerica sumitur à materiâ. 6., datis in uno corpore formis lupi & ovis, lupus vellet co-



medere carnem propriam, quia simul esset ovina; & ovis, volens fugere lupum, fugeret à proprio corpore. Cujus generis alie multae combinationes cogitari possunt. 7. denique sequeretur, eandem materiam simul esse in duplici specie substantiali; simulque dependere totaliter à duabus formis, quibus tamen non indiget.

25 Hæc tamen non difficulter evanescent. *Ad 1.*: resultaret tunc compositum & numero & specie duplex absolute, quia formæ prævalerent, utpotè præcipua distinctiva; simul que resultaret unum numero, non absolute, sed secundum quid, sive cum addito *quoad materiam*; in quo non majus est absurdum, quam in eo, quod ignis ex materia ligni fiat, cum tamen sit compositum numero & specie distinctum. Aristoteles autem loquitur secundum ordinem naturalem, & quoad nos; vel nomine *materia* intelligit hæcceitatem, que dicitur quid materiale respectu essentiae specificæ.

26 *Ad 2.* nego sequelam: quia, cum substantialia composita importent in recto materiam & formam, hæc propositio, *Lignum est homo*, reddit hunc sensum, *Materia & forma ligni sunt materia & forma hominis*; qui sensus tunc esset falsus. At concreta accidentalia, cum solum subjectum in recto importent, possunt mutuo prædicari, dum subjectum est idem: quia illa propositio, *Album est dulce*, hunc habet sensum omnino verum, *Quod habet albedinem, est*

*quod habet dulcedinem*. Si nisi fere sensu vere dicimus de Christo Domino, *Deus est homo*; *Homo est Deus*; quia termini, *Deus*, & *homo*, personaliter sumpti, referuntur ad Suppositum, & perinde sonant, ac *habens Deitatem*, & *habens humanitatem*. Nec in hypothese nostrâ daretur unicum suppositum ligni & hominis, sed duo simpliciter, quamvis identificata inadæquate, & secundum quid; eorumque alterum esset persona, alterum mere suppositum. Nec item alterum alteri communicaretur in esse totius; sed tantum ambo convenirent in materiali parte substantiæ; quod non est contra incommunicabilitatem suppositi propriam. Nec lignum denominaretur animatum, quamvis ejus materia animaretur: quia, *lignum esse animatum*, significat, totum lignum esse subjectum animæ, vel ex animâ constitui; quod mihi verum esset in dictâ hypothese. Quænam denominationes partium refundantur in totum, diximus cap. 1. n. 25. Solum ergo vere dici posset, *lignificatum est animatum*, & è converso, sumptâ scilicet solâ materiâ in recto.

27 *Ad 3.*: hircocervus, adduci solitus in specimen entis chimerici, significat unam compositum, duas essentias realiter distinctas in unum confundens, & identificans. At in nostrâ hypothese darentur duo composita, hircus, & cervus, cum essentijs realiter discretis absolute; quia formæ, in quibus consistit diversitas essentialis eorum, rea-

realiter distinguerentur. Quod autem conveniant in materiâ, quæ de se indifferens est ad varias essentias constituendas, non est absurdum; sicuti non est, quod eadem materia, quæ nunc est hirci, postea sit cervi. *Ad 4.*: corpus illud (sumptum pro materia organizata) foret vivum, sive animatum, simulque foret cadaver, seu cadavericum positive, idest, reciperet effectum formalem positivum formæ cadaveris: quia inter denominationes positivas *animati*, & *cadaverici*, solum datur oppositio naturalis, non essentialis: non tamen foret *mortuum*; quia denominatione ista constituitur per privationem animæ, quæ privatio, cum sit effectus negativus & secundarius formæ cadaveris, potest à Deo impediri.

28 *Ad 5.*: mutua illa impedio in operando, probat quidem repugnantiam ex naturâ rei, sed non in ordine ad potentiam Dei absolutam: potest enim Deus proculdubio facere, ut quælibet anima, etiam sine consortio alterius, sit unita corpori, quin sit expedita ad operandum, v. g. subtrahendo concursum simultaneum, vel accidentia organica lædendo, aut etiam penitus auferrando. Præterea, quælibet anima tunc esset libera quoad operationes spirituales; solumque altera alteram retardaret quoad operationes organicas, v. g. si altera vellet ambulare, altera noller: ex quo nihil sequitur præter violentiam quâdam naturalem. Illud autem de merito Cæli, aut Inferni, non est ad rem: nam, effecto repugnet nostrâ hypothese in præ-

fenti Dei providentiâ, sat nobis est, quod sit possibilis in alio rerum ordine, in quo Deus potuit non decernere resurrectionem corporis, nec illud ad Cælum, aut infernum destinare. Quod additur de indistinctione numerica, falsum est: alioquin non posset eadem anima successive plures materias informare per nutritionem; nec posset, eadem materia successive suscipere plures animas, etiam divinitus. Animæ igitur distinguuntur inter se numero per suas hæcceitates; nec earum distinctio sumitur ex materiâ, nisi quoad nos.

29 *Ad 6.*: lupus, morsum infigans ovine carni, sentiret esse suam, & illicò abstineret: ovis etiam, cupiens lupum illum fugere, misere præpedita non posset. At quid inde, præter statum naturaliter violentum? Adde, quod posset Deus formam ovis, ut & quamlibet aliam, in materiam inducere sine organis & accidentibus naturaliter necessarijs. Tunc autem, nec ovis quidquam cuperet, nec lupus ovem agnosceret. Fortassis etiam organizationes diversorum animalium sunt essentialiter inconjunctibiles in eadem materiâ ratione figuræ.

30 *Ad 7.*: materia non esset *identice* nisi in unicâ specie incompletâ primi subjecti: at non *identice*, sed *constitutive*, simul esset in duplici specie completâ sine absurdo, sicut potest esse in multiplici successive. Dependentiâ materiæ à formâ (quæ non est à priori, sed à posteriori) sumi potest, vel pro indigentia materiæ, vel pro actuali satisfactione indigentia. Si pro indi-



gentia sumatur, materia à nullâ formâ determinata pendet, sed ab aliquâ vage: si pro satisfactione indigeat, materia in casu nostro dependeret simul ab utrâque formâ, non per modum unius, sed per modum duplicis satisfactionis actualis, idque sine absurdo; quemadmodum famelico unius panis indigenti, si duos simul dederis, per utrumque satisfacies.

31 Notabis hic, ut alia absurda præoccupes, quod, si materia hominis, & equi foret eadem, hæc propositio, *Homo est inadæquatè equus*, non est indistinctè concedenda: potest enim significare, hominem esse partem equi, aut è converso; ut cum dicitur, *Anima est inadæquatè homo*. Distinguenda igitur sic: inadæquatione dicente identitatem solius materiæ, *conc.*; alio genere inadæquationis, *neg.* Hæc item propositio, *Petrus potest esse inadæquatè mille homines*, vel *potest esse inadæquatè piscis, arbor, lapis, ignis, &c.*, in aliquo sensu vera est; quia in materiam Petri possunt introduci simul (sicuti possunt successive) mille animæ rationales, nec non formæ piscis, arboris, &c. Sed imprimis semper distinguendum est illud *inadæquatè*, ut nuper. Deinde videndum, an sermo sit de hominibus (idem intellige de pisce, arbore, & rebus alijs,) qui supponantur habere materias distinctas: tunc enim falsa est propositio; quia tales homines constituantur per suas materias individuales, quibuscum identificari nequit materia Petri; quod si animæ ipsorum transferrentur ad materiam

Petri, jam non forent iidem proximi homines individui, sed alij quoad materiam. Solum ergo vera est dicta propositio de hominibus individuis, quos Deus novit in statu possibilitatis constitutos per materiam Petri. Hinc falso dices, Petrum posse esse inadæquatè quemlibet hominem, quemlibet piscem, quamlibet arborem, &c.

32 *Objic. 4.*: potentia materiæ non extenditur ultra ejus indigentiam: sed Deus nequit efficere, ut materia indigeat simul duplici formâ: ergo, nec ut habeat potentiam ad duas simul formas. *Confirm. 1.* forma, quâ non indiget materia ad existendum completè & simpliciter in genere substantiæ, non est forma substantialis: cum ergo materia non indigeat nisi unâ formâ, cæteræ præter unam erunt accidentales. *Confirm. 2.*: virtus activa naturaliter impotens ad aliquem effectum, nequit divinitus fieri potens, nisi ei superaddatur nova virtus: ergo pariter potentia receptiva naturaliter impotens ad plures formas, non fiet potens, nisi addatur nova potentia receptiva; atque ita in casu nostro oportebit addere novam materiam; quo destruitur hypothesis quæstionis. Saltem hæc additio necessaria erit, si jungantur formæ plures eductæ: nam respectu eductarum materia exercet unam causam materialis, & sustentativam, quæ nequit simul causare duplicem effectum adæquatam, cum quilibet exhauriat totam vim sustentandi. *Confirm. 3.*: si materia potest recipere plures formas, pote-

rit

rit infinitas: ergo habet potentiam infinitam. *Confirm. 4.*: una forma est naturaliter impotens conjungi cum alia: ergo, cum hanc impotentiam secum identificet, semper & in omni hypothese erit impotens.

33 *Resp. ad Object. neg. Maj.*: nam materia non indiget formâ determinatâ speciei, v. g. anima equinâ; ad quam tamen extenditur ejus potentia: nec item, dum est sub formâ aquæ, indiget calore; quem tamè recipit. Itaque indigentia materiæ solum est mensura appetitus innati efficacis: hic verò appetitus non est mensura potentiæ receptivæ, ut alibi non semel notavimus. Id quod maxime verum est de potentiâ passiva obedientiali; ut patet in animâ recipiente dona supernaturalia citra naturalem indigentiam, vel appetitum innatum.

34 *Ad 1. Confirm. neg. Antec.*: nam alioquin, nec anima rationalis, nec alia forma secundum gradum specificum, aut individuum, foret substantialis. Forma igitur erit substantialis, dummodò ex se apta sit satisfacere indigentia, & incompletiõni materiæ in genere substantiæ, etiam si sola recipere-tur. *Ad 2. neg. Conseq.*: nam, si tenet paritas, sicut anima nostra indiget additione virtutis ad producendos actus supernaturales, ita indigeret additione potentiæ passivæ ad eos recipiendos, ut etiam ad recipiendam Gratiã, & habitus infusos. Virtus ergo activa, cum debeat effectum præcontinere, illumque perfectione æquare, vel excedere; nequit fieri potens ultra vires

naturales absque additione virtutis: at potentia receptiva nec præcontinere debet actum, quem recipit, nec ejus perfectioni commensurari; ac proinde crescere, aut augeri non debet juxta incrementum actuum.

35 Hinc, licet nostrâ sententiæ sufficiat, quod possint in eadem materia conjungi plures formæ creatæ, vel una educta & aliæ creatæ; nihilominus (quidquid dicat P. Oviado) admittimus posse conjungi plures formas eductas: non enim causa materialis fatigatur, aut exhauritur per causalitatem sustentativam: cujus indicium evidens est, quod potest naturaliter causare (& adæquatè quidem in suo genere) effectum se ipsa superiorem, multòque perfectiorem, v. g. dum materia causat materialiter animam equi: cum tamen simile quid contingere non possit in virtute activa, sive in causa efficiente. Adde, quod alioquin potentia passiva animæ, vel Angelii, fatigaretur, & lassesceret, dum recipit plures & plures gradus Gratiæ, quæ utique per eductionem producit juxta communem, etiam Thomistarum, sententiam. *Dices*: ergo una forma educta non est effectus adæquatus materiæ ut causæ materialis. *Dist.*: adæquatione sufficientiæ, *neg.*; adæquatione exhaustionis, *conc.*

36 *Ad 3. conc. Antec.* de infinitis syncategorematicè, inò & categorematicè, si aliunde non repugnet infinitum in actu: & *dist. Conseq.*: habet potentiam infinitam perfectione, *neg.*; infinitam vacuitate formarum, *conc. Conseq.*: quod



nihil est aliud, quam materiam esse privatam infinitis formis, & ex se non resistere unioni cum ipsis, etiam simul sumptis. *Dices*: hæc vacuitas non est mere carentiæ, sed est propria subjecti positivi, dicentis que perfectionem: ergo fundatur in perfectione: ergo infinita vacuitas arguit perfectionem infinitam. *Nego hanc ultim. Conseq.*: nam, licet necessaria sit aliqua perfectio ad fundandam vacuitatem privativam, non debet crescere ad mensuram vacuitatis ipsius; quin, obstat quoddam adagium, de quo infra n. 44. Interim insto in potentiâ receptivâ animæ, vel Angeli, ad Gratiâ majorem, & majorem sine fine. Ad do, D. Thomam q. 29. de Verit. ar. 3. ad 3. infinitam agnoscere creaturæ potentiam receptivam obedientialem, dum ait, quod talis capacitas non potest impleri, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia recipiendi à Deo. Certè, quod major potentia receptiva non arguat ex terminis majorem perfectionem, patet in materiâ Cœlesti, quæ limitata est ad unam formæ speciem juxta Thomistas; & tamen perfectione superat materiam sublunarem, cujus potentia extenditur ad formas infinitas, saltem successivè, aut divisivè.

37 *Ad 4. dist. Conseq.*: in omni hypothese. erit impotens naturaliter, *conc.* (semper enim verificabitur non posse conjungi naturaliter cum aliâ); erit impotens obedientialiter, sive in ordine ad dominium Dei absolutum, *neg. Con-*

*seq.*: hanc enim impotentiam nunquam habuit. Sic accidens pro omni hypothese est impotens naturaliter existere sine subjecto, & hanc impotentiam secum identificat: & tamen divinitus existit sine subjecto in Eucharistiâ. Notandum tamen, quod potentia naturalis, & potentia obedientialis materiæ, non distinguuntur subjectivè, & intrinsicè, cum quælibet sit tota entitas materiæ: solum ergo distinguuntur extrinsecè, & terminativè, quatenus eadem potentia, dum comparatur ad formas ut producibiles ab agente naturali, dicitur naturalis; dum autem comparatur ad formas ut ab agente supernaturali producibiles, vocatur obedientialis.

38 Hinc in hypothese quæstionis utraque forma reciperetur in potentiâ materiæ naturali naturalitate intrinsicâ, & entitativâ: sed quia deesset naturalitas extrinsecè (eo quod neutra forma, prout in consortio alterius, esset producibilis ab agente naturali), ideò potentia materiæ in ijs circumstantijs absolute diceretur obedientialis. Si quæras, an actiones productivæ, & conservativæ utriusque formæ simul, essent naturales? *Resp.*, fore naturales intrinsicè, & quoad substantiam, eandem scilicet, quibus formæ seorsum produci possent naturaliter: si enim ipsæ formæ possunt divinitus conjungi, cur non & actiones? Forent tamen supernaturales extrinsecè, seu quoad modum, denominatione derivatâ à decreto Dei supernaturali, à quo præter, vel contra exigentiam provenirent hinc &

& nunc. Vide, quæ in simili diximus *disp. 3. cap. 5.*

*Corollarium de potentia Formæ ad plures Materias informandas.*

39 **C**ommunis sententia Notiorum tenet consequenter, unam formam posse divinitus informare duas, aut plures materias naturaliter adæquatas, v. g. eandem animam rationalem, duo corpora, vel in diversis locis, si bilocetur anima, vel in eodem loco, si corpora penetrentur. *Prob.* breviter contra Thomistas, & Maftrium Scotistam. Tum paritate materiæ, potentis informari simul pluribus formis, ut hætenus probatum est. Tum paritate corporis, potentis existere divinitus in pluribus simul locis adæquatis, ut concedit Maftrius cum cæteris Scotistis. Tum quia forma una plures materias informaret eo ipso, quod pluribus uniretur: at nulla repugnantia essentialis apparet in eo, quod pluribus uniatur; non enim forma vires activas impenderet in causandis unionibus, quæ possent à solo Deo produci.

40 *Objic.* ex Maftrio: si forma potest informare simul plures materias, poterit & infinitas: ergo erit infinite perfecta. *Prob. Conseq.* 1. quia vis informativa perfectiorem dicit, & quod plus extenditur, perfectior est; ideoque anima rationalis censetur alijs formis perfectior, quia potest eadem informare simul plures corporis partes. 2.:

quia forma simul complens infinitas materias, suppleret vicem infinitarum formarum: ergo perfectione æquivaleret infinitis formis. *Confirm.*: nova informatio est nova causalitas, novum que exercitium virtutis in genere causæ formalis: ergo requirit novam virtutem informativam.

42 *Resp. ad object. neg. Conseq.* Ad 1. *prob.*: instantia est manifesta in corpore multiloco: nam vis existendi in loco dicit perfectiorem, & quod plus extenditur, perfectior est; ideoque amplior correspondet locus Angelo, quam animæ rationali: & huic amplior, quam animæ muris. Et tamen juxta Maftrium potest divinitus idem corpus simul existere in locis infinitis, si aliunde non repugnet infinitum in actu. Itaque vis informativa perfectior est, quod plus extenditur ex debito, vel exigentiâ naturali; sic enim ideò plus extenditur, quia plurium operationum diversarum facunda est: at non est perfectior, quod plus extenditur contra, vel ultra debitum, nempe obediendo potentie Dei absolute: imò in hoc sensu negandum est, quod plus extendatur vis unius formæ, quam aliarum; quia quælibet extendi potest ad materias infinitas, seu non tot, quin plures.

42 *Ad 2.*: similiter corpus existens in locis infinitis, suppleret vicem infinitorum corporum; & materia recipiens infinitas formas, ut potest juxta Maftrium, suppleret vicem infinitarum materialium: & tamen non inde sequitur infinitudo per-



perfectiōnis. Quare *dist. Antec.*: supplet vicem &c., in complendo substantialiter materias, *conc.* (omnes quippe materia tam verè complerentur, quàm si reciperent totidem formas); in constituendo composita formaliter distincta, & in radicans proprietas, & operationes eorum proprias, *neg. Antec.*, & *Conseq.*: vel *dist. Conseq.*: æquivaleret perfectiōne genericâ formæ substantialis, *conc.*; perfectiōne specificâ, vel individuali, *neg. Conseq.*. Æquivalere perfectiōne genericâ, præcisè significat, rationem genericam complementi substantialis tam verè participari ab unâ formâ, quàm ab infinitis. Sic mus æquivaleret homini perfectiōne genericâ animalis; quin ideo æquivaleret perfectiōne specificâ.

43 *Ad Confirm.*: redit instantia in corpore multilocato, cuius nova præsentia est novum exercitium virtutis occupandi locum; item, & in materiâ recipiente multas formas, quas materialiter causat, Deinde nego, quòd requiratur nova virtus in formâ, ut plures informet materias, non ex debito naturali, sed ex obedientiâ. Causalitas autem in genere causæ formalis, non est activa; cum consistat in unionè, quæ potius activè provenit à generante, & in nostrâ hypothesi provenire posset à solo Deo: sed solum est causalitas purè communicativa entitatis formæ, tum ad materiam, tum ad compositum; quod genus causalitatis non impendit vires, ideoque potest multiplicari sine additione virtutis. *Dices*: forma

perficit materiam, eique perfectiōnem dat: ergo, ut det pluribus, debet plus perfectiōnis habere. *Dist. Antec.*: perfectiōnem dat ab entitate formæ indistinctam, *conc.*; distinctam à formâ ipsâ, *neg. Antec.*, & eodem sensu *Conseq.*. Forma etenim dat perfectiōnem, quatenus dat seipsam. Potest autem seipsam dare pluribus tum solâ multiplicatione dationis, sive unionis.

44 *Dices iterum*: forma, ut comparata ad unam materiam, dicit perfectiōnem: ergo ut comparata ad plures, majorem perfectiōnem dicit, juxta illud, *si ut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Nègo Conseq.*, & insto in materiâ comparatâ ad formas, & in corpore comparato ad loca. Illud autem adagium verum est in causâ efficiente, & in causâ formali respectu effectus intensioris, aut realiter multiplicis prout à formâ constituti: in cæteris sæpe fallit; ut patet in materiâ, & in corpore locali, atque etiam in sequentibus exemplis. Potentia receptiva animæ nostræ, vel Angelî, ut comparata ad unum Gratiæ gradum, dicit perfectiōnem: ergo, ut comparata ad plures, aut infinitos, dicit perfectiōnem infinitam. Humanitas, ut terminabilis per subsistentiam finitam, dicit perfectiōnem: ergo, ut terminabilis per subsistentiam infinitam, perfectiōnem infinitam dicit. Actus obedientiæ, ut sit finitè meritorius, perfectiōnem requirit in esse actus: ergo, ut sit infinitè meritorius (ut est in Christo), perfectiō-

tionem requireret infinitam in esse actus. Mitto alia.

45 Tria hîc notabis. *Primum*: Forma in pluribus materijs existens, non necessariò ex illis omnibus educeretur: posset enim per creationem produci, vel educi ex unâ materiâ, & cæteris purè uniri. Sed quàmvis, educeretur ex omnibus, haberet que simul plures causas totales in genere sustentativo, nulla sequeretur contradictio; ut in causis activis ostendimus *Tract. 2.* *Secundum*: In nostrâ hypothesi, forma non posset, etiam divinitus, absque additione virtutis activè causare totidem collectiones operationum, & proprietatum sibi connaturalium, quot materias simul informaret. Constat enim, causam activam indigere accessione virtutis, ut ultra vires naturales agat. Et alioquin una forma æquivaleret pluribus formis in facultate, atque adeò in perfectiōne. Solum ergo virtutem activam explicaret in unâ materiâ, quam Deus designaret. Singulis tamen materijs inesset sua quantitas, & alia accidentia, quæ præcedunt formam, &

ab eâ non radicanantur nisi in genere causæ finalis.

46 *Tertium*: in eadem hypothesi resultaret compositum, unum quoad formam, & multiplex quoad materiam, & unionem. Et, quia forma est præcipua quidditas compositi, diceretur magis unum, quàm multiplex; vel unum *absolute*, & multiplex *secundum quid*, sive *cum addito*. Si inferas cum Matrîo: ergo poterit idem homo jam existens, iterum generari, si nimirum ejus anima divinitus uniatæ alteri corpori. *Dist. Consequ.*: iterum generari simpliciter, *neg.* (non enim transfret de non esse simpliciter ad esse simpliciter; siquidem jam erat simpliciter vi unionis animæ cum uno corpore); iterum generari secundum quid, *conc. Consequ.*: hoc enim sensu etiam producitur iterum homo, quando nutritur. Vel *dist. sic*: poterit idem homo iterum generari, quâ parte est idem, *neg.*; quâ parte distinguitur à se ut præexistente, *conc.*

*Conseq.*

\*\*\*







## DISPUT. VI.

### DE UNIONE MATERIÆ ET FORMÆ in Composito substantiali.

**E**XPLICATIS principijs intrinsicis Corporis naturalis in facto esse, quoniam illa non constituunt compositum, nisi uniantur, explicanda nunc est eorum unio. Vocatur generatim *Unio*, quicumque nexus, aut vinculum extremorum. Quod si unio immediata sit, nec aliam expectans determinationem, (quo sensu nunc accipitur) definiri potest in genere, *Formalis & ultima determinatio adæquate distinctorum, ut constituent unum.* Quæ definitio facile aptari potest proportionem servatâ varijs unionum generibus, quorum meminit inter alios P. Ulloa *disp. 1. Physic. Speculat. cap. 6.* Omnino autem convenit unioni *essentiale physica*, quo nomine præcipuè intelligitur, quæ necit actum & potentiam substantiales ad constituendam unam essentiam, seu naturam completam corporis naturalis, quam *substantiale compositum* appellamus. Hæc unio, quæ sola præsentis est instituti, specialiter definiri potest, *Formalis & ultima determinatio actus & potentie substantialium, ut physice constituent unam essentiam corporis naturalis.* Super hac unione variæ quæstiones inveniuntur, quarum præcipuas nunc discutiemus.

#### CAP. I.

**UTRUM UNIO REALITER  
distingatur à Materia &  
Forma? Et in quo  
constat?**

**U** Nionem distinguere realiter à materia & formâ, negant Nominales, & acerrimè plebique Thomistæ, quibus accedunt

pauci è Nostris: qui omnes consequenter negant, unionem consistere in modo superaddito extremis. Affirmant verò cum Exim. Doctore ferè omnes nostri, Scotistæ communiter apud Pontium, & Malirium, & è recentioribus Thomistis Godoy, Aguirre, Carmelitæ Complut., & Palancus, qui Thomistas alios allegant: atque hi omnes consequenter

asserunt, unionem consistere in entitate modali realiter ab extremis distincta: *realiter*, idest à parte rei, sive ante opus mentis; quidquid sit, an distinctio inter modum & rem vocanda sit absolute realis, quæ est quæstio de nomine.

*Unio realiter distinguitur à Materia & Forma.*

**2** **P** Robatur Assertio hæc argumento vulgari, sed hæctenus insoluto. Materia & forma realiter separari possunt ab unione: sed separabilitas, etiam non mutua, signum est evidens distinctiois realis: ergo materia & forma realiter distinguuntur ab unione. *Consequentia* legitima est: & *Major* manifestè patet in materia & formâ cujusvis hominis vitæ defuncti, quæ de facto existunt sine unione inter se: imò, cum quævis forma materialis divinitus conservari possit extra materiam eodem, vel potiori jure, quàm accidentia in Eucharistia, materia & forma cujusvis compositi substantialis existere possunt ab unione separata. *Minor* verò videtur inconcussa, tum ex omnium consensu, tum evidenti ratione: fac enim, A existere posse sine B, licet non è converso (quæ est separabilitas non mutua): tum, si A & B non distinguuntur, sed sunt idem ipsum, sequitur, quod A, potens existere sine B, potest existere sine semetipso, atque adeò potest simul existere & non existere, contra principium evidentissimum, *Impossibile est idem simul esse & non esse.*

**3** Hoc ipsum argumentum sub alijs formis accipe. 1.: Quidquid est realiter indistinctum a materia & formâ D. Petri, nunc existit. Sed unio earum non existit nunc: ergo talis unio non est realiter indistincta ab eis. Syllogismus est in *Baroco*; & nihil ejus negari posse videtur. 2.: Omnis casus, in quo permanent materia & forma hominis, est casus, in quo permanet quidquid est realiter idem cum ipsis; alioquin jam in aliquo casu materia & forma hominis permanerent sine semetipsis: ergo, si unio est realiter idem cum talibus materiâ & formâ, permanet in omni casu, in quo ipsæ permanent: ergo unio permanet in casu mortis. At hoc est planè falsum: ergo & id, ex quo sequitur. 3.: Si unio non distinguitur à binario entitatum materiæ & formæ D. Petri, hæc unio & hic binarius est idem: sed hic binarius nunc est, & unio non est: ergo idem nunc est & non est.

**4** 4.: Implicat deficere id, cujus nec tota entitas, nec aliquod constitutum, aut pars entitatis deficit; alioquin deficeret id, cujus nihil deficit: hoc autem contingeret, si unio identificaretur cum solis materiâ & formâ: istarum quippe nec tota entitas, nec pars entitatis deficit in morte hominis, cum tamen unio deficiat. 5.: Anima rationalis & materia unitæ, sunt homo: anima rationalis & materia non unitæ, sunt non-homo: sed homo differt à non-homine in aliquâ realitate, & entitate, ut est per se notum: ergo anima rationalis & ma-



teria unitæ differunt à se ipsis non unitis in aliqua realitate, & entitate. Sed non differunt in suis entitatibus, ut est evidens: ergo in entitate aliâ præter suas. Atqui solum differunt in unione: ergo unio est alia entitas præter entitates animæ & materiæ.

5 6. : carentia hominis est carentia entis positivi (quis dubitet?): sed in morte datur carentia hominis: ergo tunc datur carentia alicujus entis positivi, seu, quod perinde est, datur non ens, defectus entis, contradictorium entis: ergo tunc deficit à rerum naturâ aliquid entitatis positivæ hominis; nisi velis, ut simul dentur duo contradictoria, nempe entitas & carentia ipsius. At non deficiunt entitates materiæ & formæ: ergo deficit alia positiva entitas ab his distincta. Sed non deficit nisi unio: hæc ergo est entitas ab entitatibus materiæ, & formæ distincta.

6 Ad hæc unica solutio Adversariorum est, unionem entitative sumptam omninò identificari cum materiâ & formâ; sumptam verò denominativè, seu prout denominat materiâ & formam *unitas* importare aliquid aliud, non quod sit intrinsicum constitutivum unionis, aut compositi, sed quod sit connotatum extrinsecum, seu conditio necessariò requisita, ut ea denominatio stare non possit eo connotato deficiente. Hinc inferunt, in morte hominis deficere unionem, non quoad entitatem, sed quoad denominationem; materiâque & for-

nam separari ab unione sumptâ denominativè, non verò sumptâ entitativè. Separabilitas autem quoad denominationem, non semper (inquiunt) probat distinctionem realem. Idem significant alij termini, quibus dicitur deficere unio, non materialiter, quoad implicitum, quoad rectum, sed solum quoad formalitatem, quoad exercitium, quoad explicationem, quoad connotationem, quoad obliquum. Illud autem connotatum, quod unionis denominatio requirit, alij dicunt esse intimam præsentiam materiæ & formæ in eodem loco, alij dispositiones materiæ ad formam, alij Divinum decretum de existentia compositi, alij actionem generativam.

7 Hæc est ipsissima doctrina Connotatorum, quam satis in Logica rejecimus generatim ubi de Relatione: unde facile peti potest ejus impugnatio pro subjectâ materiâ. Sed ne modò nihil dicere videamur, *reicitur 1.*: quia unio sumpta quoad denominationem (adde, si lubet, quoad formalitatem, quoad exercitium, quoad explicationem, &c.), vel identificatur, saltem inadæquate, cum aliquo realiter distincto ab entitatibus materiæ & formæ, vel non. Si primum dicas: ergo unio, sumpta quoad denominationem, ab eis entitatibus realiter distinguitur, saltem inadæquate, quod nostræ Assertioni sufficit; non enim nunc disputatur de unione, nisi prout est ultima determinatio, & actuale exercitium uniendi, seu prout actu denominat ac reddit unitas materi-

riam

riam & formam; nec queritur nisi vera distinctio realis, sive adæquata sit, sive inadæquata. Si dicas secundum; redit eodem impetu nostrum argumentum sub omnibus formalis, quas dedimus; dummodò in eis. ubicumque est vox *unio*, vel *unitas*, addas *quoad denominationem*. Tenta quæso, & experieris argumentum prorsus insolubile.

8 *Reicitur 2.*: unio, sumpta quoad denominationem, non est purum nihil, nec est denominatio phantastica, nec intentionalis, nec vocalis; sed est proculdubio denominatio positiva, physica, & à parte rei existens, etiam nemine cogitante, aut loquente: est item denominatio intrinsicè & essentialiter imbibita in composito, v. g. in homine; non enim essentia physica hominis includit materiâ & formam utcuamque, sed actualiter unitas. Hæc omnibus certa sunt. Tum sic: ergo unionem deficere quoad denominationem, est deficere aliquid positivum, physicum, à parte rei existens, & inclusum in essentia hominis, ac proinde non merum connotatum extrinsecum. At non est deficere entitates materiæ & formæ: ergo est deficere aliquid ab his distinctum, quod non est purum connotatum.

9 *Rejic. 3.*: unio quoad denominationem, seu prout actu denominans, est vera realitas; alioquin homo in nullâ realitate differret à non-homine, scilicet à binario entitatum materiæ & formæ non unitarum, qui est non-homo; solum quippe differt in unione prout de-

nominante. Rogo nunc, an illa realitas adæquate distinguitur à connotato, quod assignas? Si asseras (ut videntur communiter asserere Connotatores), rogo iterum, an deficiente connotato, v. g. in morte hominis, deficiat aliqua realitas à tali connotato adæquate distincta? Si affirmes; assigna quænam sit: nam realitas materiæ & formæ non deficit. Si neges: ergo deficiente connotato, manet adhuc unio, prout acti denominans, siquidem unio, sic accepta, est una ex realitatibus adæquate distinctis à connotato: ergo manet homo.

10 Si propterea dicas, unionem prout denominantem non adæquate distingui à connotato, sed illud includere, & ex illo constitui de obliquo, ut concedit M. Bayona hic *q. 6. edit. 2.* Infero: ergo jam unio in esse denominantis, realiter distinguitur, saltem inadæquate, à materiâ & formâ. Patet: quia unio in esse denominantis verè constituitur ex aliquo realiter distincto à materiâ & formâ, nempe ex illo connotato; ac proinde cum ipso realiter identificatur, saltem inadæquate: hoc autem stare non potest, quin unio in esse denominantis, realiter distinguatur à materiâ & formâ, inadæquate saltem.

11 Porro constitutivum de obliquo, verè constituit, verè que identificatur inadæquate cum re constitutâ; ut patet in concretis accidentalibus, quorum una pars (sive sit subjectum, sive forma) solum constituit de obliquo, & tamen verè constituit: v. g. hæc denominatio,



*Filius Dei adoptivus*, verè constituitur ex Gratia & creaturâ rationali, nec dici potest adæquatè identificari cum altero tantum ex his constitutivis; & tamen eorum alterum nonnisi de obliquo importatur. Quodsi contendas, constitutum de obliquo non verè & intrinsicè constituere, nec inadæquatè identificari cum re constitutâ: ergo tota realitas unionis in esse denominantis, adæquatè distinguitur à connotato; & redit impugnationum. 9..

12 Præterea quæro abs te, utrum per defectum connotati deficiat *formaliter* unio quoad denominationem? an deficiat *illativè* tantum? Si *formaliter*: ergo connotatum est intrinsicè constitutum unionis prout denominantis, vel est tota realitas ejus: nulla quippe res deficit *formaliter*, nisi per defectum totius realitatis, vel alicujus intrinsicè constitutivi, ut notum est. Si tantum *illativè*: ergo defectus connotati infert defectum alterius realitatis à connotato distinctæ. Dic ergo, quænam illa sit. Aliter: Carentia connotati, vel est ipsa formalis carentia unionis prout denominantis, vel non. Si est: ergo unioni & connotato eadem respondet carentia formalis, sive idem non-esse, idem non-ens: ergo idem est esse, & eadem entitas utriusque. Si non est: ergo, cum deficit unio prout denominans, ultra carentiam connotati datur alia carentia, sive aliud non-ens: ergo datur defectus alterius entitatis.

13 *Rejic. 4.*: eadem solutionis doctrinâ, eodemque recursum ad connotatum extrinsecum, eliminari possunt modi omnes à rerum naturâ, v. g. præsentia localis, actio, passio, & præsertim modus relationis Thomisticus, identificando scilicet relationem cum solo fundamento connotante terminum. Cum ergo nihilominus modos istos, à parte rei distinctos à rebus absolutis, agnoscant Thomistæ, parum consequenter ejusmodi doctrinâ utuntur in præsentiarum. Consequentius procedunt Connotatores, qui modos omnes generatim negant. Sed nihilominus urgeri possunt: quia similiter neganda erunt plura alia constitutiva rerum, quantumvis jure posita. Quid enim prohibet v. g. identificare hominem cum solâ animâ, connotante materiam præsentem, tanquam purum connotatum extrinsecum? dicere que, in morte hominis non deficere animam quoad entitatem, sed solum quoad denominationem *hominis*, & quoad cæteras in homine inclusas, quæ deficiunt ex defectu solius connotati?

14 Quid item prohibet in omnibus compositis ponere formam unius speciei entitativæ, quæ pro varietate solius connotati intrinsicè nunc tribuat denominationem *equi*, nunc *canis*, nunc *arboris*, nunc *aurei*, nunc *lapidis*, &c.? Imò quid prohibet negare cum Atomistis formam substantialem? & totam compositorum varietatem constituere per solam materiam, sive per atomos ejusdem speciei entitatis.

tativæ, cum solâ varietate combinationis, quin combinatio quidquam entitativum superaddat? Si homo in nullâ entitate differt à non homine (quod, ut vidimus, sequitur ex sententiâ negante unionem distinctam), cur equus in aliquâ entitate differat à cane? vel ab arbore? vel à lapide?

15 Forsân pro Thomistis disparitatem reddere tentabis ex Collegio Complut., seu M. Bayonnâ; dicesque, novam denominationem tunc solum exigere novam formam, seu novum constitutum, quando est denominatio primaria, & excedens virtutem & proportionem rei præexistentis; secus verò, quando est denominatio secundaria, & non excedit rei præexistentis proportionem, & virtutem; ut accidit in denominatione *unitarum* respectu materiæ & formæ. Sed *contra 1.*: quia, quamcumque denominationem mihi proponas, facile dicam, non esse primariam, nec excedere vim, & proportionem rei præexistentis; idque ex doctrinâ tuâ propugnabo. Dicam v. g., denominationem *lupi* non esse primariam respectu formæ canis, & in hac formâ vim & proportionem esse ad denominandum *lupum*, dummodo addas novum connotatum extrinsecum. Unde hoc impugnabis? *Contra 2.*: denominatio *hominis* est proculdubio primaria, & principalissima: ergo præter materiam & formam (fac esse præexistentes) exigit novum constitutum. At non exigit nisi unionem.

16 *Contra 3.*: cur existentia

v. g. debet apud Thomistas magis distingui ab essentiâ creatâ, quam unio ab extremis? An quia *existere* est quid contingens, & separabile ab essentiâ? At etiam *uniri* similiter se habet respectu materiæ & formæ hominis? An quia ex terminis *existere* est primaria denominatio existentia? At etiam ex terminis *uniri* est primaria denominatio unionis: nam ita se habet unio ad *uniri*, sicut existentia ad *existere*. An quia extrema proportionem & virtutem habent ad unionem? At cur non idem dicis de essentiâ creatâ, quæ de se aptissima est ad existentiam, & semel producta, multò magis cum existentia connectitur, quam extrema cum unione? An quia solius Dei est identificare secum suum esse? *Distinguo*: identificare secum suum esse, sine indigentia connotati quoad exercitium essendi, *conc.*; cum indigentia connotati, idest, actionis productivæ, quoad exercitium essendi, *neg.* Quâ mihi ratione contradices?

*Unio predicta consistit in Modo realiter superaddito extremis.*

17

**A**SSERTIO ista probatur: quia Unio in primis non consistit in

solis entitatibus materiæ & formæ, ut probatum est. Deinde non consistit in aliquo ex connotatis nam. 6. recensitis. Cum ergo nulla alia entitas probabiliter advocari possit ad æmunus uniendo, superest, ut unio consistat in modo realiter super-



peraddito extremis. Nihil hinc restat probandum, nisi quod unio non consistit in aliquo ex connotatis n. 6. recensitis. Id verò communiter supponitur ab Adversarijs; qui connotata illa vocant quidem conditiones, ut exiit unio quoad exercitium; nolunt tamen, ut unio ex illis intrinsicè constituitur, aut in eis consistat. Sed præterea probatur percurrendo singula.

18 Inprimis unio non consistit in penetratione locali, quia forma fit materiæ præsens in eodem loco. Tum quia præsentia illa, cum sit accidens, nequit intrinsicè constituere hominem: unio autem intrinsicè constituit; siquidem ea tollâ deficiente, etsi cætera maneant, formaliter deficit homo. Tum quia stare potest ea præsentia, quin detur unio: possunt enim divinitus penetrari duo homines, quin alterius anima uniatu corpori alterius: & alioquin anima Christi nascentis, reïurgentis, & ingredientis cænaculum januis clausis, unita fuisset cum materiâ claustrî virginis, lapidis f. pulchri, & januæ cænaculi. Adde, quod tres divinæ Personæ sunt æquæ præsentés humanitati Christi; cui tamen sola secunda unitur. Imo sunt per immensitatem præsentissimæ omnibus humanitatibus, quin eis uniantur.

19 Deinde nec consistit unio in dispositionibus materiæ ad formam. Tum quia nec ista possunt intrinsicè constituere hominem, cum sint accidentia. Tum quia etiam stare possunt, quin stet unio: potest enim Deus animam à corpore sepa-

rare, nullâ dispositione sublata: potest item duos homines penetrare, quin unius anima uniatu alterius corpori, quamvis tale corpus æquè dispositum sit ad quamlibet animam ejusdem speciei. Ipsa quoque humanitas Christi soli Verbo unitur, cum tamen æquè disposita sit ad alias Divinas Personas. Præterea neque unio consistit in Divino decreto de existentia compositi. Tum quia sequeretur alioquin, Petrum, aut equum, intrinsicè constitui ex aliquo Divino, atque adeò non esse eas purè creatum, sed partim increatum. Tum quia eodem jure dici posset, quod actio creaturæ, passio, ubicatio, motus, imò calor, albedo, &c., consistunt in decreto Dei. Tum quia decretum illud vult, ut materia & forma uniantur: ergo respicit unionem pro objecto, seu termino: ergo non est unio ipsa.

20 Denique, quod attinet ad actionem generativam compositi, si unio in eâ consistit, jam consistit in modo: nam actionem esse modum, nemo negat, nisi fortè rigidus quispiam Connotator. Et reverà probabile est, educationem formæ materialis identificari cum ejus unione ad materiam; de quo infra. Nihilominus illa actio, prout à Thomistis ponitur, non est unio ipsa. Nam actio generativa, hominis v. g., apud Thomistas est modus accidentalis, atque adeò non potest ingredi constitutionem hominis: est item apud eosdem, non tam unio, quam unio, sive effectio unionis; nec animam & materiam unit formaliter, sed efficienter; ac proinde unio-

unionem respicit ut terminum à se distinctum. Atque hinc probari solet utraque Assertio nostra contra Thomistas. Nam generatio hominis, utpotè vera hominis productio, aliquid entitatis producit in homine: sed non producit materiam, nec formam, quia neutra producit generatione, sed creatione: ergo producit entitatem à materiâ & formâ distinctam; quæ nulla esse potest, nisi modus unionis. Certè generatio ista est productio hominis. Quid ergo in homine producit?

21 Dices 1.: producit totum hominem in esse hominis. *Contra*: homo in esse hominis importat nè aliquid distinctum ab entitatibus materiæ & formæ? Si neges: ergo, cum has entitates non producat generatio, non producit hominem in esse hominis. Si affirmes: quid est illud aliquid, nisi modus unionis? Dices 2.: generatio hominis non est productio entitatis, sed est actio unitiva partium, seu communicativa formæ ad materiam. *Contra*: generatio hominis est vera productio hominis, quem facit transire de non esse ad esse: quomodo autem dari potest hic transitus sine novâ entitate? *Contra iterum*: generatio hominis ita est unitiva & communicativa, ut non sit unio & communicatio formaliter, sed efficienter, juxta Thomistas: ergo est effectio unionis, seu communicationis formalis. Sed non est effectio materiæ, nec formæ hominis: ab his ergo distinguitur formalis unio.

22 Dices 3.: est effectio materiæ & formæ, non secundum se,

sed quoad simultatem, quia facit materiam & formam esse simul, efficit que formam prout in materia. *Contra*: illa *simultas*, illud *esse simul*, illud *prout in*, non significat meram simultatem temporis & loci; tum quia hæc *simultas*, utpotè accidentalis, non intrat essentiam hominis; tum quia cum eâ stare potest quòd materia & forma non sint unitæ, ut supra ostendimus. Quid ergo aliud significat, præter materiam & formam secundum se verè existentes? Si enim nihil aliud, effectio illa nihil efficit.

23 *Probatu* 2.: quia hæc urget necessitas admittendi modum superadditum, si usquam alias. Tunc enim modus censetur necessarius, cum res absolutæ indifferentes sunt ad munus aliquod, possuntque existere, quin illud obeant, & aliunde nihil ipsis deest præter ultimam determinationem, sive exercitium actuale. Sic admittitur modus actionis, quia causa & effectus possunt existere, quin effectus oriatur à tali causa: sic etiam modus ubicationis, seu præsentis, quia possunt existere res & locus A, quin res existat in loco A. Atqui materia & forma possunt existere, quin uniantur, & constituent compositum, nihil que ipsis deest præter ultimam determinationem, & actuale exercitium: ergo &c.

## CAP. II.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

1 **O**bjec. 1.: forma immixta: diate unitur materiæ: ergo non mediâ unione distincta.



*Prob. Antec. 1.*: quia ita expressè Aristoteles, & D. Thomas. 2.: quia forma immediate informat, sive actuat materiam, cum per se immediate sit actus illius: sed informare materiam, est illi uniri: ergo. 3.: quia forma & materia se ipsis proportionantur ut actus & potentia, appetunt que invicem uniri naturali pondere.

2 *Resp. dist. Antec.*: immediate *ut quod*, *conc.*; immediate *ut quo*, sive immediatione actualis exercitij unendi, *neg. Antec.*. Tum *dist. Consequ.*: non mediâ unione, que propriè mediet, *conc.*; que mediet solum improprie, & abusive, *neg. Consequ.* Forma unitur materiâ immediate *ut quod*; quia est id, quod denominatur ac redditur immediate unitum: nam unio, quam ponimus, est formalis & immediata unio formæ cum materiâ: ergo dum formam afficit, ipsi tribuit suum quasi effectum formalem, qui est denominatio *formaliter & immediate unita cum materia*. Idem intellige de materiâ respectu formæ. Non tamen forma unitur immediate *ut quo*, sive immediatione actualis exercitij; quia non identificat secum exercitium illud.

3. Nec unio, quam adstruimus, propriè mediat. Quia id solum propriè mediat dicitur, quod non sinit extrema se se immediate contingere, sed ea tantum sibimet ipsi jungit hinc & inde, idest, unum ex uno, aliud ex alio latere, ut cum calx mediat inter lapides; vel etiam, quod non sinit extrema se se immediate afficere, nec est utriusque unio

formalis, sed tantum singulorum in se terminat unionem, quo modo albedo unitur materiâ mediâ quantitate. At nihil horum convenit unioni, quæ sit purum exercitium unendi: hæc enim potius est immediatus & intimus contactus extremorum inter se, immediata affectio, & unio formalis eorundem. Improprie tamen, & abusive dicitur mediat; quia loquimur, ut apprehendimus, & non apprehendimus unionem per species proprias, sed instar rei mediantis, v. g. calcis, aut bituminis; sicut Angelum instar juvenis aligeri. Eadem ratione partes unitæ vocantur *extrema*. Itaque propriè loquendo, tam immediate unitur forma cum materiâ, quam unio ipsa; quia licet unio cum materiâ uniatur essentialiter, adeoque inseparabilius, quam forma; utraque tamen omnino excludit medium propriè tale.

4. Tota hæc doctrina clarescet exemplis actionis, ubicationis, relationis, & similiarum modorum. Quia enim actio solum additur ut formale exercitium producendi, non tollit, quod causa immediate producat effectum, & hic immediate producat a causâ: quâ eadem ratione ubicatio non tollit immediationem inter corpus, & locum: & modus relationis Thomisticus sinit fundamentum immediate referri ad terminum.

5. Hinc nihil obstant *probationes Antec. n. 1.* *Ad 1.* concedimus cum Aristot. & D. Thoma immediate unionem propriè talem. *Ad 2.* forma informat & actuat materiam

im.

mediate *ut quod*, & per modum actus informativi, non verò immediate *ut quo*, seu per modum informationis, & actuationis formalis; sicut causa activa immediate agit per modum virtutis activæ, non per modum actionis. *Ad 3.*: tota illa proportio & appetitus, non reddit materiam, & formam ultimò & formaliter determinatas, ut uniantur, cum possint sine unione existere: non ergo tollit necessitatem unionis distinctæ, quâ immediate uniantur: sicut proportio & appetitus causæ ad producendum, non tollit necessitatem actionis.

6. Sed, ut locutiones quasdam explices, aut rejicias, observa sequentia. 1.: unio ipsa, cum essentialiter atfigatur extremis, est etiam *id*, quod unitur; non tamen dicitur simpliciter *uniri ut quod*; quia locutio ista significat id, quod unitur per modum entitatis absolutæ, vel certe id, quod non ideò unitur, ut uniat extrema à se distincta, sed unitur velut in gratiam sui: quod autem unitur per modum exercitij, quo alia uniantur, solum dicitur *uniri ut quo*. Sic ubicatio dicitur *locari ut quo*, licet sit etiam *id quod est in loco*: eademque ratione actio dicitur *causare*, non *ut quod*, sed *ut quo*. Si tamen aliter loqui velis, per me licet, dummodò constet unionem, quam ponimus, esse modalem & ultimam determinationem, quâ materia & forma redduntur immediate unita.

7. 2.: unio etiam pro tenuitate suâ materiam actuat, & informat: non tamen dicitur actus, sed

actuario, non forma, sed informatio: sicut actio non dicitur causa, sed causalitas, licet ipsa quoque pro modulo suo faciat effectum existere. Ne tamen de voce litiges, siquis unionem contendat esse formam, & actum, distingue sic: per modum informationis & actuationis alterius formæ, *conc.*; aliter, *neg.*. Ceterum negandum omnino est, quod unio materiam actuet & immutet prius, & immediatius, quam forma, cuius est unio. Nam idem est unionem existere, ac reddere formam immediate actuantem & immutantem subjectum; in hoc enim consistit essentia unionis. Sic ubicatio non est in loco prius & immediatius, quam corpus; nec actio dat esse effectui prius & immediatius, quam causa.

8. 3.: unio dici potest *ratio formalis*, quâ forma informat, si hoc nomine, *ratio formalis*, intelligatur ultima & formalis determinatio formæ ad informandum; secus verò, si tali nomine intelligatur virtus, seu potentia informativæ formæ; sic enim *ratio formalis* informandi non distinguitur à formâ ipsâ. Hinc habes, qualiter unio animæ cum corpore dici possit, vel non possit, *ratio formalis* vivificandi; necnon actio causæ activæ, *ratio formalis* producendi; vel etiam ubicatio corporis, *ratio formalis* occupandi locum. Dicere quoque poteris, quod unio non est ratio formalis, quâ extrema sunt unibilis; est tan en ratio formalis, quâ extrema sunt actualiter unita. An autem sit ratio formalis, quâ extrema sunt unum actu, dicemus statim.

Hh

Ob-



9 *Objic. 2.* : si daretur unio distincta, homo (idem puta de quo vis alio composito) esset formaliter unus per eam unionem, siquidem ratione illius extrema sunt indivisa, & unitas est indivisio. At sequela istius falsitas ex eo patet, quod homo per id est formaliter unus, per quod est formaliter ens, cum unitas sit passio entis: homo autem est formaliter ens per materiam & formam, non per unionem modalem, alioquin foret ens modale.

10 *Solutio* communis distinguit duplex genus unitatis in rebus compositis. Alia est unitas compositionis, quæ consistit in conjunctione partium, negat quæ divisionem unius partis ab aliâ; & hæc unitas non est transcendentalis, quia supponit partes, adeoque non convenit omni enti. Alia verò est unitas indivisionis entis in pluralia, quale ipsum est, v.g. hominis in plures homines, aut Angeli in plures Angelos; & hæc est unitas transcendentalis, & attributum entis ut sic, quia in omni ente reperitur. Ad *objectionem* ergo respondetur, hominem ab unionem reddi formaliter unum unitate compositionis, non verò unitate transcendentali; hanc enim, non à solâ unionem, sed à totâ suâ essentiâ, habet homo, sicut à totâ suâ essentiâ habet esse ens.

11 Melius fortasse dici potest, quod *unum*, sive *unitas* (hi termini solum differunt ex modo significandi, sicut *ens*, & *entitas*) dicit de formali, non solam indivisionem, sed *simul* entitatem ipsam

positivam. Id quod supponit *Objectionem*, dum ait, hominem per id esse formaliter unum, per quod est formaliter ens: & alioquin, cum indivisio sit mera negatio, ut communiter dicitur, unitas foret attributum merè negativum. Vid. P. Suarez. d. 4. Met. f. 2.. Unum ergo significat formaliter *Ens indivisum*: atque ita redditur homo formaliter unus à totâ suâ entitate (scilicet à materiâ, formâ, & unionem), & insuper ab indivisione. Hæc autem indivisio non solum excludit divisionem animæ à materiâ, sed etiam divisionem, tum animæ, tum materiæ, in semetipsis: quare non solum provenit ab unionem modali, sed etiam à simplicitate animæ, & ab unitate materiæ. Hinc negandum, quod per solam unionem reddatur homo formaliter unus, aut indivisus; quàmvis unio sit ultimum determinativum.

12 Cur autem homo non denominetur *ens modale* à modo unionis, quem includit, ratio patenda est ex regulâ datâ *disp. præced. c. 1. n. 25.* Nimirum denominatio illa significat entitatem essentialiter affixam alteri, vel saltem concretum, cujus præcipua forma est modus: & utraque significatio repugnat homini. Habes exempla *loc. cit.* Ob eandem rationem denominatio *uniti*, quæ est velut formalis effectus unionis, non refunditur in totum hominem, quàmvis conveniat materiæ & formæ.

13 *Dices*: præcipua, vel unica forma hujus denominationis, *compositum*, est *compositio*: hæc au-

autem est unio partium: ergo, si unio est modus, substantiale compositum erit concretum, cujus præcipua forma est modus. *Resp.* Si *compositum* idem sonet, ac *simul positum*, est denominatio præstita à compositionem, sive unionem, tamquam à propriâ formâ: cæterum hoc sensu non dicitur de toto substantiali, sed de partibus ejus, sicut denominatio *uniti*. Dum ergo dicitur de toto, seu de corpore naturali, significat idem, ac *quod constat partibus unitis*, vel *quod identificatur cum materia, forma, & unionem*: quo sensu non est denominatio proveniens magis ab unionem, quàm à materiâ, & formâ; imò præcipue provenit à parte præcipuâ, quæ est forma substantialis. Idem dictum esto de nomine *constitutum*.

14 *Dices* iterum: homo diceretur ens accidentale, si unio foret accidentalis: ergo dici debet ens modale, si unio est modalis. *Resp.* Eodem argumento probari posset, quod homo dici debet ens partiale, vel ens incompletum, quia includit formam, quæ est entitas partialis, & incompleta. Itaque *neg. Consequ.* Disparitas verò sumenda est ex regulâ citatâ n. 12.: quia scilicet *accidentale* dicitur quidquid non est adæquate intentum per se, & propter se, sed continet aliquid adæquate distinctum à supposito: id autem verificaretur de homine, si constaret unionem accidentali. At non ita verificatur quod est de conceptu *entis modalis*, ex n. 12.; sicut non verificatur quod est de conceptu *entis partialis*. Ubi notabis, quod unio,

quàmvis essentialiter pendens à subiecto, eidem quæ inhærens, aut affixa, idem non est accidens, quia intenditur in gratiam compositi, vel suppositi, in quo & ipsa includitur, atque ad eum intenditur propter se, sive ut aliquid suppositi. Relege dictâ *disput. 4. cap. 3. n. 17. & 18.*

15 *Dices* insuper: modalis unio est relatio transcendentalis sui ipsius ad extrema, & prædicamentalis extremorum inter se: ergo homo, ex tali unionem constitutus, erit ens relativum, vel saltem non erit ens adæquate absolutum, sed partim ad se, partim ad aliud. *Conc. Antec.* ex dictis in Logica, ubi de Relatione. Ad illationem verò dicitur, hominem, & quodlibet ens creatum, esse relativum transcendentaliter, saltem respectu ad Causam primam, quin idem destinat esse ens absolutum, & ad se. Vide supra *disp. 2. c. 2. n. 35.*, & in Logica *tract. 4. c. 5. n. 4.* Neque hoc habet homo à solâ unionem, sed ab omni sui parte; nam etiam materia & forma sunt relationes transcendentales, & ad invicem, & ad Deum. At negandum, quod homo ex se & intrinsicè sit ens relativum prædicamentally, quàmvis ex prædicamentally relatione constituatur; quia denominatio *relativi* non refunditur in totum compositum, ob rationem datam pro denominationem *entis modalis*. Quare homo dicitur ens absolutum, non quidem adæquate, sed tamen simpliciter; sicut dicitur ens corporeum simpliciter, quàmvis non adæquate.

16 *Objic. 3.*: homo definitur  
Hh 2 tur



eur compositum ex corpore & anima rationali, ubi nulla mentio de unione. *Confirm.* 1. ex Symbolo Athanasij, ubi dicitur: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Hic distinctè explicantur constitutiva hominis, & Christi; nec tamen nominatur unio. Urgetur hoc syllogismo: Quod est unus homo, secum identificat unionem; sed anima rationalis & caro unus est homo: ergo anima rationalis & caro secum identificant unionem: *Confirm.* 2. ex D. Dionysio dicente: *Mors non est in homine substantie corruptio, sed unitorum separatio.* At, si perit unio quoad entitatem, mors hominis erit utique substantie corruptio: *Confirm.* 3. ex Aristotele, qui unionis immemor, substantiam adæquatè dividit in materiam, formam, & compositum.

17 *Resp.* Cum homo physice definitur, unio, licet non expressè nominetur, supponitur; quia, nisi anima & corpus supponantur unita, non datur homo, qui definiatur. Ideò autem unio non explicite nominatur, quia non tam est pars, quam nexus partium, non tam constitutum, quam purum exercitium constituendi: & aliunde perfectio, & indoles specifica compositi satis dignoscitur explicatis materiâ & formâ. Significatur tamen unio implicite per nomen *compositum*, quod idem sonat, ac *constans partibus unitis.*

18 Hinc ad 1. *confirm.*: in Symbolo Athanasij, tam anima & caro, quam Deus & homo, sanam-

tur, non utcumque, sed prout sunt extrema unita quoad exercitium, seu quoad denominationem; alias non staret veritas illius articuli, ut patet in morte hominis, ubi manent anima rationalis & caro, nec tamen unus est homo; idemque pateret, quantum ad Deum & hominem, si deficeret quoad exercitium unio hypostatica. Quare in syllogismo ad juncto concedo *Maj.* de identitate inadæquata, & *dist. Min.*: in sensu, quo anima & caro sanantur in Symbolo, *conc.*; aliter, *neg. Min.*: & similiter *dist. Consequ.*

19 Notandum hic, quod idem est dissidium circa unionem hypostaticam; quam Authores nostræ sententiæ collocant in modo distincto ab humanitate & personâ. Verbi refragantibus plerisque Thomistis. Pro utraq; parte sunt argumenta Theologica, quæ hic expendere importunum esset. Tantum moneo, Verbum Divinum non esse propriè subjectam unionis hypostaticæ, nec ab eâ perfici, nec inferri, aut immutari; sed essentia terminata intrinsecum, quem unio exigit speciali titulo presentissimum & intimè humanitati.

20 Ad 2. *confirm.*: modalis entitas unionis, sicut non dicitur absolute res, ita non dicitur absolute substantia: ideò mors hominis non dicitur corruptio substantiæ, scilicet absolutæ, licet reverà sit corruptio substantiæ modalis, inde que denominativè corruptio hominis, qui ex tali substantiâ constituitur: & alioquin mors hominis non foret corruptio substantialis; quod nemo

dicere. Ad 3.: Aristotelica divisio substantiæ comprehendit unionem nomine *compositum*, nec eam expressius nominat propter dicta 2. 17.

21 *Objic.* 4.: materia & forma se ipsis proportionantur in actu secundo; hæc enim proportio consistit in ratione primi subjecti, & primi actus: ergo materia & forma se ipsis uniantur in actu secundo. *Confirm.*: unio, cum sit causalitas, quæ forma causat suum effectum formalem, minus distat à formâ, quam ipse formalis effectus; est enim unio quasi via ad effectum hujusmodi: & tamen effectus formalis non distinguitur realiter à formâ: ergo à fortiori nec unio distinguitur.

22 *Resp.*, vel *neg. Antec.*, vel *dist.*: si proportio in actu secundo significet plenam aptitudinem recipiendi & informandi, in qua stat quidditas primi subjecti & primi actus, *conc.*; si significet exercitium istius aptitudinis, *neg. Antec.*, & *Consequ.* Ad *confirm.*: unio nec minus, nec magis, quam effectus formalis, à formâ distat distantia temporis, aut loci: nec causalitas istius effectus est via ad ipsam, nisi metaphoricè, aut abusive; potius eniam est intrinsecum ejus constitutum. Si autem distantia sumatur pro distinctione, par est distantia causalitatis, & effectus formalis, quatenus hic includit alia constitutiva præter formam: formalis enim effectus est totum compositum, in quo præter formam includuntur materia, & unio, sive causalitas.

23 *Objic.* 5.: postea animâ

rationali intimè præsentè toti corpori, positisque in corpore organis ultimò dispositis ad actiones vitales, & insuper posito decreto Dei de concurrente cum animâ ad usum ejusmodi organorum, tamen nihil aliud adderetur, posset anima uti oculis ad videndum, auribus ad audiendum, &c.; consequenter que plene daretur homo: ergo novus unionis modus, quem ponimus, est omninò superfluus. *Neg. Antec.*: quia tunc anima non esset forma informans, sed forma assistens, sicut dæmon in corpore arcepsitij. Posset ergo tunc anima uti organis corporeis præcisè ad motum localem; minime vero ad vitales actiones videndi, audiendi, &c.; hæc quippe debent esse à principio intrinsecè; tunc autem anima non potest agere in corpore, nisi ut causa extrinsecè, sicut dæmon agit. Relege *Dissert. Prelim.* 27.


24 *Objic.* 6.: apud nostros Auctores, licet conservatio non distinguatur à productione, potest dari productio, quin denominetur conservatio: potest item res existere, quin denominetur durans in instanti A, quævis duratio sit indistincta à re durante: potest etiam dari fundamentum relationis, quin denominetur relatum, tamen relatio non sit distincta à fundamento. Quod ergo materia & forma possint existere, quin denominentur unita, non probat, unionem ab illis esse distinctam. *Nego suppositum Anteced.*, si loquatur de indistinctione adæquatâ: non enim Auctores nostri conservacionem ad materiam



identificant cum productione, nec durationem cum solâ re durante, nec relationem cum solo fundamento: sed apud illos conservatio in esse talis constituitur etiam de obliquo per durationem rei in instanti antecedenti, ut etiam duratio per instantis, aut tempus, & relatio per terminum. Unde, cum actualiter non denominant, deficit ipsis ali-quod constitutivum denominationis, & non merum connotatum extrinsecam, quod scilicet à totâ realitate denominationis distinguatur.

25 Denique duo notabis. 1. modus unionis non aliâ indiget unione, ut uniatur extremis, (nisi fortè sub ratione aliquâ speciali) sed per se immediate unitur, ne alioquin multiplicentur uniones sine fine. Sic actio se ipsâ producit, & ubicatio se ipsâ ubicatur, quin requiratur actio actionis, nec ubicatio ubicationis. 2.: quod dictum est de unione substantiali, accipiendum pariter de unione formæ accidentalis absolutæ, & generatim de unione extremorum, quorum neutrum est essentialiter determinatum ut uniatur alteri: semper enim tunc addenda est unio modalis. Unde etiam unio continuativa statui solet in modo superaddito; qui tamen, ad discrimen unionis essentialis, non penetratur cum utroque extremo, nec exigit penetrationem eorum inter se; sed penetratur cum altero duntaxat, & exigit essentialiter

ut alterum sit in loco immediato: quâ de re alibi sermo relictus.



CAP. III.

UTRUM EDUCTIO FORMÆ materialis identificetur cum ejus Unione ad materiam?

1 **U**T quæstio præfixa locum habeat, supponendum est, quod actio & passio identificantur, seu quod *eductio* non solum est *actio* agentis, sed etiam *passio* materiæ, idest, causalitas illa, quam materia exercet in formam ut causa materialis, & subjectum sustentationis; quæ causalitas vocatur etiam *sustentatio*, *inhærentia*, *dependentia formæ à materiâ*, & *receptio*; quamquam *receptio* latius interdum sumitur pro quâlibet unione informativâ. Merito autem suppositio ista præmittitur: quia si *eductio* sit *actio* realiter à passione distincta, non recipitur in materiâ, sed in agente, nec est unde probetur identificata cum unione. Hinc nulla quæstio est de creatione animæ rationalis, quam constat non esse passionem, nec à materiâ pendere in ullo genere causæ physicæ. Quare quæstionis propositæ sensus est, utrùm ille modus, quo materia passivè causat, sustentat, ac recipit materialem formam, sit realiter ipse modus unionis ultimò determinans eandem formam, ut cum materiâ constituat unum per se, quin opus sit unionem aliam superaddere?

2 Negativam partem tenent PP. Hurtad., Arriaga, Ovied, Amicus, Compton, Alphonsus, & alij, quos citat, & sequitur P. Gabriel de

de Henao in *Empyreolog. exercit.* 7. n. 68. Accedunt PP. Peynad., & Ulloa, pluresque Recentiores. Partem verò affirmantem tuetur Exim. Doctor d. 13. *Met. s. 9. n. 10.* & 11., necnon alij in locis citatis ab Henao n. 82.. Accedunt PP. Vazquez, Bernal, Ripalda, Lynce, & Quiros, qui duo postremi solent pro contrariâ sententiâ allegari, cum tamen ex suppositione, quod *eductio* sit *passio*, expressè affirmet uterque, Lynce quidem *lib. 5. tract. 3. cap. 3.*, Quiros autem *tract. 3. disp. 48. sect. 2. in fine.*, ubi etiam Fontecam, & Conimbricenses allegat. Subscribunt multi, nobilesque Recentiores. Hæc eadem affirmativa pars mihi etiam probabilior est: & —

3 *Prob.*: *Eductio*, sive *passio*, se ipsâ constituit formam actualiter in materiâ receptam; siquidem *passio* est *receptio* propriè & strictè talis, ut Adversarij concedunt: ergo se ipsâ constituit formam actualiter materiæ unitam, ac proinde se ipsâ est unio. *Prob. Conseq.*: nequit forma intelligi recepta in materiâ, quin ipsi tribuat suum effectum formalem: sed hunc effectum non tribuit, nisi ut actualiter unita materiæ: ergo nequit intelligi recepta, quin intelligatur unita: ergo, si *eductio* se ipsa reddit formam actualiter in materiâ receptam, reddit & actualiter unitam. Cetera constant: & *Major probatur* 1.: quia nequit forma intelligi recepta, quin intelligatur communicata materiæ, ut ex terminis patere videtur: forma autem communicata subjecto

capaci, eo ipso tribuit suum effectum formalem, ut nemo dubitat.

4 2.: quia forma recepta in materiâ, quâvis alia unione præcisâ, excludit privationem sui; nè alioquin materia intelligatur simul recipiens duo contradictoria: certum est autem, quod forma non nisi informando, suum que formalem effectum tribuendo, privationem sui à subjecto excludit. 3.: quia præcisè intellectâ receptione formæ novæ, intelligitur quod sufficit ad expellendam formam præcedentem: hæc enim expellitur eo ipso, quod designat in materiâ recipi, ac sustentari: definit autem eo ipso, quod materia novam formam recipit, ac sustentat; non enim in materiâ recipi simul possunt duæ formæ substantiales non subordinatæ. At expulsio formæ præcedentis, cum sit effectus secundarius formæ novæ in genere causæ formalis, supponit juxta omnes effectum formalem primarium, & exercitium causæ formalis, quod est unio.

5 Probationes istæ roborantur exemplo formæ accidentalis, in quâ parem esse rationem fatentur Adversarij, similiter distinguentes receptionem & inhærentiam accidentis ab ejus unione formali. Gratia habitualis eo præcisè, quod in homine recipiatur, illum deominat *justam*, qui est ejus effectus formalis. Constat hoc ex Tridentino *ses. 6. cap. 7.* dicente: *Verè justè nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes*: ubi nihil aliud requirit, ut *justi* nominemur, & *sumus*, nisi quod justitiam, sive Grati-



nam, in nobis recipiamus. Similiter idem Tridentinum, tum ibi, tum *can. 11. ejusd. sess.*, definit, homines eatenus justificari, quatenus Gratia diffunditur in cordibus eorum, *atque ipsis inhaeret*: idem ergo est Gratiam inhaerere, ac justificare.

6 *Urgetur*: si recipi & inhaerere non est idem, ac uniri: ergo poterit intelligi Gratia proprie recepta, & inhaerens, & tamen non unita, proindeque non justificans; quod videtur plane repugnans Tridentino. Poterit item Gratia intelligi recepta, & tamen non expellens peccatum, nec privationem sui; nam utraque expulsio provenit à Gratia in genere causae formalis, atque adeò non ut à formâ assistente, sed ut à formâ unitâ, & informante. Hinc autem absurdè sequitur, quòd homo, prout recipiens Gratiam, & illam sibi inhaerentem habens, potest intelligi nondum esse in Gratiâ, nec amicus Dei, sed inimicus.

7 Eadem ponderatio in alijs accidentibus locum habet. Lux v.g. eo præcisè, quòd in aëre recipiatur, illum denominat *lucidum*; ergo illi unitur, atque illum informat. Patet *Antecedens*: nam alioquin posset aër intelligi recipiens lucem, & simul tenebrosus; nec solum intelligi, sed re ipsâ esse. Fac enim, à Deo impediri unionem, positâ receptione; quod possibile esse concedunt plerique Adversariorum, solum agnoscetes connexionem naturalem inter receptionem & unionem. Lux in eo eventu non excludet ab aëre sui privationem, sive tenebras; tum

quia alioquin aër in instanti reat nec esset lucidus, nec tenebrosus, quod omninò implicat: tum quia forma non actualiter informans, quantumvis præsentissima subjecto, non excludit ab eo privationem sui, ut patet in animâ Christi, dum claustrum virginum, & lapidem sepulchri penetravit. Erit ergo tunc aër lucem recipiens, & simul tenebrosus: quod, ni fallor, nemo concedet. Quis enim concipiat cimmerias tenebras in aëre, in quo recipitur, & sustentatur lux intensissima, & Solis fulgore splendidior?

8 Ex dictis præoccupata manet communis Adversariorum responsio: Quòd scilicet per educationem formae constituitur intrinseca materia, tamquam subjecto sustentationis, non verò tamquam subjecto informationis, sive informabili. Materia, inquit, non exercet munus subjecti informationis, nisi per unionem; munus autem subjecti sustentationis exercet per educationem, sive passionem. Hæc verò munita & exercitia separari possunt; nam primum sine secundo convenit materix respectu animæ rationalis. Educatio igitur non est exercitium subjecti informationis, ac proinde non est unio formalis, sed tantum radicalis, aut illativa, quatenus naturaliter connectitur cum unione, & illam infert. Hæc, inquam, responsio præoccupata manet: ostendimus enim, quòd receptio, quavis aliâ unione præcisâ, se ipsâ ultimò determinat formam ad præstandum suum effectum formalem, qui certe non præstatur nisi subjecto informationis ut tali.

Por-

9 Porro, quamvis munus subjecti informationis exerceri possit sine munere subjecti sustentationis, non tamen è converso: sustentatio quippe vera informatio est, licet non pure talis, sed insuper habes reddere formam receptam, seu passivè causatam à materia. Quòd vera informatio sit, probatur: quia subjectum sustentationis ut tale, verè & proprie subjectum est, ut nemo negat: ergo ipsi correspondet actus proprie talis, cum subjectum & actus correlativa sint. Atqui subjectum sub eâ ratione, sub quâ ipsi correspondet actus, est subjectum actuabile, & ejus exercitium est actuatio: ergo subjectum sustentativum sub ratione talis, verè est actuabile, & ejus exercitium, nempe sustentatio, vera actuatio est. *Actuatio* autem, & *informatio*, *actuabile* & *informabile*, *actus* & *forma*, solum differunt sicut *ensis*, & *gladius*.

10 Hinc implicatorium videtur quòd ait P. Peynad. *hic d. 4. n. 56.*: videlicet, *educationem esse exercitium, medio quo forma actuat materiam ut subjectum receptivum, non verò ut subjectum informabile.* Hoc enim perinde est, ac dicere: *Forma actuat materiam non ut subjectum actuabile, vel, Forma informat materiam non ut subjectum informabile*; siquidem *actuabile* & *informabile*, ut etiam *actuare* & *informare*, synonyma sunt. Quis verò non implicationem videat in eo, quòd forma actuet & informet subjectum non ut actuabile, nec ut informabile? Certè non minus id implicat, quàm quòd causa producat

effectum non ut producibilem, aut anima corpus animet non ut animabile.

11 *Confirm.*: eductio, sive passio, est formaliter unio sui cum materia, ut est certum: ergo etiam est formaliter unio formæ. *Prob. Consequ.* passio communicat formæ denominationes, propter quas ipsa est unio sui cum materia: ergo formam denominat unitam *ut quod.* *Prob. Antec.*: passio non est unio sui cum materia præcisè quia modus est; nam etiam est modus agentis, cui tamen non unitur: est ergo unio sui, quia est sustentatio, receptio, & dependentia sui à materia ut à causa materiali. Sed passio denominat formam sustentatam, receptam, & dependentem à materia ut à causâ materiali, & subjecto sustentationis: ergo communicat formæ denominationes &c.

12 Jam verò ratio quasi à priori nostræ sententiæ esse potest: quòd passio est verus aliquis nexus, veraque alligatio modalis, physica, & intrinseca, inter materiam & formam; est enim modus intrinsece affixus materiæ ut subjecto, forme ut termino, quem exigit intime præsentem, redditque inseparabilem à materia, quamdiu passio ipsa existit; nam causa materialis, cujus causalitas est passio, non causat effectum, nisi in se, & intra se, ad discrimen pure efficientis. Est item passio modus physicè alligans materiam & formam, prout sunt extrema invicem ordinata, & unibilia. Patet hoc: quia passio alligat materiam & formam, prout sunt subjectum susten-



tativum & actus educibilis: actus autem, prout educibilis, sine dubio dicit ordinem incompletionis & unibilitatis respectu subjecti, ex quo educitur: subjectum etiam sustentativum in suo formali conceptu dicit incompletionem, atque adeò unibilitatem respectu termini educibilis, ut passim omnes supponunt, nominatim P. Peynad. *lib. 3. Phys. d. 1. n. 23.*

13. Tum sic: modalis nexus physice & intrinsicè alligans extrema, prout formaliter sunt invicem ordinata, & unibilia, nequit non esse formalis eorum unio; vel cedo mihi, quid ultra desideres ad unionem formalem. Cum ergo passio sit nexus istiusmodi, nequit non esse formalis unio materiæ & formæ. *Dices:* formalis unio debet esse modus substantialis; passio autem est accidentalis. *Contra:* quòd passio sit, vel non sit substantialis modus, pendet ex eo, quòd sit, vel non sit formalis unio materiæ & formæ substantialis: si ergo passio probatur esse formalis unio, consequenter probatur esse modus substantialis. Profectò non alia ratio est, cur unio, à te posita, sit modus substantialis, nisi quia est modus physice alligans extrema substantialia sub ratione unibilium, eaque proinde determinat ut constituant unum per se, in quo ipse nexus includatur: hoc autem habet passio, ut ostendimus.

14. Ex his colliges, importunè nobis objici modos quosdam, qui materiam & formam quodammodo alligant, & inseparabiles

reddunt, & tamen non sunt earum uniones; v. g. si materia & forma supponantur per unicam indivisibilem substantiam terminari, vel existere in loco per ubicationem utrique communem, vel creari per eandem actionem, vel si sensatio recipiatur in materiâ & formâ, ut multi volunt. Importunè, inquam: nam omnes hi modi, etiam si admittantur possibiles, non alligant materiam & formam prout formaliter sunt extrema invicem ordinata, & unibilia, nec sub ratione potentia & actus, aut subjecti & formæ; neque illis communicant denominationes, propter quas ipsimet sunt uniones sui ipsorum; nec faciunt formam in materiâ recipi, & illam actuare: sed substantia respicit utrumque extremum sub ratione terminabilis, ubiatio sub ratione locabilis, creatio sub ratione producibilis, & sensatio sub ratione subjecti sustentativi sensationis ipsius. Adde, quòd sensatio, & substantia illa indivisibilis, præsupponunt materiam & formam jam actualiter unitas.

15. Denique *probari* potest nostra sententia: quia possibilis est eductio formæ indistincta ab ejus unione: ergo talis est eductio, quæ de facto datur; hic enim urgent axiomata illa: *Ustrè sunt per pura, quæ possunt fieri per pura: & Non sunt multiplicanda entitates* (maximè modales) *absque necessitate.* Antecedens conceditur à pluribus Adversarijs cum P. Compton; nec jure negari posse videtur: quia conceptus eductionis & unio-

nis non sunt oppositi, cum de facto identificentur in eductione respectu sui ipsius; est enim eductio sui, & unio sui: quid ergo prohibet eos conceptus identificari, etiam respectu formæ, sicut identificantur conceptus eductionis & passionis?

## CAP. IV.

CONTRARIJS ARGUMENTIS  
occurritur.

1. **P**Lura congerunt Recentiores: sed eorum pleraque, & præcipua, censentur inefficacia vel ab ipsis Auctoribus contrariæ sententiæ, ut ab Oviedo, Arriaga, Henao, qui simul ea dissolvete nos docent. *Objic. 1.*: eductio & unio habent prædicata, & munera diversa: nam unio est purus nexus extremorum, & ultima determinatio, ut constituant unum; eductio autem est productio formæ, & dependentia ejusdem à causâ efficiente, & à materiali: sunt ergo modi realiter distincti: non enim aliâ ex causâ distinguimus inter se actionem, durationem, & ubicationem. Nec refert, quòd eductio connectatur cum eo quòd extrema uniantur: nam etiam connectitur cum eo quòd forma duret, & ubicetur; & tamen non est ejus duratio, aut ubiatio formalis, sed tantum radicalis. *Confirm.*: eductio est prior formâ, cum sit via ad formam; unio autem est formâ posterior, cum sit ultima determinatio formæ jam existentis ad constituendum unum cum materiâ, sitque etiam exercitium, & causalitas, quâ forma causat compositum. **At idem modus**

nequit esse prior & posterior respectu formæ: ergo &c.

2. *Resp.*: diversa munera conveniunt passim eidem modo, ut cernere est, tum in eductione, quæ gerit munera actionis & passionis; tum in unione hypostatica, quæ, juxta plures Theologos, simul est unio, & forma sanctificans humanitatem; tum in quavis unione, quæ simul est materializatio & informatio, sive causalitas subjecti & causalitas formæ in compositum. Si ergo muera non sint opposita, & aliunde fundamentum adsit, ut de facto conveniant eidem entitati, non sunt in distinctis collocanda.

3. Porro actionem ab ubicatione & duratione, & has inter se se, ideò distinguimus, quia separabiles esse experimur: potest enim res à tali causâ produci, quin hanc determinatam ubicationem, aut durationem habeat; potestque permanere in loco A, quin permaneat eadem duratio, quippe quæ, si consistit in modo distincto à re durante, continuâ successione temporis variatur. Aliter ergo connectitur eductio cum unione, quam cum ubicatione, & duratione formæ: cum his enim ita connectitur, ut non determinet formam ad unum præ alio instanti, aut locum, sed illam indifferentem relinquat ad existendum in varijs instantibus, & locis: quare opus est novâ determinatione, ut forma hîc & nunc ubicetur, & duret. At, posita eductione, non est unde colligatur indifferentia ulla extremorum ad unionem.

4. **Ad Confirm.**: negandam



omnino, quod eductio sit prior formâ, prioritate aliquâ proprie tali, quam vocant *in quo*, vi cuius intelligi possit eductio in aliquo signo, in quo nondum intelligatur forma producta: repugnat enim intelligi ultimam determinationem, ut forma sit producta, & tamen nondum productam esse formam. Solum ergo competit eductioni respectu formæ prioritas impropria, quam vocant *purè à quo*, & quæ non prohibet utramque existere & intelligi in eodem signo; ut explicabimus *Tract. 2.*, ubi de prioritate naturæ.

5 Negandum item, quod unio sit physice posterior formâ quin obstat titulus ultimæ determinationis, causalitatis, aut exercitij causæ formalis. Causalitas, & exercitium causæ efficientis, debet quidem esse ipsâ posterior; quia ab ea physice oritur: at à causâ formali non oritur ejus causalitas, aut exercitium; siquidem unio, etiam juxta Adversarios, producitur à generante, vel à solo Deo. Ad summum ergo habet unio respectu formæ posterioritatem logicam, quam vocant *in subsistendi consequentia*; quatenus forma potest existere sine unione, non è converso. Ceteram hoc sensu etiam eductio determinata posterior est formâ. *Dices*: eductio est causalitas, per quam forma causatur; unio autem est causalitas, per quam forma causat compositum: nequit autem forma causare per eandem causalitatem, per quam ipsa causatur. *Respondetur* hoc ultimam, quando sermo est de diverso genere

causæ, ut in presenti: cum enim causalitas formæ, ut causæ formalis, non oriatur à formâ, potest sine incommodo esse causalitas, per quam formâ oritur à causâ efficiente.

6 *Objic. 2.*: eductio in suo formali conceptu non involvit unionem: ruit ergo nostra probatio, que hoc probat, siquid probat. *Prob. Antec.*: si eductio involveret unionem in suo formali conceptu, nulla foret possibilis eductio, quæ non esset unio: at hoc falsum esse constat in eductione unionis humanæ, quæ non est unio sui termini cum materiâ: unio enim humana unitur materiæ per se ipsam, non per unionem aliam, nè alioquin detur unio unionis, quæ non minus absurda est, quàm actio actionis. *Resp. neg. Antec.*: nam, si eductio est passio, & receptio formæ, ut nunc supponitur, repugnat eductionem concipi, quin concipiatur unio. Potest quidem dari unio, quæ non sit eductio; at non è converso: quia eductio est species unionis, sicut est species productionis: quare, sicut potest vera productio dari, quæ non sit eductio; non tamen è converso; ita &c. Non inficior, quod eductio sub conceptu actionis, aut egressivæ à causâ efficiente, possit ab unione præcindi. Solum id nego, si accipiatur eductio sub conceptu passionis.

7 Quod attinet unionem humanam, admitto, illam produci per eductionem à se distinctam (quod plures inficiantur): nego tamen, quod talis eductio non sit unio sui termini. Nam unio huma-

na materiæ unitur duplici titulo, & quia modus est materiæ affixus essentialiter, & quia est entitas educta de potentiâ passivâ materiæ, in ipsâ que recipitur tamquam in subjecto sustentationis. Hoc secundo titulo non unitur materiæ unio humana per se ipsam, cum non sit ipsa sui eductio, adeoque nec sui passio, sustentatio, aut receptio, ut nunc supponitur cum arguentibus: indiget ergo aliâ determinatione modali, per quam uniatur materiæ sub munere subjecti sustentativi.

8 Explicatur: unio humana, juxta communem, etiam Adversariorum, sententiam, potest divinitus per creationem produci, v.g. si Deus unicâ actione crearet totum hominem. Tunc autem unio humana non uniretur materiæ tamquam subjecto sustentationis, ut est manifestum, sed præcisè tamquam subjecto informationis: ergo ex se indifferens est, ut uniatur, vel non uniatur materiæ sub munere subjecti sustentationis: ergo, ut uniatur hoc titulo (quem ipsa naturaliter exigit), indiget determinari per unionem aliam, quæ est eductio ipsius. Sic, quia unio materiæ & animæ Christi D. de se indifferens est ut uniatur Verbo, illi unitur per unionem distinctam. Si ergo dari valet unio unionis ad extremum, cui ipsa per se non unitur, eo quod respectu illius indifferentiam habeat; cur non etiam ad extremum, cui ipsa per se unitur aliquo titulo, si nihilominus indifferentiam retinet respectu ejusdem in alio sensu, & sub diverso titulo? Hanc solutio-

nem approbant ex Adversariis P. Ovied *contro. 4. Phys. part. 1. n. 26.*, & P. Henao *loco cit. n. 73.*

9 Itaque, licet repugnet unio unionis quasi homogenea, quæ scilicet sit pura unio, sive unice instituta ad officium uniendi (hæc enim foret superflua, & inutilis, ideòque à nobis rejecta est supra *cap. 2.*); non tamen repugnat unio unionis heterogenea, sive ex diverso titulo, quæ aliud insuper officium habeat, ad quod supponat indifferentiam. Nec ideò admittenda actio actionis: actio quippe non alio titulo perdere potest ab agente, nisi quatenus ab illo efficienter egreditur: hoc autem omnino habet qualibet actio per se ipsam, neque in ullo sensu manet indifferens ad egrediendum ab agente: si ergo produceretur per aliam actionem, produceretur eodem titulo, eademque ratione, sub quâ ipsa est productio sui. Si tamen actio probetur aliquo ex capite indifferens, ut egressivè pendeat ab agente, non erit impossibilis actio actionis.

10 Quod diximus de unione humanâ, dicendum pariter de quâvis entitate modali producta per eductionem à se distinctam, v.g. de ubicatione, & subsistentiâ, & generatim de formâ, quæ supponatur essentialiter affixa determinato subjecto: eam scilicet subjecto uniri, tum per se, tum per sui eductionem. *Dices*: ergo poterit etiam forma ignis v.g. uniri materiæ duplici unione, altera, quæ sit eductio, altera, quæ sit pura unio. *Neg. Conseq.*, si de naturali ordine sit sermo. Quia unio



ignis distincta ab educatione formæ ignis nulli necessitate adstruitur, quandoquidem educatio ista suum terminum habet, nempe formam, & hanc sufficienter unit materiæ ad constituendum compositum. At in casu nostro necessitas imprimis adest adstruendi unionem inter animam rationalem & materiæ, quæ unio se ipsam unit; & aliunde, cum unio illa non sit educatio sui, ut Adversarij supponunt, necessitas etiam adest admittendi educationem distinctam, per quæ unio producatur, & recipiatur in materia, atque adeo uniatur, cum receptio sit impræcindibilis ab unione.

11 *Obje. 3.* : educatio formæ terminatur ad unionem: ergo ipsa non est unio. *Prob. Antec.* : educatio formæ est generatio compositi, ad quod proinde terminatur: sed nequit terminari ad compositum, nisi terminetur ad unionem, quæ est ultimum determinativum, ut compositum existat; hac enim de causâ creatio animæ rationalis non est creatio compositi, nec ad illud terminari dicitur: ergo, &c. *Neg. Antec.*, & in probatione *neg. Min.* quia, ut educatio vere dicatur generatio compositi, sufficit, quod sit productio formæ, illam ultimò determinando ad constituendum compositum, ut reipsa determinat, cum per se sit unio formalis. Hoc, inquam, sufficit: nam eo ipso educatio verè facit existere compositum, & hoc, quatenus totum est, verè dicitur illius actionis terminus, non formalis, sed denominativus, qui non debet ab eâ distingui, nisi inadæquate.

12 *Obje. 4.* : si educatio est unio, toties variabitur intrinsicè compositum, quoties variatur educatio formæ. Hinc autem sequitur, quod Deus non poterit se solo conservare ignem ab alio igne productum: ignis enim à solo Deo conservatus constitueretur ex aliâ unione, eritque proinde jam alius; nec solum alius numero, sed etiam specie, quia constituitur ex educatione orta à solo Deo, quæ specie distinguitur ab actione ignis; actiones enim specificantur à causis. Adde, quod Deus non tam conservabit ignem, quam illum primò producet, siquidem primò producet unionem, que est ultimum determinativum ut ignis existat.

13 Non desunt, qui negent sequelam objectionis, dicant que, ad essentiam compositi, numero & specie determinati, non pertinere determinatam unionem, sed aliquid tantum, cujuscumque indolis sit, dummodo sit vera unio physica, & substantialis; ac proinde, licet varietur unio cum educatione, nullo modo variari essentiam compositi, quamdiu permanent eadem materia & forma per unionem aliquam copulata. Quam doctrinam late firmat P. Henao *cit. Exercit. 7. n. 72.* ratione, & auctoritate plurimorum, quos inter allegat Doctores Angelicum & Eximium. Sed, eâ prætermissa —

14 *Resp.*, solâ unione variata ex capite educationis, non variari compositum absolutè, & simpliciter, sed tantum secundum quid: manent enim invariata præcipua

const.

constitutiva, sive partes componentes ut quod, ex quibus absolute sumitur compositi perfectio, indoles, & identitas, tum specifica, tum numerica, & ex quibus pendet varietas operationum, & proprietatum, sive accidentium compositi, nec non varietas, aut identitas definitionis, tum physica, tum metaphysica; non enim aliter definiretur Petrus v.g., si retinens idem corpus, eandemque animam, nunc haberet unionem A, nunc unionem B. Hinc P. Suar. *tom. 2. in 3. p. d. 44. f. 2.* docet cum D. Thomâ, ut verè ac simpliciter dicatur resurgere idem homo, non requiri quod redeat unio eadem numero, dummodo idem sit corpus, eandemque anima. Hinc etiam aqua, licet mutet uniones continuativas (ut si dividatur, & iterum continuetur), non evadit simpliciter alia.

15 Concedo igitur, posse Deum se solo conservare ignem eundem simpliciter, qui ab alio igne productus est, non tamen eundem etiam secundum quid, & undequaque; non enim conservare potest eandem unionem, cum hæc probetur essentialiter pendens à causâ creatâ. Quâ in re nullum est absurdum; cum omnes concedant, non posse Deum se solo producere effectus modales essentialiter à causâ creatâ dependentes; quia ad omnipotentiam Dei non pertinet evertere rerum essentias. Deus ergo conservare poterit ignem illum invariatum, quatenus est effectus absolutus: sed non ita potest, quatenus ille ignis includit modalitatem es-

sentialiter ortam ab alio igne.

16 Admitto pariter diversitatem unionis specificam ex diversitate educationis, non quidem formalem, sed purè materialem in ordine ad munus uniendi, & constituendi compositum: non enim actio Dei solius (quam suppono educativam, diversa foret ab actione ignis sui conceptu passionis, aut receptionis, qui solus unionem imbibit, qui que solum specificatur à subjecto & formâ receptâ; sed tantum sub conceptu egressionis à principio activo, qui conceptus quasi de materiali se habet ad munus uniendi, seu constituendi compositum. Sed quomodolibet appelletur ea diversitas, nunquam erit simpliciter talis respectu compositi, sed semper secundum quid. Nego autem, quod nova Dei actio conservativa, sit prior productio ignis, quâavis reverâ sit productio unionis tunc advenientis: non enim esse potest prima productio respectu illius termini, qui jam existeret simpliciter idem in instanti antecedenti. Nec unio, tunc adveniens, est ultimum determinativum, ut ille ignis simpliciter incipiat existere, sed solum ut existere pergat. Sic productio novæ unionis inter corpus & animam hominis mortui, non dicitur prima hominis productio, sed reproductio, aut resurrectio.

17 *Replc. 1.* : compositum dicitur simpliciter genitum, & corruptum, per solam unionis generationem, & corruptionem, ut patet in homine: ergo dicitur simpliciter variatum per solam variationem unio-



unionis. *Neg. Conseq.* ex regulâ tradita *disp. preced. cap. I.* pro refundendis denominationibus partium in totum. Quia esse genitum, & corruptum, significat esse id, quod incipit esse ex præsupposito subiecto, & quod definit esse permanente subiecto; qui sensus congruit composito simpliciter, si unio generatur, & corrumpitur. At esse variatum in essentiâ, significat esse aliud secundam essentialiam; hoc autem non verificatur simpliciter de composito, solâ unione variatâ; quia non ideò compositum habet simpliciter alia prædicata essentialia, neque aliam definitionem, quandiu nulla est varietas in materiâ, & formâ, quarum unicè sit expressa mentio in definitione physica compositi. Quæ ratio non solum militat in variatione specifica, sed etiam in numericâ.

18 *Repl. 2.*: cur ergo compositum foret simpliciter accidentale, si unio accidentalis esset? *Resp. pondeo*, præter aibi dicta, compositum ideò tunc fore simpliciter unum per accidens, quia forma præcipua foret etiam accidentalis, vel certe non unita subiecto per modum actus substantialis; si enim sic unita esset, nullatenus posset unio esse accidentalis. Tunc ergo compositum delineret esse substantiale, non solum ex defectu substantialis unionis, sed etiam ex defectu formæ. Id quod dicendum pariter, si unio foret supernaturalis formaliter in esse unionis; non enim talis esse posset, nisi utrumque, vel alterum extremum, esset supernaturale, vel sal-

tem nonnisi obdientialiter unibile; unio quippe ab extremis specificatur. Dico *formaliter in esse unionis*: quia in esse actionis fortasse potest divinitus dari unio supernaturalis inter materiam & formam ignis v.g., si videlicet aqua (posito quodlibet elevari posse ad producendum quodlibet) divinitus elevaretur ad educendum formam ignis: verum ea supernaturalitas educationis de materiali se haberet in constitutione compositi.

19 Nolim tamen nimium insistere terminis hisce, *simpliciter, & secundum quid, vel formaliter, & materialiter*; ne contentio evadat merè vocalis. Quare, dum obijcitur variatio unionis, sive numerica, sive specifica, indeque inferatur variatio compositi, tamen non varientur materia & forma; brevius, & expeditius *distinguo* sic: variatur compositum secundum entitatem absolutam, *nego*; secundum constitutum modale, *concedo*. Sub istis terminis concedendum, vel negandum, quod possit Deus se solo conservare compositum à causâ secundâ productum; & quod idem compositum possit divinitus produci simul à duplici causâ totali per educationem; & quod educatio conservativa ignis, à solo Deo proveniens, sit prima ignis productio; & quidquid aliud ejusdem generis obijciatur. Certè Adversarij aliquod genus compositi, saltem accidentalis, admittere debent ex materiâ & formâ resultans vi solius educationis; cum dicant, vi illius materiam *intrinsecè actuari per formam, tamquam*

quam subiectum receptivum per actum receptibilem: ex subiecto enim intrinsecè actuato, & ex actu intrinsecè actuante in aliquo vero sensu, nequit non resultare aliquod totum. At in hoc toto militat quidquid absurditatis nobis opponunt in objectione hucusque solutâ.

20 *Objic. 5.*: educatio est modus accidentalis, tum quia omnis actio pertinet ad Prædicamentum accidentis, tum quia non existit propter se, sed propter aliud, scilicet propter terminum; quod est proprium accidentis: non ergo potest educatio esse unio compositi substantialis, cum hæc debeat esse substantialis modus. *Neg. Antec. de educatione formæ substantialis*; ea quippe, dum probatur esse unio ejusdem formæ cum materiâ, eo ipso probatur esse modus substantialis. Nec obstat illud de Prædicamento: quia, ut in Logicâ dictum est, potest entitas intrinsecè substantialis pertinere ad Prædicamenta accidentis, eo quod contingenter prædicetur de aliquo subiecto (ut prædicatur educatio de causâ efficiente v.g.): sic enim juxta Adversarios, quibuscum modò cernimus, relatio identitatis, aut similitudinis specificæ inter duas substantias, licet ab eis indistincta, pertinet ad Prædicamentum relationis, sicut etiam pertinet unio substantialis, quatenus est relatio prædicamentalis extremorum inter se. Nec item obstat, quod actio sit propter terminum: nam etiam forma est propter compositum, & tamen est substantialis. Si dicas, in composito includi formam

ipsam, quæ proinde jam non est propter aliud à se adequate distinctum: idem dicam de educatione, quæ est etiam principaliter propter compositum, in quo & ipsa includitur.

21 *Objic. 6.*: unio, quam anima bruti per nutritionem acquirit cum materia alimenti, non est educatio ejusdem animæ, cum hæc sit causa illius unionis, & nequeat esse causa educationis sui: at ea unio ejusdem rationis est cum illâ, quam habet per generationem anima bruti: ergo nec illa est educatio istius animæ. *Resp.*: si anima bruti sit divisibilis, ut fert communis Nostrorum sententia, unio acquisita per nutritionem est educatio novæ partis animæ, provenit quæ à partibus animæ præexistentibus. Si verò bruti anima sit indivisibilis, tunc sola educetur nova unio, de quâ dicendum erit quod supra de unione humanâ dictum est. Talis autem unio erit ejusdem rationis cum eâ, quæ per generationem habita fuit, solum quod vim & effectum formalem uniendi, non tamen quoad vim producendi formam; quâ in re nullum est incommodum.

## CAP. V.

## DUPLEX ALIA SUPER UNIONE quæstio resolvitur.

1 **Q**UÆST. 1.: Quotuplex sit unio in composito? Certum est unionem constare pluribus partibus integran- tibus, totidem scilicet, quot sunt materiæ partes in composito. So-



lūm ergo quæritur, utrum unio sit simplex essentialiter? idest, utrum unio, per quam forma unitur materiæ, sit eadem per quam materia unitur formæ? an verò admittenda sit unio duplex, altera ex parte formæ, quæ sit *informatio*, altera ex parte materiæ, quæ sit *materializatio*, ex quibus coalescat unio totalis? Hoc ultimum tenent è nostris P. Hurcad., Amicus, & alij pauci; ex alijs Godoy, Echalar, & Marius hic d. 5. q. 10., ubi alios Scotistas allegat. Sed contraria sententia communissima est inter Authores nostros cum Exim. Doctore d. 13. Met. s. 9. n. 13., quibus assentior.

2 *Probatur hæc sententia: unica unio, illa v.g., quàm informationem appellas, sufficit, ut ex materia & formâ resultat compositum: ergo duplex unio rejicienda est ut omninò superflua. Prob. Antec.: quia per talem unionem forma redditur actu informans materiam, & hæc actu informata per formam, siquidem illa unio est actualis informatio, & denominationes informantis, & informata præstantur ab informatione actuali: sed nequit forma esse actualiter informans, & materia actualiter informata, quin resultat compositum: ergo &c.. Patet Minor: cum ex terminis ipsis, & ex communi Philosophorum sensu: tum quia, si forma informat, & materia informatur, jam forma communicatur subjecto capaci: ergo illi præstat effectum suum formalem; nam formalis effectus necessario resultat, imò indistinctus est à formâ*

communicatâ subjecto capaci. *Hæc formalis effectus formæ substantialis est compositum.*

3 *Confirm.: quoties agitur de denominationibus reciprocis, seu correlativis, & unumquodque extremum non secum identificat suam ultimam determinationem ut denominetur, unica determinatio superaddita sufficit ad utramque denominationem præstandam, saltem ex conceptu suo sit determinatio utriusque extremi. Idcirco unca actio sufficit, ut causa sit producens, & effectus productus; sicut etiam unica cognitio, ut potentia sit cognoscens, & objectum cognitum. Hæc è contrario, in Divinâ Trinitate datur generatio activa, & generatio passiva, quia Pater secum identificat suam ultimam determinationem ut sit generans, & Filius suam ut sit generatus: ob eandem que rationem distinctio inter Petrum & Paulum est duplex, altera cum Petro, altera cum Paulo identificata. Atqui nec materia, nec forma secum identificat suam ultimam determinationem ut sit unita; & aliunde unio superaddita, ex conceptu suo est determinatio utriusque extremi, cum unio sonet vinculum duorum, definiatur que passim *ultima determinatio distinctivum, ut constituent unum*: ergo unica unio sufficit ad præstandum utrique extremo reciprocam denominationem uniti.*

4 *Objic. 1.: si non est in composito nisi unica unio, eadem simul erit informatio & materializatio, (idest, exercitium, quo forma exercet munus formæ erga mate-*

riam, & exercitium, quo materia exercet munus subjecti erga formam): ergo forma exercetur per materializationem, & materia per informationem: ergo forma denominabitur materializans, & materia informans. *Info*: idem modus est realiter actio, & passio: ergo agens exercetur per passionem, & materia per actionem: ergo agens denominabitur patiens, & materia agens.

5 *Deinde dist. 1. Conseq.: per materializationem, quæ sit materializatio formæ erga materiam, neg.; quæ sit materializatio materiæ erga formam, simulque informatio formæ erga materiam, conc. Conseq.. Idem intellige de informatione; quæ non est informatio materiæ erga formam, sed è converso, ita ut simul sit materializatio materiæ erga formam. Hinc absolūtè neg. 2. Conseq.: quia sæpe idem modus continet diversas denominationes non nisi diversis terminis præstandas; ut patet in actione identificatâ cum passione; vel in productione quilibet, quæ causam denominat producentem, & effectum productum, non è converso; ut etiam cognitio denominat aliter potentiam, & aliter objectum.*

6 *Objic. 2.: non sufficit unicus modus relationis, ut fundamentum referatur ad terminum, & terminus ad fundamentum: ergo nec sufficit unica unio &c.. In nostris principijs neg. Antec.: quia, dum ratio fundandi consistit in modo (quod accidit in relationibus secundi generis), unicus modus sufficit, ut duo invicem referantur prædicamentaliter; & sic eadem productio*

refert causam ad effectum, & è converso. In relationibus autem primi generis, v.g. in similitudine duplicis albi, ideo requiritur duplex albedo, quia una seorsum ab altera non est ex conceptu suo determinatio utriusque extremi, imò nec unius, ut denominetur *simile*. Unde constat disparitas ad unionem. Quæ disparitas tenet etiam in modo relationis Thomistico; cui non tribuitur à suis Auctoribus conceptus determinationis duorum ad denominationes correlativas, sed solum determinationis illius extremi, cui inest.

7 *Objic. 3.: unica unio continuativa nequit duas necere continui partes; deberet enim in utraque recipi; & cum illæ partes non sint in eodem loco, sequeretur, quod unio eadem simul esset naturaliter in duobus locis: ergo pariter non sufficit unica unio essentialis. Resp. 1., admissio Antec., neg. Conseq.: quia in unione essentiali non militat illud inconveniens bilocationis naturalis. Resp. 2. neg. Antec.: quia sufficit unica unio continuativa, quæ recipiatur in alterâ tantum parte, simulque exigat essentialiter præsentiam alterius partis in loco immediato, in quo tamen unio ipsa non sit.*

8 *Quar. 2.: Quodnam sit prædictæ unionis unica subjectum? Certum est, tam materiam, quàm formam, esse subjectum denominationis; quia utraque per unionem denominatur unita. Quæstio præcipue instituitur de subjecto sustentationis, ex quo præsupposito educa-*



tur unio. Prima sententia tenet, ejusmodi subjectum esse tam formam, quam materiam. Ita plures, quos citat & sequitur Henao cit. *Exercit. 7. sect. 3.*, & quibus etiam subscribit P. Ulloa. Secunda sententia dicit, tale subjectum esse solam materiam. Ita apud Henaum Rubius, Ovied., Alphonsus, Bernal, & alij, quibus adherent cum Peynado Recet. *Forces passim.* Hæc secunda sententia, quam satis indicat Exim. Doctor cit. d. 13. f. 9. n. 13., & sæpe alias, mihi vera est.

9 Et imprimis; quod attinet unionem formæ materialis, cum illa sit realiter indistincta ab educatione formæ, ut supra vidimus, necessario sequitur, quod forma non est illius subjectum sustentativum; nè alioquin forma sit vera causa materialis præsupposita ad sui ipsius educationem; quod repugnat. Deinde, qui unionem ab educatione distinguunt, plerumque dicunt, unionem produci per eandem educationem, quæ forma producitur: unde, cum forma non præsupponatur ad educationem sui, non præsupponitur ad educationem unionis, consequenterque non est unionis causa materialis; quia nullus effectus à causâ materiali pendet, nisi quatenus ejus educio pendet à tali causâ, ut à subjecto præsupposito.

10 Denique, ut ab his præcindatur, sententia nostra probatur in unione humanâ, quo simul probata erit in aliâ quâlibet. Illud est subjectum sustentativum unionis humanæ, à quo præsupposito pendet illius unionis educio; sed hæc

à solâ materiâ sic pendet: ergo solâ materia est subjectum sustentativum talis unionis. *Prob. Min.*: tum quia in homine educio unionis est generatio totius: at omnes Philosophi cum Aristotele statuant, solam materiam esse subjectum generationis totius, sive compositi, sicut sola est subjectum mutationis substantialis. Tum etiam, quia generans ab eo subjecto præsupposito pendet in generando, sive in educendo, quod prævie disponit, ac præparat ad formam & unionem: hoc autem subjectum in generatione hominis, solâ materia est: non enim generans præviâ aliquam dispositionem inducit in animam rationalem.

11 Hinc inferes 1., unionem humanam esse materialem nutritivam; quia suapte natura causatur, & pendet à materiâ. Quare solum est spiritualis connexio, ac determinativè; quia connectitur cum animâ spirituali, & illam ultimò determinat ad constituendum hominem. Inferes 2., modum non necessariò pendere, tamquam à subjecto sustentationis, ab omni re, cujus est modus, & sine quâ existere non potest etiam divinitus. Sic educio, identificata cum passione, non sustentatur in agente, cujus est modus. Sic unio humana, si per creationem produceretur divinitus, ut potest juxta Adversarij, non haberet subjectum sustentationis, ad eamque nec in materiâ, nec in formâ sustentaretur; cum tamen esset utriusque modus. Quamvis ergo unio sit modus formæ, ipsa que essentialiter alligetur, non ideo in formâ susten-

tari debet. Et notandum, quod sustentari ab alio, prout nunc accipitur, non est idem, ac essentialiter pendere ab alio, & sine illo existere non posse; sic enim unio hypostatica sustentatur à Verbo, imò omnis creatura à Causâ primâ: est ergo idem, ac ex alio educi, sive in genere causæ materialis ab alio causari.

12 Inferes 3., formam non habere prioritatem physicam respectu unionis: quia neque illam tempore præcedit, neque est illius causa physica. Excipe tamen unionem, quam homo per nutritionem acquirit cum materiâ alimenti: ea quippe præsupponit animam, non ut causam materialem, sed ut causam efficientem. Neque huic illationi obstat 1., quod unio sit exercitium, & causalitas formæ in compositum. Nam causa formalis intrinseca, & constitutiva, non requirit prioritatem physicam respectu causalitatis, & effectus, sed ut summum logicam, quam vocant in *subsistenti consequentia*, quatenus non valet consequentia, saltem metaphysicè, ab existentia formæ ad existentiam unionis, & compositi, valet autem e converso.

13 Nec obstat 2., quod prius sit rem esse, quam tali modo esse, juxta commune dictum. Nam id unice verum est de prioritare logica, vel quando aliunde probatur, modum ab ipsâ re causari. Nec obstat 3., quod anima rationalis sit indifferens ad unionem. Nam indifferentia non probat prioritare platiquam logicam: nihil enim prohibet rem indifferen-

tem determinari à modo concomitantè producto per aliam causam. Doctrina solutionum istarum admittenda est ab Adversarijs pro casu, quo unio simul cum animâ rationali crearetur: tunc enim animâ nullatenus esset physicè prior unionem, cum tamen ad eam esset ex se indifferens, & per eam tali modo esset, & causaret hominem.

14 Sed adhuc principaliter obije. Si forma respectu unionis non est subjectum sustentationis, neque erit subjectum informationis; hoc enim requirit etiam prioritatem physicam, saltem per modum occasionis, aut conditionis præviæ, quo modo materia disposita physicè prior est animâ rationali: ergo forma in nullo sensu proprio erit subjectum unionis: ergo non poterit ab unione intrinsece affici, nec perfici; sicut Verbum non afficitur, nec perficitur ab unione hypostatica, quia non est illius subjectum sustentationis, nec informationis. *Communis responsio* est, quod forma respectu unionis non est subjectum propriè tale, scilicet nec sustentationis, nec informationis; sed solum est *terminus intrinsecus*; quo nomine significatur res, quæ modus aliquis essentialiter exigit sibi intime conjunctam, nec tamen in eâ recipitur. Sic educio, sive passio, respicit formam ut parum terminum intrinsecum. Multi confundunt *terminum intrinsecum* cum *subjecto per se habente*; de quo tamen non omnes convenire videntur.

15 Negatur autem, quod forma non possit intrinsece perfici






ab unione, tamen non sit subjec-  
tum ejus proprie tale: quia forma  
per unionem intrinsecè conjungitur  
subjecto suo, quod innatè appetit,  
& in quo assequitur suum naturale  
complementum: cum hac autem  
conjunctione & assecutione melius  
se habet forma intrinsecè, quàm si-  
ne illà; & hoc ipsum se habere me-  
lius, est perfici. Nec Verbum idè  
præcisè non perficitur ab unione  
hyposthaticà, quia non est subjec-  
tum ejus; sed quia, ob sui perfec-  
tionem in omni genere infinitam,  
nequit se habere melius cum unio-  
ne, quàm cum ejus carentià. De cæ-  
tero, quòd possit res perfici ab eo,  
cujus non est proprie subjectum,  
patet: tum in humanitate Christi,  
quæ perficitur à Verbo, cujus non  
est subjectum. Tum in gradibus in-  
tensionis qualitatum, qui se se in-  
vicem perficiunt, quàmvis non se se  
invicem recipiant, aut informant.  
Tum in formà quavis substantiali,  
aut accidentali, quæ à subjecto per-  
ficuntur, cum tamen non sit subjecti  
subjectum.

16 Sed, ut verum fatear, non  
magnum incommodum invenio in  
eo, quòd unio sit in formà ut  
in partiali subjecto informationis.

Nam, ut notavimus *disp. 2. cap. 2.*  
subjectum informationis non re-  
quirit ex conceptu suo prioritatem  
physicam, licet illam plerùmque  
habeat, eo quòd plerùmque simul  
obeat munus subjecti sustentationis,  
vel formæ, vel saltem unionis ejus:  
si tamen non simul obeat hoc mu-  
nus, non indiget prioritate physi-  
cà: idèoque, si Deus crearet simul  
materiam, animam, & unionem  
hominis, materia nullam haberet  
prioritatem physicam respectu ani-  
mæ, nec unionis, eo quòd respec-  
ta neutrius obiret munus subjecti  
sustentationis, quàmvis utriusque  
verè esset subjectum informationis.

17 Nihil ergo prohibet unio-  
nem esse in materià ut in subjec-  
to informationis partiali, & sus-  
tentationis totali, simulque esse in  
formà ut in alio partiali subjecto  
informationis. Atque ita unio con-  
siderari potest, tum prout est cau-  
salitas formæ in compositum, tum  
prout est quædam forma ipsius for-  
mæ, quæ cum constituit quoddam  
totum, nempe denominationem  
*actualiter informantis* materiam,  
cujus denominationis ipsa unio  
est præcipua differentia  
physica distinctiva.



# DISPUT. VII.

## DE DISTINCTIONE TOTIUS SUBSTANTIALIS

à Partibus suis. Ubi etiam de Supposito nominabil.

**E**X principijs intrinsecis corporis naturalis, quæ vocantur & sunt  
partes illius, resultat, velut effectus ab ijs principiatus, sive  
causatus, corpus ipsum naturale, quod Compositum, seu To-  
tum substantiale dicitur: cujus quidditas ut penitus nota sit, vi-  
dendum superest, an consistat in aliquo realiter distincto à principijs hacten-  
us explicatis, nempe à materià & formà, & earum unione; an verò sit ab  
his realiter indistincta. Et questio est de materià, formà, & unione, simul  
sumptis, seu de cunctis partibus collectivè acceptis: si enim accipiantur  
singulatim, incunctanter admittenda est distinctio realis inadæquata unius-  
cujusque partis à toto, & è converso; quia totum includit quamlibet par-  
tem, & insuper aliam; in quo sita est distinctio inadæquata, quam vocant  
*incidentis & inclusi*. Questio item nunc est de toto substantiali, non  
prout est suppositum (sic enim dictis partibus addit subsistentiam, de quâ  
mox), sed præcisè prout est ens naturale, seu substantia completa in esse  
naturæ, quæ in homine v. g. significatur nomine *humanitas*, vel *natura hu-  
mana*, vel *homo essentialiter sumptus*.

Quòd ergo totum substantiale realiter distinguatur ab omnibus  
suis partibus copulativè sumptis, consistat que in tertia entitate absolutâ,  
materiæ & formæ unitis superadditâ, tenent cum Scoto Scotistæ omnes, aut  
ferè omnes, quibus adhærent è Schola nostrâ, & Thomistica nonnulli. Hanc  
sententiam quidam coarctant ad totum substantiale, ex materià & formà  
resultans, nec extendi volunt ad totum integrale, nec ad totum per acci-  
dens, sive hoc unione physicâ constet, ut *album*, sive locali aggregatione  
duntaxat, ut *accronus* lapidum. Ita Mafrius cum alijs Scotistis. Quidam  
verò compositum etiam integrale, sive homogeneous, sive heterogeneous,  
à cunctis partibus distinguunt. Sic Merinerus Scotista, referens alios. Ne-  
nò tamen à partibus distinguere videtur totum per accidens: saltem Meri-  
nerus tamquam certum supponit, nequaquam distingui; quod & Mafrius  
confirmat ex communi omnium sensu. Sed quòd totum substantiale, & à  
for-



fortiori quodlibet aliud, sit realiter indistinctum à collectione suarum partium & unionis, receptissima sententia est in Scholâ nostrâ, & Thomistica, cum Aristotele, & D. Thoma locis citatis à P. Suar. d. 36. Met. s. 3.

## CAP. I.

*TOTUM SUBSTANTIALE  
realiter indistinctum est à suis  
partibus & unione, copula-  
tim sumptis.*

**P**rob. in primis totum substantiale non distinguitur realiter adæquate à cunctis partibus unitis: deinde nec realiter inadæquate: ergo nullâ distinctione reali. Præmissæ seorsum probandæ sunt. *Prob. Maj.*, quam solam Scotistæ negare videntur: totum, prout à partibus adæquate distinctum, vel est in entitate suâ realiter compositum, vel realiter simplex. Si est compositum: ergo constat partibus alijs. Quod si ita est, quæro abs te, an ab his alijs partibus distinguatur totum? Si asseras, ibimus in infinitum: nam totum, prout à novis hisce partibus adæquate distinctum, rursus erit ex alijs compositum, de quibus eadem quæstio fiet. Si neges: jam ergo totum non distinguitur ab omnibus partibus, quibus constat; quod Scotistæ prænegant; & si concedatur, nulla ipsis ratio superest distinguendi totum à materiâ, formâ, & unione, simul acceptis.

2 Si verò totum, prout à partibus adæquate distinctum, asseratur entitas realiter simplex; hæc implicat in terminis, & est manifeste contra Scotum ut ait Matrius hic *disp. 5. n. 169.*; & merito quidem.

Sequitur enim 1., quod compositum non est compositum; & quæd entitas simplex habet partes; & quod homo non minus est in entitate suâ simplex, & incompositus, quam Angelus. Sequitur 2., quod illa simplex entitas, in quâ stat quidditas totius hominis, non est spiritualis, nec materialis. Non spiritualis: quia essentialiter pendet à materiâ, & naturaliter à quantitate. Non materialis: quia foret imperfectior animâ rationali, & implicat, quod totum sit imperfectius in parte.

3 *Confirm. 1.*: si homo in esse totius adæquate distinguitur ab animâ rationali, non erit per identitatem animal rationale; imò nec vivens; quia non secum identificat unicam radicem discurrendi, sentiendi, & vegetandi, quæ est anima. Quod absurdum pariter militat in equo, & in quovis composito; nulli enim conveniet per identitatem definitio sua, quæ semper sumitur ex formâ. Et verò, quis concipiat veram humanitatem, seu veram naturam humanam, quæ rationalem animam excludat ab identitate reali secum ipsâ? Dicunt Scotistæ, ut videre est apud Matrium n. 170., quod tertia illa entitas, quæ est *tota quidditas totius*, non unitur partibus, nec cum eis compositionem facit, quia non est entitas partialis, sed totalis. Dicunt insuper apud eundem Matrium n. 173., quod intellectio hominis non recipitur in illâ tertia entitate, nec

nec illi convenit immediate, & ratione sui, sed tantum ratione partis, nempe animæ; materiales tamen operationes, ut sunt sensationes omnes, formaliter & immediate conveniunt toti, & in eo recipiuntur.

4 Ex his autem infero 1., quod humanitas non verè intelligit. *Prob.*: id, quod non recipit intellectio nem immediate, nec mediate, non verè intelligit, ut est evidens: at humanitas non recipit intellectio nem, nec immediate, ut conceditis; nec mediate, quia non recipit receptivum intellectio nis, nempe animam, si quidem animæ non unitur, ut vultis: ergo &c.. *Dices*: humanitas recipit intellectio nem ratione partis, ex qua intrinsicè constituitur. *Contra*: animam esse partem, ex quâ intrinsicè constituitur humanitas, per te non est animam identificari realiter cum humanitate, nec humanitati uniri: semper ergo verificatur, quod intellectio recipitur in aliquo, quod nec identificatur, nec unitur humanitati: hoc autem est intellectio nem nec immediate, nec mediate recipi in humanitate, nec ipsi uniri.

5 *Infero 2.*, quod nec humanitas verè sentit per sensationem, etiam si illam in se recipiat. *Prob.*: quia sentire est vivere, & humanitas non verè vivit per sensationem, quam active non elicit, sed mere passivè recipit; ut patet ex conceptu vitæ: at humanitas certè non elicit sensationem, si adæquate distinguitur ab unico principio elicitive sensationis, quod est anima. Hinc Scotistæ alias inferunt, & merito,

quod anima non verè viveret per amorem supernaturalem, si habitus esset tota ratio agendi: & tamen hic minor est difficultas; quia saltem habitus unitur animæ, & hæc non unitur humanitati, ut modo volunt.

6 *Confirm. 2.*: quia non verificabitur illud ex Symbolo Athanasij: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*: si enim prior pars, ut Scotistæ volunt, non reddit sensum identicum, sed causalem, quasi diceret, *anima rationalis & caro est causa hominis, utique distincta realiter*; eundem reddet sensum pars posterior, ut exigunt particule *sicut, & ita*: ergo Deus & homo, non identicè, sed causaliter tantum, unus erit Christus: ergo Christus erit adæquate distinctus à Deo & homine, ac proinde non erit Deus, quod est contra Fidem.

7 *Confirm. 3.*: illa tertia entitas, quæ est tota quidditas compositi, si adæquate distinguitur à partibus, verè producitur ex nihilo, & in nihilum definit: ergo non generatur, sed creatur; nec corrumpitur, sed annihilatur. *Prob. Antec.*: quia id verè & propriè producitur ex nihilo, quod producitur & ex nihilo sui, & ex nihilo subjecti sustentativi, ex quo educatur; ut videmus *disp. 4. cap. 4.*: illa autem entitas, in primis producitur ex nihilo sui, quia nihil ejus præcedit, si quidem materia, forma, & unio, sunt nihil ejus entitatis, cum ab eâ realiter adæquate distinguantur aliunde, etiam ex nihilo subjecti sustentationis, sive educationis; tum



quia entitas illa non habet pro sub-  
jecto sui materiam, nec formam;  
alioquin reciperetur in ipsis, & uni-  
retur ipsis, quod Scotistæ negant;  
tum quia nulla entitas est educibilis  
ex potentia subjecti, nisi quæ est  
forma, & cum subjecto compositio-  
nem facit, cujusmodi non est illa  
tertia entitas, alioquin non esset  
entitas totalis, sed partialis, ut in-  
fererat Mastrius. Et hinc eodem  
modo concluditur, quod illa enti-  
tas verè ac proprie definit in nihi-  
lum, scilicet & sui, & subjecti.

8 Scio, Scotistas dicere, quod  
*partes sunt aliquid compositi*, quod  
sunt *de essentia* totius, quod *spec-*  
*tant ad essentiam ejus*, quod ab eo  
*distin. uuntur realiter*, sed *non es-*  
*sentialiter*; quæ & alia similia vide-  
re licet apud Mstr. *disp. vit. q. 13*;  
unde, cum compositum fiat ex par-  
tibus, verè fit, non ex nihilo, sed  
ex aliquo sui, ex aliquo spect. nte ad  
essentiam ejus. Verum hæc vel æqui-  
voca sunt, vel implicat in termi-  
nis. Nam, si partes realiter adæqua-  
tè distinguuntur à totà entitate com-  
positi, quomodo sunt *aliquid ejus*?  
Certè non sunt aliquid ejus per  
identitatem, siquidem ab eo dis-  
tinguuntur adæquatè; nec sunt ali-  
quid ejus per unionem physicam, si-  
quidem non uniantur toti, juxta  
Scotistas. Restat ergo, ut sint ali-  
quid ejus per possessionem, aut do-  
minium, quo modo partium Petri  
est aliquid Petri. At hæc acceptio  
inopertens est ad explicand. in phi-  
losophicè productionem *ex aliquo*;  
ut quæque videt.

9 *Dives*, negari non posse,

quod pars est aliquid totius. Fateor,  
dummodò non abutamur nomine  
*partis*, quod apud omnes, præter  
Scotistas, sonat aliquid inadæquatè  
identificatum cum toto; imò apud  
Scotistas id ipsum sonat, dum ser-  
mo est de partibus totius integralis,  
aut accidentalis physici, aut artifi-  
cialis, aut per aggregationem. At,  
si ita abutaris nomine *partis*, ut il-  
lud applices ad rem adæquatè dis-  
tinctam à toto, pars non magis erit  
aliquid totius, quam partium est  
aliquid Petri. Quin potius verissi-  
me dicitur, quod *pars est nihil to-*  
*tius*, quia *est nulla entitas identifi-*  
*cata cum toto*; & quod *est non ali-*  
*quid totius*, quia *est non quid ejus*,  
siquidem non est quidditas ejus, nec  
adæquatè, nec inadæquatè.

10 Fraterea, quid sibi vult,  
partes à toto *distingui realiter*, sed  
*non essentialiter*? Respondet Mas-  
trius n. 164. & 174, partes con-  
stituere essentiam totius, & illud di-  
ci indistinctum, siue idem essentia-  
liter alteri, quod constituit essen-  
tiam ejus. Sed verò, partes consti-  
tuere essentiam totius, non tollit,  
juxta Mstrum *ibid.*, quod partes  
simul sumptæ habeant essentiam rea-  
liter distinctam à totà essentia to-  
tius: ergo essentia partium non est  
realiter essentia totius: ergo distin-  
guuntur realiter secundum essentias.  
Dummodò hoc constet, abutere ter-  
minis pro libita, & nega, partes à  
toto distingui *essentialiter*. Nihilominus  
veram erit, quod essentia to-  
tius, dum fit ex partibus, fit ex ni-  
hilo sui, seu ex non aliquo essentia  
sua; siquidem fit ex aliquo, quod,  
li-

licet fit *de essentia ejus*, & *spectet*  
*ad essentiam ejus* (ut tecum loquar),  
tamen realiter non est essentia ejus,  
nec inadæquatè quidem, atque adeò  
est nulla essentia ejus, nulla quiddi-  
tas, nullum quid, seu nullum ali-  
quid ejus.

11 *Confirm.* denique: positâ  
distinctione adæquata totius à par-  
tibus, causa intrinsicè, & constitu-  
tiva, non differat à causis extrinse-  
cis, siue efficiētibus, præterquam ijs,  
quæ per naturalem resultantiam, seu  
emanationem causant suos effectus,  
ut cum aqua sibi recuperat amissum  
frigus. Hoc apud Scotistas, & apud  
omnes, absurdum est: sed *probat.*  
Quia, juxta Adversarios, partes simul  
sumptæ faciunt unam causam totalem,  
ad quam sequitur compositum, tam-  
quam effectus realiter adæquate dis-  
tinctus. Hæc autem causa totalis cur  
differat ab efficiente? An quia effec-  
tus causatur per resultantiam? At  
etiâ frigus ex aquâ resultat. An quia  
datur essentialis connexio & insepa-  
rabilitas inter causam & effectum?  
At etiam causa efficiens necessaria,  
positâ applicatione Causæ primæ,  
connectitur essentialiter cum effec-  
tu; & Omnipotentia ipsa, prout  
applicata per decretum liberum pro-  
ducendi Mundum, est metaphysicè  
inseparabilis à Mundo, & Mundus  
ab ipsâ: ut omittam, quod Scotis-  
tæ gratis ponunt metaphysicam in-  
separabilitatem inter totum, & par-  
tes unitas, cum nec partes sint mo-  
dus totius, nec e converso, & aliunde  
realiter adæquate distinguantur,  
non ut formalitates, sed ut res.

12 *Dices* cum Scotistis: cau-

sa intrinsicè differunt ab alijs, qui a  
causant intrinsicè constituendo &  
componendo effectum; quia inclu-  
duntur in effecta, & intra ipsum ma-  
nent; quia sunt de essentia ejus, &  
spectant ad essentiam ejus. Sed *con-*  
*tra 1.*: per te intrinsicè constituere  
& componere effectum, non est  
identificari realiter, etiam inadæ-  
quate, cum effecta; imò nec ipsi  
uniri (quamquam unio cum effec-  
tu sæpe datur in causâ efficiente):  
quid ergo aliud significat illud *consti-*  
*tuere*, illud *componere*, quod non  
possit convenire causæ efficiēti?  
*Contra 2.*: seclusâ identitate, &  
unione, quid est *includi*, & *manere*  
*intra effectum*? Est ne penetrari lo-  
caliter, seu manere in eodem loco?  
At causa efficiens penetratur etiam  
cum effecta immanente, & Omni-  
potentia est intimè præsens omni  
creaturæ. Est ne includi, & contine-  
ri, instar bombycis in folliculo? At  
etiam bombyx efficienter causat, ac  
textit folliculum, cujus in cavo se  
abdit. *Contra 3.*: si causa intrinsicè  
nec identificatur, nec unitur effec-  
tui, non aliter potest esse *de essen-*  
*tia ejus*, nec *spectare ad essentiam*  
*ejus*, nisi quatenus essentialiter con-  
nectitur cum effecta, & hic etiam  
cum tali causâ. At connexio cadit  
etiam in causam efficientem, ut os-  
tendimus: quare Omnipotentia,  
prout applicata ad creandum, eo-  
dem terminorum abusu dici poterit  
esse de essentia creaturæ, & spectare  
ad essentiam ejus.

13 Ex dictis intelliges idio-  
ma Scotistarum in præsentî quæstio-  
ne. Dum incunctanter admittant has



locutiones, *Partes intrinsicè constituantur & componunt totum, sunt de essentia totius, sunt aliquid ejus, includuntur essentialiter in toto, & totum à partibus non distinguitur nisi ut includens ab incluso; ne putet, his vocibus significari apud Scotistas identitatem realem, saltem inadæquatam, inter partes & totum, sicut significatur apud ceteros Scholasticos, & loquendo de toto accidentali, apud omnes. Quare, ut eos impugnes, utere argumentis à n. 8. indicatis. Abstinent quidem à nomine distinctionis adæquate inter totum & partes: sed eam planè intendunt, dum ajunt, totum distinguere se toto à partibus unitis; & tertiam entitatem, additam supra partes, non esse aliquid compositi, seu totam ejus entitatem, non enim additur per modum partis, sed per modum totius, nec est entitas partialis sed totalis, & tota quidditas totius. Que, & similia, sunt verba Mastrij, Merineri, & Pontij.*

14 Duo addit Mastrijus. 1., quòd totum à partibus distinguitur se toto categorematice sumpto, quo sensu supponit pro tertià entitate superadditã; non tamen se toto syn-categorematice sumpto, sic enim supponit pro omni, & qualibet parte totius. 2., quòd essentia hominis (idem puta de reliquis totis), scilicet humanitas, directe & in recto sumpta, tota consistit in illã tertiã entitate: at causaliter, constitutive, indirectè, & in obliquo, corpus & anima sunt de essentia hominis, & spectant ad essentiam hominis; vel, ut ait Merinerus, non sunt forma-

liter essentia hominis, sed tantum causaliter, & in via.

15 Ut ergo supra positis argumentis utaris, sumendus tibi erit homo categorematice (quod idem sonat, ac substantive), sumendus item directe, & in recto, sive formaliter: atque ita inferre poteris, quòd homo, substantive, directe, & formaliter sumptus, distinguitur secundum se totum ab omni compositione, & ab omni animã, consequenter que ab omni vitalitate, animalitate, & rationalitate substantiali: unde non erit formaliter quid compositum nec directe vivens, nec substantive & in recto animal rationale: que valde mira sunt. Inferre item poteris, quòd corpus & anima non sunt de essentia hominis, nisi constitutive, id est, causaliter, & in via, causando scilicet (cum essentiali connexionem, si lubet) essentiam hominis ab ipsis adæquatè distinctam; & hoc ipsum est spectare ad essentiam hominis indirectè, & in obliquo: unde eodem modo actio causæ efficientis erit de essentia effectus; & Omnipotentia, prout liberè applicata, spectabit ad essentiam creaturæ, quæ in esse talis concipi non potest, nisi ut pendens ab Omnipotentia, quã cum connectitur essentialiter. Hoc autem quis non dicat absurdum?

16 Jam Minor primi syllogismi n. 1., quòd scilicet totum non distinguitur inadæquatè à partibus copulare sumptis, probatur facile: quia totum distinguere inadæquatè à partibus, significat, totum cum ijs identificari, & insuper cum aliã entita-

te, quæ non sit tota essentia totius, atque adeò sit alia pars ejus. Quare igitur, an totum distinguitur inadæquatè à collectione istius novæ partis & cæterarum? Si neges: jam ergo totum non distinguitur inadæquatè ab omnibus suis partibus collectim sumptis. Si asseras: ergo totum ultra collectionem modò dictam addit insuper novam aliam partem; de quã, prout collectã cum precedentibus, eadem questio redibit; & sic in infinitum.

17 Dives forsannentitas, quæ superadditur, non est pars, sed totalitas, seu forma totius. Sed nihil dices: nam ista totalitas, vel est tota quidditas totius, vel non. Si est; jam tota quidditas totius, non inadæquatè, sed adæquatè distinguitur à partibus. Si non est: ergo est pars quidditatis; nam prorsus implicat esse quid totius, & non esse totam quidditatem, nec partem quidditatis. Præterea, illa forma totius, vel unitur partibus, vel non. Si non unitur: ergo totum identificatur cum entitatibus non unitis, ac proinde non est unum. Si unitur partibus ad componendum totum; quid illi deest, ut sit pars?

18 Dices iterum: licet totum nullatenus distinguitur ab omnibus omnino partibus, distinguitur tamen inadæquatè à materia, formã, & unione collectis, quia insuper addit novam aliam partem absolutam. Sed contra 1.: quia omnia ferè argumenta contrariã sententiã, vel probant de omnibus omnino partibus, vel nihil probant. Contra-

2.: quia nova illa pars est omnino superflua, & inutilis. Nam, posita v.g. corpore organico, anima rationali, & unione, ponitur quiddam sufficit, ut existat homo: complexum enim ex illis tribus, præciso quovis alio, est in primis unum per se, cum constet ex actu & potentia de genere substantiæ substantialiter unitis; vel cedo, cur complexum ex illis & ex aliã parte, à te superadditã, sit unum per se? Est deinde potens elicere operationes omnes hominis proprias; quia continet principium activum, & passivum earum, nempe animam, & corpus; & evidens est, quòd anima rationalis, substantialiter unita corpori rectè disposito, & instructo organis ad videndum, audiendum &c., potest elicere visionem, auditionem &c.. Illud ergo complexum est unum per se, potens sentire, & discurrere, ac proinde est animal rationale: ergo illi convenit hominis definitio: ergo verè est homo.

19 Denique sententia nostra roboratur exemplo totius integralis, accidentalis, & per aggregationem; in quibus Scotistarum argumenta planissime insistantur. Nam in primis totum integrale, v.g. mare, non distinguitur ab omnibus suis partibus. Tum quia ex terminis, & ex omnium conceptione patet, duas medietates maris, continuative unitas, esse totum mare. Tum quia alioquin mare realiter distingueretur ab omni divisibilitate, cum hæc tota spectet ad partes: unde totum mare foret quid entitative indivisibile, cùm tamen esset per totum Orbem dispersum.



sum. Deinde idem constat in toto accidentali: si enim huiusmodi totum distinguereur à subjecto & accidenti, prout ita distinctum, foret accidens; repugnat enim, quod substantia causetur ex accidenti, tamquam ex parte intrinsecâ sui: deberet ergo in subjecto recipi, quia omnis accidentis esse est inesse: ergo ex illo & subjecto resultaret aliud totum accidentale; de quo eadem questio fieret, & ita sine fine. Idem argumentum militat in toto artificiali. Denum de toto per aggregationem nemo dubitat: nam vel rusticis notum est, acervum tritici nihil esse aliud, quam multa grana tritici coarservata. Similiter nemo dubitare videtur de toto numerali, v. g. de numero ternario; nec de toto metaphysico constituto ex genere & differentiâ.

20 Si quæras, an saltem per rationem distinguatur totum à partibus collectivè sumptis? *Resp.*: non distinguitur propriâ & strictâ distinctione rationis, sed tantum illâ minùs propriâ, quam vocant *penes implicitum & explicitum*, sive quæ datur inter definitionem & definiendum, v. g. inter hominem & animal rationale. Ratio est: quia hic conceptus, *materia, forma, & utriusque unio*, expresse ac distinctè proponit totam essentiam physicam, quam confusè aut indistinctè significat nomen, *compositum*, vel *totum substantiale*. Nec obitat, quod totum dicatur *resultare* ex partibus. Nam etiam acervus tritici *resultare* dicitur ex multis granis, ternarius ex tribus unitatibus, species ex ge-

nere & differentiâ, & calidum ex calore & subjecto; nec tamen in his stricta rationis distinctio datur. Illa igitur *resultantia* non probat veram aliquam effluxum totius ex collectione partium, sed unice distinctionem *ex modo significandi*, seu modum nostrum concipiendi totum inftar effluentis.

## CAP. II.

DILUUNTUR ARGUMENTA  
contraria.

I PRO clariore solutionem intelligentiâ quædam sunt *prænotanda*. 1. nomine *partium* comprehendimus in presenti etiam unionem; quia, licet hæc non tam dicatur pars, quam nexus partium, nec pars, aut constitutum *ut quod*, sed *ut quo*, est tamen entitas verè identificata inadæquatè cum toto. Unde, cum negamus, totum distingui à partibus collectivè sumptis, negamus distingui à complexo, sive collectione materiæ, formæ, & unionis. Si tamen sumatur complexum ex solis partibus absolutis, nempe materiâ, & formâ, ab illo utique distinguitur totum realiter inadæquatè, quia ulterius importat unionem.

2. passim dicitur, omnes partes *distributive* sumptas distingui inadæquatè à toto, non tamen omnes *collective* sumptas. Quæ distinctio significat, veras esse propositiones, quibus distinctio affirmatur de *singulis* partibus, vel de *unusquisque* parte: nam in suppositione dif-

distributivâ idem significat omnes, ac *singuli*, & prædicatum affirmatur in solidam de *unoquoque* individuo, non de *cunctis* per modum unius subj. & realis; ut ex Sum. multis notum est: non tamen veram esse propositionem, quæ distinctio affirmatur de omnibus partibus quasi constituentibus unum subjectum reale, cui prædicatum conveniat; sicut exigit suppositio collectivâ, seu copulata. Quare illa propositio, *omnes partes distinguntur a toto*, in suppositione distributivâ reddit hunc sensum, *materia distinguitur, & forma distinguitur, & unio distinguitur a toto*; qui sensus verus est: at in suppositione collectivâ æquival. t huic, *materia & forma & unio distinguuntur a toto*; quæ propositio est falsa. Constat hic ex *Descensu* suppositionum in Sum. multis explicato.

3. Hinc ineptè argues sic: *Omnes partes distributive sumptæ, sunt omnes partes collectivè sumptæ*, quia utroque modo significantur omnes, nullâ exceptâ: sed omnes distributive sumptæ distinguuntur à toto: ergo & omnes collectivè sumptæ ineptè, inquam, perinde ac si ita argueres: *Omnes Apostoli collectivè sumpti, sunt omnes distributive sumpti*: sed omnes collectivè sumpti sunt duodecim: ergo & omnes distributive sumpti, sunt duodecim; seu (quod idem sonat) unusquisque est duodecim. Potest itaque negari *Major*; quia unaquæque pars non est omnes, non est collectio omnium. Sed quia remanet adhuc cavillationi locus, *ajst. Major*. sic:

omnes partes distributive sumptæ, sunt omnes collectivè sumptæ, id est, collectæ in unum subjectum, de quo verificetur *distingui a toto, neg.* (nam omnes partes sic collectæ, sunt partes chymicæ, quibus cum non identificantur veræ partes; sicut è converso omnes Apostoli sic distributi, ut de singulis verificetur *esse duodecim*, chymici sunt); aliter collectæ, *transcat Mai.* Tum, *concessa Min., ajst. Consequ.* omnes collectivè sumptæ, id est, collectæ in unum subj. & unionis distinctiois à toto, *neg.* suppositum (quod scilicet tales partes dentur, aut sint possibles); aliter collectæ, *transcat Consequ.* Ad probationem adjunctam dic, utroque modo significari omnes partes, non chymicas, sed verè talis.

4. 3.: *causa intrinseca*, seu *constitutiva*, idem est, ac *constitutum intrinsecum*, seu *pars intrinsece componens*; idemque est *intrinsece c. usare totum*, ac *esse partem ætually totius*. Unde, sicut implicat in terminis, esse partem totius, & simul adæquatè distingui à toto, quia hoc perinde est, ac esse aliquid totius, & simul esse nihil totius; ita implicat in terminis, esse causam intrinsecam, & simul adæquatè distingui à causato, sive toto item, sicut nulla est pars, quæ non distinguatur inadæquatè à toto (aliter jam non esset pars, sed totum); ita de causâ intrinsecâ censendum. Item, sicut pars, dum constituit, & componit totum, nihil aliud præterit, quam uniri cum alijs; ita causa intrinseca, dum causalitè totum,



nihil aliud præstat, quam uniri cum exteris, atque ita fieri aliquid totius; hoc enim est formam v. g. dare esse toti, dare suum esse ita, ut fiat esse totius, sicut reversa fit eo ipso quod uniatum cum esse aliarum partium. Unde vides, magnum esse discrimen inter causam intrinsicam, & extrinsecam, v. g. efficientem; hæc enim causat dando esse effectui adequate distinctum ab esse causæ. Denique, sicut munus partis non convenit omnibus partibus collectim, aut simul sumptis (sic enim eis convenit esse totum, ut patet in acervo tritici), sed tantum divisim, aut seorsum acceptis; ita de munere causæ intrinsicæ putandum. Ne tamen existimes, quod in presenti per adverbia *seorsum*, *divisim*, & *similia*, excluditur status actualis unionis; sine hoc enim non exercetur munus partis, aut causæ intrinsicæ: solum excluditur conjunctio, vel simultas aliarum partium in ratione constituentium unum subjectum, aut rectum, de quo verificatur esse partem, aut intrinsicè causare totum; quia hæc prædicata, etiam quando partes actualiter unite sunt, solum verificantur de illis *divisim*, id est, *singulatim*.

5 4.: verè dicitur, *forma unita materie causat totum*; falsò tamen, *forma, unio, & materia causant totum*. Quia in primo asserto significatur sola forma in recto, unio autem, & materia in obliquo: unde, cum prædicatum non cadat nisi supra rectum subjecti, solum cadit supra formam. At in secundo asserto sumuntur in recto partes om-

nes per modum subjecti copulati; atque ita falsò dicuntur causare totum. Hoc autem assertum, *materia & forma unita*, vel *cum unione, causant totum*, communiter negatur; quia materia & forma unitæ, seu cum unione, censentur esse totum ipsam. Verum idò negatur, quia unio, licet voce tenus ponatur in obliquo, mente tamen sumitur in recto, sicut materia, & forma, quasi cum his constituens unum subjectum copulatum. Si tamen ex mente dicentis unio sumatur in obliquo, concedi debet assertum; quia reddit hunc sensum, *materia & forma, quando sunt unita, causant totum*; quo sensu prædicatum cadit solum supra entitates materie, & formæ, quæ inadæquate distinguuntur à toto (ut potè includente insuper unionem), ac pròinde verè dicuntur illud causare.

6 Idem intellige, cum dicitur, *materia & forma, prout unita, causant*. Hoc enim verum est, si reduplicetur unio præcisè ut circumstantia, vel conditio; falsum tamen, si reduplicatio sumat unionem in recto. Dices: *rectum*, & *obliquum*, termini sunt intentionales, qui non dantur à parte rei. Factor: sed his terminis significamus quod est à parte rei. Vocamus enim *rectum* id, cui prædicatum à parte rei convenire dicimus; *obliquum* autem id, quod, licet simul cum tali recto significetur, non tamen ita, ut ipsi à parte rei convenire dicamus prædicatum, de quo est sermo. Vide quantum à parte rei, distent objecta affirmata locutionum

starum, *creatura Dei est quid finitum, creatura & Deus sunt quid finitum*. Ex his prænotatis (quæ si quis admittere renuat, urgendus erit exemplo totius accidentalis, & aliorum, de quibus *cap. præced. n. 19.*) jam facile solves præcipuas objectiones.

7 *Objic. 1.*: partes compositi sunt causæ totius substantialis, & hic est effectus earum: sed omnis causa realiter distinguitur ab effectu suo: ergo inter totum substantiale & omnes ejus partes datur distinctio realis. *Dist. Maj.*: partes compositi distributive, divisim, aut singulatim sumptæ: *conc.*; sumptæ collectivè, aut copulativè, *neg. Maj.* Tum, *concessa Mtn.* de distinctio-  
ne vel adæquatâ, vel inadæquatâ, *dist. Consequ.* sub iisdem terminis. Sensus autem, & veritas solutionis constat ex prænotatis, supposito partes esse causas totius, non extrinsecas, sed intrinsicas. Et ulterius admitti debet ab Adversarijs in toto integrali, aut accidentali.

8 Si dicas, non dari propriè causas in toto accidentali, quia non est propriè unum. In primis totum integrale propriè est unum. Deinde totum accidentale, v. g. *calidum*, licet non dicatur unum per se, quia non componitur ex actu & potentia ejusdem generis, est tamen propriè unum proprietate unionis physice inter calorem & ignem; est enim illa unio sine dubio propria, & naturalis: & saltem eo modo, quæ est unum concretum physicum, non minus pendet, & resultat ex calore, quam homo ex animâ, atque adeò

non minus causatur intrinsicè. Adde, quod causa intrinsicæ, & pars intrinsicæ, nihil differunt. Sed etiam si omittatur nomen *causæ*, objectio planè instatur sub nomine *partis*, hæc modo: subjectum & calor (subaudi etiam unionem) sunt partes concreti *calidum*, illudque realiter componunt, & constituunt: sed omnis pars realiter componens, & constituens, realiter distinguitur à constituto, cujus est pars; nihil enim est pars sui, nec realiter componit, aut constituit se, ut est evidens: ergo inter illud concretum & omnes ejus partes datur distinctio realis. Eadem argumentatio fieri potest in acervo lapidum.

9 *Replie. 1.*: forma v. g. non causat se, nec materiam, nec unionem: ergo, dum causat totum substantiale, causat aliquid ab ijs tribus distinctum. *Insto*, ut nuper: calor non est pars sui, nec subjecti, nec unionis: ergo, dum est pars concreti *calidum*, est pars alicujus ab ijs tribus distincti. Itaque *dist. Antec.*: non causat se, nec materiam, nec unionem, singulatim sumptas, *conc.*; sumptas copulativè, *neg. Antec.*. Tum *dist. Consequ.*: ab ijs tribus copulativè sumptis, *neg.*; sumptis singulatim, *subdist.*: aliquid distinctum inadæquatè, *conc.*; adæquatè, *neg. Consequ.*. Forma igitur intrinsicè causat se & materiam & unionem copulativè sumptas; quia sic sumptæ, sunt tota collectio ipsarum, & hanc collectionem intrinsicè causat forma eo ipso quod sit pars ejus; nihil enim est aliud intrinsicè causare aliquid, quam esse partem illius.



10 *Repl. 2.*: forma, materia, & unio, singulatim sumptæ, non sunt intrinsecè causabiles à formâ: ergo nec ipsarum collectio est intrinsecè causabilis à formâ. Sic non est à Deo efficienter causabilis collectio trium chymerarum, quia tres chymeræ, singulatim sumptæ, non sunt efficienter causabiles à Deo. Verùm hoc etiam subest instantiæ nuperæ: quia similiter calor, subiectum, & unio, singulatim accepta, non sunt intrinsecè causabilia, vel constitutibilia ex calore tamquam ex parte sui. Præterea dico, formam, materiam, & unionem, singulatim sumptas, esse intrinsecè causabiles à formâ, non quidem per causalitatem distributivè afficientem singulas, sed per causalitatem dominantem omnes copulatim, ita ut denominatio *causati* conveniat omnibus collectivè sumptis. Est dicere: Singulæ sunt capaces, non ut à formâ causentur singulatim, aut divisim, sed ut causentur collectivim: quia singulæ verè sunt capaces ut includantur in collectione, quæ à formâ intrinsecè causetur, idest, cujus forma sit pars.

11 Si inferas: ergo forma etiam est intrinsecè causabilis, & causata à semetipsâ. *Dist.*: absque ullâ distinctione reali inter formam ut causantem, & ut causatam, *neg.*; eam distinctione reali inadæquata, *conc. Conseq.*. Forma non suscipit denominationem *intrinsecè causantis*, nisi sola, vel seorsum ab alijs (vide suprâ n. 4.); & denominationem *intrinsecè causate* non suscipit, nisi collectivim cum materia & unio-

ne, ita ut denominatio ista non verificetur, nisi de totâ collectione, tamquam de unico subiecto: inter formam autem sumptam collectivim, & sumptam seorsim, datur utique distinctio realis inadæquata. Hinc solves hunc syllogismum: Forma non causat compositum, quatenus hoc importat formam ipsam: sed neque illud causat, quatenus importat materiam, & unionem: ergo forma nullatenus causat compositum. Respondebis enim, quod forma causat compositum, quatenus hoc importat formam ipsam prout collectivam cum materia & unione, & similiter quatenus importat materiam & unionem prout collectivam cum formâ; ita ut denominatio *intrinsecè causati* à formâ, nunquam aptari possit, nec soli formæ, nec solis materiæ & unioni; quia idem sonat, ac denominatio *habentis formam ut partem sui*, & hæc non convenit nisi collectioni omnium ut tali.

12 *Repl. 3.*: materia, forma, & unio, singulatim sumptæ, sunt causæ intrinsecæ partiales, sive inadæquata: ergo collectio ipsarum est causa intrinseca totalis, sive adæquata, tætius substantialis: non aliter, ac collectio omnium partialium causarum efficientium est causa efficiens totalis, & adæquata. Sed causa adæquata totius, realiter ab eo distinguitur: ergo &c.. *Resp.* Hoc etiam instantiam patitur in toto accidentali; nec non in collectione ipsâ, de quâ est sermo. Nam materia, forma, & unio, actu existentes, omni aliâ entitate præcisâ, sunt col-

collectio physica entitatum, seu quoddam conjunctum physicè indivisum; non enim materia & forma sunt divisæ inter se, nec ab unione. Hujus autem conjuncti causæ intrinsecæ inadæquata, sunt materia, forma, & unio, singulatim. Numquid collectio earum erit causa intrinseca adæquata ejusdem conjuncti, seu collectionis ipsius? Et, omisso nomine *causa*, instantia est evidentior sub nomine *partis*. Materia, forma, & unio, singulatim sumptæ, sunt partes inadæquate componentes collectionem sui ipsarum: ergo collectio earundem erit pars adæquata componens semetipsam, sive pars adæquata sui: quæ est manifesta implicatio in terminis, tum propter defectum distinctionis, tum propter vocum repugnantiam; nam *pars adæquata* toti, est pars non pars, nec toto minor, contra illud per se notum, *Totum est majus sua parte*.

13 Itaque ad *repl. 3.* conceditur *Antec.*, computando unionem inter causas intrinsecas eo sensu, quo computatur inter partes ex *num. 1.*: sed negatur *Conseq.*: quia *causa intrinseca* idem sonat, ac *pars componens*; ideoque, sicut implicat in terminis *pars totalis*, seu *pars adæquata*, cum conceptus *partis* sit impræscindibilis à partialitate, & inadæquatione; ita in terminis implicat *causa intrinseca totalis*, sive *adæquata*, ob eandem rationem. Poterunt quidem materia, & forma, unaquæque vocari causa intrinseca in suo genere adæquata, idest, unica: materia quidem in genere sub-

jecti, & forma in genere causæ formalis: quod pariter locum habet in munere partis; quia uralibet est pars adæquata, idest, unica, in suo genere; forma quidem in genere partis formalis, & materia in genere partis materialis. Cæterum in ratione causæ intrinsecæ, absolute dictæ, prorsus implicat causa totalis, vel adæquata. Nec valet exemplum causæ efficientis; quia hæc non dicit ex conceptu suo inadæquationem; nec est ratio, cur nomen ejus verificetur potius de singulis causis partialibus, quam de collectione omnium, cum ista collectio realiter distinguatur ab effectu, & extra illum maneat.

14 Ex quâ doctrinâ *negandum est 1.*, quod munus, vel prædicatum conveniens singulis partibus, nullâ exceptâ, convenire debeat toti, seu collectioni omnium. Idcirco ineptæ sunt argumentationes istæ: Singulæ partes, nullâ exceptâ, sunt simplices, sunt incompletæ, sunt partes collectionis ipsarum: ergo collectio est simplex, est incompleta, est pars sui ipsius. Item: Singulæ partes numeri binarij sunt unitates: ergo collectio, seu numerus ipse, est unitas. Item: Singula grana tritici sunt quid parvum: ergo ingens acervus tritici est quid parvum. Ratio: quia inter collectionem, & partes singulas, vel singulatim acceptas, datur distinctio realis inadæquata; quæ sufficit ad prædicationes diversas, & oppositas. *Negandum est 2.*, quod causa intrinseca inadæquata relationem dicat ad causam intrinsecam adæqua-



nam: non enim refertur, nisi ad alias concausas intrinsecas similiter inadæquatas, atque etiam ad compositum sub ratione *intrinsecè causati*: quemadmodum pars non dicit relationem ad partem totalem, sed ad compartes alias, atque etiam ad totam sub ratione totius. Hinc superflue additur *inadæquata*, dum sermo est de causâ intrinsecâ, perinde ac si diceretur *pars partialis*: knd quodammodo falsam supponit, scilicet dari posse causam intrinsecam, quæ non sit inadæquata.

15 Sed adhuc *insuffes*: compositum est adæquatè causatum intrinsecè, sive in lineâ intrinsecâ: ergo in hac eâdem lineâ correspondet ipsi causa adæquata. *Prob. Conseq.*: quia ex terminis repugnat adæquatè causatum sine causâ adæquatâ. *Resp.* Redit instantia sub iisdem terminis in toto integrali, accidentali, &c.. Item sub nomine *partis intrinsecè componentis*: nam eâdem ratione repugnare videtur *adæquatè compositum*, sine *adæquatè componente*: unde assignanda erit pars adæquata. Itaque *concesso Anteced.*, *neg. Conseq.*. Ad *prob. dist.* assertum: repugnat &c., dum sermo est de adæquatè causato in lineâ extrinsecâ, *conc.*; dum de adæquatè causato in lineâ intrinsecâ, *subdist.*: sine causâ adæquatâ, & sine multis inadæquatis, *comp.*; sine causâ adæquatâ, cum multis tamen inadæquatis, quotquot sunt necessariæ, *neg.*. Esse adæquatè causatum intrinsecè, significat, esse constitutum ex multis partibus, ita ut nulla necessaria desit: at huiusmodi constituto non corres-

ponder una pars adæquatè constituens, sed multæ partes, singulæ partialiter constituentes, præter quas nulla alia desideretur. Idem autem significat *pars constituens*, & *causa intrinseca*. Ubi notandum, quod ab unaquaque parte causatur adæquatè compositum adæquatione effectus, non adæquatione causæ: idest à formâ v.g. causatur totum compositum in esse totius, quia non nisi ut totum est, includit formam ut partem sui (quod est ab eâ intrinsecè causari); at non causatur à formâ tantum, quasi sola sufficeret, sed insuper à materiâ & unione singulatum. Sic in causis etiam extrinsecis, dum potentia & habitus influunt in amorem, à singulis causatur amor adæquatè, non adæquatione causæ, sed adæquatione effectus.

16 Si quæras, cur materia & forma unitæ (sumptâ unione in obliquo) dici non possint causa adæquatè compositi, siquidem illud verè causant ex *m. 5.*, & aliunde præter illas nulla est alia causa intrinseca, cum unio non sit causa, sed causalitas? Quæramus invicem, cur non eadem dicantur pars totalis, vel adæquata, siquidem unio non est pars, sed nexus partium? Ratio igitur est: quia non dicitur causa adæquata, nisi quæ continet totum esse causati: materia autem, & forma, etiam dum sunt unitæ, solæ ipsæ in recto non continent per identitatem realem (quæ est continentia propria causæ intrinsecæ) totum esse compositi, siquidem hoc includit etiam unionem, quam identicè non continent materia & forma. Unio itaque, quoad

quoad præsens atinet, sicut computatur inter partes, ita & inter causas intrinsecas; quia causa intrinseca in præsentia dicitur omnis veracitas, à quâ ut intrinsecè inclusa; solum ergo dicitur, non simpliciter causa, sed causalitas, quia conceptus ejus est conceptus ultimæ determinationis aliarum causarum. De cætero, verissimè includitur in composito, & hoc essentialiter ab illâ pendet.

17 *Objic. 2.*: homo per generationem accipit aliquod esse simpliciter tale, & per corruptionem illud amittit: sed hoc esse non est esse materiæ & animæ rationalis, quippe quæ non generantur, nec corrumpuntur; nec item est esse unionis, quia hoc non est esse simpliciter, nec *ut quod*, sed *purè ut quo*: ergo est aliquod aliud ab his distinctum. *Confirm. 1.*: quia, si in morte hominis sola perit unio, permanebit homo secundum totum suum esse absolutum; quidquid enim de absoluto dicit homo, totum permanet in materiâ, & animâ, nec perit nisi purus respectus. *Confirm. 2.*: quia, dum Aristoteles substantiam dividit in materiam, formam, & compositum, nomine *compositi* non significat materiam & formam; sic enim divisio foret nugatoria: nec item significat unionem; quia sic nomine *compositi* significaret aliquod imperfectis materiâ, & formâ: significat ergo aliquid aliud. Hic etiam spectat, quod Aristot. ait *lib. 5. Metaph. text. 19.*, sex non esse bis tria, sed sex et sex:

& *lib. 7. t. ult.*, syllabam *ba* non esse *b*, & *a*; sed aliquid aliud: & *lib. 8. tit. 15.*, totum, quod non est merè coaceratum, esse aliquid aliud præter partes.

18 Ad *Objic. conc. Mat.*: & ad *Mat.* dico, illud esse simpliciter, quod homo generatione accipit, & corruptione amittit, consistere in esse materiæ, animæ, & unionis, non distributive sumptarum, sed collective; quia est ipsum esse compositi, seu esse hominis. Quamvis enim sola unio sit generationis terminus formalis; homo tamen in esse totius verè est terminus denominationis, qui scilicet physice, seu cum proprietate physica denominatur *generatus*: quia per generationem ultimò efficienter determinatur ad existendum simpliciter, cum determinetur ad habendum suas omnes partes, idest, non solum unionem, sed etiam materiam, & animam; has quippe non habet homo ut partes sui, donec existat unio, quæ & se ipsâ componit hominem, & reddit materiam & animam actualiter componentes. Et hæc est ratio, cur homo potius dicatur generatus à generatione unionis, quam creatus à creatione animæ. Similiter per corruptionem unionis determinatur homo ad amittendum suum esse simpliciter; quia determinatur ad non habendum ullam sui partem: jam enim anima & materia non sunt partes actuales hominis: & idcirco verè denominatur homo *physice corruptus*. Materia igitur, & anima rationalis, non corrumpuntur, nec generantur distributive:



sumptæ, nec per modum termini formalis; bene tamen, collectivè sumptæ cum unione, per modum termini denominationis.

19 Hinc ad 1. *Confirm.* negandum, quòd in morte hominis pereat sola unio: perit enim homo simpliciter in esse hominis, neque ullum esse absolutum retinet; nam illud esse, quod permanet in anima & materiâ, fuit quidem hominis, sed jam non est hominis. Negandum etiam, quòd unio sit purus respectus prædicamentalis: pollet enim insuper alijs prædicatis, cum sit modus substantialis, extrema determinans, & perficiens, simul que pertinens intrinsecè ad essentiam hominis. Ad 2. *Confirm.*: Aristoteles nomine *compositi* significat in eâ divisione, non solam unionem, nec solas materiam & formam, sed has tres entitates collectivè: unde tertium divisionis membrum non nisi inadæquatè distinguitur à cæteris. Nec ideo divisio nugatoria est, aut vitiosa; ut in summulis notavimus circa regulas Divisionis. Quod Aristoteles ait de senario, & de syllabâ, solvendum est pariter ab Adversarijs; illa quippe sunt composita accidentalialia. Quare dicendum, ideo sex non dici formaliter bis tria, vel quia sumuntur duo ternarij, non copulativè, sed singulativè; vel quia senarius importat cõtinuatam unionem, seu coordinationem sex unitatum, quam non important duo ternarij: unde jam datur aliqua distinctio inadæquata, nempe ratione unionis; nec opus est addere aliam entitatem, ne alioquin senarius sit

septenarius. Idem dictum esto de syllabâ *ba*, quæ pariter inadæquatè distinguitur à litteris *b*, & *a*, tum singulativè sumptis, tum ratione conjunctionis & ordinis in profereundo, aut scribendo.

20 Cum autem ait Aristoteles, totam, non merè coacervatum, esse aliquid aliud præter partes, loquitur de partibus juxta positis, seu merè localiter conjunctis; & significat, totum insuper addere unionem physicam, seu naturalem, quam non addit merus acervus. De cætero, mens Aristot. pro nostrâ sententiâ satis constat ex locis à P. Suar. citatis, præsertim ex 4. *Physic. t. 23.* & *seqq.*, & ex 5. *Metaph. t. 31.* Adde auctoritatem Magni Augustini 7. de *Trinit. cap. 4.*, & 13. de *Civit. cap. ult.*, ubi sic loquitur: *Hoc quidem verum est, quòd non totus homo, sed pars melior hominis anima est; nec totus homo corpus, sed inferior hominis pars est: sed cum est utrumque conjunctum simul, habet hominis nomen.* Quæ est etiam sententia expressa D. Thomæ 4. *cont. Gent. c. 81. ad 3.* Nec oppositum docet S. Doctor in 3. d. 2. q. 1. ar. 3. *corp.*, dum ait, quòd in Christo fuit corpus, & anima, & *ulterius forma totius resultans ex conjunctione corporis, & animæ, quæ humanitas dicitur.* Solum quippe vult, ut in Christo fuerint corpus, & anima, non utrumque, sed simul cum unione, ita ut ex eis vera constitueretur humanitas. Videatur ibi in *resp. ad 3. questunc.*, & ibidem ad 3..

21 *Objic. 3.*: si totum substan-

tiale non distinguitur à collectione partium, non erit unum per se, sed unum per accidens: erit enim plura simpliciter, & unum secundum quid, nempe secundum unionem. Accedit, quòd collectio partium est veluti coacervatio plurium entitatum, quæ non magis propriè dici potest quid unum, quàm acervus lapidum. *Neg. seq.*: quia unum per se dicitur, quod constituitur ex actu & potentiâ ejusdem generis, physice unitis; ut sæpe diximus. Nec constitutum istud est unum duntaxat secundum quid, aut secundum unionem; sed est unum à totâ suâ entitate; ut explicuimus. *disp. præced. c. 2. n. 10.* & 11. Nec ejus unitati opponitur pluralitas partium (si pluralitas non significet divisionem, sed distinctionem tantum); nam alioquin totum substantiale non foret unum unitate compositionis, sed simplicitatis, non unum compositum, sed unum simplex, sicut Angelus. Quare partes simul dici possunt simpliciter plures partes, & simpliciter unum totum. Quod additur de coacervatione, falsum est: nam coacervatio non importat unionem partium physicam, seu naturalem, quam utique importat collectio, de quâ loquimur.

22 *Objic. 4.*: multa verificantur de composito, quæ non verificantur de partibus, etiam collectivè sumptis: ergo à partibus, etiam sic acceptis, distinguitur compositum. *Prob. Antec.*: quia compositum est continens, & includens, & constitutum; partes autem sunt in-

clusæ, & contentæ, & constituentes: compositum est unum; partes autem non nisi plures: compositum non est unitum; partes autem unite sunt: compositum agit, & accidentia recipit *ut quod*; non ita partes. *Neg. Antec.* Ad *prob.*: tota ista prædicatorum varietas referenda est ad partes distributivè sumptas: si enim collectivè sumantur, sunt ipsum compositum, aded que suscipiunt prædicata omnia, quæ de composito verificantur, nominativè ea, que enumerat objectio.

### CAP. III.

#### QUORUMDAM AUTHORUM peculiares sententiæ, Totum à partibus distinguentes, rejiçiantur.

1 **F**ABER Scotista *theorem.* 21. *cap. 3.* ponit materiam & formam unitas in quâdam prioritate, vel signo, in quo nondum sunt totum, sed ab eo distinguuntur: deinde dicit, has partes per generationem converti in totum, ita ut jam non retineant formaliter suas entitates, sed transeant in substantiam totius. Sed hic Author optimè impugnatur à Merinero, & Mastrio. Et nunc rejicitur breviter. Tum quia productio compositi non erit generatio, sed transsubstantiatio, non minus mirabilis, quàm Eucharistica. Tum, quia, si partes non retinent intra compositum suas entitates, compositum non constabit formaliter partibus, nec  
erit



enit formaliter compositum, sed formaliter simplex. Tum, quia, si anima rationalis suam amittit entitatem per conversionem in totum, non poterit illam in morte hominis recuperare, nisi de novo creetur. Tum etiam, quia sequeretur contra Fidem, in Christo D. non permanere animam rationalem.

2 P. Vazquez in 3. p. d. 19. a. n. 28. agnoscit in compositis substantialibus, præter materiam, formam, & unionem, quoddam esse substantiale, in materia derivatum à formâ in genere causæ formalis; atque in eo collocare videtur totalitatem compositi. Movetur 1.: quia materia in toto substantiali non est purum vehiculum formæ, sicut subjectum formæ accidentalis; sed per se concurrat ad operationes compositi per modum principij agentis, ita ut in homine v.g., non sola anima vivat, & operetur, sed etiam materia per animam informatam alioquin, non totus homo, sed sola anima propriè videret, edificaret, &c., sicut in aquâ calidâ solus calor propriè calefacit: admitteudum est igitur aliquod esse à formâ derivatum, ratione cujus materia vivat, & operetur. 2.: quia anima rationalis materiz tribuit esse corporis, quod ab animâ spiritali distingui debet. 3.: quia sequeretur alioquin, hominem non minus dici posse spiritum, quàm corpus: nam, sicut ex alterâ parte est corpus, ita ex alterâ est spiritus. 4.: quia anima hominis vivificat materiam vitâ corporali, & corruptibili, quæ nequit non distin-

gui ab animâ incorruptibili, & in corporeâ.

3 Hæc tamen argumenta non satis probant, quod intendunt. Non 1.: quia materia nunquam activè concurrat ad operationes compositi, etiam admissio illo esse à formâ derivato: illud enim esse distinguitur à materia, quæ proinde semper distincta manet ab omni esse activè concurrente. Vel, si materia dici potest activè concurrens, quia recipit illud esse activum, cur non etiam, secluso tali esse, dicatur activè concurrere, quia recipit ipsum esse formæ, quod utique activum est? Materia ergo non est merum vehiculum formæ substantialis, sed ulterius conducit, & adjuvat ad operationes compositi, vel tamquam subjectum, saltem parziale, materialium operationum immanentium, vel quia est proprium subjectum accidentium instrumentaliter concurrentium ad operationes formæ: quo fit, ut forma in operando pendeat à materia (qualiter non pendet calor ab aquâ), ideòque operationes tribuantur toti composito. Non 2., nec 3.: quibus assatim respondimus *disp. 5. cap. 1. à n. 22. ad 27.*

4 Non 4.: quia, licet anima in se, & quasi in abstracto, sit vita incorruptibilis, & incorporea; in concreto tamen, seu prout in actu secundo vivificans materiam, est vita corruptibilis, & corporea, ratione unionis, quam involvit, & ratione exigentiæ quantitatis, sine quâ talis vivificatio stare nequit. Præterea impugnari potest dicta sententia, quia illud esse à formâ

de,

derivatum, verè est in materia, ut in subjecto: ergo erit quædam forma, & actus materiæ, & quidem substantialis, siquidem est esse substantiale, pertinetque ad constitutionem unius per se: dabitur ergo in omni composito duplex forma substantialis; quod aliàs improbat P. Vazquez: & in animantibus dabitur duplex anima; nam illud esse, ab animâ derivatum, erit alia anima, cum sit substantia incompleta activè concurrens ad operationes vitales.

5 Huic sententiæ quodammodo affinis est, quam ex Agidio Romano tradit, & latè sequitur M. Manso l. 2. *Physi. q. 7.*: quod scilicet formalis effectus cujuscunque formæ, sive substantialis, sive accidentalis, realiter distinguitur à formâ communicatâ subjecto, consistit que in quodam esse à formâ derivato, quod non est res, sed modus entitativè indistinctus à subjecto, seu cum illo entitativè identificatus. Sed, ut ab hoc ultimo incipiam, cum modus iste varietur, ac pereat, & materia entitativè non pereat, omninò repugnat illa indistinctio, vel identitas modi cum materiâ; nisi indistinctio sumatur improprie pro inseparabilitate non mutuâ. Repete argumenta *disp. præc. cap. 1.* contra indistinctionem unionis à materiâ & formâ.

6 Deinde rejicitur hæc sententia: quia formalis effectus formæ est totum compositum: hoc enim intrinsicè causatur à formâ; nec nisi in genere causæ formalis, ut est manifestum: potest autem composi-

tum sic à formâ causari, quamvis nihil includat præter materiam, formam, & unionem; ut explicatum est *cap. sup. r.* Superfluum est igitur pro explicando formali effectu illud esse purè modale adæquatè distinctum à formâ, & ab eâ derivatum. Adde, quòd causa formalis relatè ad effectum primarium, & positivum, est causa intrinseca, proinde que non potest adæquatè distingui à tali effectu; alioquin non differret à causâ extrinsecâ, ut contra Scotistas arguebamus supra *cap. 1.* Nec dicas cum Manso *cit. q. n. 26.*, causam formalem in eo differre ab efficiente, quòd formalis recipitur in subjecto, cui dat suum effectum; efficiens verò non recipitur intra subjectum, cui dat effectum suum. Ne, inquam, id dicas: quia habitus animæ nostræ, sive naturales, sive supernaturales, ut Fides, & Charitas, utique recipiuntur in subjecto, cui dant suum effectum, nempe actum vitalem; cujus tamen sunt causæ efficientes. Argumenta Manso si partim soluta sunt in superioribus, partim solventur ubi de intentione qualitatum, & effectu formali quantitatis.

7 Sed hæc notandum, quòd, cum passim dicitur, effectum formalem (qui nihil est aliud, quàm denominatio, vel concretum, sive substantiale, sive accidentale, resultans ex formâ unitâ subjecto) non distingui à formâ communicatâ subjecto *capaci*, sensus est, talem effectum non distingui à formâ, subjecto, & communicatione, sive unionem, collectivè sumptis: nam à for-



mā, & communicatione, utique distinguitur inadæquatè; nisi fortè formalis effectus sumatur duntaxat *pro formali*, sicut sæpe sumitur formalis effectus formæ accidentalis, v. g. denominatio *albi*. Notandum insuper, quòd hæc locutio, *forma tribuit subjecto suum effectum formalem*, non significat, talem effectum adæquatè distingui à subjecto, cui tribuitur, nec à formā tribuente; alioquin hoc concretum *filius Dei adoptivus*, qui est effectus formalis à Gratiā tributus homini, distingueretur adæquatè ab homine, vel à Gratiā. Solum ergo significat, formam, dum se tribuit subjecto, constitutive facere, ut resultet effectus formalis constitutus etiam ex subjecto, imò & eidem attributus tamquam recto, vel unico, vel partiali, prout fuerit effectus, accidentalis, vel substantialis.

8 P. Lynce *l. 2. Physic. tr. 9. c. 1.*, singulariter opinatur, totum substantiale esse omnino idem cum supposito, vel substantiā; quam non considerat, ut cæteri Authores, tanquam quid incompletum, quod simul cum natura constituat unum suppositum; sed existimat, substantiam, humanam v. g., esse quid completum, adæquatè distinctum à collectione partium, & quod verè esset totus homo, etiamsi per impossibile existeret sine partibus. Moveretur 1.: quia Verbum Divinum assumpsit collectionem animæ, corporis, & unonis, nec tamen assumpsit hominem: ergo homo est quid ab eā collectione distinctum. At, quod non est assumptum à Ver-

bo, est sola substantia humana: hæc ergo est totus homo. 2.: quia, si homo consistit in collectione partium, homo senex non erit idem secum ipso puero, propter variationem materiæ. 3.: quia, si homo secum identificat unionem partium, Petrus erit specie distinctus à Paulo. Probat: quia unio Petri plus differt ab unione Pauli, quàm ab alijs unionibus Petrensibus, quæ scilicet loco præsentis dari possunt inter corpus & animam solius Petri; cum his enim unionibus convenit præsens unio Petri in essentiali alligatione ad hæc numero extrema, quo pacto non convenit cum unione Pauli: atqui ab unionibus hæc solo numero differt: ergo ab unione Pauli, plusquàm numero: ergo differt specie, consequenter que reddit Petrum specie diversum à Paulo.

9 Hæc opinio rejicitur 1.: quia, si compositum non identificatur cum partibus, non erit ens compositum. Ait Lynce, ut dicatur ens compositum, sufficere; quòd connotet essentialiter partes, ex quibus resultat. Sed *contra*. Tum quia sic erit homo compositus connotative tantum: cæterum constitutive, formaliter, & intrinsicè, erit ens omnino simplex, sicut Angelus. Tum etiam, quia licet accidens sæpe resultet ex materiā & formā unitis, non idèò dicitur compositum; nec creatura dicitur infinita, quāvis connotet essentialiter Creatorem infinitum. *Reji. 2.*: quia opinio hæc subjacet ipsidem impugnationibus, quibus *cap. 1.* rejecimus Scotistas. 3.: quia

## CAP. IV.

## DE SUPPOSITO REMISSIVÈ.

quia Verbum assumpsit integram humanitatem, seu naturam humanam; quam si Lynce concedit indistinctam à collectione partium, nobiscum sentit; non enim nunc disputatur de supposito, ut in limine *disp.* monuimus. Singularis tamen est, & contra omnes loquitur hic Author, dum soli substantiæ tribuit nomen hominis: &, præter incommoda *cap. 1.* indicata, tenetur idem sentire de nomine Angeli, dicere que naturam Angelicam, quāvis et substantia completa spiritualis, nec esse Angelum, neque ullatenus cum Angelo identificari; quod satis est absoum.

10 Nec obstant argumenta n. 8.. *Ad 1.*: Verbum non assumptum hominem personaliter sumptum, seu prout homo significat personam; quia non assumpsit humanam substantiam. Hoc probat quidem, quòd substantia est de conceptu suppositi, vel persone; minime tamen quòd est totum suppositum, nec totus homo. Sic humanitas deficit unione deficiente; nec tamen unio est tota humanitas. *Ad 2.* jam fecimus satis *disp. 4. c. 5.* *Ad 3.* fecimus etiam satis *tract. 3. Logic. d. 1. c. 3. n. 12.*: & planè instatur in ipsis humanitatibus Petri & Pauli, quæ certè specie non differunt, cum tamen secum identificent suas uniones; sicut etiam specie non differt humanitas Christi à cæteris.



1 TRACTATIO de supposito ad Metaphysicam, aut Theologiam spectat. Sed quia de eo etiam apud Physicos sæpe incidit mentio, aliquam ejus notionem, modò dabimus; remissis aliò quæstionibus, quæ prolixo indigent examine. Quod significatur nominibus concretis rerum per se stantium, ut *equus*, *homo*, & similibus absolute dictis, vocatur *suppositum*: quod verò significatur nominibus abstractis, quæ concretis hæc respondent, ut *equinitas*, *humanitas*, vocatur suppositi *natura*, vel etiam *essentia*, & *substantia* suppositi: atque hæc substantia, sive integra natura, est, quam hætenus explicuimus sub nomine *compositi substantialis*.

2 Distinctio realis inter suppositum, & naturam, nullo signo physico, vel naturali effectu notescit (ideò ad Physicam proprie non spectat): quare Philosophis ethnicis homo & humanitas non aliter distingui videbantur, quàm ex modo significandi, sicut ens & entitas. Christianis tamen ea distinctio innotuit ex mysterio Dominicæ Incarnationis. Nam Verbum Divinum assumpsit naturam humanam, ex materiā, formā, & unione constitutam, & non assumpsit hominem, id est, suppositum creatum, seu personam humanam. Unde in Christo D. duæ sunt naturæ, Divina scilicet, & humana, sed non nisi unicum suppositum, unicavè persona, ea que



non creata, sed Divina. Hinc autem planè colligitur, suppositum non esse solam naturam, sed aliquid ulterius addere, sive positivum, sive negativum; alioquin non posset humanitas à proprio supposito separari, sed ubicumque esset natura humana, esset & creatum suppositum; quod tamen in Christo constat esse falsum.

3. Suppositum ergo naturam intrinsecè includit (nam quis hominem absolute dictum concipiat sine humanitate, seu naturâ humanâ, quæ est substantia hominis?); sed addit aliquid aliud, quo deficiente, deficit suppositum, etsi natura non deficiat: atque illud additum vocatur *subsistentia*; quamvis enim hoc nomen interdum in concreto sumatur pro toto supposito, frequentius in abstracto accipitur pro addito istiusmodi. Quod de humano supposito dictum est, locum pariter habet in equino, lapideo, & cæteris purè corporeis, nec non in Angelico. Sed, quando natura est rationalis, vel intellectualis, ut in homine, & Angelo, suppositum vocatur *persona*, ejus que substantia *personaritas* (idem sonat græcum nomen *hypostasis*, quod latinum *persona*, vel *suppositum*: unde unio humanitatis ad Verbum dicitur *hypostatica*, id est, *personalis*): quando autem natura irrationalis est, ut in equo, & lapide, suppositum ejus *persona* non dicitur, nec ejus substantia *personaritas*, sed *suppositalitas*, aut purè *subsistentia*. Unde suppositum latius patet, quam persona; quia omnis persona suppo-

situm est, sed non è converso.

4. Nunc jam quæres, quid sit substantia? vel, quid addat supra naturam? Respondent Scotistæ, substantiam creatam, quæ natura constituitur in esse suppositi, nihil addere positivum supra naturam, sed tantummodo negationem dependentiæ, sive unionis, tum actualis, tum apertudinalis, ad aliud suppositum; ita scilicet, ut natura neque naturaliter apta sit uniri, neque de facto sit unita alij supposito. Unde inferunt, idèò humanitatem Christi non esse personam, vel suppositum, quia deficit saltem negatio, vel carentia unionis actualis: quamvis enim humanitas non sit naturaliter apta uniri supposito Divino, de facto tamen illi unitur supernaturaliter. Si tamen humanitas dimitteretur à Verbo, statim foret eo ipso persona juxta hanc sententiam, absque ullo addito positivo: foret enim eo ipso in se subsistens, sive sitens in se, & per se; quod est esse suppositum.

5. Communissima tamen sententia Thomistarum & Nostrarum est, creatam substantiam naturæ superaddere aliquid positivum. Id que suaderi solet: tam ex mysterio Trinitatis, ubi non solum natura Divina, sed etiam triplex personaritas in positivo consistit: etiam, quia, dum Concilia definiunt, Verbum non assumpsisse personam, sed naturam humanam, non definiunt præcise, Verbum non assumpsisse carentiam unionis humanæ naturæ ad Verbum ipsum; hoc enim per se clarum erat, nec ab ullo hæretico

negari poterat: supponunt ergo, personam humanam, ultra naturam, aliquid importare positivum, quod à Verbo non fuit assumptum, sed *consumptum*, ut loquuntur Patres, id est, impeditum nè tali humanitati adderetur. Hoc positivum, in quo substantia consistit, debet esse quid substantiale, cum intrinsecè constituat suppositum, quod non est unum per accidens, sed unum per se. Communiter autem censetur esse, non res, sed modus, seu forma quædam naturæ intimè adhaerens, non absoluta, sed purè modalis.

6. Jam verò munus substantiæ, ut satis communiter exponitur, est reddere naturam ultimò terminatam in ordine substantiali, seu, quod idem est, in ratione existentis per se; ita ut natura, prout sic terminata, sit incommunicabilis alteri supposito, vel substantiæ, per unionem physicam. Nihil magis de supposito novimus in rebus creatis, quam incommunicabilitatem istiusmodi. Cum enim Patres contra Nestorium inferant, non esse in Christo suppositum creatum, ex eo quòd humanitas unita fuerit personæ Verbi; quæ illatio recta non esset, si creatum suppositum non foret impedimentum unionis, seu communicationis naturæ humanæ ad suppositum extraneum: hinc nobis simul innotuit, & suppositum addere aliquid supra naturam, & illud aliquid esse impedimentum talis communicationis: & quidem impedimentum essentialiter, sive essentialiter incommunicabile

cum unione, non solum totius suppositi, sed etiam naturæ, ad extraneum suppositum; ut probabile reputat P. Suar. d. 34. Met. s. 5. n. 51.: nam repugnantia merè naturalis ad talem unionem, convenit naturæ ratione sui, & pro priori ad propriam substantiam.

7. Quapropter incommunicabilitas est de conceptu suppositi, juxta omnes. Idèòque in illâ definitione Boetij, *Persona est rationalis natura individua substantia*, idem sonat *individua*, quòd *incommunicabilis*, ut omnes exponunt. Quamvis autem incommunicabilitas sono tenus sit negatio, re tamen ipsa est quid positivum, quemadmodum incorruptibilitas, immortalitas, immaterialitas. Duplex tamen distinguenda videtur incommunicabilitas à substantiâ proveniens: altera, quæ convenit toti supposito in esse talis; & hæc essentialiter impedit communicationem ad aliud suppositum, aliamvè substantiam, sive ejusdem, sive alterius naturæ: altera, quæ convenit naturæ in esse talis, sed tamen ratione substantiæ (nisi alias illam habeat natura ratione sui); & hæc incommunicabilitas in eo stat, quòd natura in sensu composito propriæ substantiæ, licet insuper habere possit alias substantias proprias, omnino repugnet communicari ad extraneum suppositum, sive ad substantiam alterius naturæ integræ. Atque utraque ista incommunicabilitas est de conceptu *termini ultimi substantialis*. Hinc natura humana per propriam substantiam redditur in-



communicabilis etiam Divinitus, tum in esse suppositi ad aliam subsistentiam etiam propriam, tum in esse naturæ ad subsistentiam alienam, quamvis Divinitus possit habere simul plures proprias. Hinc etiam natura Divina per subsistentiam Patris v. g. redditur incommunicabilis in esse suppositi ad quamlibet aliam subsistentiam, sed in esse naturæ manet communicabilis alijs subsistentijs sibi proprijs, scilicet Filij, & Spiritus Sancti. Ad do, quòd si natura in sensu diviso à propria subsistentiâ terminetur per alienam, per illam redditur incommunicabilis in esse naturæ cuilibet alteri subsistentiæ præter eas, quæ propriæ fuerint ejusdem naturæ, cujus est illa, quæ terminat hic & nunc: unde subsistentia Verbi non impedit, quòd Christi humanitas in esse naturæ sit terminabilis per subsistentias Patris, & Spiritus Sancti: impedit tamen, quòd terminari possit in sensu composito per quamlibet aliam non propriam naturæ Divinæ.

9 Ex dictis poterit subsistentia definiri *Ultimus natura terminus in ordine substantiali, sive in ratione existentis per se.* Quòd si quæras, quid significet *ultimus terminus* &c.? Dicam, significare substantialem entitatem, naturæ physicè unitam (vel identificatam in Divinis), quæ cum naturâ ultimò constituit concretum incommunicabile cuilibet alteri de lineâ simili, naturamque ipsam reddit incommunicabilem ad terminum extraneum, seu habentem simile munus in aliâ

integrâ naturâ. Consequenter formalis effectus subsistentiæ est *reddere, seu constituere naturam ultimò terminatam in ratione existentis per se.* Vel aliter: formalis effectus subsistentiæ est *suppositum*: suppositum autem est *natura integra, prout ultimò terminata* &c.. Quid significet *prout ultimò terminata*, explicatum manet in explicacione *ultimi termini.* Hæc explicatio multis videtur imperfecta; quia tandem reducitur ad terminos negativos incommunicabilitatis. Sed non facile clarior, aut melior erui poterit ex principijs Fidei, unde nobis innotuit distinctio suppositi à naturâ: præsertim si danda sit explicatio communis ad subsistentiam creatam, & incretam.

10 Nihilominus, saltè quoad subsistentiam creatam, poterit explicatio ad positivos terminos reduci sic. Formalis effectus subsistentiæ, tanquam ultimi termini, est naturam reddere *ultimatè subsistentem*; sic enim natura constituitur in esse suppositi. *Subsistere* autem est *in se sistere.* Natura ergo tunc ultimâtè subsistit, cum ultimâtè in se sistit. Tunc verò natura *ultimatè in se sistit*, cum ita se ipsam possidet, atque ita sui juris est in lineâ physicâ, ut ipsa primariò ac principaliter denominari debeat ab operationibus suis, habendo simul impedimentum positivum existendi in alio, à quo possideatur, seu physicè habeatur, & cui operationes ejus attribuantur. Igitur in effectû formali subsistentiæ involvitur duplex conceptus: alter positivus,

12 3. in composito substantiali, præsertim in homine, multi ponunt subsistentiam completam, sive totalem, compositam ex duabus partialibus, & incompletis, quarum altera sit formæ, altera materiæ; ita ut anima separata secum ferat suam subsistentiam, & materia suam retineret, si existeret sine formâ. Hoc si verum est, definitio data n. 9. non convenit subsistentijs istis divisim, aut singulatim sumptis, sed tantum sumptis copulatis cum unione utriusque: quemadmodum definitio hominis non convenit partibus, nisi copulatis. Nec subsistentia incompleta, seorsim sumpta, proprie est *subsistentia*, prout nunc hoc nomen accipitur, prout nempe sonat suppositalitatem, sive ultimum constitutivum suppositi. Habet tamen aliquod munus subsistentiæ proprium, videlicet animar. (vel etiam materiam) reddere positivè incommunicabilem ad suppositum adæquate distinctum, sive ad subsistentiam alterius integræ naturæ: & in hoc sensu animam separatam denominat *subsistentem*. Vocari quoque potest quodammodo incompleta subsistentia illa, quam habet in statu unionis continuativæ pars aquæ, vel alterius totius integralis: non enim in tali statu quælibet aquæ pars dicitur suppositum, sed tota aqua vocatur unum suppositum. Quælibet tamen pars, statim ac discontinuatur ab alijs, fit suppositum: quia statim ejus subsistentia completur per terminos quantitativos incommunicabiliter.

11 Nunc *observanda* sunt, quæ subjungo. 1. si *subsistere* idem sonet, ac *in se sistere*, solum subsistit natura, quando propriam habet subsistentiam: si enim alienam habeat, non *sistit in se*, sed *in alio*. Unde rejiciunt plures locutionem istam, *humanitas subsistit in Verbo*: quia solum Verbum subsistit; humanitas verò inexistit. Vera tamen est ea locutio, si *subsistere* sonet *ibi sistere*, vel etiam *sub alio sistere*. 2. hætenus locuti sumus de subsistentiâ, quæ est suppositalitas, sive ultimum constitutivum suppositi, ut semper est in creatis subsistentia completa. Si tamen, ut plures volunt, datur in Deo subsistentia absoluta præter relativas, illa non est suppositalitas, nec ultimus terminus naturæ; quia non constituit concretum incommunicabile cuilibet alteri subsistentiæ. Quare solum convenit cum cæteris subsistentijs in constituendo naturam plene existentem per se sine dependentiâ ab ullo termino intrinseco substantiali; non tamen in constituendo subsistentem in se ultimâtè, seu incommunicabiliter.



13 4. Subsistentiæ communiter non tribuitur virtus operatiua, nec activus influxus in operationes suppositi: sed tamen illi tribuitur quædam prioritas physica respectu earum, scilicet per modum conditionis requisita ex parte principij activi: quia prius est naturam plenè & ultimè constitui in suo esse substantiali, quàm in operationes erumpere. 5. : axioma est, inter Theologos & Philosophos receptum: *Actiones sunt suppositorum*: cui tamen à multis adhibentur exceptiones, & expositiones variæ; de quibus videri potest Pat. Ulloa in *Prolegom. Scholast. disp. 3. cap. 1.* Communiter sic accipitur, ut, quoties operationes à naturâ supplicata proveniunt, verè tribuantur supposito, verèque ipsum denominent *operans ut quod*; quia scilicet subsistentia, licet non sit ratio agendi, seu virtus activa, non tamen se habet per accidens ad operationes, sed per se ad illas præsupponitur ex parte naturæ, ut nuper diximus.

4 Imò respectu operationum naturæ creatæ, principale principium, sive operans *ut quod*, est suppositum: natura verò, specificative sumpta, magis dicitur principium *quo*, seu ratio agendi. Et quidem, si suppositum est creatum, comparatur ad naturam specificative sumptam, ut totum ad partem: pars autem, sicut in essendo, ita & in operando, magis est totius, quàm sui; unde per operationem manus v. g., magis proprie dicitur operari homo, quàm manus ipsa. Si verò suppositum habens naturam

creatum sit increatum, ut est in Christo D., tunc naturam illam physicè, seu per unionem physicam, possidet ut suam, cum prædominio, & excellentiâ dignitatis: unde humanitas Christi, sicut in essendo non est sui juris, sed est natura propria Verbi tanquam suppositi, in quo, & sub quo existit; ita operationes ejus principalius sunt Verbi, seu principalius Verbo attribuuntur, quàm ipsi humanitati, a quâ immediatè proficiunt. Et hinc oritur communicatio idiomatum, de quâ Theologi.

15 Hic tamen notandum, quòd in suppositis creatis idem est operationes principaliter attribui supposito, ac attribui naturæ, non specificative sumptæ, sed prout terminatæ per subsistentiam propriam. Nec admittendum, quod aliqui velle videntur, nomine suppositi creati, v. g. nomine *homo* simpliciter dicto de puro homine, significari subsistentiam in recto, naturam in obliquo. Quis enim credat, nomen *homo* sic exponendum esse, *modus ultimò terminans naturam humanam?* & non potius sic, *natura humana ultimò terminata per modum?* Aliud est in Christo: nam ibi nomine *homo* sumitur subsistentia in recto, & humanitas in obliquo, tum propter excellentiam dignitatis, tum quia subsistentia Verbi, prout distincta ab humanitate, est integrum suppositum. At neutra ratio militat in subsistentia creatâ. Nec inde inferas, nomen *homo* non univoce dici de Christo, & alijs hominibus. Dicitur enim univoce *se-*  
cun-

quòd significatum expressum, & formale, quod est humanitas: nec alia univocatio requiritur: nam quoad significatum confusum, quod est suppositum, certum est dari differentiam plusquam genericam. Igitur per nomen *homo*, sumptum pro personâ creatâ, significatur natura humana prout ultimè in se sistens, adèdque prout incommunicabiliter se possidens, aut habens, ita ut sit sui juris in operando, id-

est, jus physicum habeat, ut ipsi principaliter attribuantur operationes, quas elicit: sic tamen, ut duplicatio *prout* non importet subsistentiam ut rectum, saltem principale, sed ut id, *quo* natura constituitur in esse possidentis, aut habentis semetipsam specificative sumptam. Et hæc nunc de supposito, nec non de 1. Physicor. libro, dicta sufficiant.

## TRACTATUS II.

### DE CAUSIS, SEU PRINCIPIJS EXTRINSECIS rerum naturalium.

**I**N 2. Physicorum libro tractat Aristoteles de causis rerum naturalium, quæ non intrinsicè constituunt effectus suos, sed extra constitutionem eorum manent, idèdque vocantur *causæ extrinsecæ*. Quamvis enim in primo cap. tractet iterùm de materiâ & formâ, de his differit sub conceptu naturæ, quâ ratione sunt causæ extrinsecæ motuum corporis naturalis: differit, inquam, ut in limine explicet, quid sit natura, & quatenus ab arte differat. Idem & nos præstabimus in præfenti tractatu.

## DISPUT. I.

### DE NATURA, ET ARTE.

#### CAP. I.

##### Quid sit Natura?

**N**omen *natura* sumitur multifariam. 1. pro Deo reatum omnium Authore, qui *natura creatrix, & universalis*, nuncupa-

tur, & interdum *natura naturans*, cum ex adverso creaturæ vocentur *natura naturata*. 2. pro universitate rerum omnium de facto existentium: quo sensu dicimus, hoc, aut illud esse in rerum naturâ. 3. &



frequentissimè, pro universitate rerum (inclusis etiam Angelis), spectantium ad integritatem debitam huic Universo, seu machinæ Mundiali, quatenus à Deo ut Authore naturæ condita dicitur; nec non eorum omnium, quæ cum istarum viribus, aut exigentijs proportionem habent, aut ejusdem sunt ordinis, etiamsi de facto non existant: & secundum hanc naturæ notionem etiam naturalia à supernaturalibus discernuntur; & supernaturalia, cujusmodi sunt Gratia, & Unio hypostatica, dicuntur esse supra naturam, seu excedere vires activas, & exactivas totius naturæ.

2. 4. pro innatâ exigentiâ & inclinatione rerum quarumlibet, etiam ensitativè supernaturalium: quo sensu res quæque dicitur hoc aut illud agere, vel exigere naturâ suâ. 5. pro temperamento humorum in viventibus: quâ ratione dicitur quis esse miris, aut iracundus sicut apte naturâ. 6. pro nativitate viventium, sumpto *natura* nomine à nascendo: sic enim dicitur hic homo cæcus, aut claudus à naturâ. 7. ut nonnullas alias acceptiones omittam, accipitur pro essentiâ, seu quidditate cujusque rei: nam eadem rei entitas vocatur *essentia* per ordinem ad esse, *quidditas* per ordinem ad definitionem explicantem. Quid est, & *natura* per ordinem ad operationem.

3. Nulla ex his acceptionibus ad præsens attinet, sed illa tantum, quâ *natura* sumitur pro interno principio, unde unaquæque res habet motum sibi proprium. Sub

quâ notione definitur natura ab Aristotele hic cap. 1., *Principium & causa motus & quietis ejus, in quo est primò & per se, & non secundum accidens.* Quæ definitio sic explicari solet: *principium & causa*, idest, principium causativum, seu vi causandi prædictum: *motus, & quietis*, idest, actionis in subiecto receptæ, & conservationis termini producti; non enim hic accipitur *motus* pro solo motu locali, sed generatim pro actione eductivâ, quæ sit prima productio; nec *quies* hic significat otium, aut cessationem ab omni actione, sed conservationem termini per motum quæsiti, in quo acquiescit innatus appetitus causa: *ejus, in quo est*, idest, ejus compositi, vel totius, in quo tale principium est; non enim hic definitur natura per ordinem ad motum quemlibet, sed per ordinem ad motum omninò proprium ejus compositi, in quo natura ipsa includitur, non ut accidens in subiecto, sed ut quid pertinens ad primariam & substantialem constitutionem illius, prout exigunt ultima illa verba, *primò & per se, & non secundum accidens.*

4. Ille autem motus est omninò proprius alicujus compositi, quo compositura se ipsam movet, seu quo denominatur movens, & motum: quia scilicet motus habet principium activum & passivum intra idem compositum; vel ita ut ab alterâ parte activè, ab alterâ passivè pendeat (quod accidit in motibus materialibus): vel ita, ut *quæritur & recipiatur ab una parte,* sed

sed prout supponente statum unio- nis cum alterâ; qualiter se habet motus intellectus in homine. Quare motus omninò proprius est in animantibus omnis actus vitalis, & in quovis corpore motus localis in centrum, & acquisitio, vel recuperatio accidentium ad statum con- naturalem compositi spectantium. Itaque per ordinem ad motum istiusmodi definitur natura in præ- senti, non per ordinem ad motum ab extrinseco impressum, nec ad motum, quem res activè imprimit passo extraneo, quamvis hic oriatur etiam à naturâ in rebus, quæ naturam habent. In summâ, sub definitione Aristotel. comprehenditur omnis *pars intrinsecè consti- tuens totum substantiale, quæ potest causare motum omninò proprium ejusdem totius, & terminum tali motu productum conservare.* Unde—

5. Colliges 1., & materiam, & formam, esse naturam, non verò compositum. Ita expressè Aristoteles hic à text. 10. ad 13.. Ratio est: quia & materiæ, & formæ convenit naturæ definitio: materiæ, quia est principium passivum, seu materiali causa motus: formæ, quia est principium activum, & in viventibus etiam passivum motuum vitalium: definitio autem abstrahit à principio activo, & passivo. At composito non convenit naturæ definitio ex mente Aristotelis: quia compositum, cum non sit pars, sed totum, dici non potest principium motus *ejus, in quo est*: quare non est natura, sed naturâ constans. Na-

tura quippe, ut nunc definitur, importat conceptum partis; ac proinde non dicitur de toto quâ tali. Dixi *ex mente Aristotelis*, qui non agnovit distinctionem inter compositum ex materiâ & formâ constitutum, & suppositum. Si tamen compositum consideretur prout est pars suppositi, seu prout ulterius constituit suppositum cum subsistentiâ realiter superadditâ, potest ac debet dici *natura integra*, etiam juxta definitionem Aristotelicam: atque in hoc sensu Angelus quoque, personaliter sumptus, naturâ habet.

6. Colliges 2., omne compositum substantiale constare naturâ: quia nullum est, quod non constet materiâ & formâ potentibus causare motum illius proprium, & quietem motui respondentem: nam saltem quodvis compositum, si à proprio centro extrahatur, poterit illuc se movere localiter, & illic iterum acquiescere; & si aliquâ vi privetur accidentibus sibi proprijs, illa iterum ab intrinseco acquirere poterit, & conservare, ut in aquâ calidâ iterum frigescente cernitur. Unde falsò dicunt aliqui, non omne compositum habere in se principium & motus, & quietis, sed vel motus, vel quietis; quia Cælum perpetuò movetur, & terra perpetuò quiescit. Falsò, inquam: tum quia Cælum accidentia sibi propria conservat, & terra suas passim recuperat proprietates amissas: tum quia Cælum ex se potest quiescere etiam localiter, quiesceret que, nisi ab intelligentiâ motrice rotaretur; terra quoque, si à centro extraheretur.



tar, illuc innato pondere rediret.

7 Colliges 3., nullum accidens esse naturam prout hic definitam: quia, licet saepe sit principium motus & quietis ejus, in quo est; nunquam tamen verificat ultima verba definitionis, *primò & per se, & non secundum accidens*. Dices: cur ergo motus lapidis deorsum dicitur provenire à naturâ lapidis, cum proveniat à gravitate, quæ est accidens? *Resp.*: quia provenit mediâtè scilicet à formâ lapidis, quæ ab intrinseco radicatur gravitatem. Nec definitio naturæ petere videtur, ut principium motus semper sit immediatum: id è quæ materia dicitur natura per modum principij passivi respectu motus, quo acquiritur qualitas composito connaturalis, v. g. quo frigus ab aquâ recuperatur; cum tamen qualitates, juxta communem sententiam, non recipiantur immediâtè in materiâ, sed in quantitate. Hinc à fortiori ratione impulsus impressus lapidi ad motum sursum, licet verè sit principium motus ejus, in quo est, non dicitur natura: tum quia non est principium quietis: tum maxime, quia nec inest lapidi *primò & per se*, nec radicatur ab ullâ parte lapidis intrinsecâ. Unde motus sursum nullatenus est à naturâ lapidis.

8 Colliges 4., ex mente Aristotelis nec animam rationalem in statu separationis esse naturam, nisi cum addito *aptitudinaliter*: quia motus, quos anima causat in eo statu, non sunt proprii alienius compositi, in quo anima fit. Si tamen consideretur anima, prout habens

in eo statu substantiam realiter superadditam (quam non agnovit Aristoteles), cum eâque constituens hoc concretum *subsistens*, poterit etiam in eo statu *natura* vocari. Si autem divinitus privaretur omnî substantiâ, nec esset unita corpori, non foret natura, nisi in aptitudine. Quod pariter dicendum de integrâ naturâ suppositi, v. g. de humanitate, si divinitus conservaretur absque substantiâ propriâ, & alienâ. Illa quippe definitionis verba, *ejus, in quo est*, requirunt ad conceptum *natura* munus partis actualis, seu involventis actualem unionem; quæ unio in composito substantiâ dicitur *natura ut quo*.

9 Colliges demum, in artefactis ut talibus non dari naturam: quia nullum habent motum sibi proprium, qui scilicet ab eis activè & passivè pendeat: forma enim artificialis activa non est, ut dicemus *cap. 3.* Idè Aristoteles in eo constituit differentiam inter composita artificialia, & naturalia, quod hæc, non illa, naturam habeant. Dices: artefacta materiam habent, à quâ passivè causatur motus ipse artificialis: sed materia sub munere causæ passivæ natura est: ergo &c.. *Diff. Min.*: sub munere causæ passivæ cujuscumque motus, *neg.*: illius tantum motus, qui sit omninò proprius ejus compositi, in quo materia est, *conc. min.*, & *neg. consequ.* Ratio distinctionis patet ex dictis *n. 4.*; dummodò scias, motum artificialem, quo scilicet artefacta fiunt, non provenire ab aliquo principio activo artefactis intrinseco, sed ab

ar-

artifice extrinsecus operante. De motibus, quos in automatis artificialibus experimur, vide infra *cap. 3.*

## CAP. II.

## De Motu naturali, &amp; violento.

1 **O**ccasione multiplicis acceptionis vocabuli *natura*, solet hic explicari, quot modis etiam motus (generati acceptionis pro actione eductivâ) dicatur *naturalis*. Et 1. sic dicitur, prout discernitur à supernaturali: quo sensu naturalis est quicumque motus non superat vires activas & exactivas rerum naturalium, seu totius naturæ initio *cap. præced.* explicatæ in 3. acceptione. 2., prout contraponitur libero; quo etiam sensu causas sine libertate operantes, dicimus *naturales*. 3., prout distinguitur ab artificiali, qui scilicet à studio, & arte proficiscitur. 4., prout sequitur regularem ordinem, & seriem causarum: quâ ratione naturalis est pluvia in hyeme, & calor in æstate. 5. & satis propriè, naturalis dicitur motus, quando, & quatenus est juxta inclinationem, aut exigentiam innatam rei ejuslibet, sive operantis, sive recipientis motum. 6., & strictissimè, naturalis vocatur motus, qui respondet naturæ prout ab Aristotele definitæ, nempe qui principium activum, & passivum habet intra compositum substantiale.

2 Motui naturali secundum 5., & 6. acceptionem, opponitur motus *violentus*: qui ab Aristotele

3. *Ethic. cap. 1.* definitur, *cujus principium est foris, nihil prorsus eo conferente, cui vis est illata*: vel ab alijs communiter ad mentem Aristotelis, *qui est à principio extrinseco, passo non conferente vim*. Unde colligitur, ad motum violentum tria requiri: primum, quod ejus principium activum sit foris, id est, extrinsecum, vel adæquatè distinctum à subjecto, cui vis inferatur: secundum, quod ad talem motum nihil conferat subjectum, scilicet nec activè, nec exactivè; nammerè passivè necessario coadjuvat, si motum patitur: tertium, quod subjectum resistat motui per exigentiam illi contrariam, exigendo scilicet, nè talis motus existat. Hanc resistantiam subintelligunt omnes in definitione motus violenti, & eam indicavit Aristoteles per illa verba, *cui vis est illata*, non enim inferitur vis, nisi renitenti. Exemplum dabit aquæ calefactio, ab igne, vel lapidis projectio sursum: hæc quippe motus violenti sunt; quia tres istas condiciones habent.

3 Sed notandum 1., respectu materiæ primæ secundum se, nullum motum esse violentum: quia materia ex se nulli motui, formæ, vel accidenti resistit, sed indifferens est ad omnia. Si tamen spectetur materia prout unita formæ, v. g. aquæ, jam motus calerationis est illi violentus; vel certè violentus est toti composito aqueo, quod renuit illum motum admittere in materiâ, quam possidet. Notandum 2., motum, subjecto violentum, dici posse naturalem respectu agentis,



ut respectu ignis calefactio aquæ, juxta 5. acceptionem n. 1.. Notandum 3., motus quosdam videri violentos respectu alicujus partis, qui tamen absolute naturales sunt, quia sunt juxta exigentiam totius. Sic motus, quo quis brachium attollit, quamvis sit contra pondus, & gravitatem brachij, absolute naturalis est, quia conformatur exigentiæ hominis, cujus pars est brachium. Potest tamen hujusmodi motus dici violentus secundum quid, scilicet attentâ peculiari dispositione partis, quæ motum patitur; ut notavit D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 5. ad 3.. Sed de hoc iterum inferius.

4. *Quæres*, an detur motus, quem vocant præternaturalem, aut neutrum, qui scilicet nec naturalis, nec violentus sit? *Resp.*: passim admittitur motus iste; cujus in exemplum adduci solet, tum productio lucis in aëre, tum Cæli motus circularis: nam productio lucis v. g., non est motus aëri naturalis, quia non provenit, nec innatè exigitur à naturâ subjecti; & aliunde non est violentus, quia non est contra innatam exigentiam, & inclinationem aëris, nec in eo resistentiam invenit. Hanc doctrinam veram esse reor, si motus dicatur naturalis per conformitatem ad exigentiam, sive appetitum innatum subjecti, non qualemcumque, sed efficacem: reverâ enim illuminatio aëris nec violenta est, nec ab aëre innatè appetitur efficaciter. Si tamen ad motum naturalem sufficiat conformitas cum inclinatione, vel appetitu innato inefficaci (quæ in rebus agnovimus

tract. 1. d. 3. c. 1.), agrè invenietur motus non violentus, qui non sit naturalis: si enim motus subjecto non nocet, nec illud inficit, sed positivè perficit, cur subjectum non censeatur innatè paratum ad motum quasi libenter suscipiendum, licet illum non efficaciter exigat, quia illo non indiget? Atque ita sentire videtur Aristoteles 4. *Physic. l. 69.*, dum ait, quod *motus omnis aut vi, aut natura fit.*

5. Nunc, quoniam de motu violento egimus, dicendum est, quotuplex sit violentia, quæ innatis rerum exigentijs inferitur, aut inferri potest. Alia est violentia positiva, alia negativa: positiva consistit in ipso motu violento, explicato n. 2. negativa consistit in subtractione, vel denegatione boni naturaliter debiti, & exacti. Unde lapis sursum projectus patitur utramque violentiam, positivam in impulsionem impulsus & motus sursum, negativam in negatione motus deorsum, vel quietis in centro. Si quæras, an altera sine altera inveniri possit, & quibus in rebus responsio pendet à decisione quæstionis sequentis.

*Possit nè Deus violentiam inferre creaturis?*

6. **N**emo dubitat, quin Deus de potetiâ absolutâ negare possit creaturis, quod naturaliter exigunt, v. g. igni concursum ad comburendum, aquæ nativum frigus, & quantitati debitam extensionem; similiterque se toto ipsis imprimere mo-

motus, aut accidentia positiva quibus creaturæ solent aliâ alj inferre violentiam. Unde quæstio, magna ex parte vocalis, solum est, an Deus in ijs casibus violentiam inferat creaturis? Vel, quod idem sonat, an contra naturam ipsarum faciat?

7. Negant plerique Thomistarum, præsertim recentiores, quantum ad violentiam simpliciter & absolute dictam, id est, oppositam præcipuæ inclinationi rei; licet admittant violentiam secundum quid, id est, oppositam inclinationi minus præcipuæ. Fundamentum est 1: quia Deus nihil facit contra naturam rerum: ut enim ait S. Augustinus lib. 26. contra Faust. cap. 3., *Deus creator & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit.* Unde M. Manso hic q. 2. v. 6. sic arguit: Nequit violentia inferri ab eo agente, à quo quidquid est, naturale est: sed quidquid Deus agit in creaturis, est eis naturale: ergo Deus nequit per se ipsum ullam creaturis violentiam inferre. Confirmatur ex Sap. 8., ubi dicitur de Divinâ sapientiâ, quod *disponit omnia suaviter*: nam si omnia suaviter, nihil violentè.

8. 2.: quia in omni creaturâ, præter inclinationem innatam ad peculiaria bona, datur inclinatio ad obediendum Divinæ voluntati, quæ inclinatio principalior est, ac prævalens, sibi que subordinans illam alteram ad bona peculiaria: ergo quidquid Deus de creaturâ fecerit, semper erit juxta principalem inclinationem, & exigentiam crea-

turæ, cui proinde violentum esse nequit. *Prob. Antec.*: tum quia unaquæque res magis inclinatur ad bonum universale, quam ad particulare: ideoque aqua sine violentiâ sursum ascendit, cum opus est ad vitandam vacuum, quia magis innatè appetit bonum Universi, quam suum: & similiter bonus civis præfert proprio commodo bonum commune Republicæ. Alit obedire Deo, & voluntatem ejus implere, comparatur ad cætera commoda, sicut universale bonum ad particularia. Tum quia creatura qualibet magis est Dei, quam pars est totius, magisque Deo subordinatur, quam pars toti. Pars autem innatè præfert propriæ utilitati bonum totius: unde manus indeliberatè exponitur ictui ob conservationem totius corporis; & corpus ipsum contra propriam gravitatem graditur, & saltat sine violentiâ, quia sic interest hominis, cujus est pars. Tum etiam, quia fluxus & refluxus maris, non est aque violentus, sed potius juxta illius præcipuam exigentiam, quia provenit ab influxu Cæli, quod est causa superior, & universalis. At Deus est causa suprema, & universalissima respectu omnis creaturæ.

9. 3.: quia saltem creaturæ nunquam resistit Deo: ergo nunquam à Deo violentiam patitur, siquidem violentia non fit nisi resistenti. *Prob. Ant.*: tum ex sacra Pagina; ubi dicitur, nihil resistere Divinæ voluntati: imò Sap. 16. ignis dicitur *sua virtutis oblitus*, ut obediret Deo. Tum quia nulla creatura innatè resistit perfectioni suæ. At



obedire Deo, sicut in creaturis liberis est perfectio moralis, ita in reliquis est perfectio physica. Tum quia in creaturâ respectu Dei ponenda est subſtitutio, quâ major cogitari non possit. Major autem est subſtitutio, quæ omnem resistantiam excludit, quàm quæ non excludit.

10 Nihilominus, quod Deus possit violentiam inferre creaturis, communiter sentiunt Authores nostri, plures etiam Thomistæ, & ex Scottis Maffrius, Scorum allegans. Quorum sententia mihi ex eo maxime probatur, quod fundamenta opposita nimis probant, & ab ipsis etiam Adversarijs solvenda sunt, ut patebit percurrendo singula. *Primum* probat, nihil à Deo fieri supernaturale; si enim *id erit cuique rei naturale, quod ille fecerit*; ergo Gratia, vel unio hypostatica, erit naturalis homini iusto, & humanitati Christi. Quod ut magis ostendas, syllogisnum Mansi reformas: Nihil supernaturale producitur ab eo agente, à quo quidquid est, naturale est: sed quidquid Deus agit in creaturis, est eis naturale: ergo Deus nequit per se ipsum aliquid supernaturale producere in creaturis. Eodem fundamento probari potest, nihil esse violentum in rebus, etiam dum una creatura agit in aliam: nam, dum aqua v. g. ab igne calefit, motus iste verè est à Deo cooperante, & principaliter agente: si ergo aquæ naturale est, quidquid à Deo est, motus ille naturalis erit, non violentus aquæ. Huc etiam facit textus Sap. 8. nam aquæ calefactio ab igne, Deo dispo-

nente sic circa dubium: ergo sic *suadetur*: ergo non violententer.

11 *Secundum* similiter probat, nullam Dei operationem in creaturis supernaturalem esse; siquidem omnis Dei operatio est juxta præcipuam, ac prævalentem inclinationem, & exigentiam innatam creature, quod abundè sufficit, ut sit operatio naturalis, siquid probant exempla n. 8. Imò respectu rationalis animæ v. g. naturalior erit receptio Gratiæ, quàm receptio potentiarum; quia hæc est juxta minùs præcipuam exigentiam animæ; illa verò, juxta exigentiam principalem. Nec obstat, quod Gratia proveniat activè à solo Deo. Nam etiam creatio animæ rationalis à solo Deo provenit; & tamen naturalis est, quia est juxta exigentiam materiæ organizatæ. Id circò character est entis supernaturalis, esse supra vires totius naturæ, non solum activas, sed etiam exactivas. Idcircò etiam non aliter distinguimus munera Dei, ut Authoris naturæ, & ut Authoris supernaturalis, nisi ex eo quod ejus operatio sit juxta, vel supra rerum exigentias. Si dicas, inclinationem creature ad obediendum Deo supernaturaliter operanti, non esse naturalem, sed obedientialem. Infero: ergo nulla est inclinatio naturalis, nisi ad peculiaris bona unicuique naturæ commoda: ergo Deus, dum hæc bona tollit, aut impedit, agit contra omnem inclinationem naturalem rei; quod proculdubio est inferre violentiam. Si dicas iterum, exigentiam illam obediendi solum esse

esse conditionatam, sub conditione scilicet, quod Deus velit. Infero: ergo, volente Deo producere Gratiam, hæc habebit characterem entis naturalis, utpotè jam producta juxta innatam & principalem exigentiam animæ. Præterea, exigentia ignis v. g. ad calorem, est absoluta, quia non solum petit calorem, si Deus illum dare velit, sed etiam petit, ut Deus velit: ergo est exigentia prævalens, & major, quàm exigentia purè conditionata ejusdem ignis ad privationem caloris, si Deus illum negare velit. Sic magis exigit panem, quàm ejus carentiam, qui panem à te sibi dari absolute petit, quàmvis paratus sit panem carere libenter, si tu illum deneges.

13 Nec minùs eodem fundame- to suaderi potest, nihil unquam accidere violentum in rebus. Nam, dum aqua v. g. calefit ab igne, calefactio sine dubio provenit à voluntate Dei, qui ut naturæ Author vult, ut ignis, aquâ fortior, eam calefaciat, ad idque Deus ipse volens cooperatur: si ergo aqua cum innatâ inclinatione obedit Divinæ voluntati, calefactio illa erit juxta exigentiam innatam aquæ, ac proinde violenta esse non poterit, etiam quatenus est ab igne; quia etiam sub hac reduplicatione est à Deo volita. Atque id probant pariter exempla n. 8. Nam bonæ civis inclinatur ad obediendum, non solum supremo Principi, sed etiam inferioribus Ministris, qui potestate à Principe acceptâ, & juxta voluntatem ejus aliquid præcipiunt. Item, ad bonum Universi pertinet, quod

ignis aquam calefaciat: nisi enim agentia particularia se se invicem oppugnant agendo, & reagendo, non dabitur propagatio specierum, quam exigit Universi varietas, & pulcritudo. Item, motus unius partis ab aliâ comparte ejusdem totius, non dicitur violentus. Item, fluxus, & refluxus maris, violentus non dicitur, quàmvis non proveniat immediate à solo Cælo, sed medijs impressioibus aëris.

14  *Tertium* æquè excludit à rebus violentiam omnem. Tum quia nequit aqua resistere calefactioni ab igne proveniente, nisi resistat voluntati Dei, ut nuper vidimus. Tum quia obedire Dei calefacti per ignem, & cum igne, erit in aquâ perfectio physica, sicut perfectio moralis est in creaturis liberis obedire Deo præcipienti per inferiorem Prælatum. Tum etiam, quia major subſtitutio est, quæ sine resistantiâ obedit Deo quomodolibet operanti, sive se solo, sive cum agente creato, quàm quæ obedit sine resistantiâ Deo soli. Fundamenta igitur sententiæ negantis nimium probant, atque adeò nihil; suntque ab omnibus necessariò solvenda, vel explicanda. Quare pro omnibus....

15  *Resp. ad 1. S. Augustinus* sumit naturam, non, ut modò sumitur, pro interno principio motus, vel pro innatâ rerum exigentiâ, sed pro Deo ipso, ejusque voluntate, à quâ, tamquam à natura naturante, denominatur natura naturata quidquid in creaturis producitur, ex n. 1. cap. præc. Vide Aug-



gustinum, tum l. 21. de Civit. c. 8, tum eod. c. 3. lib. 26. cont. Faust.; & hanc esse mentem ejus, planè comperies. At, sicut hoc non tollit, quòd Deus aliquid faciat verè ac propriè supra naturam (sumptà naturam, ut modò sumitur), ut cum producit Gratiā; ita nec tollit, quòd aliquid facere possit verè ac propriè contra naturam. Unde Augustinus loc. cit. cont. Faust. ait: *Sed contra naturam non incongruè dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod volumus in natura. Hunc enim etiam appellamus naturam cognitam nobis cursum, solitumque naturam*, eo scilicet, quòd sit juxta innatas rerum exigentias. Ad ratiocinium Mansi- dic, non omne, quòd Deus agit, esse *naturale*, idest, conforme rerum exigentijs, licet sit *naturale*, id est, conforme voluntati Dei. Ad textum lib. 3ap. dic, Deum dispo- nere omnia *suaviter*, tum quia ut naturæ Author se se atemperat re- ram exigentijs, tum quia ut Au- thor supernaturalis omnia summo ordine, summaque facilitate disponit.

16 Ad 2. neg. Antec., si sermo sit de Divinā voluntate super- naturaliter operante, necnon de in- clinatione creaturæ sumptà pro ap- petitu innato, ut in præsentī sumi- tur. Nam appetitus innatus solū fertur ad bona connaturalia, ut ex D. Thomā, & communi Philoso- phiā dicitur *tr. 1. a. 3. c. 1.* Quis autem dicat, igni Babilonico v. g. connaturale fuisse non comburere tres pueros ipsi applicatos? Ad *prob.*: omnia, quæ ibi supponuntur,

aut asseruntur, negari possunt. Nam, aqua (si verum est, quòd ideò per fistulam ascendit, ut vicerit va- uum) non ascendit sine violentiā, nec ex inclinatione propriā, sed ex pressio- ne, vel attractione aliorum corpo- rum, saltem cælestium, quibus hæc attractiva vis inest ad impediē- dum vacuum. Bonus item civis, dum ab hoste occiditur ob defen- sionem Reipublicæ, violentiam pati- tur: nec incommoda, quæ sustinet ob commune bonum, sunt juxta in- clinationem ejus innatam. Inclina- tio autem elicitā, & libera, non est ad rem; quia potest esse ad quodli- bet, & contra quodlibet, etiam con- tra Deum.

17 Idem patet de manu; quæ, dum vulnecatur ob defensionem corporis, patitur violentiam: nec se opponit ictui ex inclinatione in- natā, sed ex imperio voluntatis ad- vertentiam aliquam supponente; si enim ictus imminens non advertatur, manus non opponitur. Dum autem corpus humanum graditur, & saltat, motus ille non est violentus corpori substantialiter sumpto; sic enim intra hominem habet principium activum, & passivum: est tamen violentus gravitati cor- poris accidentali; quia respectu il- lius est motus ab extrinseco. ex *n. 3.* & ipsa gravitas tali motui resistit innatè; alioquin non fatigaretur homo saltando, vel ambulando. Id ipsum dicendum de aquā maris per fluxum ad litus ascendente sursum: ascendit enim cum resistentiā pro- priā gravitatis, adeoque violentè. In summa, omnes motus istiusmodi

vocantur naturales, dum conside- rantur per ordinem ad exigentiam naturæ universalis, vel naturæ to- tius: si tamen spectetur natura rei particularis cui tales motus imprin- untur, violenti sunt, & contra naturam. Quare similiter motus, à Deo proveniē, poterit esse contra naturam particularē rei creatæ, cui imprimitur, licet vocetur natu- ralis relatè ad voluntatem Dei, quæ dicitur natura universalissima.

18 Hæc est doctrina expressa D. Thomæ *q. 13. de verit. art. 1.* ad 2. per hæc verba: *Duplex est natura*, scilicet particularis, quæ est propria uniuscujusque rei, & universalis, quæ complectitur to- tum ordinem causarum natura- lium. Ex hoc dicitur esse duplici- ter aliquid secundum naturam, vel contra naturam. Uno modo quantum ad naturam particula- rem. Alio modo quantum ad uni- versalem. Sicut omnis defectus, & corruptio, & senium, est con- tra naturam particularem: sed tamen naturale est secundum na- turam universalem, ut omne cor- ruptum ex contrarijs corrumpatur. Quia igitur ordo universalis causarum hoc habet, ut inferiora à suis superioribus moveantur, omnis motus, qui fit in inferiore naturā ex impressione superioris, sive in corporalibus, sive in spiri- tualibus, est quidem naturalis se- cundum naturam universalem: non autem secundum naturam particularem, nisi quando à su- periori sic imprimitur in natu- ram inferiorem, ut ipsa impres-

sio sit ejus natura. Et sic patet, quomodò ea, quæ à Deo in crea- turis fiunt, possunt dici *secun- dum naturam*, vel *contra*. Hu- jusque D. Thomæ.

19 Fateor, D. Thomam multis alijs in locis negare, quòd Deus quidquam faciat creaturis *violentum*, aut *contra naturam*; & interdum uti exemplis *n. 8.*, ut probet in creaturis majorem inclina- tionem naturalem ad bonum uni- versale, quàm ad proprium. Sed im- primis D. Thomas sæpe *naturam* accipit eodem sensu, quo D. Au- gustinus, cujus verba citat. Deinde nomine *inclinationis naturalis* for- san intelligit necessitatem ad deter- minationem intrinsecam naturis in- ferioribus, ut superioribus infer- vian, & se illis subjiciant: quæ de- terminatio in creaturis respectu Dei est essentialis. Sic autem *incli- nari*, non est *innatè appetere*, sed est *instincti*, vel *subjici* & *obstringi*, vel *necessariò sequi alienum impulsus*, etsi violentus sit. Nec generatim determinatio, aut necessitas aliquid exequendi, vel alteri cedendi, recur- rit cum exigentiā, vel appetitu in- nato: ut patet, tum in servo, in quo potest esse necessitas obediendi do- mino sine exigentiā; tum in aquā, quæ necessariò cedere debet igni ro- bustiori. Nec obstat quòd determi- natio sit essentialis. Nam aqua v. g. essentialiter determinata est, ut ha- beat, vel non habeat frigus; nec ta- men appetit vagè frigus, vel ejus carentiam. Deus etiam essentialiter determinatus est, ut coexistat pecca- to, vel carentiæ peccati; nec ideò



appetit vagè utrumvis extremum.

20 Jam verò, sumptâ inclinatione in hoc sensu, fatemur, nihil à Deo fieri posse contra inclinationem creaturæ ad obediendum conditori suo, & hanc inclinationem esse præcipuam, ac prævalentem inclinationi ad peculiare bonum, cum hæc sit purè naturalis, illa essentialis: magis enim determinata est aqua, ut careat frigore, Deo sic volante, quàm ut frigus habeat ordine naturæ. Cæterùm, sumptâ inclinatione pro appetitu innato, ut nunc accipienda est, potest Deus absolutè contra creaturæ inclinationem & naturam agere. Neque id negat D. Thomàs, sed potius expressè concedit, tum verbis relatis n. 18., tum in 2. d. 18. q. 1. art. 3., ubi de mirabilibus, *quæ immediate à virtute Divina causantur*, sic ait: *Hæc autem quandoque sunt supra naturam, quandoque præter naturam, quandoque contra naturam*: deinde subjungit exempla; & de ijs, quæ sunt contra naturam, hæc: *Sicut si grave sursum moveretur, & quòd Virgo peperit, vel aliquid bajusmodi, ita quòd miraculosè sequatur actus manente contraria natura, quæ scilicet est principium contrarij actus.*

21 Legatur etiam S. Doctor q. 6. de pot. ar. 1. ad 1., ubi nostram doctrinam expressè tradit, & S. Augustinum explicat, ut nos supra explicuimus: & ibi art. 2. ad 3., ubi docet iterùm, à Deo miraculosè fieri quædam supra, quædam contra, quædam præter naturam, subjungens: *Contra naturam esse dicitur,*

*quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quæ Deus facit: sicut quando conservavit pueros illesos in camino, remanente virtute comburendi in igne, & quando aqua Jordanis stetit, remanente gravitate in ea.*

22 Ad 3.: creatura nunquam Deo resistit resistentiâ impediante, aut retardante effectum voluntatis Dei efficacis: resistit tamen, resistentiâ sumptâ pro naturali appetitu, & exigentiâ in contrarium: nam aqua Jordanis, dum ex voluntate Dei stetit, simul naturaliter exigebat fluere: ignis etiam, licet quoad effectum non comburendi pueros, perinde se gesserit, ac si *sue virtutis oblitus* esset, non tamen quoad appetitum innatum combustionis. *Dicitur*: naturale est igni non comburere sine concursu Dei: ergo, Deo negante concursum, ignis non violentè, sed naturaliter non comburit. Verùm argumentatio ista similis est huic: Naturale est homini esse nudum, si vestem non habeat: ergo, dum veste spoliatur invito, non violentè, sed naturaliter nudus iaccedit. Vel huic: Naturale est homini non vivere sine capite: dum ergo caput ipsi abscinditur, homo non violentè, sed naturaliter moritur.

23 Itaque *dist. Antec.*: naturale est igni non comburere sine concursu Dei, combustionem conjungenda cum negatione concursus, *conc.*; hoc enim non solum naturale, sed essenziale est igni, qui certè nec exigentiâ, nec capacitatem habere potest ad combustionem chymicam: combustionem divisâ à

ne-

negatione concursus, *neg. Antec. & Conseq.* Vel aliter: si *ij sine concursu* faciat sensum compositum cum combustionem, *conc.*; si solum cum exigentiâ ignis, *neg.*. Ignis enim, etiam dum est conjunctus cum non concursu ad comburendum, naturaliter exigit comburere, non quidem exigendo combustionem conjungere cum non concursu, sed exigendo concursum, & combustionem, atque adeò exigendo sensum divisum à negatione concursus, quæ ipsi violenta est. Exempla sunt obvia. Sic famelicus, cui negatur cibus, exigit comedere, non quidem exigendo comestionem conjungere cum non cibo, sed exigendo cibum, & comestionem.

24 Ad illud verò, quod n. 9. objiciebatur de perfectione physica, *resp.*, creaturas perfici quidem physice, dum obediunt Deo in recipiendo positivum aliquid non impediens bona connaturalia, seu à creaturis naturaliter exacta: sic enim physice perficitur anima per Gratiam, & alia dona, quibus anima non resistit innatè, quia non sunt contra, sed supra naturam. At non perficitur physice creatura, dum obedit Deo purè deneganti bona connaturalia, vel contrarium motum imprimenti. Quis enim dicat, ignem physice perfici per negationem concursus ad comburendum? vel aquam per subtractionem frigoris, aut per impressionem caloris à Deo? Aliud est in moralibus. Nam liberè obedire Deo semper est perfectio moralis: tum quia nunquam impedit bonum aliud volun-

tati melius in lineâ moris: tum quia semper importat accessum ad ultimum finem, & conformitatem cum primâ regulâ honestatis.

25 Quod ultimò objiciebatur n. 9., probat contra Adversarios, nec violentiam secundam quid fieri posse à Deo. Quia major subjectio; & obedientia est, quæ sine ullâ violentiâ exercetur, quàm quæ patitur aliqualem. Probat item, nec unam creaturam ab aliâ posse pati violentiam; ut jam supra notavimus. Datur igitur in creaturis subjectio summa, quæ est essentialis impotentia frustrandi, vel retardandi voluntatem Dei, quicquid de illis facere voluerit. Subjectio autem excludens innatam exigentiâ boni connaturalis à Deo denegati, impossibilis est in creaturis, quando ipsæ supponuntur existere. Talis quippe exigentiâ consistit in entitate rei, vel in proportionem illius cum entitate boni appetiti; quæ proportio variari non potest, nisi varientur essentialia rerum.

26 Ex dictis potest breviter confici positiva *probatio* nostræ sententiæ. Ad violentiam, seu positivam, seu negativam, nihil aliud requiritur juxta omnes, quàm quòd accidat ab agente extrinseco, non juxta exigentiâ subjecti, sed potius contra positivam exigentiâ ejus: sed potest aliquid hujusmodi à Deo accidere creaturis, v. g. si Deus imprimeret calorem aquæ sine interventu ignis; aut alterius causa secundæ: ergo potest à Deo violentia inferri creaturis. *Prob. Min.* quia calor aquæ impressus à

fo-



solo Deo, inprimis accideret ab agente extrinsec, ut patet: deinde tam non foret juxta exigentiam subjecti, quàm si proveniret ab igne; foret enim ejusdem speciei, nec utiliter, commodior, aut connaturalior aquæ, quàm qui ab igne provenit, cum quæ destrueret statum aquæ connaturalem; recursus autem ad exigentiam obediendi Deo, satis praelucet. manet ex dictis: denique foret contra positivam exigentiam aquæ; nam hæc, appetendo frigus, consequenter appetit non habere calorem; neque hoc negant Adversarij, concedentes ideo violentiam secundum quid.

27 Duo tamen notare oportet. 1. violentum interdum sumitur pro injurioso, & violentia pro injuriâ. hoc sensu certum est, nihil à Deo fieri violentum: quia nulla creatura contra Deum jus habet: in Deo nec aqua proprie jus habet in conspectu ignis validioris, nè ab eo calefiat. Solum ergo nunc sumitur violentum pro eo, quod accidit contra exigentiam rei innatam; quæ, sicut & elicita, stare potest sine jure. 2. ad vitandam violentiam sufficit, quòd operatio Dei sit æquivalenter, aut eminenter juxta exigentiam creaturæ, quàmvis non formaliter. Hinc unio hypostatica, seu personalitas Verbi: ut terminans, non est violenta humanitati Christi: quia, licet non sit formaliter juxta exigentiam humanitatis, eo quòd non sit formaliter ille terminus quem humanitas exigit, nempe subsistentia creata; continet tamen eminenter hunc ipsum terminum, &

humanitatem perficit in eodem genere multò meliùs, quàm creata subsistentia.

28 Dices: humanitas exigit determinatè subsistentiam propriam, & nullatenus Divinam: ergo, dum caret propriâ, violatur ejus exigentia. *Dist. Conseq.*: si careat propriâ, tam formaliter, quàm eminenter, conc; si careat formaliter, illam tamen eminenter accipiat, *neg. Conf. qu.* Subsistentia Divina nullatenus innatè appetitur ab humanitate, non quia illi contraria, vel noxia, sed quia est supra vires, ac merita naturalia ipsius: si tamen gratuito donetur, satiatur appetitum humanitatis; quia in eadem lineâ *ultimi termini substantialis* supplet eminentiore modo quidquid humanitas expectare poterat à propriâ subsistentiâ. Sic, si creditori determinatè exigenti numerum aureum, neque ullatenus cogitanti de aureo, ut potè supra merita ipsius, in loco rei gratuito des aureum, non violas, sed abunde satias exigentiam ejus. *Replie.*: creditor in eo eventu ideo contentus est, quia mutata voluntate desistit ab exigentiâ numeri auri: aut humanitas, dum accipit subsistentiam Verbi, non desistit ab exigentiâ propriâ; quia exigentia innata non mutatur. Sed *contradictum* si creditor non desisteret ab exigendo aureum, plenè tamen illi satisfaceret per aureum, nec tunc in auri negatione pateretur injuriam, aut violentiam. *Contra* iterum: licet exigentia innata non mutetur; ut tamen non sit violata, sed satiata, non requiritur quòd obrineat terminum

for-

formaliter sumptum, dummodò illum obtineat eminenter.

*Illustrationes.*

29 Supposito Deum posse violentiam inferre creaturis, facile inferes, quid dicendum sit ad questionem, quam n. 5. suspensam reliquimus. Inferes enim 1., dari posse violentiam negativam sine positivâ, & è converso: quia potest Deus facere, ut aqua v. g. frigus amittat sine calore; quæ esset violentia purè negativa: potest irem facere, ut calorem recipiat non amittendo frigus, quæ foret violentia purè positiva. Inferes 2., posse violentiam, saltem negativam, inferri quibuscumque rebus: nam substantijs negari possunt divinitus accidentia naturaliter debita; & accidentibus negari potest inhærentia in subjecto: & saltem cum nulla entitas videatur possibilis (nisi fortè modalis), quæ non exigat naturaliter conservari per aliquod tempus, poterit violentiam pati, si à Deo destruat intrinsec illam temporis periodum: quàmvis enim res in instanti destructionis jam non exigat conservari, exigebat tamen in instanti antecedenti pro hoc instanti, in quo destruitur, & contra illam exigentiam accidit nunc destructio.

30 Inferes 3., posse creaturam pati violentiam à Deo, etiam ut Authore naturæ: nam, dum aqua recipit calorem ab igne, calefactio non solum est ab igne, sed etiam à Deo ut naturæ Authore: &, quàmvis sit motus naturalis respectu ignis, & Dei, & Universi, est tamen violentus relationè ad particularem naturam aquæ.

Inferes 4., violentiam negativam inferri posse principio activo, passivo, seu receptivo, atque etiam formali. Activo; si denegetur illi concursus ad agendum in circumstantijs, in quibus naturaliter debetur, ut accidit igni Babilonico. Passivo, seu receptivo; ut si Deus conservaret materiam sine formâ. Formali; tum per negationem effectus secundarij, posito primario, ut si Deus negaret expulsionem frigoris à subjecto jam calido; tum etiam per negationem effectus formalis primarij, negando unionem formæ ad subjectum: si tamen forma supponatur unita subjecto capaci, jam Deus impedire nequit effectum formalem primarium, utpote indistinctum à formâ, subjecto, & unione.

### CAP. III.

*Definitur Ars, & cum Natura confertur.*

1. **A**RS juxta Aristotel. est habitus cum ratione factivus, & juxta D. Thomam, est ratio recta aliquorum operum faciendorum: quarum definitionum sensum in Logicâ expressimus verbis hæc, *Habitus medio judicio vero dirigens agens liberum, in quo est, ad opus non pertinens ad bonos mores.* Recole dicta *trac. 1. Log. d. 1. c. 8.* Ars in multis cum natura convenit, & in multis dissidet. Nulla feligam ex ijs, quæ latè & erudite discutiant Conimbricenses *hic cap. 1. quest. 5.*

2. Convenit ars cum natura in æquâ certo ordine, & ratis legibus



bus in operando procedit. 2.: quia, sicut agens naturale plerumque formam producit suæ naturali formæ similem; ita artifex intendit in materiam inducere formam instar illius, quam in mente præconceptam habet. 3.: quia ars, sicut & natura, non nisi ex præsuppositâ materiâ quidquam facit. 4.: quia ab imperfectioribus incipit, & paulatim ad perfectiora pervenit. 5.: quia ars naturam imitatur quoad externam speciem, & figuram operum. Hinc ars humana dicitur *natura emula*, & *naturæ similia*, vel melius *naturæ discipula*: dicitur enim à naturâ suorum operum modum, normamque. Sic ex umbra naturali picturam, ex antris domos, ex avium expansis alis vela, ex piscium caudâ, navis gubernaculum effinxit. Ars etiam invicem naturam quodammodo perficit; non quod sit naturâ præstantior; sed quod regulis suis naturam sæpe juvet, ut ipsa se perficiat. Sic ars musica naturam perficere dicitur quantum ad voces, & ars logica quantum ad discursus mentis; quæ tamen opera simpliciter à naturâ suum esse habent; ab arte verò facilitatem.

3 Dissidet ars à naturâ 1.: quia natura operatur ex nudâ materiâ primâ; ars verò, ex materiâ secundâ, idest, ex corpore substantiali completo, ut ex auro, lapide, ligno. 2.: quia natura est immediate effectiva suorum operum; ars autem, non nisi dirigendo concurrat. 3.: quia natura res verè tales; ars autem umbratiles effingit, ut hominem pictum. 4.: quia ars in externâ superficie sistit; natura in abditiori-

bus occupatur. 5.: quia fortior à naturâ inductæ, vividæ sunt, & ætiosæ; sic que ignis à naturâ productus, alterius ignis productivus est: formæ verò, ab arte inductæ, ignavæ sunt, steriles, & emortuæ. Ideirco artefactum, quæ tale, non habet in se principium motus, & quietis, juxta Aristotel. qui in hoc statuit potissimum discrimen inter naturam, & artem.

4 Hinc inferes, quid dicendum ad quæstionem illam, quam tractant Conimbricenses *loc. cit.*: An scilicet ars efficere per se possit opera naturæ? Negandum omninò est. Nam imprimis ars ipsa quatenus est habitus in mente residens, nihil efficit nisi regulas, aut præcepta purè dirigentia facultates alias ad operandum, efficiendo scilicet actus similes illis, à quibus habitus ipse est genitus; ut satis constat ex dicitis *tr. I. Log. d. 1. c. 4.* Deinde forma artificialis, quæ in materiam externam inducitur (de quâ præcipue, vel unice quæstio est), consistit in figurâ, seu coordinatione partium, ut mox dicam. Figura autem nihil de positivo importat, præter modum quemdam quantitatis, qui non est principium agendi, sicut nec ipsa quantitas. Vid. P. Suar. *d. 18. Met. f. 4.* Hinc à Philosophis & Theologis merito rejiciuntur homines aut rudes, aut malefici, qui certis characteribus & figuris varios attribuunt effectus naturales. Cum enim figuris nulla insit naturalis activitas, si alia causa proportionata non adsit, effectus illi tribui debent industriæ demonum,

ex pacto implicito, vel explicito concurrentium.

5 Quamvis autem nulla in arte detur activitas physica naturalium effectuum; potest nihilominus ars, aut forma artificialis, esse conditio, vel occasio, atque adeò moralis causa, plurium effectuum naturalium: scilicet, vel applicando activa passivis, ut ajunt, idest, conjungendo, & aptando causas naturales, activas cum passivis; vel conditionem aliquam apponendo, ut virtus naturalis producat effectus suos, quos non ederet hic & nunc, nisi tali modo, & proportionem applicaretur. Sic ars Medica effectum naturalem sanitatis conferre dicitur: & Agricultura fructuum naturalium quodammodo causa est. Sic etiam artificio Magiæ naturalis, quæ sine ope demonum occultas naturæ vires applicat, mirabiles eduntur effectus. Hi tamen, & similes, non proveniunt ab arte, nisi tamquam à conditione, applicatione, vel occasione: virtus autem ad illos tota in naturâ præsupponitur.

6 Neque aliter ab arte provenit motus horologij: vera enim illius activa causa est gravitas librati ponderis, aut vis elastica laminæ chalybeæ. Similiter in quovis automato semper latet aliqua naturalis causa motuum; ut reipsâ latuit in Dædali statuis, in Archytæ columbâ, in spherâ Archimedis, de quibus Conimbricenses *loc. citat.* Quare semper verum est, nunquam ab arte præstari virtutem activam, ac proinde arte factum quæ tale, idest, secundum formam, vel secundum

id, quod ab arte provenit, non habere in se principium motus. Superest tamen quæstio.

*In quo consistat forma artificialis?*

7 Certum esse debet, quidquid nonnulli dixerint, formam artificialem, quæ scilicet artefactum constituitur in esse talis, non consistere in accidenti aliquo absoluto quantitati materiæ superaddito. Nam, ut alia omittam, videnda apud Cardinal. de Lugo *d. 8. de Euchar. f. 2.*, tale accidens est omninò superfluum: cum sine illo plenè intelligi possit fabrica templi v. g., dummodo intelligatur ejus materia certo modo & ordine disposita. Nihil ergo de positivo continet forma artificialis in materiâ externâ, & permanenti (de hac enim maxime sermo est), præter modificationes quasdam partium materiæ.

8 Quare plures, quos citat, & sequitur P. Peynado, formam, sive figuram artificialem consistere dicunt in certis præsentijs, vel ubicationibus partiû, additis nonnullis negationibus. Nam eo præcisè, quod è rudi ligno detrahantur partes quædam, & reliquæ maneat cum certo ordine situâli, certaque distantia, juxta regulas artis statuariæ, plenè intelligitur figura statuaræ, quæ est ejus forma artificialis. Hoc autem totum consistit in certis ubicationibus partium remanentium cum negatione, seu carentiâ, tum aliarum ubicationum aliter distantium, tum unionis cum partibus detractis,



9 Verum ex hac sententia sequitur 1., quod statua, quoties de loco in locum transfertur, toties mutat formam artificialem, & illam demum accipit a bajulo, quantumlibet artis ignaro. Sequitur 2., quod, dum vestis plicatur, vel pictura convolvitur, amittit artificium vestis, aut imaginis. Respondent citati Authores, in rigore Scholastico statuam loco motam amittere priorem figuram artificialem, & acquirere novam; quæ tamen, quia non specie, sed solo numero distinguitur à præcedenti, & provenit à priori artificio, censetur eadem in communi modo loquendi, nec tribuitur bajulo, sed primo artificio. Similiter dicunt, vestem plicatam, & picturam convolutam, reverà & rigorosè non esse eandem vestem, nec imaginem: censerì tamen eandem, quia ex vi artificij præcedentis facile potest iterum acquirere ubicationes, ac distantias, tali artificio respondentes.

10 Sed imprimis satis est indubitable, quod statua marmorea, vel crux argentea, dum loco movetur, physice ac scholasticè sit alia statua, vel crux, numero distincta, factaque à bajulo sine ullà arte, aut instrumento: multòque magis, quod pallium, dum deponitur, aut in arcà reconditur, reverà non sit pallium, utpotè jam habens figuras situales, ac distantias partium, specie diversas; eadem quippe ratione sequitur nec esse verè pallium, dum est humeris impositum, & ejus tela pendens aut vento agitur, aut sub brachio colligitur, aut corpori convolvitur. Deinde prædicti Authores

concedunt, ex præcedenti operatione artis determinatam manere statuam ad acquirendas præsentias ejusdem rationis, dum loco movetur: determinatos item manere picturæ colores, ut, si charta evolvetur, iterum acquirant præsentias, ac distantias imaginis proprias.

11 Quæro nunc, illa determinatio, v. g. in picturâ convolutâ permanens, quidnam sit? Non est in primis sola quantitas colorum, quæ ex se non exigit hanc positionem, quàm aliam figuram situalem: Non deinde ars pictoris, quem distantem, aut jam mortuum suppono. Non item præsentia localis antecedens, quæ modò nihil est, potestque jam pridem transisse, dum pictura evolvetur. Non denique ubicationes chartæ convolutæ, quæ nullam cognationem habent cum ubicationibus chartæ expansæ. Superest ergo, ut sit artificium, seu forma artificialis, quam pictor induxit, & quæ actu perseverat eadem, quàmvis ubicationes, ac distantia variata sint.

12 Dico igitur 1.: aliqua sunt artefacta, quæ non exigunt unionem partium, sed meram juxtapositionem, aut certam distantiam, certamvè propinquitatem localem, v. g. exercitus ex præscripto artis militaris instructus: & in his artificialis forma consistit in determinationibus partium cum negationibus aliarum, ut aiebant Authores citati n. 8.; quia nihil aliud excogitari potest, in quo consistat. Quare, dum movetur acies instructa, servato eodem ordine quoad spe-

speciem, mutatur ejus forma quoad individuum, non moraliter, sed physice; quod facile creditu est. Nec determinatio unione, ut moveatur ordine præscripto, est quid artificiale, cum in eorum voluntate consistat.

13 Dico 2.: alia sunt artefacta, quæ requirunt partes certo ordine unitas, aut colligatas, v. g. statua, pictura, vestis: & in his artificialis forma, saltem primaria, est figura partium in ordine ad se, vel ad totum, quæ dici potest figura intrinseca, & quasi organica. Explicatur. Duplex est figura naturalis, v. g. in homine: altera, quæ dicitur intrinseca, & organica, consistitque in ordine unionis, & continuationis (adde carentiam redundantia) quæ servant partes inter se, v. g. in eo, quod caput immediate uniat colli, non pedibus, & quod inter caput ac pedes tot mediant partes materia, & quantitatis: altera, quæ vocatur extrinseca, localis, aut situales, & consistit in earumdem partium certâ dispositione secundum locum, quæ dispositio indistincta est ab ipsarum ubicatione, vel extensione connaturali cum negatione redundantia. Figuras istas esse distinctas, ac separabiles, perspicue cernitur in manu, quæ sive plicata, sive extensa, eadem figuram retinet intrinsecam, & organicam, seu in ordine ad se; diversam tamen situalem, seu in ordine ad locum. Quinetiam, si totus homo divinitus poneretur in puncto spatij, dummodò servaret numerum, & ordinem unionis partium inter se, non amitteret

figuram organicam; cum tamen nullam tunc haberet figuram situalem. Atque ita evenit in corpore Christi D., quatenus in quavis hostiæ particula totum adest; ut optimè declarat Exim. Doctor, cujus est hæc doctrina, tom. 3. in 3. p. d. 48. f. 1.

14 Dico igitur, in prædictis artefactis inveniri similiter duplicem figuram: alteram instar naturalis intrinsecæ; & hanc esse eorum formam artificialem, quæ proinde consistit in talibus unionibus partium cum carentia aliarum: alteram instar naturalis extrinsecæ; & hanc non esse formam artificialem, saltem primariam, sed esse signum, aut effectum ejus. Unde optimè intelligitur, vestem, sive plicatam, sive extensam, eandem retinere figuram artificialem; sicut homo eandem retinet naturalem, sive stet, sive sedeat. Cur autem magis prior, quàm posterior figura, debeat esse forma artificialis, ratio petenda est, tum ex dictis n. 10. & 11., tum ex paritate figuræ naturalis, quam imitatur artificialis; nam in homine figura organica est, quæ præcipue ac primariè venit nomine figuræ naturalis. Hinc, si à veste, vel statuâ detraherentur insensibiles uniones, manentibus partium ubicationibus, non maneret simpliciter forma artificialis, sed vestigium dumtaxat, aut signum ejus, quo sensus fallerentur; ut patet exemplo figuræ naturalis organice, si quid in eâ fin ille contingeret. Vel, si mavis præsentias illas voca figuram artificialem secundariam.

15 Sed notandum, ut figura



intrinsicam dicatur artificialis, sat esse, quod ejus constitutiva consumantur ab arte. Saepe contingit, ut vel positivum, vel negativum figura precedat naturaliter in materia, solumque ex directione artis addatur eorum alterum, quod deest: sic enim in ligno praecedit saepe naturaliter totum positivum formae statuae, quod est unio partium, solumque ab arte plerumque additur negativum, nempe detractio, vel carentia materiae redundantis. Tunc ergo tota figura dicitur artificialis, quia tribuitur arti constitutiva illius consummanti. Sic in naturalibus totus ignis dicitur genitus, totusque tribuitur generanti, quamvis aliquod ejus constitutum, nempe materia prima, praesupponatur creatione productum.

16 Dico 3.: alia sunt artefacta externa, quorum forma non consistit in figura intrinseca, nec

extrinseca, sed solum in commixtione variarum materiae portionum. Exemplum est in pharmaco secundum artem Medicam composito ex variis liquoribus. Dico 4.: alia sunt opera liberaliorum artium, quorum artificium, vel forma artificialis, realiter identificatur cum materia, additis ut summum certis durationibus partium cum carentia redundantiae. Talia sunt artefacta Logicae, Musicae, Rhetoricae, Poeticae, nec non artium saltandi ad numerum, & citharizandi. In his enim ars nihil aliud praestat, quam naturam dirigere, ut seligat materiam ex se rectam, & idoneam, omitendo inutilem; & interdum, ut rectam illam eliciat vel continet, vel cum certis morulis. Vide dicta in Proemial. Logic. circa artificium actuum intellectus, cujus ad instar facile explicabis quod provenit ab alijs artibus hujuscemodi.



## DISPUT. II.

### CAUSA QUID? ET QUOTUPLEX?

ubi specialiter explicatur Aristotelica divisio  
quadrimestris.

#### CAP. I.

DEFINITUR CAUSA, DISCERNITUR A PURA CONDITIONE, & MULTIFARIAM DIVIDITUR.

Causa latissime dicitur quidquid aliquomodo praebet occasionem, ut existat aliud, vel in

ejus productione intervenit utrumque, licet illi non conferat existentiam. Varias etiam habet definitiones, dum praese ac proprie sumitur, forte non tam sensu, quam veris dissidentes. Quibus omisis, definitio tradita ab Exim. Doctore d. 12.

Met.

Met. s. 2., quam satis communiter approbant Authores nostri, causam proprie sumptam sic explicat: *Principium per se influens esse in aliud.* Ubi principium ponitur loco generis; quia latius patet principium, quam causa, ut initio tract. 1. dictum est: additur *per se influens esse*; ut causa discernatur a pura conditione praerequisita ad causandum, quae, prout talis, per se non influit. Sumitur autem verbum *influire*, non in eo stricto sensu, quo solius causae efficientis proprium est, sed generalius, prout idem sonat, ac *dare*, vel *communicare* esse. Denique additur *in aliud*, ut significetur, terminum debere esse a principio influente distinctum secundum essentiam; hanc enim vim habet nomen *aliud*, substantivè dictum.

2 Atque ita cavetur, ne definitio causae conveniat ijs personis Divinae Trinitatis, quae, & quatenus habent rationem principij ad intra. Quamvis enim aeternus Pater v. g. sit principium influens esse in Filium, ac proinde in *alium*, imò & in *aliud* adjectivè sumptum, quatenus dicitur *aliud suppositum*; non tamen in *aliud* substantivè dictum; quia Filius non accipit essentiam & naturam distinctam, sed eandem numero, quae est in Patre. Unde, juxta Theologos, in Trinitate non est *aliud & aliud*, sed *alius & alius*; quia scilicet *alius* sumitur specialiter pro personâ distinctâ: in Christo autem, prout est persona composita, est *aliud & aliud*, non *alius & alius*; quia nimirum in Christo est duplex natura, Divina, & humana, sed non

duplex persona. Vid. D. Thom. 1. p. q. 31. art. 2.. Hinc ergo constat, Patrem in Trinitate ita esse principium Filij, ut tamen non sit ejus causa; prout constanter docent Latini Patres, licet Graeci nomen causae non renuant.

3 *Objic.*: vox *aliud* in definitione posita, vel significat essentiam, aut naturam proprie dictam, prout condistinguitur a subsistentia; vel naturam latius acceptam pro quidditate cujusque rei, etiam relativae, modalis, aut accidentalis. Si primum: ergo natura creata non erit causa propriae subsistentiae, nec propriae ubicationis, nec ullius accidentis; quia nihil horum erit *aliud*. Si secundum: ergo Pater aeternus, generando Filium, vere influit in *aliud*; quia Filius propriam quidditatem relativam habet distinctam a quidditate relativâ Patris. *Resp.*: ea voce significatur generativè quidditas rei, quae accipit esse, cujuscumque sit indolis, dummodo tamen possit absolute ac sine addito dici quidditas & essentia talis rei. Cum ergo essentia Filij Divini, absolute dicta, non sit alia ab essentia Patris (nefas enim est absolute dicere, in Trinitate dari tres essentias), sit, ut vox *aliud* non habeat locum in Trinitate, quamvis ibi detur alicuius quidditatis, non absolute dictae, sed cum addito *relativa*. Contrâ verò subsistentia creata (idem puta de ubicatione, & accidenti), si consistit in positivo, talis est indolis, ut absolute ac sine addito dici possit; *essentia subsistentia non est essentia natura humana*: ideoque verè dici-



tur aliud ab humanitate, quantum factum est, ut ab eâ causetur.

4 Solet etiam hic objici ad hominem, quod, si res aliqua se ipsam produceret quoad secundum esse, ut possibile putat P. Suarez, foret causa sui, cum tamen non influeret in aliud. Sed hæc obiectio suo loco dissolvetur. Nunc addo, ex ijs, quæ docet P. Suarez, dum suam explicat definitionem causæ, erui posse hanc aliam non minus aptam: *Principium tribuens esse termino limitatæ perfectionis*. Quæ definitio eo magis placet, quo minus est obnoxia cavillis. Statim enim ex illâ patet, cur in Trinitate principium, ad intra producens, non sit causa: cur item substantia Verbi non sit propriè causa intrinseca hujus Divini compositi *Christus*. Nec obstat, quod Deus, ut aliqui putant, possit producere ad extrâ infinitum in actu. Nam infinitum simpliciter, & in omni genere perfectionis, nemo putat possibile extra Deum. Infinitum autem in aliquâ tantum lineâ, quod solum possibile censent aliqui (v. g. albedo infinite intensa, aut quantitas infinite extensa), perfectionem haberet simpliciter limitatam, cum careret infinicis alijs perfectionibus de genere entis: quare Deus verè esset illius causa.

*Discrimen causæ à purâ conditione prærequisitæ.*

5 Quoniam obiter diximus, causam differre à purâ conditione necessariâ ad causandum, oportet hæc differen-

tiam amplius explicare. Sæpe contingit, ut ex parte causæ ad influendum hic & nunc, præter virtutem influxivam, aliquid aliud requiratur, non quod influat in effectum, sed quod virtutem causæ aliquomodo præpareret, disponat, aut applicet ad influendum: atque hoc non dicitur propriè causa (nisi fortè moraliter, de quo infra), sed *purum prærequisitum*, aut *pura conditio sine qua non*: impropiè tamen, & reductivè dici solet causa ejusdem generis, in quo adjuvat aliquomodo; quia scilicet effectus sic pendet à tali conditione, ut sine illâ non possit naturaliter (& interdum nec essentialiter) à suâ causâ in eo genere procedere. Sic applicatio ignis ad passum est pura conditio ad comburendum, reduciq; solet ad genus causæ efficientis; sic etiam accidentalis dispositio materiæ pura conditio est ad recipiendum formam substantialem, soletque reduci ad genus causæ materialis.

6 Præcipua ergo discrimen inter causam & puram conditionem est, quod causa influit, conditio non influit. Ex quo sequitur aliud: nempe, quod, variatâ causâ, necessariò variatur actio, sive causalitas, utpotè essentialiter alligata huic individo principio influentî; non ita verò, conditione variatâ: potest enim eadem numero causalitas permanere, quamvis determinata conditio desit, dummodò alia æquivalens subrogatur, aut aliter à Deo provideatur, si tantum naturaliter necessaria sit. Si quaras, unde dignoscendum, an prærequisitum influat,

fluat, vel non influat, adeoque an sit, vel non sit, pura conditio? *Resp.*, id esse colligendum ex indicijs, & argumentis, quæ suggeret peculiaris eventus, de quo dubium occurrit. Regulariter ex eo colligitur, quod experiamur, aliquid hic & nunc prærequiri ad causandum, & aliunde nulla in illo appareat proportio ad influendum, neque perfectio aliqua in effectu reluceat, quæ tali prærequisito tribui debeat.

*Causæ in communi divisiones varieg.*

7 Causa in communi dividitur  
1. in primam, & secundam. Causa prima est Deus  
trinus & unus; cujus primatus in ratione causæ consistit in eo, quod à nullo alio productam habeat suam virtutem operatricem, quod ceteris omnibus causis virtutem aut potentiam tribuat ad proprios earum effectus, quod nulla alia sine concursu Dei operari possit, & quod ceterarum operationes ipse proli- bitu impedire valeat. Causa secunda est, quæ primam essentialiter supponit, & ab eâ virtutem, aut potentiam, & productam habet, scilicet omnis causa creata. *Dividitur*  
2. in intrinsecam, & extrinsecam. Intrinseca est, quæ causat intrinsecè constituendo effectum, quæ cum proinde inadæquatè identificatur in omni eventu. Tales sunt respectu compositi materia, & forma, de quibus toto tract. i. Extrinseca est, quæ à suo termino; saltem immediatò & formali, distinguitur adæquatè, seu extra totam constitutionem ejus

manet, sive aliàs cum eo sit intimè unita, sive non. Talis est causa efficiens, & aliæ, de quibus mox. Dixi *saltem immediatò*, & *formali*: quia interdum causa extrinseca, simul est causa intrinseca sui termini denominativi, scilicet compositi, quod ex ejus termino formali resultat: v. g. anima rationalis, dum efficit intellectionem, est causa intrinseca hujus concreti *intelligens*, & simul ejusdem causæ efficiens, quatenus in se intellectionem efficit, ex quâ resultat illud concretum, quod proinde denominatur efficienter ab animâ productum. Tunc ergo anima solum adæquatè distinguitur à termino formali effectionis, qui est intellectio.

8 *Dividitur* 3. in adæquatam, & inadæquatam, sive in totalem, & partialem. Causa adæquata est, quæ se solâ influere potest quantum sufficit ut existat effectus. Inadæquata verò, quæ alterius causæ auxilio indiget, ut effectum existere faciat. Sed notandum 1., quod solus Deus est absolutè causa totalis; quia solus potest se solo sine interventu alterius causæ extrinsecæ producere omnes effectus distinctos ab actione causæ secundæ. Quamvis enim se solo supplere nequeat in rebus compositis munera causarum intrinsecarum; potest tamen solo influxu suo producere has ipsas causas, & earum unionem, quod est dare existentiam toti composito. At causa creata nequit esse totalis absoluta, cum semper indigeat concursu causæ primæ; sed tantum cum addito expresse, vel subintellecto,



in genere causa secunda; vel etiam restrictius in genere causa efficiens, causa finalis &c. Notandum 2., quod potest causa esse adæquata quoad virtutem, & inadæquata quoad influxum actuale, eo quod suum conatum hic & nunc temperet, ac minuat, non ex indigentia, sed ne impediatur cooperationem alterius causæ idoneæ, quæ simul adest. Sic, si duo ignes applicentur simul eidem passo, licet singuli possint totum comburere, tamen hic & nunc neuter influit nisi partialiter, ut locum det alteri.

*Causa per se, & per accidens.*

**D**ividitur 4. in causam per se, & causam per accidens. Illud *per se* interdum lato sensu significat perfectam necessitatis: atque ita causa per se dicitur, quæcumque necessario prærequiritur ad effectum, sive illum proprie causet, sive non: & alia dicitur per se essentialis, quando scilicet effectus illam essentialiter prærequirit; alia verò, per se naturalis, quando illam solum connaturaliter præsupponit effectus. Si autem nullo modo necessaria sit, etiam si verè influat, & proprie causet hic & nunc, vocari solet causa per accidens, id est, non necessario, sed contingenter influens, attentà exigentiâ effectus. Exempla in decursu dabimus. Interdum etiam significat perfectam determinationis, aut connexionis, de qua infra. In presenti non ita sumimus illud *per se*, sed tantum prout significat perfectam

causalitatis vel proprietatis in causando; sive tali causâ necessario indigeat effectus, sive non. Hoc sensu accepta causa per se, variè explicatur ab Authoribus: nec facillè assignatur conceptus communis causis per se rationalibus, & purè physicis.

10 Poterit tamen sic describi generatim causa per se, *Quæ influit in effectum cum inclinatione aliqua, innata, vel elicitâ, saltem interpretativa, virtuali, aut indirectâ:* causa verò per accidens, prout illi contraposta, *Quæ vel non influit in effectum, vel influit sine ulla prorsus inclinatione.* Ita sentiunt satis frequenter Authores, ut testatur P. Peinado *his d. 2. f. 1. n. 8.*, licet ipse dissentiat quantum ad causam per se purè physicam. Ita quoque novissimè sentit P. Ulloa *Physic. specul. d. 2. n. 42.* Et verò, quod agens rationale (id est, operans cum consilio rationis) non censetur proprie ac per se agere, nisi aliquomodo velit quod agit, constat ex communi hominum sensu: quem infra confirmabimus, ubi de concursu Dei ad actum peccati. De quâlibet etiam causâ communissimè dicitur non causare per se, sed per accidens, quod contra vel præter intentionem causet. In causis autem purè physicis loco intentionis est inclinatio innata. Unde productio monstrorum passim dicitur esse per accidens respectu causæ physicæ aberrantis ab intentione, id est, innatâ inclinatione, producendi prolem per se secundum dispositionem propriam speciei.

11 *Obije.*: si aqua divinitus

elevatorum ad producendum physicè Gratiâ, foret causa per se Gratiæ; cum tamen influeret citra inclinationem innatam, quæ nulla est in rebus naturalibus ad bona supernaturalia. Similiter intellectus Angeli non appetit innatè visionem beatam, nec elicite appetere potest prout a voluntate distinctus; & tamen visionem per se causet simul cum lumine gloriæ. *Resp.*: causa instrumentalis, saltem quando est purum instrumentum obedientiale, sicut non habet proportionem cum effectû, nisi ut elevata, sive ut conjuncta cum principio elevante, ita non nisi ut elevata inclinationem habere debet in effectum: sic autem illam habent aqua & intellectus in proposito. Dices: inclinatio ad visionem v. g. solum est in principio elevante, nempe in lumine gloriæ. *Dist.*: solum est formaliter, *conc.*: solum est denominativè, *neg.*: nam, sicut intellectus à lumine denominatur elevatus, proportionatus, & connexus cum visione, ita denominatur ad visionem propensus, & inclinatus: verè enim dicimus, intellectum lumine gloriæ illustratum exigere visionem beatam.

12 Hæc autem inclinatio denominativa sufficit pro causis per se instrumentalibus: & ea convenit cuilibet instrumento elevato ad agendum, quando instrumentum ipsum tali denominationi non repugnat per inclinationem contrariam; si enim ita repugnet, non erit subjectum capax denominationis illius. Quare, si aqua divinitus elevatorum ad producendum calorem

in semet ipsâ, non foret causa per se caloris; quia nec formaliter, nec denominativè inclinata influeret, sed potius omninò coacta, seu cum violentiâ, & resistentiâ positivâ. Dicit quoque posset intellectus ad visionem inclinatus, non formaliter, sed constitutivè, quia constituit cum lumine complexum absolute inclinatum: sicut anima rationalis dicitur corporea, non formaliter, sed constitutivè, quia constituit compositum absolute corporeum: vel sicut intellectus ipse cum visione connectitur constitutivè tantum, quia constituit cum lumine principium adæquatum visionis, cum eâ proximè connexum; non enim lumen proximè connectitur cum visione, nisi prout conjunctum cum intellectu.

13 Inter causas per se numeratur præcipuè à nonnullis Philosophis ethnicis *fatum*: quo nomine apud eos venit generalis quædam, absoluta, & inevitabilis necessitas, cujus vim nulla res Mundi declinare possit, ne ipsa quidem libertas hominum, imò juxta quosdam nec Deus ipse. Hunc errorem, ut hæreticum, & gentilicum, impugnat optime P. Suar. *d. 19. Met. f. 11.*, atque, SS. Patribus non modo rem significatam, sed nomen ipsum *fati* odiosum esse, idèque à Catholicis non nisi cum explicatione usurpandum: posse tamen ad sanum, ac verum sensum reduci, si accipiatur pro dispositione, vel ordine causarum secundarum, quatenus Divinæ providentiæ subsunt, & juxta illius præordinationem, vel permissio-



nam ac praescientiam infallibiliter operantur; ut ex S. Augustino, Boetio, & D. Thomâ colligitur: quo sensu fatum respectu plurimum effectuum est causa per se. Vid. Exim. Suar. loc. cit.

14 Inter causas per accidens (quæ variæ sunt, & aliæ magis, aliæ minus deficientes à causalitate per se) recenserentur solent, *casus, & fortuna*. Casus potest accipi & pro effectu, & pro causâ. Cum pro effectu accipitur, generatim significat quidquid inopinatò accidit. Prescius verò dici potest ex P. Suar. *disp. cit. f. 12.* effectus, qui per accidens, & præter opinionem & intentionem conjungitur operationi per se alicujus causæ. Sic, quòd fodiens terram ex intentione stendi, thesauri inopinatò inveniatur, vel quòd paries ventustate ruens prætereuntem hominem occidat, effectus casualis est. Respectu Dei nihil est casuale, cum nihil præter ejus prævisionem eveniat. Casus verò sumptus pro causâ effectus casualis, potest esse qualibet causa efficiens, quatenus ejus operationi conjungitur per accidens & inopinatò effectus casualis, respectu cuius ipsa est causa per accidens.

15 Si quæras, quomodò dari possit verus effectus sine causâ per se? Resp.: effectus casualis, cum non sit propriè unum ens, sed concurrentia plurimum inconnexorum, non requirit in ratione totius causam per se, sed fat est, quòd ejus partes per se causentur singillatim. V. g. depositio thesauri sub terrâ per se causatur ab homine thesau-

rum abscondente; fossio deinde per se causatur à fossore: at concurrentia fossionis cum thesauri existentia in eò loco, (in quâ concurrentia fiat inventio thesauri, quæ est effectus casualis) à nullâ causâ per se causatur, quia nulla ponit aliquid cum tali concurrentia connexum; nec aliunde duæ illæ causæ n. utuò se se adjuvant, aut conspirant, sed omninò inconnexè ac disparatè se habent, adedque non propriè constituent unam causam totalem, respectu cuius inventio thesauri sit effectus per se.

16 De fortuna multa narrantur Ernici, Deam sibi fingentes improvidam, quæ res humanas cæco impetu moderetur. Què errorem confutat S. Augustinus 4. de Civit. s. 18. In sensu verò ac philosophico fortuna sumitur pro effectu fortuito (vel etiam pro illius causâ), non ita, ut nulli providentiæ substat; nihil enim fortuitò evenit Divinæ providentiæ; sed ita, ut sit fortuitus, & imprævisus agentibus inferioribus. Sic autem accepta fortuna non differt à casu, nisi quia casus latius patet, quàm fortuna, quæ non nisi in rebus humanis propriè reperitur. Ad effectus casuales passim etiam reducitur productio monstrorum; de quâ videri possunt Conimbricenses in cap. 9. lib. 2. i. physic. q. 5.

*Causa immediata, & mediata.*

17 **D**ividitur 5. in causam immediatam, & mediatam, sive in proximam, & remotam. Immediata est, quæ ita influit,

fluit, ut non detur alia causa propinquior effectui: mediata est, quæ influit in causam propinquiorè effectui, de quo est sermo: sic avas est mediata causa nepotis. Unde ad causam mediatam requiritur, quòd influat in causam immediatam, seu propinquiorè; alioquin nullatenus erit causa, nec proximè, nec remotè. Sed notandum, quòd alia est causa pure mediata, quæ scilicet suo influxu non proximè attingit effectum, sed aliam propinquiorè causam ejus: alia verò, non pure mediata, sed simul etiam immediata, quæ scilicet influit in causam proximam, & rursus cum istâ simul immediate in effectum: atque ita se habet Deus respectu effectuum à causis secundis provenientium. Potest etiam causa mediata esse magis aut minus ab effectu remota, prout fuerint plures aut pauciores causæ mediantes.

18 *Queritur* hîc, utrum causa pure mediata sit propriè causa effectus remoti? V. g. dum ignis A producit ignem B, & hic adæquatè producit ignem C, an tunc ignis A propriè causet ignem C? Communiter negant Authores nostri cum P. Suar. d. 18. Met. f. 2. n. 8. & 22. Ratio est: quia non propriè causat, nisi quod propriè influit, & dat esse effectui: at ignis A in casu posito non propriè influit in ignem C, cum totus ejus influxus sistat in igne B, nec ultra protendatur; alioquin jam non erit causa pure mediata ignis C. Urgetur: id, cuius adæquata productio stare potest eadem, etiam si deficiat ignis A, non propriè pro-

ducitur ab igne A: sed adæquata productio ignis C stare potest eadem, igne A deficiente, si nimirum ab alio igne, vel a solo Deo conservetur ignis B, à quo adæquatè producit C: ergo &c.. Vel aliter: ignis A obtinet in igne B suum effectum adæquatum (suppono, ignem B, ut nunc productum, adæquari toti viribus ignis A): ergo non propriè producit ignem C. Patet consequentia: quia alioquin ignis A propriè produceret simul duos effectus adæquatos, nempe ignes B, & C; vel produceret saltem aliquid aliud ultra suum effectum adæquatum; quod implicat.

19 Nec obstat 1. adagium illud, *Causa causæ est causa causati*. Intelligitur enim de causâ latè & impropriè sumptâ. Sic Adamus dicitur principium & pater omnium hominum; cum tamen, tot jam sæcula mortuus, nequeat esse propriè pater, aut causa hominis hodie geniti. Sic etiam scintilla ignis, quæ primò incendit sylvam, licet jam sic extincta, dicitur causa totius incendij perseverantis; cum tamen non illud propriè causet, tum quia jam non existit, tum quia tantum incendium excedit plusquàm centies milles effectum adæquatum scintillæ. Nec obstat 2. exemplum causæ moralis. Nam hæc, si propriè talis est, effectum immediate causat in suâ lineâ morali. Sic enim, qui mandato, aut consilio movet Petrum, ut te vulneret, dicitur propriè moralis causa tui vulneris; quia, licet non illud efficiat immediate physice, efficit tamen immediate moraliter,



quatenus vulneratio, dum ponitur ex mandato illius, perinde se habet in æstimatione prudentum, ac si ab illo physicè poneretur.

20 Nec obstat 3., quòd causa remota, dum actu conservat proximam, sit necessaria ad existentiam effectus mediati, ita ut hic necessariò deficeret eà deficiente, nisi alia subrogaretur ad causam proximam conservandam. Nam hoc solum probat, causam illam esse necessariam ad effectum, quod stare potest, quàmvis non sit propriè causa, ut patet in purâ conditione sine quâ non. Adde, quòd neque illa causa est necessaria determinatè, sed vagè illa vel alia, ita ut productio ignis C ab igne B perseveret eadem numero, sive ignis B conservetur ab igne A, sive à D, sive à solo Deo. At, si esset propriè causa, non posset non ex ejus variatione variari productio ignis C, ex dictis n. 6.

21 Dices: effectus propriè pendet à causâ remotâ conservante proximam; nam eà deficiente, nec aliâ subrogatâ, necessariò deficeret: ergo ab eâ propriè causatur. *Dist. Antec.*: propriè pendet dependentiâ indigentia, *transseat* (etiam sic non pendet ab eâ determinatè, sed vagè ab eâ vel aliâ:) dependentiâ causalitatis, *neg. Antec. & Consequ.* Sæpe datur dependentia indigentia sine dependentiâ causalitatis propriè talis; ut patet, tum in dependentiâ effectus à purâ conditione sine quâ non; tum in actione, quæ omninò indiget termino, à quo non causatur; tum in unione, quæ non essentialiter causatur ab extremis, quibus

essentialiter indiget. Dices iterum: causa remota, conservans proximâ, non est causa per accidens, sicut musica in ædificante: ergo est causa per se, adèoque propriè. *Resp. 1.*: causa per accidens, admittit latitudinem, variosque gradus: quare causa remota potest esse per accidens, licet non sit tam impropria, quàm est musica in ædificante. *Resp. 2.*: causa illa remota dici poterit causa per se perfectitate necessitatis (de quâ n. 5.), & in hoc sensu propriè: non tamen perfectitate influxus, aut causalitatis in effectum remotum, de quâ nunc loquimur.

22 Nihilominus negandum non est, quòd effectus sæpe attribuitur, & imputatur propriè causæ mediatae, non solum ut causæ moralis, sed ut causæ physicae. Sic enim mors hominis propriè tribuitur ei, qui venenum porrigit, vel telum jaculatur, aut sclopetum explodit, licet hic multæ causæ mediæ: nam sclopeti explosor v. g. solum est ad summum causa immediata motus, quo flex incurrit in chalybem; tum ex silice causatur ignis, hic accendit pyrium pulverem, hic ferreae glandi violentam imprimat impulsum, hic deinde causat motum glandis, donec perveniat ad hominem, in quo vulnus efficit; ac tandem ex vulnere sequitur mors, sæpe non illico, sed post varias alterat ones humorum. En, quot causæ mediæ: & tamen explosor ille dicitur physicè occidisse hominem, & propriè quidem: sicut etiam propriè dicitur fecare physicè lignum, qui fecat medio impulsu impresso ferræ, vel fe-

curi; & physicè comburere domum, qui faciem applicat alicui parti, ex quâ deinde propagatur incendium.

23 Dicendam igitur, quòd causa mediata, quando aliter ponit influxum, ex quo per connexionem physicam, seu absque novâ indifferentiâ naturali, tandem sequitur effectus remotus, propriè dicitur causa per se talis effectus; non quidem proprietate, aut perfectitate influxus, propter dicta n. 18. & seqq.; sed proprietate, & perfectitate determinationis, aut connexionis, quæ infinuata est n. 9., & quæ sapissimè attenditur ad imputationem, & attributionem effectus. Non est itaque causa propriè & per se dans esse (nisi forte moraliter): est tamen causa propriè & per se determinans alias, ut dent esse, vel propriè & per se connexa cum eo, quòd effectus mediatu ab alijs causis accipiat esse. At ne isto quidem sensu propriè causa est causa remota, quando talis connexio deficit. Porro, quòd proprietatis determinationis sit separabilis à proprietate influxus, aut causalitatis, patet in applicante ignem ad passum dispositum, atque etiam in operatione artificis, quæ sæpe determinat causas naturales ad agendum, ideòque naturales effectus sæpe tribuuntur arti seu formæ artificiali non improprie, quàmvis ars in eos propriè non influat, nec forma artificialis, ut vidimus *disp. præced. c. 3.*

*Divisio Aristotelica quadrinembris.*

24 **S**uperest divisio celebris, ab Aristotele tradita tum *hic,*

c. 3. & seqq., tum 5. *Metaph.* 2., quâ scilicet causa in communi dividitur 6. in materialem, formalem, finalem, & efficientem. Quatuor ista causarum genera concurrere ad quodvis compositum, sic ostendi solet. In primis compositum, cum nequeat à semetipso fieri; sit ab aliquo: & hoc vocamus causam efficientem. Deinde, cum non fiat ex nihilo, sit ex aliquo subiecto præsupposito: & hoc dicimus causam materialem. Præterea, cum hæc subiecto accedere debeat aliquid denuò productum, ut resultet compositum determinatæ speciei, jam intervenit differentia physica, seu pars specificativa compositi, quam appellamus causam formalem. Denique, cum causa efficiens compositum, sit causa per se, non casu, aut violenter agens, necesse est operetur propter aliquid, seu in gratiam alicujus finis: & hæc est causa finalis.

25 *Quæres 1.*, an hæc divisio sit immediata? Non est: quia causa in communi dividitur immediate in intrinsecam, & extrinsecam; ac deinde intrinseca subdividitur in materialem & formalem, extrinseca in efficientem & finalem. *Quæres 2.*, an sit divisio atomata? Non est: quia singula membra subdividuntur in alia, ut mox patebit. Quàmvis autem divisio ista nec immediata sit, nec atomata, tamen ab Aristotele maximè contentendatur, quia reducit causas omnes ad generalia quædam capita, quæ modòs causandi notiores habent, ac magis distinctos, adèoque aptiora sunt ad divisionem doctrinalem.



26 Sed hinc quer. 3., an sit divisio adæquata? Communiter affirmatur cum Aristotele: quia per illam satisficit omnibus interrogationibus, quæ circa facturam rei excitari solent: videlicet, *à quo? ex quo? per quid? & propter quid res fiat?* Ad 1. quippe respondetur per causam efficientem: ad 2. per materialem: ad 3. per formalem: ad 4. per finalem. Accedit, quod nulla superesse videtur vera causa, quæ ad aliquod ex his generibus non reducat. Nam causa exemplaris, *cujus instar* fit res, reducitur vel ad efficientem, vel ad formalem extrinsecam, ut infra explicabitur. Causa objectiva (id est, objectum, à quo specificatur cognitio) reduci potest vel ad formalem extrinsecam, vel ad finalem, vel ad efficientem moralem, aut etiam physicam, quatenus objectum mediâ sui specie cognitionem efficit. Causa dispositiva, v. g. calor disponens materiam ad recipiendam formam ignis, solet reduci ad genus causæ materialis, & interdum ad genus causæ formalis: propriè tamen non est causa physica formæ, sed pura conditio, nisi fortè instrumentaliter coëfficiat formam, quia tunc erit causa efficiens.

27 Quer. 4., an quatuor illa membra debeant realiter inter se distingui? Non omnia semper debent; nec respectu diversorum effectuum; nec respectu ejusdem. Nam eadem anima rationalis v. g. causat formaliter hominem, materialiter Gratiam, efficienter suos omnes actus, finaliter eorum aliquos. Item

respectu actuum immanentium eadem est causa efficiens, & materialis, & sæpe etiam finalis. Præterea, respectu hominis, ut compositi ex materia per nutritionem acquisita, eadem anima est causa formalis, & simul aliquomodo efficiens, cum efficiat unionem sui cum eâ materia. Quare, etiam respectu ejusdem effectus, non videtur necessaria semper distinctio realis, nisi inter causas materialem & formalem de genere physico. Vide P. Suar. d. 12. Met. f. 3. a. n. 9..

28 Quer. 5., an ratio causa propriè conveniat singulis quatuor membris? De causâ efficiente non est dubium; quia illa est autonomatice causa, cum sit veluti fons, à quo oritur existentia effectus. De cæteris dicemus mox inter explicandum propria ipsarum munera. Hanc enim explicationem statim aggrediemur: tum quia circa causas materialem & formalem, quibus tractatus 1. insudavit, pauca supersunt, quæ diutius differre non oportet: tum etiam, quia quæstiones in hoc tractatu discutiendæ, ad solam fere causam efficientem pertinent; easque proinde tractabimus expeditius, si modo à cæterarum causarum curâ liberemur.

## CAP. II.

### DE CAUSIS MATERIALI, ET formali.

I CAUSA materialis in communi latius patet, quàm materia prima, definiturque ab Aristotele

hic cap. 3., *Ex qua, cum insit, aliquid fit*: id est, ex quâ, ut ex subiecto intrinsecè manente in composito, fit compositum, sive substantiale, sive accidentale: nam particula *ex*, sumitur nunc prout peculiariter denotat minus subiecti. Clarius, & generalius ad mentem Philosophi definiri potest causa materialis, *Quæ causat ut subiectum. Dicitur* 1. causa materialis in causam termini substantialis, & causam termini accidentalis. Prior, saltem respectu substantiæ non purè modalis, est sola materia prima. Posterior est subiectum quodlibet, sive corporeum, sive spirituale, ex quo educitur forma accidentalis, vel constituitur accidentale compositum.

2 *Dividitur* 2. causa materialis in intrinsecam, & extrinsecam. Causa materialis intrinseca est, *quæ causat intrinsecè constituendo compositum tanquam subiectum informationis alterius compartis*. Quid autem sit subiectum informationis, explicatum est tract. 1. d. 2. c. 2. Causa hæc dicitur *intrinseca*, quia pertinet ad intrinsecam constitutionem sui effectus, nempe compositi. Causa materialis extrinseca est, *quæ formam causat tanquam subiectum sustentationis illius*, id est, tanquam id, à quo ut subiecto præsupposito essentialiter pendet formæ productio: ubi nomine *formæ* comprehenditur etiam accidentalis, & modalis. Hoc genus subiecti, & causæ materialis, explicuimus etiam tract. 1. d. 4. c. 4. n. 3. & seqq. ubi rationem dedimus, cur Aristoteles non ex-

pressè meminerit causæ materialis illiusmodi. Hæc dicitur causa *extrinseca*, quia, licet intrinsecè recipiat formam, quam causat, non tamen illam intrinsecè constituit, sed extra totam ejus identitatem manet.

3 Jam satis ostendimus tract. 1. d. 2. c. 2., non unum subiecti informationis esse ratione distinctum, & in exercitio separabile (licet non mutuo) à munere subiecti sustentationis. Per illud autem, ut ratione distinctum, definiri debet causa materialis intrinseca: quia hæc non alio titulo causat, nisi quia per modum partis materialis (id est, non specificantis compositum) proprium suum esse tribuit composito: tribuit autem, præcisè quia unitur formæ, sive illam, aut unionem sustentat, sive secus; atque adeo tribuit, præcisè quia est subiectum in formationis. Hinc materiæ causalitas in genere intrinseco est unio præcisè quia unio est, non quia passio, aut sustentatio formæ, vel unionis, licet realiter indistincta sit à sustentatione istâ: nam, etiam si materia non sustentaret formam, nec unionem, sed uniretur unione productâ per creationem, non minus esset causa materialis intrinseca compositi, quàm modò est.

4 Quod ergo de formali se habet ad conceptum causæ materialis intrinseca, est, quod sit subiectum verè unitum formæ, adeoque verè informatum: quod autem unum sustentet formam, aut unionem, quatenus de materiali se habet ad conceptum illam; solumque se habet de for-



formali ad conceptum causæ materialis extrinsecæ. Cumque definitio solum explicare debeat quod de formali se habet ad conceptum definiti, idcirco definitiones illas n. 2. tradidimus. Hoc tamen non tollit, quod sæpe eadem causa, & per eandem realiter causalitatem, utrumque munus causæ materialis obeat, ut accidit in compositis purè corporeis, ubi sustentatio formæ identificatur cum unione juxta nostra principia. Sic eadem rationalis anima respectu suorum actuum simul est causa materialis & efficiens, & quidem per eandem indivisibilem causalitatem: diversimodè tamen definitur anima ut efficiens, & ut materialiter causans.

5 Inter effectus causæ materialis computari solet generatio compositi. Sed, cum generatio ista nihil aliud sit, quameductio formæ, vel unionis, includens, vel secum identificans actionem & passionem, non auget numerum effectuum: est enim, quatenus passio, causalitas materiæ in formam, vel unionem, per modam termini formalis, & hinc etiam in compositum per modum termini denominativi; sicut eadem ratione, quatenus actio, est causalitas causæ efficientis in eisdem terminos. Unde, cum generatur compositum, v. g. homo, materia duplici titulo est causa illius: 1., quia unitur animæ ut subjectum informationis, quo titulo est causa materialis intrinseca hominis: 2., quia est subjectum sustentans unionem, atque adèd generationem hominis, quæ est unioniseductio; & hic ri-

tulus pertinet ad rationem causæ materialis extrinsecæ. Possè autem idem respectu ejusdem esse causam intrinsecam, & quodammodò extrinsecam, jam vidimus cap. præc. n. 7. Non tamen à passione, vel sustentatione unionis, denominatur homo *sustentatus*, idest, *passivè receptus*, sed tantum *materialiter causatus quasi extrinsecè*: quemadmodum à generatione, quæ esteductio unionis, non denominatur *eductus*, sed *productus*, aut *generatus*. Quod provenit ex congruo, vel incongruo sensu denominationum, juxta regulam sæpe datam tract. I.

6 Sed adhuc contra definitionem causæ materialis intrinsecæ *objicies*: quod materia, præscindendo à munere subjecti sustentantis formam, aut unionem, non potest dici causa materialis, licet consideretur verè unita formæ: nam materia, præcisè ut unita, non aliud munus habet, quam intrinsecè constituere compositum: constitutiva autem intrinseca rei, maxime quæ in ejus definitione exprimentur, non *materialiter*, sed *formaliter* constituunt rem: quia *de formali* se habent ad essentiam ejus, idèdque vocari solent *partes formales* rei. *Resp.*: materia, præscindendo à munere sustentantis, vel etiam sine illo unita, ut si unio humana divinitus crearetur, verè esset subjectum informationis; verè enim in eà hypothesi unionis creatæ materia hominis esset informata, & anima esset informans, non è converso: verè ergo tunc homo constaret ex materiâ *ut ex subjecto insito*, quod solum requi-

quit Aristoteles ad rationem causæ materialis.

7 Præterea, in eà hypothesi, non materia, sed anima esset pars specificativa hominis, seu ratio quidditatis: sola ergo anima esset causa formalis: ergo materia (quæ tunc certè foret vera causa intrinseca) verè esset causa materialis. Et alioquin materia hominis de facto esset causa formalis, & materialis: formalis, quia intrinsecè constituit hominem, & ad ejus definitionem pertinet: materialis, quia sustentat unionem humanam. Itaque constitutiva intrinseca rei solam dicuntur esse *partes formales*, & constituere *formaliter*, seu *de formali* se habere, quatenus non se habent *per accidens*, aut *impertinenter* (hoc enim sæpe sonat *materialiter*, aut *de materiali*) ad essentiam rei, vel ad ejus definitionem. Hoc tamen non tollit, quod altera pars constituat ut forma, altera ut subjectum, adèdque altera sit causa formalis, altera materialis intrinseca.

8 His ita statutis, *queritur* I., quænam sit causalitas causæ materialis? *Resp.* ex dictis: causalitas in genere intrinseca, seu respectu compositi ut intrinsecè constituti, est unio prout talis: in genere autem extrinseca, seu respectu formæ, est formæ ipsiuseductio, quatenus passio, vel sustentatio est. Ratio: quia per unionem & passionem respectivè determinatur ultimò & formaliter causa materialis ad causandum in actu secundo; in quâ determinatione stat conceptus causalitatis. *Queritur* 2., utrum causa

materialis, quatenus intrinsecè causat compositum, sit proprie causa? *Questionem* hanc, quæ communis est omni causæ intrinsecæ, resolvemus inferiùs, ubi de causâ formali.

9 *Queritur* 3., utrum causa materialis extrinseca, seu respectu formæ, proprie sit causa? *Affirmat* communis sententia. Quia materia prima v. g. per se immediate præsupponitur ad formas, quæ educuntur: sed non ut mera conditio: ergo ut propria causa. *Prob. Min.*: tum quiaeductio formæ est causalitas essentialiter alligata individui materiæ præsuppositæ, variareturque necessariò, variatâ materiâ; quod non convenit puræ conditioni. Tum etiam, quia aliter præsupponitur materia ad educationem formæ materialis, & aliter ad primam creationem animæ rationalis: sed ad hanc præsupponitur ut mera conditio: ergo ad illam ut propria causa.

10 *Objic.* 1.: causa materialis nihil omnino agit, sed mere passivè se habet respectu formæ: ergo non proprie causat. *Prob. Consequ.*: quia, quod nihil agit, non proprie influit, nec tribuit esse, ut ex terminis patere videtur. Unde S. Augustinus lib. 83. qq. in 28. inquit: *Omnis causa efficiens est*: quia scilicet non est vere causa, quæ non efficit, sive agit. *Resp. conc. Antec.*, quia agere solius causæ efficientis proprium est; sed *neg. Conseq.* cum probatione subjunctâ: quàmvis enim *influere*, & *tribuere esse*, summâ proprietate conveniat causæ agentis; tamen non improprie dicitur



de quovis principio, à quo determinato essentialiter pendet productio effectus, sicuti pendet à materiâeductio formæ, non quatenus actio, sed quatenus passio est. Non impropiè dicitur *dare esse* id, cui verè debet effectus esse suum. Effectus autem verè suum esse debet omni principio, sine quo determinatè præsupposito deficeret essentialiter & à priori productio, quâ hîc & nunc accipit esse; saltem si tale principium ad existentiam effectus hoc modo conducatur ex inclinatione. D. Augustinus intelligi potest de causâ antonomastice dictâ: nam, ut notat P. Suar. d. 12. *Mit. s. 3. n. 6.*, nomen causæ interdum per antonomasiam, vel etiam ratione primæ impositionis, pro causâ efficien- te sumi solet.

11 *Obje. 2.*: causa efficiens præcontinere debet totam perfectionem formæ producendæ: ergo ipsi soli incumbit formam causare. *Neg. Conseq.*: quia ex præcontinentiâ totius perfectionis effectus, non sequitur, quòd causa efficiens creata possit se solâ supplere omnem dependentiæ modum, quo indiget effectus; alioquin posset etiam supplere immediatum influxum causæ primæ. Quare omne agens creatum, sicut ex conditione propriâ causæ secundæ requirit concursum primæ causæ, ita ex conditione agentis finiti requirit javamen causæ materialis, idest, subjecti sustentativi præsuppositi; nequit enim agere ex nihilo. Hæc pro communi sententiâ.

12 Non tamen negaverim,

quòd *influere, tribuere, seu dare esse*, non dicitur de causâ materiali sine aliquâ improprietate, licet non tantâ, quanta convenit purè conditioni. Tum quia non dicitur absolute & sine addito, quòd materia influit in formam, aut dat esse formæ; multòque minùs, quòd anima rationalis influit in Gratiam, aut dat esse Gratia, quam recipit. Tum quia alioquin materia daret quòd non habet, cum non præhabeat esse formæ, nec formaliter, nec æquivalenter. Tum etiam, quia causa mere passiva pure recipit: est autem oppositio quædam inter *dare, & pure recipere*. Quare causa passiva non dicitur induens, & dans esse, nisi cum addito *in genere subjecti sustentativi*: quo in genere, quia positivè conducit ad existentiam effectus, ita ut illius productio à tali subjecto præsupposito determinatè & essentialiter pendeat, non sine aliquâ proprietate dicitur dare esse.

13 Jam ad causam formalem deveniamus. Ea definitur à Philosopho, *Ratio essentia, seu quidditatis compositi*: quam definitionem explicuimus *tract. 1. d. 4. c. 5.*, agentes de formâ substantiali. Nunc ad mentem Philosophi generatim definiri potest causa formalis, *Quæ causat intrinsecè constitnendo compositum tamquam pars specificativa, saltem principaliter, quidditatis illius*. Quæ definitio satis clara est ex dictis *t. 1.*, tum *loc. cit. in d. 2. c. 2. à n. 10.*; aptarique potest causæ formali cujuslibet compositi, sive substantialis, sive accidentalis, sive physici, sive metaphysici, sive

re-

resistantis ex unione intrinsecâ formæ ad subjectum, sive ex unione extrinsecâ, v. g. hujus concreti *visum*, quòd ex visione & objecto constituitur; quâvis enim visio sit forma extrinsecâ objecto, tamen intrinsecè constituit, & specificat concretum illud. Et hinc dividi potest causa formalis, 1. in substantialem & accidentalem, 2. in physicam & metaphysicam, 3. in intrinsecâ & extrinsecam subjecto: sic tamen, ut nec metaphysica, nec subjecto extrinsecâ, sit propriè causa, quia non est propriè pars ex defectu distinctionis, vel unionis.

14 Quòd à causâ formali causatur, vocari solet *effectus formalis*; qui plerumque est duplex, alter primarius, alter secundarius. Effectus formalis primarius, qui & *intrinsecus* dici potest, est compositum, concretum, vel denominatio, quæ resultat ex formâ unitâ subjecto, consistitque in collectione formæ, subjecti, & unionis, nullâ aliâ entitate superadditâ; ut ostendimus *tract. 1. d. 7. c. 3.* Respectu illius effectus forma est causa formalis intrinsecâ: & ejus causalitas est unio, quatenus informatio; quia est ultima d. terminatio, & exercitium, quo forma, ut pars specificativa, constituit compositum. Nec obstat quòd eadem unio, quatenus materializatio, sic etiam causalitas causæ materialis intrinsecæ: non enim id magis repugnat, quàm quòd eademeductio sit actio & passio, ac proinde causalitas agentis & subjecti sustentativi.

15 Notandum tamen, quòd

effectus formalis intrinsecus (saltem respectu formæ accidentalis,) alius est formæ proprius, & quasi per se, alius verò improprius, & quasi per accidens. Proprius, & per se, est illud totum, illavè denominatio, ad quam præstandam ex se & suapte naturâ ordinatur forma, v. g. respectu caloris *calidum*, respectu intellectus *intelligens*, respectu Gratia *sanctum*: & hic est, qui absolute venit nomine *effectus formalis*, qui que passim dicitur non tribui nisi *subjecto capaci*, idest, illi subjecto, ad quòd informandum ex se ordinata est forma, seu quòd denominatio illa formæ propria essentialiter imbibit in sensu, quo communiter accipitur. Improprius, & quasi per accidens, est concretum, vel conjunctum, resultans ex formâ unitâ extraneo subjecto contra propriam naturam. Hinc, si Gratia divinitus uniretur lapidi, non tribueret suum effectum formalem proprium, & per se, scilicet denominationem *sancti*, defectu subjecti capaci: quia non lapis, sed sola creatura rationalis, est illud subjectum, ad quòd informandum ex se ordinatur Gratia, & quòd essentialiter petit & imbibit denominatio *sancti*. Resultaret tamen etiam tunc concretum, vel conjunctum aliquod, lapisque denominaretur *habens gratiam*, vel *gratia informatus*, qui esset effectus gratia quasi per accidens.

16 Effectus formalis secundarius, qui & *extrinsecus* vocari poterit, est, qui ex unione formæ ad subjectum ita resultat, ut adequate distinguatur à formâ. Sic expulsio



frigoris à subjecto est effectus formalis secundarius caloris, appellarique solet effectus formalis negativus. Et in universum, quicumque effectus, sive negativus, sive positivus, quasi per necessariam resultantiam sequitur informationem formæ, nec ab eâ intrinsecè constituitur, dicitur effectus formalis secundarius. Sed notandum, quod forma relata ad effectus secundarios non est proprie causa formalis, cum eos non causet intrinsecè constituendo, & specificando quidditatem ipsorum, sed potius illos inducat in genere causæ efficientis moralis; calor enim causat expulsionem frigoris, exigentiâ suâ movendo naturæ Authorem, ut frigus conservare designat. Dicitur tamen causare in genere causæ formalis, quia expulsionem illam non exigit, nisi quando subjectum informat, & effectuum suum primum causet. Hinc formalis causalitas ultima & executiva effectus secundarij, non est unio formæ ad subjectum, sed est positio, vel cessatio Divini concursus in aliam entitatem, prout à Deo volita ad exigentiâ formæ unitæ subjecto. Relege dicta tr. 1. d. 5. c. 4. à num. 9. ad 19. ubi etiam ostendimus, posita formâ in subjecto plerumque posse divinitus impediri formalem effectum secundarium; secus autem primum.

17 Notandum præterea, formam non esse causam formalem materiæ specificativè sumptæ, sed tantum reduplicativè ut completa, sive ut existentis in actu physico; quo sensu materia est totum com-

positum. Doctrina verò Thomistarum, quod materia à solâ formâ ut informante redditur existens, vel saltem capax existentia, satis impugnata manet tr. 1. d. 2. c. 3. & seqq. & d. 3. c. 4. n. 22. Dices: forma est formalis causa illius, cuius est formâ: sed est forma respectu materiæ specificativè sumptæ: ergo respectu ipsius est causa formalis. Inso: materia est materialis causa illius, cuius est subjectum: sed est subjectum animæ rationalis: ergo respectu ipsius est causa materialis. Inso rursus: Gratia est forma respectu animæ rationalis specificativè sumptæ: ergo respectu ejusdem sic acceptæ, est causa formalis. Itaque dist. Maj.: illius, cuius est forma intrinsecè constituens & specificans, conc.; cuius est formâ purè informans, neg. Maj. tñ dist. Min.: est forma respectu materiæ &c., purè informans, conc.; intrinsecè constituens & specificans, neg. Min., & Conseq.

18 Superest questio, an causa formalis respectu effectus primarij, sive compositi, quod intrinsecè constituit, sit proprie causa? Negans plures, quos citat, & sequitur P. Peinado, similiterque censent de causâ materiali prout intrinsecè constituente compositum. Moventur 1.: quia causa proprie talis, debet influere per actionem ab eius virtute egredientem: at causa formalis non influit in compositum, nisi per unionem, quæ non est actio formæ, nec ab eius virtute egreditur. 2.: quia omnis vera causa debet communicare esse termino simpliciter distincto ab ipsâ: compositum

tam autem non est terminus simpliciter distinctus à formâ, siquidem eum eâ inadæquate identificatur. Quæ argumenta pariter locum habent in materiâ respectu compositi.

19 Affirmat tamen sententia communissima, quam tenet Exim. Doctor d. 2. Met. f. 3. Quia causa formalis verè dat esse composito, cum exhibeat se ipsam, detque totum sui ipsius esse, ut ex eo compositum cursurgat: unde passim dicitur, compositum habere suum esse à formâ; & hæc frequenter definitur solet, Causa intrinsecæ, quæ dat esse rei, ut notat Eximius. Quæ ratio militat etiam in causâ materiali, cum hæc etiam semetipsum exhibeat, suumque det esse, ut ex illo resultat, & constat esse compositi. Dices: exhibere, ac dare se, præferunt actionem propriam, quam materia & forma non habent in compositum: unde non se exhibent, aut dant activè, sed tantum quasi passivè dantur & exhibentur composito à causâ efficiente. Sed contra: materia & forma, juxta Adversarios, proprie componunt, & constituunt compositum: & tamen constituere, & componere, cum sint verba activa, præferunt etiam actionem propriam. Si dicas, hanc esse actionem grammaticalem, non physicam; id tibi dictum puta. Itaque non solum propriè se dat res, quæ actione propriâ se confert, sed etiam quæ se quasi sponte offert, ut ab alio habeatur, sive ut ex suo esse constituitur aliud; qualiter dat se se composito materia & forma.

20 Nec obstant argumenta

contraria. Non primum, quia solius causæ extrinsecæ, præsertim efficientis, proprium est influere per actionem ab eius virtute egredientem. Generatim verò ad conceptum veræ causæ sufficit influere per causalitatem, quâ ultimo determinetur ad tribuendum esse effectus. Cum ergo unio, licet non egredatur à causâ formali, sit nihilominus ultima illius determinatio, ut det esse composito, consequenter sufficit, ut exerceat munus veræ causæ. Unde infers, causam purè intrinsecam, non esse causam suæ causalitatis in effectum, nisi causalitas hæc sit copulata cum cæteris constitutivis compositi, juxta dicta tr. 1. d. 7. c. 2. n. 9. Et hinc nec talis causa debet habere prioritatem naturæ respectu causalitatis. Qualem autem prioritatem habere debeat respectu effectus, dicemus infra suo loco.

21 Non secundum: quia distinctio realis inadæquata, quæ datur inter totum & partem, simpliciter distinctio est, cum ex vi illius totum & pars non sint idem simpliciter, alioquin verè diceretur, Anima simpliciter est homo. Dices: causa verè talis debet tribuere esse distinctum ab esse causæ ipsius: formâ autem non tribuit nisi suum esse. Resp. 1.: forma tribuit & causat esse distinctum à suo; quia causat totum esse compositi totalitate effectus, ut notavimus cit. d. 7. c. 2. n. 15: totum autem esse compositi distinctum est ab esse formæ, ut modo vidimus. Resp. 2.: etsi forma non dicatur tribuere nisi suum esse, nihilominus ipsi convenit definitio causæ;



quippe quæ solum exigit, ut illud, quod accipit esse, sit aliud à causa, vel ut sit terminus limitatæ perfectionis: compositum autem, quod accipit esse formæ, est aliud à formâ ipsâ, & perfectionem habet limitatam.

22 Ad extremum notabis, partēs totius integralis, quæ scilicet solâ unione continuativâ component, reducendas esse ad genus causæ formalis: quia in ligno quantitatis palmaris v. g., uterque semipalmus constituitur ut pars intrinseca, & specificativa totius, & neuter alterius subjectum est. Unde inferes, dari posse causam formalem intrinsecam, quæ non sit forma informans, ac proinde non dicat respectum ad causam materiale. Atque hujusmodi videtur etiam esse natura integra respectu suppositi creati: quævis enim natura humana foris sit causa materialis extrinseca & sustentativa respectu subsistentiæ, si hæc in positivo consistat, atque adeo sit etiam causa materialis intrinseca denominationis *subsistentis*, adjectivè significatæ: nihilominus respectu suppositi substantivè dicti nomine *homo*, vel *hic homo*, potius habet munus causæ formalis, cum sit pars intrinseca præcipuè specificans quidditatem totius.

23 Notabis etiam, quod, quia causæ formalis proprium est *specificare*, non raro vocatur *causa formalis extrinseca* id, quod extrinsecè refundit speciem in effectum, seu à quo effectus specificatur extrinsecè, per accidens videndo ab influxu physico. Sic actus intellectus v. g.

dicitur interdum ab objecto suo formali pendere in genere causæ formalis extrinsecæ. Dependentiâ tamen hujusmodi magis pertinere videtur ad genus causæ, vel finalis, vel moraliter efficientis.

### CAP. III. DE CAUSA FINALI.

I **C**AUSA finalis multa continet scitu digna, de quibus Theologi, & Animastici, & egregie Doctor Exim. d. 23. Met. per totam; ex quo breviter dabimus quæ magis ad præsens spectare videbuntur. Finis latissimè dicitur tum quicquid est ultimum in aliquâ serie, ut ultima pars anni, terræ, libri; tum etiam rei præ-existentis cessatio, quo sensu dicitur quis loquendi, aut vivendi finem facere, cum tacet, aut moritur. Non ita sumitur finis in præ-senti, sed præsertim prout significat terminum alicujus appetitus, aut actionis: quo sensu passim ex Aristotele hæc c. 3. & 7., & sæpe alias, definitur, *id, cujus gratia aliquid fit*: ubi *cujus gratia* idem sonat, ac *propter quod*, seu *propter cujus bonitatem*; ideoque particula *propter*, dum strictè sumitur, est quasi character causæ finalis. Verum ne isto quidem sensu omnis finis est propriè causa finalis (ut mox patebit) sed ille tantummodo, qui ab agente præcognoscitur ut in se bonum, atque, ut ita præcognitum, bonitate sua movet agens ad operandum, ipsum alliciendo, ac velut invitando, Et hoc propriè significat

apud

apud Philosophos particula *propter*, & *cujus gratia*.

2 Quodsi operatio, vel opus, ponatur ut conducens ad assequendum finem, vocatur *medium*; potestque, & solet esse multiplex ad finem unum. Hinc proprium est medij amari *propter aliud*, idest, præsertim quia conducens & utile ad aliud assequendum: finis verò proprium est amari *propter se*, idest, ob meritum propriæ bonitatis, quia scilicet est, aut apprehenditur esse quid honestum, vel ratione sui delectabile, commodum, aut conveniens alicui subjecto. Notant aliqui, vera hæc esse de fine ut assequendo, non de fine ut vitando; sæpe enim intendimus vitare malum aliquod, & propter illud media exequimur, non quia bonum, sed quia malum est. Verum etiam tunc, quod habet rationem finis, est vitatio mali, quæ apprehenditur & amatur ut bona.

3 Finis ita explicatus dividitur 1. in finem *qui*, & finem *cui*. Finis *qui* (aliàs finis *cujus*) dicitur ille, quem agens intendit assequi. Finis *cui* dicitur persona, vel subjectum, cui procuratur finis *qui*, tamquam bonum ejus. Sic, dum ægro salutem procuras, salus est finis *qui*, æger autem finis *cui*. Utrique convenit vera ratio finis. Nam, dum æger adhibet sibi medicamenta, ut sanetur, media ista exequitur propter se ipsum, & ex amore sui; item propter salutem, quam amat, & intendit. Verè igitur operatur in gratiam utriusque finis; & ita quidem, ut nec propter se solum talia media poneret, nisi esset obtinenda salus;

nec propter salutem, nisi hæc ægro ipsi bona esset. Dices: non est vere finis, nisi qui intenditur obtineri per media: sed solus per media intenditur obtineri finis *qui*: ergo &c. Resp. 1. neg. Maj.: quia fini verè tali sufficit, quod propter ipsum, & gratiâ ipsius aliquid fiat. Resp. 2. neg. Min.: nam etiam per media intenditur obtineri finis *cui*, non secundum se, vel seorsum à fine *qui*, sed prout inclusus in concreto, cujus existentia procuratur. Intenditur enim, & procuratur per medicamenta concretum *sanum*, sive *homo sanus*; quo in concreto includitur finis *cui*. Sic, dum agentia naturalia intendunt existentiam totius compositi, materia etiam intenditur, & obtinetur, non seorsum accepta, sed prout in composito.

4 Dices iterum: finis *qui*, non appetitur propter se, sed propter finem *cui*: ergo potius est medium, quàm finis. Resp.: finis *qui* non appetitur propter finem *cui*, tamquam propter bonum medio ipso fine *qui* obtinendum (hoc sensu medium, ut tale, dicitur intendi propter aliud), sed tamquam propter subjectum formaliter perficiendum, aut honorandum à fine ipso *qui*: quare finis iste simul appetitur propter se, tamquam propter bonum assequendum; unde & vocatur finis *cujus*, idest, cujus assequendæ gratiâ: non enim per illum purè procuratur alia bonitas, sicuti per mediū; sed ipsemet est bonitas procurata formaliter, & ratione sui. Imò finis *qui* solus est, qui absolute venire solet nomine *finis*, & *causæ* si-



finali, nisi aliud explicetur: ideoque à pluribus definitur Finis absolute, *Quod movet ad sui consecutionem per media.*

5 Dividitur 2. finis in formalem, & objectivum. Formalis, qui solet etiam vocari finis *quo*, est actualis consecutio & possessio boni, quod obtinere intendimus. Objectivus, quem etiam specialiter vocant finem *qui*, est bonum illud, quod assequi volumus. Sic, dum beatitudinem per bona opera quaerimus, Deus est finis objectivus, & visio beata est finis *qua*, sive formalis. Notat autem ex D. Thomà P. Suarez *f. 2. n. 12.*, hos non tam esse duos fines, quam unum; quia per modum unius intenduntur, & procurantur. Unde dici possunt duæ veluti partes finis *qui*, de quo in primâ divisione.

6 Dividitur 3. finis in eum, qui fit, & eum, qui pure obtinetur. Prior est, qui non supponitur existere, sed efficaciam mediorum in rerum naturam ponitur, ut sanitas ægroti. Posterior est, qui jam existere aliunde supponitur, & solum intenditur possideri, ut Deus respectu quaerentis beatitudinem, & pecunia respectu avari. Dividitur 4. in finem operis, & finem operantis. Finis operis est, ad quem actio, vel opus, per se ordinatur, ut sublevatio pauperis respectu elemosynam erogantis. Finis operantis est, quem agens pro libitu intendit præter genium & naturam actionis, aut operis, ut si elemosynam eroges ex fine vanæ gloriæ.

7 Huic divisioni affinis est

illa, quæ dividitur 5. in finem intrinsecum, & extrinsecum. Dicitur enim finis intrinsecus, quem actio, præsertim intentionalis, intrinsecè respicit tamquam specificativum sui. Extrinsecus verò, quæ actio non ita respicit, sed tamen ad ejus assecutionem utilis esse potest, ideoque ad illum assequendum ordinatur per alium actum. Exempla sunt obvia in actibus intellectus, & voluntatis. Sic enim, dum quis ex præviâ intentione obtinendi veniam peccatorum, & vitandi gehennam, elicit actum amoris Dei super omnia; hujus amoris finis intrinsecus est solus Deus ut in se summè bonus; finis autem extrinsecus ejusdem actus, est venia peccatorum, & vitatio gehennæ. Semper tamen finis extrinsecus unius actus, dum actualiter procuratur, intrinsecus est respectu alterius actus præordinantis, ut in casu proposito vitatio gehennæ respectu præviæ intentionis.

8 Dividitur 6. (ut alias minus utiles divisiones præteream) in finem ultimum, & non ultimum, sive in remotum, & proximum. Finis proximus, sive non ultimus, est, propter quem ponitur medium aliquod, sic tamen, ut in eo non sistat intentio agentis, sed ad ulteriorem finem progrediatur. Finis ultimus, aut remotus, est, in quo tandem intentio sistit operantis. Sed cum proprium sit finis amari propter se, & non præcisè ut utilem ad aliud, ex n. 2.; hinc si in ordine ad unum finem plura media eligas, alia alijs subordinata, quorum nullam ame-

ametnr propter se, nullum eorum erit proprie finis, nec proximus, nec remotus, v. g. effusio sanguinis, quia solum amatur ut utilis ad salutem, non est proprie finis scilicet venæ, licet hæc ad illam immediate ordinetur. Quia tamen aliquomodo propter effusionem vera scinditur, effusio vocari solet finis respectivè ad medium illud antecedens; quatenus scilicet est terminus, ac veluti finis intrinsecus respectu scissionis, licet respectu operantis sit parum medium. Atque hoc sensu dixit D. Thomas 3. cont. Gent. c. 2., *Omnia intermedia inter agens, & ultimum finem, sunt fines respectu priorum.*

9 Si verò contingat, ut aliquid ametur, quia in se bonum est, & simul quia utile ad aliud, tunc dici poterit proprie finis, & tamen proximus, sive non ultimus. Ex. gr., si Theologiæ studeas, quia Theologiæ scire bonum est, & simul quia utile ad Cathedram obtinendam, Theologia vere finis erit quatenus propter se amatur, & non erit finis ultimus quatenus ordinatur ut medium ad Cathedram. Quamquam, si loquamur in sensu formali & præcisivo, Theologia etiam tunc dici poterit finis ultimus eâ ratione quæ propter se amatur; quia sub eâ ratione non ordinatur ad aliud: amatur enim propter se sub ratione boni honesti, aut delectabilis, quæ aliquatenus distinguitur formaliter à ratione boni utilis, sub quâ unice ordinatur ad Cathedram. Quare in hoc sensu nullus erit finis, qui non sit ultimus; ut videtur exigere no-

men finis, & indicat Aristoteles 1. Ethic. c. 7..

### Nonnulla Quæstiones.

10 **Q**uest. I.: quenam sit in fine ratio finalizandi (aliàs finalizatio in actu primo, aliàs ratio movendi & attrahendi ad amorem sui, & positionem mediorum)? utrum scilicet bonitas objectiva finis? an cognitio istius bonitatis? Alijs terminis: utrum finis moveat secundum esse reale? an secundum esse intentionale? Communis & vera sententia, quam probat P. Suar. *d. cit. f. 8.*, tenet solam bonitatem objectivam, cognitione representatam, esse rationem finalizandi; cognitionem verò bonitatis illius tantum esse conditionem, sine quâ non, sive puram applicationem virtutis motivæ. Ante probationem prænoto quatuor. 1.: finis non movet voluntatem, nisi ut cognitus; tum ex illo principio, *Nihil volitum, quin præcognitum*; tum ex alijs apud P. Suar. *f. 7.* Cæterum illa reduplicatio, *ut cognitus*, locum habere potest, licet cognitio sit pura conditio, vel applicatio virtutis; ut cum dicimus, *Ignis non comburit, nisi ut applicatus.*

II 2.: non est quæstio de cognitionibus, quarum assecutio non præsupponitur, sed intenditur, & procuratur; ut cum quis intendit assequi visionem Dei, aut contemplationem veritatis, aut certitudinem de alio fine obtento, vel obtinendo: illæ quippe verè sunt fines, & aliâ cognitione præcognosci de-



bent: quare de illis etiam quaeritur, an moveant secundum esse reale, an secundum intentionale, quod habent ut præcognitæ? Solam ergo quaeritur de præviâ cognitione finis obtinendi. 3.: nec est quaestio de influxu cognitionis in actus voluntatis in genere causæ efficientis; hic enim influxus (qui etiam communiter negatur) non pertinet ad finem ut talem, cum juxta omnes finis ut talis non sit efficiens. Est ergo quaestio de influxu in genere causæ finalis, idest, in genere allicientis per modum objecti amabilis ad amorem & intentionem sui, & positionem mediorum propter se ipsum. 4.: solum est dubium de fine *qui*, seu *cujus*: nam de fine *cui*, nemo dubitare videtur, quin moveat secundum esse reale.

12. His positis, tam clara apparet præfixa sententia, ut vix esse possit dissentienti ratio, nisi in vocibus æquivocatio misceatur, ut ait P. Suar.. Nam 1. ratio movendi, propria finis, est illa bonitas & convenientia, quam quis appetit obtinere, cujus obtinendæ gratia felicit & exequitur media ad affectationem utilia, & quæ tandem obtenta quietat & satiat appetitum. Hæc omnia constant ex definitione finis, prout ab omnibus explicatur. At nihil horum convenit præviæ cognitioni finis, ut quæ jam obtenta, præfens, & notificata supponitur, præquam finis incipiat appeti: ergo &c.. 2.: ratio finalizandi nihil est aliud, quam motivum proprium & specificativum amoris & intentionis asequendi finem: hoc autem moti-

vum non esse cognitionem præviâ, sed objectum ejus, patet ex doctrinâ receptissimâ circa motiva specificantia virtutum, & viorum actus, v. g. actus timoris gehennæ, & spæi vitæ æternæ, vel actus invidiæ, avaritiæ &c..

13. *Objic. 1.*: sæpe cognitio assignatur pro ratione volendi finem; passim quippe dicitur, *Intendo hoc, quia cognosco mihi bonum esse, quia scio mihi expedire*: ergo cognitio est ratio finalizandi. *Dist. Antec.*: pro ratione volendi ut *quod*, idest, per modum conditionis, & applicationis, *conc.*; pro ratione volendi ut *quod*, idest, per modum virtutis motivæ, seu bonitatis ad se allicientis, *neg. Antec.*, & *Conseq.*. Sæpe etiam dicimus, *lignum comburitur, quia igni applicatur, timea taurum, quia video esse ferocem, diligo Deum super omnia, quia scio esse summè bonum*: & tamen in his, & similibus, non vis motiva, sed mera conditio, pro ratione redditur.

14. *Objic. 2.*: ita requiritur existentia intentionalis ad causam finalem, sicut ad efficientem existentia physica: sed existentia physica non est pura conditio, sed virtus effectiva: ergo pariter &c.. *Dist. Maj.*: ita requiritur, idest, æquali necessitate, *transfert*; ita, idest, æquali identitate, *neg. Maj.*; & *concess. Min.*, *neg. Conseq.*. Cum in nostris principiis existentia physica non distinguatur ab essentia, existentia virtutis est virtus ipsa: at existentia intentionalis, sive cognitio objecti, quod est causa finalis, utique ab objecto suo realiter distinguitur. Si

tamen cum Thomistis existentiam physicam realiter distinguas ab essentia, dicam pariter, illam esse puram conditionem ad efficiendum.

15. *Objic. 3.*: munus causæ congruentius tribuitur rei physice præfenti, quam absenti, & sæpe non existenti, imò interdum nec possibili: sed, dum Voluntas finem intendit, cognitio physice præfens est, objectum autem est absens, & sæpe non existit, ut fanitas, ab ægroto intenta, & interdum non est possibile, sed chymericum, ut cum princeps dæmonum dixit, *Similis ero Altissimo*: ergo &c.. *Dist. Maj.*: munus causæ finalis, *neg.*; causæ efficientis, dirigentis, aut illustrantis, *conc. Maj.* & *Min.*, & *neg. Conseq.*. Cum munus causæ finalis sit movere ad agendum gratia suæ bonitatis, non ut obtentæ, sed ut obtinendæ, non quia est, sed ut sit, saltem in possessione; incongrue tribuitur rei physice præfenti, de cujus obtentâ possessione nullum est dubium, cujuscumodi est cognitio, de qua loquimur. Finis ergo ex genere suo solum requirit præfentiam intentionalem; & hæc convenire potest rei non existenti, nec unquam exituræ, imò & chymicæ, dummodò apprehendatur possibilis.

16. Si quaeras, quomodo bonitas reverâ nulla, & impossibilis, causare possit appetitum verum, ac realem? *Resp.* ex P. Suar. *l. 5. n. 15.*, voluntatem, quoties appetit bonum impossibile, semper moveri à bonitate verâ, licet falso applicatâ ab objectum particulare: non enim movetur, nisi ab intellectu propo-

natur honestas, aut delectabilitas, aut naturæ commoditas, quæ veræ sunt bonitates. Errat tamen interdum intellectus in attribuendo bonitatem veram particulari objecto, cui reipsâ non convenit, nec convenire potest: & tunc objectum, quod movet, solum est apparenter bonum (hoc sensu dici solet, voluntatem moveri posse à bono apparenti); formalis tamen ratio movendi, est vera bonitas. Dicit quoque poterit, appetitum boni impossibilis non habere causam finalem verè, sed apparenter, nec nisi apparenter esse propter finem; ut autem sit appetitus verus, ac realis, sufficere virtutem causæ efficientis cum apparentiâ finis.

17. Denique observa, quòd sæpe variatur appetitio finis ex diversitate cognitionis; non quia cognitio sit ratio finalizans; sed quia representat bonitatem objectivam aliquatenus diversam, vel saltem bonitatem eandem intentionaliter applicat diversimodè, nunc clariùs, nunc obscuriùs; quo fit, ut bonitas objecti diversimodè moveat: non aliter, ac vis activa ignis pro diversitate applicationis, quâ redditur nunc magis, nunc minus propinquæ passio, diversimodè influit. Quare, sicut bonitas objecti, ut moveat, cognitionem requirit, quæ sit conditio, sine quâ non; ita, ut moveat ad talem speciem appetitus, requirere potest talem cognitionis speciem pro conditione prorsus necessariâ. Atque hinc explicandus est D. Thomas, dum ait, quòd diversitas apprehensionis pertinet ad



diversitatem objecti; & quod differentiae apprehensi, sunt per se differentiae appetibilis: loquitur enim de diversitate, ac differentiâ, non formali, sed applicativâ. Vid. P. Suar. *cit. f. 8.* Si tamen cognitio purè numericè variaretur circa objectum omninò idem, tunc eadem stare posset individua motio, & appetitio finis.

18 *Quest. 2.*: quinam sint effectus causae finalis? *Resp.*: multi regulariter sunt, interni, & externi, qui solent elici hoc ordine. 1. excitatur in voluntate simplex amor, seu complacentia in bonitate finis ab intellectu propositâ. 2. intentio, seu desiderium assequendi finem; quod, si ad inquisitionem, & electionem mediocum determinet, dicitur intentio efficax; si non determinet, inefficax. 3. sequitur deliberatio, & consultatio rationis. circa media opportuna. 4. electio mediocum. 5. eorundem executio. 6. realis positio, vel affectio finis per media. 7. gaudium de fine obtento. Hanc seriem actionum reipsâ dari, dum ager v. g. salutem amat, procurat, & obtinet, facile patebit consideranti. Eas verò omnes esse propter finem, & à fine causari, late probat cum D. Thomâ P. Suar. *f. 3.*

19 *Quest. 3.*: in quo stet causalitas causae finalis propria, quae vocatur etiam finalizatio, & ratio finalizandi in actu secundo? Dico 1.: respectu actuum voluntatis, qui finem intrinsecè respiciunt pro objecto formali, causalitas finis est actio physica, quae tales actus à voluntate producuntur. *Prob.*: quia, tali

actione positâ, finis intelligitur actualiter causans, & effectus actualiter causatus, seu positus propter finem, prout requirit conceptus causalitatis; & tali actione sublatâ, vel præcisâ, voluntatis actus nequit intelligi actualiter à fine pendens. Nam sola finis cognitio, quantumcumque vivida, non est actualis causalitas, cum possit à voluntatis actu separari; & alioquin tentatio vehementis, quamvis ei resistat. Voluntas, causabit actualiter consensum; quod nemo dixerit. Aliunde nihil aliud excogitari potest, in quo stet causalitas finis, ut ostendit P. Suar. *f. 4.*

20 Accedit, quod finis causalitas est exercitium, quo voluntas actualiter attrahitur à bonitate finis: Voluntatem autem attrahi ab objecto, est in objectum ferri per appetitum elicitem. Hinc D. Thomas *q. 22. de virt. ar. 2.* ait: *Sicut influitur causa efficiens est agere, ita influitur causa finalis est appeti seu desiderari, scilicet sumptu appeti in fieri pro efficientiâ appetitus, si hic ab affectione sui distinguatur.* Quod si amor sit effectus sui, simul erit causalitas & effectus finis, sicut est Voluntas. Hæc etiam spectat S. Augustini locus *tract. 26. in Joan.*, ubi pulchrè verfat illud Poetae, *trahit sua quemque voluptas*: & inter alia, *trahitur, inquit, animus & amore... Nunc pueri demonstrantur, & trahitur... amando trahitur... cordis vinculo trahitur.* Ex his inferatur, quod eadem actio simul est causalitas causae efficientis, & causae finalis: efficientis, quatenus oritur à virtute activâ

voluntatis: finalis, quatenus respectum habet ad finem præcognitum. Sic eadem educitio sub diversis respectibus est causalitas agentis, & passivi, in eandem formam.

21 Hic tamen notandum, quod finis causalitas est motio metaphorica, ut communiter Authores docent apud P. Suar. *cit. f. 4.*: motio enim propria non est, nisi per impulsum, vel influxum physicum rei moventis: finis autem non ita mover voluntatem, cum non debeat esse physicè præsens, nec realiter existens. Solum ergo voluntatem quodammodo invitat per illecebram suae bonitatis cognitione propositam: & quia voluntas ita invitata solet elicere amorem ex vi cuiusdam sympathiae cum bono apprehenso, quasi à tali bono impelleretur, & attraheretur suavi funiculo; idcirco finis analogicè, seu metaphoricè dicitur impellens, & movens voluntatem ad amandum. Hinc eadem productio amoris, prout à voluntate physicè oritur, est motio propria; & prout à fine pendet, est motio metaphorica. Quæ in re nullum absurdum. Sic enim eadem educitio, prout est ab agente, est actio, & prout à subjecto pædet, non est actio, sed passio. Sic etiam eadem cognitio est propria & physica existentia sui, & non-nisi intentionalis, ac metaphorica existentia objecti.

22 Dico 2.: respectu actuum externorum (vel etiam internorum) intellectus, aut voluntatis, quando imperantur ex amore & intentione finis, quem tamen non intrinsecè pro objecto respiciunt) causalitas

finis est physica productio ipsorum, non sola, aut specificativè sumpta, sed prout hîc & nunc imperata per actum voluntatis intrinsecè respicientem finem. Ratio est: quia imprimis sola actio externa (idem puta de internâ imperatâ modo dicto) non satis determinat effectum, ut fiat propter finem; cum possit existere eadem actio v. g. deambulandi, quin à tali fine procedat, sed ab alio, vel etiâ à nullo. Deinde nec solus actus internus imperans, ultimò determinat effectum externum, ut à fine causetur; quia, tali actu posito, potest effectus impediri, saltem divinitus. Restat ergo, ut externa actio, prout ab actu interno determinata, & imperata, sit causalitas finis in effectus externos.

23 *Q. 4.*: utrum causa finalis sit vera & propria causa? Certum est, causam purè finalem non esse activam, nec influere per actionem ab ejus virtute physicè egredientem; ut colligi potest ex *n. 21.*, notavit que Aristotel. *1. de Gener. i. 55.* dicens: *Causa, cuius gratia catia fiunt, non est activa. Quapropter sanitas ipsa non est activa, nisi per translationem*: scilicet, quatenus metaphoricè dicitur *impellere*, & *movere* ad amorem sui. Quod tamen sit causa vera, realis, & propria, tenet communissima sententia, quæ necesse est dogma, & quasi primam principium in Philosophia, & Theologia, vocat Exim. Doctor *4. d. i. sec. 1.*. Tanta auctoritas vel sola sufficeret ad iustificandum.

24 Sed præterea ratio esse potest: quia finis, ut intentionaliter



existens, prærequiritur ad actus voluntatis (hi sunt, qui immediate & formaliter à fine causantur); & aliter non prærequiritur ut mera conditio. *Prob.*: quia tales actus verè dicuntur existere gratiâ finis, & propter finem, verè què sapiunt indolem & naturam ejus, quatenus inde præcipue trahunt speciem suam, evaduntque magis aut minus nobiles, aut etiam boni, vel mali: quare finis, intrinsecè respectus, solet esse potissima ratio à priori, cur actus illi talis sint indolis, tantaque perfectionis. Hæc autem omnia prorsus aliena sunt à merâ conditione, ut patet in applicatione ignis, & alijs: sufficiuntque, ut actus verè debeant suum esse causæ finalis; cui proinde verè convenit influere, seu dare esse, prout exigit definitio causæ. *Confirm.*: quia variato fine, necessariò variatur productio actus voluntatis, & actus ipse, ut est certum: unde, si diversum objectum, licet æquè bonum, ab intellectu proponatur, desinat que proponi bonitas individua, quæ antea apparebat, necessariò perit actus voluntatis: quod genus dependentiæ discernit causam à merâ conditione, ut supra vidimus.

25. Nec obstat 1., quòd causa finalis (saltem *finis quo*, & sæpe etiam totus finis *qui*) non requirat existentiam realem ad causandum. Nam existentia realis exercita solum requiritur pro causis, quibus, attentâ indole & qualitate influxus, non sufficit existentia intentionalis. Cum autem influxus causæ finalis sit per motionem metaphoricam, allicien-

do, & quasi invitando voluntatem, illi sufficit intentionalis existentia, ut experimur. Observa tamen cum P. Suar. *l. 9. n. 6.*, quòd motio finis, licet sit metaphorica in esse motionis, est tamè propria in esse causalitatis; quia facit effectum verè & propriè accipere suum esse dependentem à fine, ut à priori, cujus genium participat. Observa rursus, quòd, cum dicimus, finem esse causam realem, nolimus, ut semper sit causa realiter existens, sed tantum, ut ratione bonitatis non purè fictitiæ, ut in *Quest. 1.* explicuimus, realem effectum causet.

26. Nec obstat 2., quòd finis quodammodo causet semetipsum, siquidem virtute mediorum ejus productio, vel assertio existit. Nam in prius finis productus virtute mediorum, est sui ipsius causa & effectus penes diversas existentias: est causa, prout existens intentionaliter; & est effectus, prout realiter existens. Et hinc sine absurdo potest esse prior & posterior medijs, & aliter quatenus etiam semetipso, secundum aliam, & aliam existentiam, juxta illud, *Quod est primum in intentione, est postremum in executione.* Deinde finis non causet immediatè suum esse physicum, sed mediâ intentione, electione, & alijs actibus, in *Quest. 2.* recensitis. Unde non causet propriè seipsû proprietate influxus, juxta dicta *cap. 1. a. n. 18.*

27. *Q. 5.*: quænam agentia operentur propter finem? *Resp.* De creaturis rationalibus non est dubium, quia propter finem operentur. Nec item dubium, est, quia Deus

operetur ad extra propter semetipsum ut finem, ita ut ipse sit primum principium efficiens, & ultimas finis rerum omnium, juxta illud *Prov. 6.*, *Universa propter semetipsû operatus est Dominus.* Quamvis enim actus Divinæ voluntatis nullam sui causam, atque adeò nec finalem habeant, sed infinita Dei bonitas sit ipsi ratio volendi modo eminentissimo citrà causalitatem; nihilominus operationes Dei ad extra, sicut efficienter, ita & finaliter, à Deo causantur. Quòd autem in agente creato finis non causet actiones externas, nisi causando prius actus internos; idè accidit, quia finis, ut causet, debet amari, & amari nequit ab agente creato, nisi causet amorem. At à Deo potest utique amari finis, tametsi nihil in Deo causet. Accedit, quòd actio externa creaturæ de se indifferens est, ut ex varijs finibus imperetur, idèque non aliter pendet à fine determinato, nisi quatenus pendet ab actu interno, qui prius à fine causatur. At actio externa Dei non est indifferens respectu finis ultimi; cum sit essentialiter impotens causari à Deo nisi ut operante propter semetipsum: quare per se est causalitas Dei, tum ut efficiens, tum ut ultimi finis.

28. De agentibus insensibilibus dicendum, eorum actiones, prout ab ipsis oriuntur, non habere propriè causam finalem; quia hæc non causet, nisi ut ab agente præcognita. Quia tamen finis sæpe sumitur latius, prout significat fixum ac definitum terminum, in quem tendit actio juxta inclinationem agentis;

idècirò passim & verè dicitur, hujusmodi agentia in finem tendere, & propter finem operari. Quamquam hæc communis & vera locutio intelligi potius debet de actionibus istorum agentium, quatenus illæ procedunt simul ab Authore naturæ, vel quatenus agentia ipsa directioni substant primæ causæ: sic enim propriè dicuntur agere propter finem, ut propter veram causam finalem: propter finem, inquam, non solum remotum, & ultimum, qui est Deus, sed etiã proximum, & intrinsecum actionis, qui ab Authore naturæ præoscitur, & intenditur per talem actionem.

29. De brutis animalibus major est difficultas: cognoscunt enim objectum sibi commodum, & sæpe ad illud obtinendum mirâ sagacitate adhibent opportuna media. Idècirò nonnulli concedunt brutis operationem propter finem ut propriè allicientem, & finalizantem. Et reverà invenitur in eis analogia quædam, seu participatio motionis, quam finis exercet in actus humanos. Nihilominus, ut fert communis ferè omnium sententia, motio illa in brutis non est propriè finalizatio, nec sufficiens, ut brutum dicatur agere propter finem, nisi eo ferè modo, quo agens insensibile. Non enim brutum discernit inter bonum propter se, & propter aliud appetibile, nec proportionem & utilitatem mediorum percipit ut talem, cum ad hoc requiratur cognitio comparativa, & subtilior, quàm quæ cadit in brutum: cognitio scilicet, vi cujus possit agens reddere rationem, cur hoc aut illud appetat (sic



(sic enim postulat proprietas particula propter); quod genus cognitionis soli convenit agenti rationali. Vide Div. Thomam I. 2. *quest. 5. art. 2.*

30 Brutum ergo non movetur a fine, nisi materialiter, imperfecte, & improprie, nec media adhibet ex cognitione discretivâ utilitatis, sed ex mero instinctu naturalis; „*Qui nihil aliud est* (inquit P. Suarez, *f. 10. n. 14.*), quàm quidam actus „phantasiæ seu æstimativæ, necessitate naturali ab illâ profluens „posito phantasinate talis rei: quo „actu quasi practicè judicat brutum, hoc esse sibi vitandum, vel „prosequendum aut appetendum, „quamvis non valeat rationem „convenientiæ, vel disconvenientiæ „discernere. Hæc verò quasi practica cognitio, & appetitus inde resultans, non ordinat signatè aut formaliter medium ad finem, sed eodem modo tendit in utrumque. Cum autem D. Thomas I. p. q. 78. ar. 4. ait, quòd *avis colligit paleam non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum*, non intendit, ut utilitas mediij quâ talis cognoscatur à bruto, sed ut brutum ab Authiore naturæ determinetur ad illud appetendum, quia in se ipsâ utile est ad aliud ejusdem bruti commodum: sic enim ignis etiam dicitur calefacere lignum ex intentione comburendi, seu quia calor est dispositio utilis ad formam igneam.

(o)

CAP. IV.  
DE CAUSA EXEMPLARI.

**I** Exemplarem causam hic attexo, quia, licet re vera sit species quædam causæ efficientis, ut mox dicam, solet tamen seorsum explicari, tamquam speciali consideratione digna. Exemplar idem sonat, ac idea rei faciendæ, definiturque passim ex D. Thomâ q. 3. de verit. ar. 1. *Forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem*: idest, similitudo, species, aut imago quædam, mente præconcepta, cujus instar sit aliquod opus, non casu, sed ex intentione operantis, qui sibi proponit ut finem proximum, opere illam imitari. Hinc sola agentia rationalia & intellectiva, nempe Deus, Angelus, homo, proprie utuntur exemplari, sive ideâ: quia sola possunt proprie finem intendere, similitudinem rei faciendæ distinctè præconcepere, & opus cum exemplari comparare. Improprie tamen etiam exemplari utuntur simie, dum actiones humanas imitantur. Hinc etiam passim dicitur exemplar solum habere locum in artefactis, ut quæ sola quoad totum suum contextum pendent à directione rationis & voluntate agentis: & quia creaturæ omnes sic à Deo pendent magis, quàm artefactum ab humano artifice, ideò Deus dicitur, & est supremus artifex rerum omnium, earumque præhabet ideas æternas.

Di-

Dividitur exemplar in externum, & internum. Externum est res oculis objecta, quæ imitanda proponitur. Sic, si Petrum, vel ejus imaginem inspicias, ut aliam ipsius imaginem efformes, Petrus, vel altera imago, erit exemplar externum. Internum, quod proprie dicitur idea, est operis faciendi similitudo, quam mente formas: & subdividitur in conceptum formalem, & objectivum: formalis est cognitio ipsa distinctè representans naturam, contextum, & modum rei faciendæ: objectivus est istius cognitionis objectum.

3 *Queritur* 1.: quòdnam ex his proprie sit exemplar? *Resp.* 1.: exemplar externum, licet fortassis ex primâ nominis impositione dicatur exemplar, atque ita vulgo appelletur, tamen quoad munus causæ exemplaris non est exemplar proprie & per se. Tum quia non est per se requisitum ad opus, cum sine illo passim periti artifices ideas artefactorum sibi forment; & Deus, supremus artifex, nullo utatur exemplari externo. Tum quia non nisi mediatè ac remotè dirigit ad opus, excitando scilicet mentem artificis, eique occasionem præbendo ad exemplar internum, cujus est immediatè ac per se dirigere. Ad solum ergo internum quæstio devolvitur.

4 *Resp.* 2.: solus conceptus formalis est proprie exemplar, sive causa exemplaris. Ita frequenter Authores nostri cum Eximio Doct. d. 25. *Met. f. 1.* Probant 1.: quia ideæ Divinæ in scientiâ

& cognitione consistunt, ut ostendit Eximius ratione, & autoritate Patrum, & Philosophorum: idem ergo de creatis censendum: nam idea creata, est quædam imitatio Divinæ, sicut creata virtus activa est quædam participatio Omnipotentis. 2.: quia munus causæ exemplaris est dirigere artificem ad opus, illumque illustrare ne cæco modo procedat: sola autem cognitio, utpote lux mentis, hoc præstat. 3.: quia exemplar proprie est ille conceptus, quem opus imitatur, & cujus instar sit: at opus non imitatur conceptum objectivum. Patet quia alioquin semetipsam imitaretur, & fieret instar sui: cum enim artifex intendit construere domum, illam mente delineat, atque ita format ejus ideam: quare domus ipsa est conceptus objectivus, respondens ideæ, seu conceptui formali.

5 *Objic.* 1.: artefactum non evadit simile cognitioni. *Resp.*: artefactum evadit cognitioni simile, non similitudine physica, sive in esse entis, sed similitudine intentionali, quatenus ita fit, sicut à cognitione præscribitur, & ita se habet in essendo, sicut cognitio in representando. Hoc sensu passim dicimus, cognitionem esse similitudinem objecti, eamque proinde nomine objecti non rarò appellamus, ut cum ideam domus, idest, cognitionem ejus idealem, vocamus domum archetypam. *Objic.* 2.: exemplar est id, ad quod inspiciens artifex, operatur, ut ait post Aristotelem Seneca: artifex autem non

Vx

ad



ad cognitionem, sed ad objectum inspicit. *Resp.*: doctrina ista, vel solum tradita est pro exemplari externo, dum adest; vel intelligenda de inspectione, seu reflexione exercita, quæ datur in cognitione ipsâ directâ rei faciendæ: cognitio enim, utpotè lux intellectualis, exercitè manifestat seipsam intellectui, estque proinde inspectio sui, aut ad semetipsam. Adde, quòd artifex plerumque reflectitur in proprias cognitiones, & ideas, licet se reflecti non semper advertat: unde etiam signatè & reflexè inspicit ad exemplar internum.

6 *Obiic.* 3.: causa finalis non propriè consistit in cognitione, sed in objecto: ergo pariter causa exemplaris. *Neg. Consequ.* Disparitas est 1.: quia causæ finalis proprium est ad se allicere, & attrahere voluntatem, quod soli convenit objecto cognitionis: exemplaris autem proprium est dirigere ad opus, & esse normam ejus; quod solius cognitionis est munus. 2.: quia causa finalis est res faciendâ, vel obtinendâ, proindeque non est cognitio jam præsens, & obtenta: exemplar autem est res, non faciendâ, sed imitandâ tamquam regulâ; quod de solâ cognitione verificatur. 3.: quia finis causat sub ratione boni: exemplar autem sub ratione similitudinâ, ostendentis qualiter sit construendum opus.

7 *Queritur* 2.: in quo consistat causalitas exemplaris? *Resp.*: consistit in externâ operis productione, prout ortâ, seu determinatâ ab interno actu voluntatis, qui

fit intentio ideam imitandi. *Prob.*: quia, his positis, nihil desideratur, ut opus hîc & nunc ab ideâ procedat, & pendeat, ut consideranti liquidum erit: & aliunde uterque actus, internus & externus, omnino requiritur: nam si desit externa actio, non existet effectus, adeoque nec dabitur causalitas, nec causa influens in actu secundo, ut est evidens: si vero desit voluntatis intentio, licet in re ponatur effectus, non ponetur ex vi causæ exemplaris, sed casu, vel fortuito; ut accidit in illâ celebri spumâ equi, quam pictor expressit projecto in tabulam penicillo.

8 *Queritur* 3.: utrùm exemplar sit verâ, & propria causa? Sententia affirmans, quam Exim. Doctor dicit. s. 2. supponendam esse dicit ut certam ex communi sensu Philosophorum, & Theologorum, probari potest 1.: quia certum esse videtur, artem concurrere ad opera artificialia, non per accidens, aut instar meræ conditionis, sed propriè & per se causando formam eorum: ars autem non concurrit, nisi per exemplar, vel ideam. 2.: quia sicut agentis naturalis propriâ est præcontinere formam & similitudinem physicam effectus, quem producit; ita intellectualis agentis, non casu & præter intentionem operantis, proprium est præcontinere similitudinem idealem operis, quod efficit: ergo, sicut in agente naturali forma illa, in quâ stat similitudo physica cum effectu, veram habet rationem causæ; ita in agente intellectuali forma illa, quæ simili-

tudo est idealis, manus veræ causæ participare debet. 3.: quia opus artificiale, quatenus per se, non fortuito, factum, propriè pendet ab ideâ præcedenti, & ita quidem, ut ejus perfectionem quodammodo sapiat, & imitetur: hoc autem nusquam in merâ conditione reperitur.

9 *Queritur* 4.: ad quod genus causæ pertineat exemplar? *Resp.* Non pertinet in primis ad genus causæ materialis, quia nullatenus habet rationem subjecti: non deinde ad genus causæ finalis, propter dicta n. 6: non item ad genus causæ formalis intrinsecæ, quia non est pars intrinsecè constituens suum effectum. Nec refert, quòd exemplar vocetur forma rei faciendæ. Nam forma generatim dicitur similitudo, norma, regula, vel modulus, Hispanicè *modelo*. Nec item refert, quòd exemplar dicatur à veteribus causa formalis. Nam causa formalis extrinseca, ad quam solam reducunt veteres exemplar, sæpe reduci potest ad genus causæ efficientis; ut cap. 2. notavimus. Dico igitur cum P. Suar. cit. s. 2., exemplarem causam reduci ad genus efficientis.

10 *Probat* 1.: concursus artis ad effectus externos, est de genere effectivo: tum quia ars est practica, & practicum idem sonat, ac operativum: tum quia ars concurrat dirigendo, & distando quid faciendum sit: concursus autem per directionem, distamen, consilium, reducunt omnes ad genus efficientis. At ars concurrat ad externa opera medio exemplari, quod prius in mente format: ergo &c. 2.: artifex ratione idæ

continet in se similitudinem effectus, sicut agens naturale ratione formæ physicæ: ergo, sicut forma naturalis ad effectum concurrat ut causa efficiens, ita forma illa intentionalis. *Confirm.*: ad genus causæ efficientis pertinet quicquid est necessarium, ut agens sit simpliciter potens per se causare in suo genere: idea autem necessaria est, ut artifex sit potens simpliciter causare per se artefactum in genere efficientis: si enim sine ideâ causat aliquid opus, non erit illius author per se, sed fortuito, & per accidens.

11 Hinc exemplaris causa est veluti complementum causæ efficientis artificialis, quam constituit proximè potentem per se causare in suo genere effectivo. Ex quo apparet, cur finalis causa non reducat ad genus efficientis, sicut exemplaris: quia scilicet finalis supponit agens proximè aptum ad agendum, & illud movet ut agat: exemplar autem non supponit, sed constituit agens proximè aptum ad operandum artificiosè.

12 Notandum tamen, quòd exemplar per se consideratum, non est causa efficiens, sed moralis: quia mentalis idea nec efficit physicè opus externum, ut per se patet, nec physicè influit in actum voluntatis, juxta communem sententiâ negantem actibus intellectus influxum istiusmodi. Solum ergo concurrat idea mentalis distando, dirigendo, & quasi consilium præbendo; quæ modus concurrendi pertinet ad causam moraliter efficientem. Et hinc idea dicitur propriè causa operis



Externi, quamvis hoc non immediatè, sed medio actu voluntatis ab ideâ pendeat: nam causa moralis propria dicitur, quamvis non influat in effectum immediatione physica. Notandum etiam, quod, cum exemplar dicitur determinare actionem artificis, sermo est de determinatione quoad speciem, quatenus artifex nequit per se agere, nisi juxta ideam, quam præhabet: nam quoad exercitiam sola determinat voluntas.

## CAP. V.

## DE CAUSA EFFICIENTE.

**C**AUSA omnium notissima, & quæ frequentius venit nomine *causa* absolute dicto, est efficiens. Ea definitur ab Aristot. *hic c. 3. & 5.* per hæc verba: *Unde primum principium est mutationis, & quietis*: quæ definitio ab alijs carpitur ut diminuta, ab alijs ut redundans, ab alijs ut omnino falsa rejicitur. Exim. Doctori *d. 17. Met. s. 1.* obscura videtur, & multâ indigens expositione, quam ipse latè & optimè adhibet. Ex ejus doctrinâ poterit causa efficiens clariùs definiri sic: *Causa, à qua propriè oritur actio, sive effectio.* Ponitur *causa* loco generis proximi, & reliqua verba loco differentie. Nam actio quæ talis non oritur à causâ formali, nec à materiali, quæ per unionem & passionem causant, non per actionem, ut actio est. Nec item propriè oritur à causâ finali, cum hæc non sit activa, nec nisi per metaphoricam motionem causet, ut vidimus *cap. 3.*

**2** *Dices*: definitur ignotum per ignotius, dum causa efficiens definitur per ordinem ad actionem. *Neg.* assertum: quia, licet philosophica notio actionis, ejusve quidditas, ac distinctio ab agente, & termino, magis à vulgari sensu remota sit, quàm notitia causæ efficientis, rudis tamen aliqua notio actionis, aut effectiois, satis vulgaris est, & communis; & ad similitudinem effectiois operum artificialium, quæ omnes discernere norunt, facile est naturalium etiam causarum actionem concipere. Et quidem hoc ex capite rejicienda pariter est vulgata definitio hominis per animam rationale, seu per principium sentiendi & discurrendi: minus enim est nota sensationis & discursus quidditas, quàm hominis. *Dices* insuper: cur causa efficiens definiti debet per ordinem ad actionem potius, quàm ad effectum? *Resp*: satis exprimitur ordo ad effectum, dū exprimitur actio, cū perinde sit actionem à causa oriri, ac effectum oriri à causa per actionem. Ideo autem actionis mentio fit potius, quàm effectus, quia hic, licet ab effectiois nomen trahat, ex usu communi dicit ordinem ad omnia causarum genera; actio verò, quæ talis, ad solam causam efficientem.

*Prima divisio Causæ efficientis: ubi an causa secundæ verè fiat causæ?*

**3** *D*ividitur 1. causa efficiens in primam, & secundam; vel (quod in idem recidit) in increatam, & creatam; vel etiam in causam crea-

tricem, & purè generatricem, sive educatricem. Causa prima, increata, & creatrix, solus est Deus: causa secunda, creata, & purè generatrix, seu educatrix, est creatura. Discrimen inter creationem, & educationem, explicatum est *tr. 1. d. 4. c. 4.* Nunc questionis est, utrum causa secundæ verè sint causæ? id est, utrum aliquid verè producant virtute propria, & ipsis insitâ? an verò solum apparenter efficiant, seu nobis videantur efficere, quatenus ad præsentiam ipsarum producuntur effectus à solo Deo, qui decrevit producere calorem ad præsentiam ignis, lucem ad præsentiam Solis, & sic de alijs?

**4** Hoc ultimum asseruere veteres quidam: & idem vi consequentiæ tenentur asserere moderni Physici Corpusculares, qui negant, ullam vel minimam entitatem novam produci posse nisi per creationem, ideòque totam causam secundam activitatem limitant ad novas modificationes, quæ nihil propriæ entitatis rebus præexistentibus superaddant; ne scilicet vacillet decantatum illud, *Ex nihilo nihil fit.* Et saltem de causis corporalibus non est cur aliter sentiant Cartesiani, quos imitatur Tosca; cum omnem corporibus actionem denegent præter motum localem, & hunc à solo spiritali motore impressum velint citra exigentiam atomorum. Vide quæ de re ista diximus *Dissert. prælim. n. 21.* Dixi nuper, Philosophos hosce ad idem asserendum teneri *vi consequentiæ*; quia proprijs ad id principijs adstringuntur: quamquam

verbo tenent contrarium adstruunt, saltem eorum plerique, nominatim Tosca *Metaph. l. 4. c. 2. prop. 25.*, ubi benè probat, creaturas verè aliquid agere, & efficere, argumentis tamen ab eodem Auctore solvendis, si principijs à se in Physicâ statutis stare velit.

**5** Unus, quem viderim Malebranchius, neotericus scriptor celebris, Oratorij Berullani Presbyter, in opere Gallico *La Recherche de la verité, sive Inquisitio veritatis, lib. 6. de Method. parti. 2. cap. 3.* rotundè negat virtutem & efficacitatem creaturarum ad aliquid operandum, ait que, causas naturales non nisi *occasionales* causas esse, quatenus scilicet earum occasione solus Deus operatur juxta ordinem à se præscriptum: quin eò progreditur audaciæ, ut contrariam sententiam appellet *miseram Philosophiam*, & *errorem* ex paganorum idololatriâ profectum. Quam suam opinionem latius adstruere, & vindicare conatur ejusdem Operis *tom. 3. Belaireissement, sive explicatione 15.* Ejus argumenta eò tendunt, ut omnem activitatem detrahant causis secundis, non solum corporalibus, sed etiam spiritalibus, & liberis: quamquæ in his, quod aliquomodo agant, ac verè se determinent, salvare conatur, & satis perplexè loquitur.

**6** *Sed hæc positio* (inquit D. Thomas in 2. d. 1. q. 1. art. 4.) *stulta est; quia ordinem tollit Universi, & propriam operationem à rebus, & destruit judicium sensus.* Eam ex professo rejiciunt Doctor Angelicus *3. cont. Gent. c. 69. & 1. p. q. 105.*



ar. 5., & Eximius d. 18. Met. f. 1., ubi temerariam & erroneam vocari posse dicit; & oppositam, quæ causis creatis virtutem attribuit ad effectus sibi proportionatos, existimat, non tantum sensu & ratione evidentissimam, sed etiam juxta doctrinam Catholicam, certissimam. Quare causas secundas verè causas esse, verè quæ agere & efficere propriam virtute, omnino tenendum est, breviter que probandum. 1. ex sacra Pagina sæpe tribuente rebus naturalibus vim productivam. v. g. Genes. 1., *Germinet terra herbam virentem.*, & *lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum.* Marc. 4., *Aliud cesidit in terram bonam, & dabit fructum &c.* Et infra, *Ultrò terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum.* Luc. 21. *Arbores cum producunt jam ex se fructum &c.* Mitto alia innumera. Quæ omnia in sensum improprium detorquere contra consensum Patrum, & experientiam, nullam que urgente ratione, quis ferat?

7 2. ex Concilio Tridentino *ses. 6. can. 4.*, ubi damnat dicentes, liberum hominis arbitrium nihil omnino agere, sed merè passivè se habere. Et reverè dogma de libertate hominis, omni prorsus activitate seclusa, nullatenus intelligi potest; sicuti nec dogma à Concilijs definitum de duabus operationibus, duobus que operandi principijs in Christo Domino. 3.: quia alioquin Deus esset author, & unica vera causa cujuscumque pravi operis, & actionis peccaminosæ, quod nefas est

dictu. 4.: quia sequeretur ex eadem doctrinâ, quòd homo, prolem generans, tam verè dici posset creare animam rationalem, quam ignis dicitur producere calorem; cum etiam ad præsentiam generantis, ut causa occasionalis, Deus animam creet.

8 5.: quia nulla esset intrinseca differentia viventium à rebus inanimis: si enim Deus decerneret actus vitales producere ad præsentiam lapidis, ut modò decrevit ad præsentiam hominis, juxta contrariam sententiam tam verè viveret lapis, quam homo. Et hinc 6.: quia non erit unde probetur discrimen hominis ab asino, cum æque destitutus ut erque sit omni virtute ratiozinandi, nec de cætero appareat, cur anima humana præ asinam dicenda sit rationalis, aut spiritalis. 7.: quia penitus deficeret fundamentum Philosophiæ naturalis, siquidem ex effectibus vestigari non posset varia virtus, insoles, & natura rerum, sed tantùm diversa Dei voluntas nunc sic, nunc aliter operandi, juxta occasiones à se pro merito libitu citra fundamentum in rebus designatas. Denique, nulla repugnantia, vel contradictio est in eo, quòd creaturis inest virtus agendi: cur ergo non credatur inesse de facto, cum eam & consensus generis humani, & experientia manifesta, & tot Sacrarum litterarum oracula palam attestentur?

9 Obic. 1.: creatura dependet essentialiter à solo Deo: ergo non nisi à solo Deo fit, sive causatur. 2.: Deus immediatè concurrat ad effectus omnes: vel ergo concurrat

rit per virtutem sufficientem; atque ita superfluit virtus creata: vel per virtutem insufficientem; & hoc dici nequit citra injuriam Omnipotentis. 3.: non repugnat à solo Deo fieri effectus omnes, quos ad præsentiam causarum creaturarum experimur: ergo ita de facto fieri credendum est. *Prob. consequ.*: tum quia non sunt multiplicandæ virtutes absque necessitate; & hæc perperam fundabitur in testimonio sensuum, qui sæpe fallunt. Tum etiam, quia sic testari videtur Scriptura sacra, ut 1. Cor. 13., *Deus operatur omnia in omnibus.*

10 Cui testimonio addi possunt alia, quæ congerit Malebranch. *et. Explic. 15.*: nempe Isai. 44., *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens Cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Job. c. 10., *Manus tua Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totam in circuitu.* 2. Machab. 7. *ajebat Machabæa mater ad filios, Singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim Mundi Creator, qui hominis formavit nativitatem &c.* Act. 17., *cum ipse (Deus) det omnibus vitam, spirationem, & omnia.* Psalm 103., *Producens fenum jumentis, & herbam servituti hominum: ut educas panem de terra.* His accedit, quòd S. Augustinus 5. *de Civit. c. 9.* expresse dicit, corporales causas non esse inter causas efficientes numerandas.

11 4. ex eodem Malebranch.: conceptus supremæ potestatis agendi, est conceptus supremæ Divinitatis: ergo conceptus potestatis activæ

inferioris, erit conceptus cujusdam Divinitatis, inferioris quidem, sed veræ tamen, saltem juxta opinionem paganorum. Qui ergo veram agendi potentiam creaturis attribuant, tametsi subordinatam supremæ potentis, videntur incautè imitari paganos, qui sibi quædam inferiora Numina fingebant, supremo Jovi subordinata. *Confirm.*: debitus est timor, & amor ijs rebus, quæ verè possunt nobis nocere, aut prodesse, seu nobis inferre malum, aut bonum: tum quia sic fert naturæ dictamen: tum quia Deus in sacris litteris eâ ratione hortatur Israelitas, ut se unum timeant, diligant que, non autem Deos gentilicos, quòd ab his nihil timendum esset, aut sperandum: tum etiam, quia, quòd in nobis agere valet, supra nos est: debet ergo timeri à nobis, & amari. Atqui in timore & amore consistit adoratio: vel igitur neganda est igni v. gr. vera potentia, ut nos comburat, & calore foveat, vel ignis à nobis erit adorandus. Mitto quædam alia, quæ Malebranchius addit; quia eadem, quæ dicuntur, facilitate negantur.

12 Ad hæc verò respondetur nullo negotio. *Ad 1.*: licet omnis creatura (saltem quæ est entitas absoluta) pendeat essentialiter à solo Deo, tamquam à causâ pro omni eventu necessariâ, nihil prohibet plures creaturas ab alijs creaturis pendere simul suapte naturâ, ita ut earum influxu naturaliter iadigeant. Unde probas, de conceptu veræ causæ esse, quòd ab illâ essentialiter pendeat effectus secundum se? *Ad 2.*:



concurrit Deus ad effectus omnes per virtutem plusquam sufficientem ex se, & in actu primo, non tamen semper ita se explicantem in actu secundo, ut otiosum reddat influxum causæ creatæ; sic enim suum temperat concursum, ut causis secundis locum influendi relinquat in effectus sibi proportionatos: nam, ut inquit S. Augustinus 7. de Civit. c. 30., *Sic omnia, quæ creavit, administrat, ut etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.* Nec virtus creata dici potest superflua; cum deserviat, tum ut effectus modo sibi connaturali fiant, tum ut creaturæ quodammodo participent bonitatem & potentiam Conditoris sui, atque ita munificentiam ejus testentur.

13 *Ad 3.*: licet non sit repugnantia metaphysica in hypothese objectâ, dummodo supponatur, nullum esse in creaturis motum vitalem, nec liberum, nec peccaminosum (nam hos creaturarum motus, ut tales, fieri à solo Deo, repugnat metaphysicè); est tamen repugnantia physica, seu naturalis, quæ non nisi per miraculum vinci potest. Unde in Sacris Litteris Sap. 16. miraculo tribuitur, quod ignis suæ virtutis oblitus non læserit justos. Est, inquam, repugnantia naturalis in eo, quod creaturæ de facto existētes nihil agere sinantur: cum enim earum specifica diversitas (maximè quæ est inter substantias corporeas & spirituales, & inter viventes & inanimas) cōcipi non possit sine virtute activâ variorum effectuum, hanc virtutem habere convincuntur, non solum

testimonio sensuum, sed rationis: si autem habent, naturaliter exigunt eam explicare, nec sine violentiâ cohiberi possunt. Et hinc falsum est, quod sine necessitate, etiam metaphysicâ, multiplicemus virtutes. Præter quàm quod sufficeret necessitas physica: sufficeret necessitas non ingerendi mentionis aut falsitatis probrum sacris Litteris, & consensui totius humani Generis. Falsum item est, quod sensus fallere nos possint in re tam clarâ, communi, perpetuâ. Certè si nihil est pro vero amplectendum ex testimonio sensuum, ut videtur velie Malebranchius, non erit unde philosophicè credamus exist. re Cælum, Terram, & cætera Mundi corporei, nec nos ipsos habere corpora de facto.

14 Nec sacræ paginæ testimonia favent opinioni contrariæ. Non 1.: quia, ut Deus verè dicatur operari omnia in omnibus, sat est, quod nihil fiat sine operatione & concursu Dei, licet in multis operetur simul causa creata. Non 2.: quia manifestè loquitur de primâ creatione Mundi, quam solius Dei fuisse, nemo negat. Non 3.: quia, dum Deus concurrat ad formationem hominis, non partem duntaxat, sed totum format totalitate effectus, ut ajunt, nec non totalitate causæ dirigentis, & cognoscētis qualiter sit organizandum corpus humanum; sed hinc non excluditur influxus purè physicus creatæ virtutis seminalis. Non 4.: quia illud, *non ego ipsa compégi,* debet intelligi sensu nunc dicto, ut scilicet non excludat matris influ-

xum purè physicum, sed solum concursum per industriam, cognitionem, aut ideam de compactione membrorum. Non 5., nec 6.: quia propriè verificantur eo, quod Deus & creatas virtutes dederit, & cum eis immediatè concurrat ad omnes effectus. Sic, qui pauperi dat vestem, & illam proprijs manibus adjuvat ut induatur, verè dicitur dare vestem, & usum ejus, quævis ad hunc pauper ipse cooperetur. Augustinus autem verbis objectis loquitur de causis efficientibus, quæ se se applicant ad agendum, & suarum actionum dominium habent.

15 *Ad 4.*: argumentatio illa futilis est, & huic simillima: conceptus entis supremi est conceptus supremæ Divinitatis; imò & conceptus rei existentis autonomasticè, proprius est Dei, juxta illud Exod. 3., *Ego sum qui sum, & Qui est, misit me ad vos*: ergo conceptus inferioris entis, aut rei existentis, est conceptus cujusdam Divinitatis inferioris: ergo qui rebus creatis attribuit entitatem, & existentiam, incidit in errorem paganorum. Itaque neganda est consequentia: quia, sicut entitas & existentia, ita & potentia activa, eo ipso quod sit finita, participata, & dependens ab alio, repugnat veræ Divinitati. Quod si aliter per errorem & ignorantiam turpissimam cogitabant pagani, conceptum Divinitatis chimericum & contradictione plenum sibi fingentes; quid ad nos? Hoc unum asserimus, bonitatem Divinam, summè liberalem, ac

diffusivam sui, creaturas fecisse quodammodo participes perfectionum suarum, voluisseque, ut conditorem suum aliquatenus imitarentur, non solum in existendo, sed etiam in operando; invitatione tamen à veræ Divinitatis culmine remotissimâ.

16 *Ad confirm.*. Multa ibi miscentur aut falso, aut indigestè dicta. Quoad præsens attinet, sat est dicere 1., quod adoratio est actus summisionis & reverentiæ, quo alterum ob ejus excellentiam honoramus. Unde non omnis timor, aut amor, est adoratio, nec illam infert: qui enim equum amat, aut taurum timet, non ideò se illis, tamquam excellentioribus, submittit, aut reverentiam exhibet. 2., quod adoratio Divinitatis propria (quæ *latría* dicitur), & illi correspondens timor, & amor, non debetur cui-cumque rei, quæ nobis aut nocere, aut benefacere potest, etiam si excellentior sit nobis, aut naturâ sicut Angelus, aut dignitate sicut Rex; sed debita est illi soli rei, quæ supremâ & independente pollet potestate nocendi, & benefaciendi, sibi que cæteras omnes causas ita subordinat, ut sine illius volentis aut permittentis nutu liberrimè, nullum nobis commodum aut incommodum possit accidere. Unde solus Deus in omnibus timendus est & amandus ut supremus Arbiter bonorum, & malorum pœnalem; non quia creatæ res omni virtute careant ad aliquid boni, vel mali, nobis inferendum; sed quia virtus ista omninò pendet ab arbitrio Dei,



ram in operando, quam in existendo.

*Cetera divisiones.*

17 *Dividitur* 2. causa efficiens in physicam, & moralem. Causa physica non hic sumitur pro solâ causâ corporeâ, sed est quæcumque virtute propriâ realiter, & independenter ab æstimatione hominum, exequitur effectum, ut Sol lucem. Moralis aliquando sumitur pro causâ liberâ, quæ mores habere potest bonos, aut pravos. Nunc verò accipitur pro causâ, quæ non exequitur effectum virtute propriâ, sed tamen aliam causam, aut aliam potentiam ejusdem suppositi, aliquomodo inducit, ut illum exequatur; quo fit, ut moraliter, idest, in æstimatione prudentum, sive communi more loquendi ac reputandi, tali causâ inducenti attribuaturs effectus perinde, ac si propriâ virtute illum exequeretur. Sic imperium, consilium, preces, sunt causæ morales operis, ad cujus executionem inducunt. Sic etiam merita sunt in orales causæ præmiorum, delicta suppliciorum. Inductio ista causæ moralis potest esse multiplex, ac varia: scilicet nunc determinativa, nunc directiva, nunc inclinativa, nunc propriè motiva, nunc purè impulsiva, nunc formalis, nunc virtualis, aut interpretativa, nunc subjectiva, nunc objectiva, nunc exercita, nunc signata: quos & alios moraliter causandi modos latè recenset, & explicat P. Ulloa *Phys. specul. d. 2. c. 1. à num. 6.*: & eos in præfenti non discutimus, quia in decursu Scientiarum, occasione da-

ta, singularim explicari solent.

18 Nunc tantum duo notaverim. 1. : causam finalem inter morales numerat P. Ulloa: sed licet finis cum morali causâ conveniat in eo, quod non physicè producat effectum, sed moveat & inducat aliam causam efficientem; tamen communiter ab illâ discernitur in eo, quod finis movet, ut sit (idest, ut propter affectionem sui ponantur media); moralis autem causa movet, quia est; ut in exemplis imperij, precum, meritorum &c., videre licet. 2. : plura, quæ in alio genere dicuntur meræ conditiones, in genere morali sunt causæ; quia dirigunt, determinant, aut movent causas alius generis. Sic cognitio fialis est pura conditio ad amorem in genere causæ finalis; & simul est causa moralis, quatenus dirigit, aut exercitè inclinat voluntatem. Sic etiam applicatio ignis pura conditio est ad comburendum in genere physicè effectivo; & tamen dici potest moralis causa combustionis, quatenus Authorem naturæ determinat, ut cum igne concurrat.

19 *Dividitur* 3. in univocam, & æquivocam. Univoca est, quæ producit effectum ejusdem speciei infimæ, ut equus equum, ignis ignem: & hujusmodi causa dicitur effectum continere *formaliter*. Æquivoca est, quæ producit effectum diversæ speciei. Causa æquivoca effectum continet *eminenter*, quando illum perfectiore superat, ut Deus creaturas omnes continet *æquivalenter*, si reperiaturs causa diversæ quidem perfectionis, sed

sed tamen æqualis effectui: continet *purè virtualiter*, quando causa perfectione exceditur ab effectu, ut sæpe causa instrumentalis. Sed hic notanda sunt tria. 1. : nulla causa efficiens continet effectum *formaliter*, eo sensu, ut intrâ se præhabeat individuum ipsam entitatem effectus, & iam postea evomat, aut pariat, sicut femina prolem in utero præconceptam: nec eo sensu dicitur dare esse effectui, ut illi tribuat suam ipsius causæ entitatem, aut partem ejus. Hæc enim intelligentia radis est, & a sapientum mente profus aliena: & alioquin creaturæ forent totidem frustra Divinitatis. Nulla ergo causa efficiens continet effectum nisi *virtualiter*, quatenus virtutem habet efficiendi, ut effectus, qui nusquam erat, incipiat esse in rerum natura. Quare, cum diciturs alia causa effectum continere *formaliter*, alia *eminentialiter*, sensus est, quod alia entitative pertinet ad eundem formalem conceptum specificum, alia ad diversum, & eminentiorem.

20 2. : causa efficiens nequit esse adæquata, etiam in genere causa efficientis creatæ, nisi perfectionem habeat vel superiorem, vel saltem æqualem effectui. Constat hoc, tum ex communi Scholarum calculo, tum quia sequeretur alioquin, posse muscam esse causam adæquatam Universi. Idcirco ad causam efficientem, etiam creatam, aptari solet illud, *Nemo dat quod non habet*; quod intelligendum est de causâ adæquatâ, ita ut hæc actione suâ tribuere nequeat effectui

perfectionem ultra mensuram, quam in se præhabet. Quare, dum ex parvâ scintilla confignat ingens domus, prima scintilla non efficit totum incendium, sed medicum ignem, sibi non imparem, qui statim producit alium, & sic deinceps. Cur ergo, inquis, requiriturs semper concursus Dei? Requiriturs concursus generalis, non ut suppleat inæqualitatem perfectionis in causâ creatâ, dum in suo genere totalis est, sed ut salveturs immediatum Dei dominium in effectus omnes, immediatæque dependentia eorum omnium à primâ Causâ. 2. : ut res A. censetur efficiens causa rei B., sive univoca, sive æquivoca, requiriturs quidem, sed non sufficit æqualitas, aut excessus perfectionis, nisi per experientiam, aut aliter, probetur fecunditas in ordine ad rem B. Idcirco nec Sol Solem, nec adamus ferrum, nec equus matrem producit.

21 *Dividitur* 4. in universalem, & particularem. Causa universalis per antonomasiam est causa prima, eo quod ad omnes Universi concurrat effectus. Sed respectu Mundi elementaris, cœlestia corpora dicunturs etiam causæ universales, quia influxu suo cooperanturs censenturs ad omnes corporeos effectus sublunares. Causa particularis est, quæ ad aliquam, vel aliquas tantum species effectuum concurrat. *Dividitur* 5. in liberam, & necessariam. Causa libera est, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest operari, & non operari: de quâ sæpe alias occurret



tractandi locus. Causa necessaria est, quæ positis omnibus ad operandum prærequisitis, in operationem determinatam erumpit necessariò.

22 *Dividitur* 6. in operantem immanenter, & operantem transeunter. Operatur transeunter, quæ aliquid efficit in subjecto extraneo, ut cum ignis calefacit aquam. Operatur immanenter, quæ aliquid intra se efficit, ita ut ipsa sit agens & subjectum operationis. Quod si operatio immanens, sit de genere earum, quæ supponunt statum rei connaturalem, ut sunt intellectio, sensatio, & nutritio, causa est vivens: non est autem vivens, vel non agit ut talis, si operatio sit alius generis, ut cum aqua producit in se frigus. *Dividitur* 7. in naturalem, & supernaturalem. Naturalis sæpe alias sumitur pro causâ necessariâ: nunc verò accipitur pro causâ operationis non excedentis vires activas & exactivas totius naturæ. Supernaturalis dicitur, quæ operationem elicit supernaturalem, seu dictas naturæ vires excedentem. Quod si res entitativè naturalis elevetur ad operationem supernaturalem, ut intellectus humanus ad visionem Dei, dicitur causa obedientialis supernaturalizata.

23 *Dividitur* 8. in principalem, & instrumentalem: quæ divisio commodius explicabitur *disp.* 5. Denique, alia est causa efficiens in actu primo, alia in actu secundo. Causa in actu primo dicitur, quæ nondum efficit, sed est apta efficere: dum que aptitudo, seu virtus causæ, conjuncta est cum omnibus prærequisi-

tis ad operandum, ita ut nihil jam desit præter operationem actualem, dicitur esse in actu primo proximo: si verò conditio aliqua prærequisita desit, causa esse dicitur in actu primo remoto; qui actus erit magis, aut minus remotus, prout fuerint plures, vel pauciores conditiones desideratæ. Imò ipse quoque actus primus proximus causæ creatæ potest esse, vel omninò absolute completus, quando scilicet adest decretum Divinum concurrendi cum virtute creatæ; quo in eventu actus primus causæ necessariæ metaphysicè connectitur cum secundo, seu cum operatione actuali; vel solam completus in genere causæ secundæ, quando scilicet nulla alia conditio adest præter Dei voluntatem de concurrèdo, ut accidit in igne Babilonico; & tunc actus primus causæ necessariæ cum secundo connectitur physicè, seu naturaliter. Causa in actu secundo dicitur, quæ jam actualiter efficit, seu quæ jam habet causalitatem & actionem actualem, quæ est essentialiter inseparabilis ab effectu. Divisio ista potest etiam alijs causis aptari, præsertim materiali, & finali.

*De Causalitate causæ efficientis creatæ.*

24 Causalitas ista est actio, five effectio: quam esse modum à parte rei distinctum à causâ & effectu, saltem quando effectus ex se indifferens est, ut vel naturaliter, vel divinitus procedat à varijs causis (ut accidit in igne A., qui procedere potest ab igne B., vel à C., vel à

solo Deo), non tara disputatur, quam supponitur in Scholis. Soli repugnant Connotatores aliqui, modorum omnium hostes: qui facile impugnari poterunt ex ijs, quæ de modo unionis ab extremis distincto diximus *tract.* 1. Tantum hinc moneo, actionem non solùm ex conceptu modi & ultimæ determinationis, quâ talis effectus fit à tali causâ, esse inseparabilem essentialiter à talibus causâ & effectu; verùm etiam ex conceptu egressionis, & actualis originis, respicere essentialiter talem virtutem activam ut fontem, & causam sui, adeò ut actio ignis A. v. g., nec divinitus possit oriri ab aliâ virtute loco illius, nec à solo Deo.

25 *Sed objic.*, hinc fieri, ut detur aliqua vera entitas creatæ, quæ non possit à solo Deo produci, ac proinde respectu cuius omnipotentia sit virtus ex se insufficientis, & ex necessitate partialis. *Resp.* Id ipsum sequitur ex probabili sententiâ multorum, assertentium, dari actus humanos essentialiter vitales, & liberos. Sed, quidquid de hoc sit, concedo non posse à Deo solo produci entitatem illam duntaxat, cujus essentia consistit in egressu à causa creatæ: nequit enim Deus facere, ut egredi ab igne v. g. sit egredi à Deo solo: cum hæc sit inversio essentialis, & contradictio manifesta, ad quam non extenditur Divina virtus, sicut nec ad faciendum ut homo sit irrationalis, vel ad alias hujusmodi chimeras. Quod non provenit ex imperfectione Omnipotentis, sed ex summâ potiùs perfectione, cujus est reddere impossibile quidquid non est Deo artifice dignum.


26 Itaque actio ignis oritur etiam à Deo (nam omnis actio creaturarum est indivisibiliter actio Dei, ut alibi dicemus), sed nequit oriri à Deo solo; qui proinde ad talem actionem concutrit ut causa ex necessitate partialis, id est, non unica, necessitate tamen orta, non ex pauperie, sed ex perfectione summâ Omnipotentis repugnantis facere chimeras. Et hinc repugnantia ista non est appellanda *insufficientia* Dei, sed potiùs *dedignatio essentialis*. Hoc tamen non tollit, quòd verissimè dicatur, Deum posse facere se solo, quidquid facit per causas secundas. Id enim verum est de omni effectu distincto ab actione creaturæ; imò absolute de omni effectu; nam actio non est proprie effectus, sed effectio, seu exercitium efficiendi. Quare sensus illius asserti est, quòd Deus non indiget actionibus creaturarum, ut existere faciat quidquid per eas actiones existit: vel quòd potest se solo actionem ponere, quâ suppleatur, & eminenter quidem, actio causæ secundæ, in ordine ad effectus quos illa respicit.

27 *Objic.* iterum: actus primus proximus causæ necessariæ omninò completus, etiam ex parte Divini decreti, metaphysicè connectitur cum effectu determinato: ergo nulla restat indifferentia tollenda per actionem modalem. *Resp.* In primis objectio non urget in causâ liberâ, cum huic repugnet illa connexio ex parte actus primi. Deinde nec in causâ necessariâ: nam decretum applicans Omnipotentiam ad



concurrentium cum igne A. ad igne B., vult ut hic ignis ab illo fiat: sic autem fieri, non consistit præcisè in eo, quòd uterque ignis existat, cum possit existere uterque, quin B. fiat ab A: consistit ergo in effecti-  
one ab utroque distincta, & hanc pro  
objecto respicit decretum applica-  
tivum. Unde decretum istud non  
tollit indifferentiam actus primi ad

secundum, nisi radicaliter, seu qua-  
tèns connectitur cum modo actio-  
nis. Quæ diximus de causalitate,  
causæ secundæ, intelligenda sunt  
pariter et de causalitate primæ Causæ,  
quando hæc se solâ agit, & non per  
creationem. An autem creatio sit  
etiam modus à causâ & effectû dis-  
tinctus, alibi discutimus.



## DISPUT. III.

### DE PRÆREQUISITIS, SEU CONDITIONIBUS ad Causandum.

**P**RÆREQUISITUM, sive conditio ad causandum necessaria, respectu  
causæ efficientis (de quâ tantum nunc loquimur, quamquam ead-  
em doctrina facile poterit ad aliorum generum causas applicari)  
dicitur omne illud, quod cum non sit virtus proprie influens phy-  
sicè, requiritur tamen ex parte causæ ad influendum. Ex parte causæ in-  
quam; ita ut sine illo nequeat intelligi virtus activa proximè expedita, sive  
in actu primo proximo ad agendum, vel certè non satis completa in  
suo esse, quod præexigit. Alia enim, sine quibus effectus esse non  
potest, quæ tamen intelligi non debent ex parte causæ, nec ejus virtu-  
tem expediunt, non dicuntur *prærequisita*, sed *mera requisita*. Sic, licet  
libere non possis, quin Deus id videat, tamen Divina scientia visionis,  
non est prærequisita, sed merè requisita ad scriptionem tuam; quia non in-  
telligitur ex parte actus primi virtutis expeditæ ad scribendum. Porro præ-  
requisita varia esse possunt pro variâ conditione causarum: & alia sunt posi-  
tiva, seu in positivo consistentia; alia negativa, consistentia scilicet in ca-  
rentiâ, seu remotione alicujus impedimenti positivi, ut ablatio compedum  
ad currendum: alia item sunt necessaria metaphysicè, seu essentialiter; alia  
purè physicè, seu naturaliter; alia moraliter duntaxat. Nunc tantum agemus  
de prærequisitis quibusdam generalibus, quæ in omni causâ creatâ, præser-  
tim corporeâ, locum habent. Horum præcipuum est decretum applicativum  
Omnipotentia: sed quia huic proprius erit locus ubi de concursu Causæ  
primæ, modò præmittetur.

CAP.

## CAP. I.

### UTRUM EXISTENTIA causæ prærequiratur ad causandum?

**C**ertum est, existentiam  
causæ ita necessariam  
esse ad agendum, ut  
causa, quæ nunquam existit, nihil  
agere possit. Atque hoc sensu, qui  
distingunt realiter essentiam ab  
existentiâ in rebus creatis, dicunt,  
existentiâ non esse virtutem influxi-  
vam, sed conditionem prærequisi-  
tam ut essentia influat. At in nos-  
tris principijs, distinctionem illam  
negatibus, si essentia est virtus, etiam  
existentiâ. Sed quidquid sit de distinc-  
tione inter essentiam & existentiam,  
*queritur* an virtus causæ immediatè  
influens debeat necessariò existere in  
instanti, in quo causat? Consultò  
loquimur de virtute immediatè in-  
fluente, non de causâ utcumque.  
Nam ea, quæ per virtutem à se  
adequatè distinctam causant, sæpe  
causare dicuntur, quando non sunt:  
v. g. qui telum conjicit in Petrum,  
licet subito moriatur priusquam  
Petrus vulneretur, dicitur nihilo-  
minus Petrum occidere, seu mortem  
Petri causare. An autem hac de-  
nominatio *causantis* sit propria, vel  
impropria, colligi potest, tum ex  
dictis d. 1. c. 1. an. 18., tum ex  
dicendis d. 5..

**2** Questioni ergo negative  
respondent plures Thomistæ, quos  
citât & sequitur M. Joan. Martinez  
de Prado 2. Physic. q. 15., consen-  
tes, posse causam (tampram etiam

pro virtute influente) causare aliquid  
in instanti, in quo non est, dummo-  
dò extiterit immediatè antea. Quod  
tamen virtus activa necessariò de-  
beat existere, dum actu causat, ita  
ut oppositum repugnet etiam divi-  
nitis, tenet, & merito, Authores nos-  
tri, & Scotistæ. *Ratio* est: quia res in  
instanti, quo non existit, est nihil: er-  
go nihil efficere tunc potest. *Prob.*  
*cons.*: quia nihil evidentius apparet,  
quam quòd *esset non esse fieri ne-*  
*quit*, seu quòd *à nihilo nihil fit*: ideo  
q. Philosophi omnes ex creatorarum  
existentiâ demonstrant existentiam  
primæ Causæ. Certè, quod nihil est,  
non continet actualiter perfectio-  
nem effectus ullo modo, cum nullam  
perfectionem actu habeat: certum  
est autem, quòd causa nequit agere,  
nisi quatenus continet perfectionem  
effectus: unde, si non illam contineat  
actu, nequit actu producere. Vel  
aliter: *Nemo dat quod non habet*:  
ergo causa non habens existentiam,  
nequit illam effectui communicare.  
Hinc D. Thomas 3. p. q. 77. ar. 3.  
sic ait: *Quia unumquodque agit, in*  
*quantum est eas actus, consequens*  
*est, quòd unumquodque sicut se ha-*  
*bet ad esse, ita se habeat ad agere.*  
Idem sæpe alias inculcat D. Tho-  
mas: ex quo in axioma evant,  
*Unumquodque operatur, in quan-*  
*tum est actu.*

**3** *Confirm.* 1.: causa, prius-  
quam existat, licet immediatè post  
extitura sit, nihil agere potest: ut  
Thomistæ fatentur apud citatum M.  
Prado *Metaph. p. 2. contr. 13. ar.*  
*1.*, ubi questionem hanc iterum  
tractat: ergo idem dicendum de cau-

cau-



causâ, quæ jam non est, licet antea fuerit. Patet *Conseq.*: nam, quod esse desiit, tam nihil est, tam verè non est actu, tam non continet, tam non habet quod det, quàm quod nondum esse capit. *Conf. 2.*: nihil actu causatur sine actione existente: actio autem, cum sit modus physicus causæ efficientis, ab hac essentialiter inseparabilis est in existendo. Negat M. Manso, quod actio sit modus causæ. Sed verò conceptus modi, est conceptus ultimæ determinationis rei ad aliquod munus obeundum: actio autem juxta omnes est ultima determinatio causæ efficientis ad munus physicam agendi. *Conf. 3.*: si causa non existens potest aliquid primò producere, poterit & diù conservare; plas enim, vel certè non minus requiritur ad producendum, quàm ad conservandum. Sequela autem omnibus est absurda.

4 *Conf. 4.*: si semel aliqua positiva actio physice oriri valet à causâ non existente, poterunt & actiones quælibet, saltem transeuntes: unde poterit lucerna extrinsecta lucere, canis occisus mordere, & quantumvis mortuo capro poterit quis monere Tityrum cum Poetâ, *Occurrere capro, cornu ferit ille, cauto.* Iudè & actiones immanentes, ut sentire, & cognoscere, provenire poterunt à re non existente, quin obitet earum inherencia in suâ causâ ut in subiecto: nam cur magis efficientia sine agente, quàm inherencia sine subiecto dari queat? Ex dictis inferes, frustra coarctare Thomistas doctrinam suam ad eas

causas, quæ sunt entia successiva, ut verba Sacramentorum, aut alteratio successiva præparans subiectum ad formam. Nam argumenta nostra æquè militant in causâ quælibet; ut patebit consideranti.

5 *Objic. 1.*: verba Sacramentorum causant Gratiâ, postquam prolata sunt, sive in primo instanti sui non esse, quod dici solet ultimum instans extrinsecum existentiz. *Resp.* Sacramenta, vel non causant physice Gratiâ, sed moraliter tantum, ut opinantur plures magni Theologi; vel, si physice causant, ut censent alij plurimi, non exercent causalitatem physicam, nisi per ultimam particulam, aut terminum, quo Sacramentum intrinsecè completur, & consummatur; quæ terminus tunc, cum actu existit, physice Gratiâ efficit, præsupponendo tamen ut conditionem omninò necessariam, quod reliqua verba præcesserint debito ordine & continuatione prolata. Vid. P. Suar. t. 3. in 3. p. d. 8. f. 2.,

6 Ubi nota, quod res jam physice non existens, potest esse conditio necessaria, ut alia res existens physice causet; cum enim pura conditio propriè non influat, nec det esse effectui, non in eâ militant argumenta nostra. Potest item res, non existens physice, causare moraliter, dummodò moraliter existat: sic enim merita præmium, & peccata supplicium causant, dum jam physice non existunt. Nec hinc licet arguere ad agens physicum; alioquin, sicut merita & peccata, physice præterita, præmium & supplicium mo-

raliter causant totâ æternitate, ita nos posset Trojanus ignis physice comburere nunc, & utque in saculum. Moraliter autem existentia rei præteritæ consistit, vel fundatur in aliquo physice permanente, quod aliquatenus ortum aut motivum duxit ab eadem re, dū præsens erat.

7 *Objic. 2.*: alteratio prævia subiecti causat generationem, sive introductionem formæ substantialis: & tamen in instanti generationis cessat alteratio, utpote motus successivus, qui adveniente ultimo termino, finitæque successione, cessare debet. Idem sit argumentum in motu intentionis, augmentationis, & quovis alio successivo. *Resp.* Alteratio prævia, vel sumitur pro actione productivâ qualitatis præparantis subiectum ad formam, vel pro qualitate ipsâ præparante. Si pro qualitate; hæc utique permanet in instanti generationis (quidquid sit, an illam efficiat physice); nam doctina Thomistica de resolutione prioris compositi usque ad materiam primam, alibi rejicietur ut falsa. Si pro actione; cessat quidem alteratio in ratione motus successivi, seu in ratione paulatim debellantis qualitatem contrariam; quia in instanti generationis finitur successio, ac debellatio: sed hac ratione alteratio non est causa generationis, nisi tamquam mera conditio remota. Non tamen cessare debet in ratione actionis qualitatem productam conservantis, cum qualitas ipsa perseveret. Quare sub hac ratione, si aliud non obstat, poterit esse causa generationis for-

ma, vel ultimi termini motus successivi. Quod pariter dictum esto de motu intentionis, &c..

8 *Objic. 3.*: causa potest agere in loco propinquo, vel contiguo; in quo ipsa non est: ergo etiam in tempore, vel instanti immediato, in quo jam ipsa non existit. Sed infero pariter contra Thomistas: ergo & poterit agere in instanti præcedenti primam existentiam ipsius causæ, cum illud instans sit etiam immediatum. Item: ergo & poterit agere longo spatio temporis, postquam esse desiit; quemadmodum Sol, multum à terrâ distans, producit in eâ plures effectus. Itaque *neg. Conseq.*: quia causa, licet non penetret localiter cum effectu, potest actualiter existere, adedque perfectionem effectus actualiter continere: at, si non existit in eodem instanti cum effectu, nullatenus existit de præsentibus, cum non aliud instans sit præsens: tunc ergo est merum nihil, adedque nihil agere potens.

9 *Objic. 4.*: existentia causæ est pura conditio ad causandum: conditiones autem saltem divinitus suppleri possunt. *Resp.* In primis existentia virtutis in nostris principijs est virtus ipsa, ut initio notavimus. Deinde non est de ratione puræ conditionis quod possit à Deo suppleri; ut patet in cognitione, quæ juxta communem sententiam essentialiter prærequiritur ad amandum; utque vel Adversarij fati debent in re præsentibus, cum existentiam causæ doceant esse essentialiter necessariam saltem in



aliquo instanti, vel tempore præcedente productionem effectus.

10 *Objic. 5.*: vivens, dum moritur, verè mutatur; & tamen in mortis instanti jam non est: potest ergo res non existens veram subire mutationem: ergo & causare. *Resp.* In morte viventis sola materia est, quæ proprie & physicè mutatur; quia mutatio physica requirit transi- tionem ejusdem subjecti actu existentis ab uno termino ad alium: vivens autem non aliter in morte mutatur, nisi quatenus erat, & jam non est; quæ dici solet mutatio logica, in quâ subjectum sub utroque statu non est idem, nisi per alienationem. Ex mutatione autem istiusmodi ineptè ducitur paritas ad causalitatem. Quis enim non rideat sic arguentem: Vivens, dum moritur, verè non est: ergo res non existens potest causare? Numquid hîc militant, vel per umbram, argumenta nostra?

11 *Objic. ult.*: causa finalis, dum non existit, causare potest: ergo & efficiens. Sed cur non inferat, causam efficientem posse causare priusquam existat? Vel, etiamsi nunquam existerit, nec exitura sit? Cum ita possit causa finalis. Nemo dubitat, quin omnis causa requirat existentiam, vel in eodem causalitatis instanti, vel saltem in aliquo præcedenti. An autem existentia debeat esse physica, an intentionalis, an moralis, colligitur ex modo influendi uniuscujusque causæ: ex quo omnes colligunt, finali causæ sufficere præexistentiam intentionalem; causæ verò physicè efficienti,

necessariam esse physicam existentiam, & morali moralem. Non ergo controversia est, an causa physica debeat physicè præexistere? sed an existentiam istam retinere debeat in instanti causalitatis? Ad quod negandum ineptè arguitur ab existentia physicâ finis, cum apud omnes constet, hanc existentiam de materiali se habere ad finalizandum. Debet igitur argui ab existentia intentionali finis ad existentiam physicam efficientis. Sic autem argumentum pro nobis est: nam causa finalis causare nequit (saltem assuetus internos, quos intrinsecè specificat), nisi ut actu existens intentionaliter.

12 Ad extremum adverte, quòd, cum Thomistæ dicunt, causam virtute saltem existere semper ac producit effectum, nomine virtutis hic non intelligunt aliquid à causâ præteritâ relictum, quod sit virtus influens in effectum, qualiter v. g. impulsus projecti lapidis in ejus motum insitit (sic enim minime dissentiremus, ex n. 1.): sed intelligunt effectum ipsum, aut causalitatem, in quâ resplendet virtus causæ. Quare in hoc sensu, causam existere; non in se, sed in virtute, nihil est aliud, quàm existere causalitatem & effectum, quàmvis non existat causa, nec ejus virtus influiva. Et hoc est, quod Aristotenus

impugnavit.



CAP.

CAP. II.

UBICATIO, DURATIO, ET  
Subsistentia Causæ, quatenus  
requirantur ad cau-  
sandum?

1 **S**res posset existere, & nihilominus absolvi divinitus ab omni loco, & tempore, non videretur omninò necessaria causa ubicatio, seu præsentia in loco, nec ejus duratio in instanti productionis effectus: quia posset sine hisce modis causa verè existere, ac proinde verè continere perfectionem effectus; nec ex alio capite apparet essentialis necessitas talium modorum. Sed, quia ferè omnium sententia negat, posse rem existere, quin existat in aliquo loco, & tempore, vel instanti, debet utique causa actualiter durare, & ubicari, dum causat; quia nequit causare, quin existat, & existere nequit, quin duret, & ubicetur.

2 Sed dubium est, an ubicatio (idem puta de duratione, si consistat in modo à re durante distincto) an ubicatio sit prærequisita, seu pertinens ad actum primum causæ proximè expeditæ ad causandum? *Resp. 1.*: ut res producat suam ubicationem, non requiritur ubicatio ex parte actus primi. Quia nec requiritur ubicatio illa, quæ producitur, cum nequeat præcedere temetipsam; nec alia ubicatio distincta; ne alioquin (quod nemo admittit) res in eodem instanti duas ubicationes naturaliter habeat, cum certum sit, totum actum primum existere

in eodem instanti cum effectu: Hinc, etiam dum quis acquirit præsentiam in loco A. per motum immediatum à loco B., non intelligitur pro signo priori formalis præsentia in B.; nam alioquin res effet in eodem instanti præsens duobus locis. Solam ergo præintelligitur præsentia in A. radicalis, consistens in eo, quòd res pro signo priori determinata sit ad reliquendam ubicationem in B., & adquirendam, in A, vel ratione impulsus, vel ratione voluntatis propriæ, vel Divinæ.

3 *Resp. 2.*: nec prærequiritur ubicatio, ut res in se producat propriam subsistentiam, aut proprietates suas, vel alios actus immanentes. Quia non prærequiritur in primis titulo indistantiæ inter agens & passum, cum res indistantiam habeat respectu sui, non ab ubicatione, sed ab identitate: nec aliunde apparet, cur debeat intelligi pro priori; non enim meretur ubicatio prius exigi, quàm aliæ perfectiones intrinsecæ, nobilioresque; nec est cur non possit concipi virtus sufficiens ad ejusmodi effectus, nullo ex capite impedita, præscindendo ab ubicatione. *Dices*: virtus causæ antè omnem effectum præintelligi debet ut existens: sed existere nequit nisi alicubi, sive in loco aliquo ubicata: ergo præintelligi debet cum aliquâ ubicatione. Verum hoc probat, quòd pro priori ad primam ubicationem debet intelligi ubicatio, quod est absurdum. Non ergo illa omnia, sine quibus existere nequit in instanti reali virtus causæ, debent intelligi ex parte



actus primi, seu pro priori; sed ea tantummodo, sine quibus concipi nequit virtus expedita, vel saltem in eo statu posita, quem prius exigit habere, quam operetur.

4. *Resp. 3.* ad actiones transeuntes in passum extraneum præsupposita. Hoc aliqui probant ex eo, quod prærequisita sit approximatio agentis ad passum, juxta dicenda *cap. sequ.*; quæ approximatio consistit in ubicationibus proximis utriusque. Sed dici poterit, sufficere pro priori signo ad agendum, approximationem radicalem, explicandam ex dictis *n. 2.* Melius ergo probatur ex eo, quod res, quæque regulariter prius exigit perficere se, quam subjectum extraneum: prius enim debet sibi consulere, quam alijs. Unde communis doctrina est, quod substantia prius producit proprietates suas, quam transeunter operetur. Cum ergo ubicatio agentis sit quædam ejus perfectio intrinseca, produci debet pro priori ad operationes transeuntes. Eadem doctrina, ut jam præmonui, applicanda est durationi, si consistat in modo superaddito. Quodsi ubicatio & duratio inter se comparentur, neutra videtur alteram præcedere, sed concomitanter produci, aut resultare.

5. Quod substantiam attinet, si consistat in positivo, dicendum est 1., non esse virtutem influivam in operationes & effectus naturæ, ut optimè probat P. Suar. *d. 24. Met. f. 7.* Dicendum 2., substantiam esse conditionem per se

prærequisitam ex parte naturæ ad operationes omnes, sive immanentes, sive transeuntes, præter ipsius substantiæ productionem. Ita communis sententia cum P. Suar. *loc. cit.*, contra P. Vazquez; & alios. Et imprimis quoad operationes transeuntes probatur ex nuper dictis: quia natura prius exigit perficere se, quam aliud. Deinde quoad immanentes, etiam si tendant ad proprietates connaturales, probari potest: quia sola substantia est proprietates substantialis, quæ naturam in suo proprio genere perficit, & in suo esse substantiali plenè constituit; cum proprietates ceteræ sint accidentales, & esse accidentarium naturæ tribuant. Prius ergo natura exigit, etiam executionis ordine, substantiam, quam alias proprietates. *Prob. Conseq.*: quia prius debet exigere perfectionem sibi magis cognatam; prius esse proprium, seu proprii generis, quam adventitium; prius esse per se, quam esse per accidens, sed etiam nisi hoc probetur esse dispositio præparans ad illud, quod in præsentia nullatenus probatur. Huc spectant axiomata illa, *Prius est esse, quam operari, & Operari sequitur ad esse.* Accedit, quod accidens prius debet inherere subjecto, quam operetur: sic autem se habet substantia ad substantiam, ut inherencia ad accidens.

6. Non tamen displicet doctrina P. Ulloa in *Prolegem. Schol. d. 3. c. 1.*: quod scilicet bifariam potest aliquid esse conditio per se præsupposita pro priori ad effectum:

1. immediate & directè: 2. mediata & indirectè. Præsupponitur immediate ac directè id, quo sublato, vel mente præciso, nequit intelligi proxima & expedita potentia causæ ad agendum, saltem absque novo miraculo: qualiter prærequisita est cognitio ad amandum, & approximatio ignis ad comburendum. Atque id genus conditionis directè pertinet ad actum primum proximum virtutis activæ, illumque constituere dicitur. Præsupponitur verò mediata & indirectè, non quidem id omne, quod necessarium est ad existentiam alicujus immediati prærequisiti, ut velle videtur P. Ulloa; sed id, quod ab agente præexigitur antelatione quâdam, quia magis sua ipsius interest, cum tamen, eo præciso, vel sublato divinitus, possit intelligi proxima virtus agendi absque novo miraculo. Vel aliter: id, quod præexigitur causa, non in gratiam effectus, sed in gratiam sui; non ut expedite operetur, sed ut commodè sit; non immediate titulo agentis, sed titulo rei existentis. Et hoc genus conditionis non constituit immediate & formaliter actum primum proximum ad agendum.

7. Substantia igitur non nisi secundo isto modo conditio est ad agendum prærequisita. Unde & ipse P. Suar. *loc. cit. n. 13.* monet, substantiam prærequiri per se, non ex parte actionis, aut effectus, sed ex parte agentis: id est, non quia actio per se immediate illam præsupponit, sed quia agens illam præexigit ut plene sit constitutum in suo

esse. Idcirco infra *n. 15.* concedit idem Eximius, quod, si natura divinitus privaretur omni subsistentiâ, posset absque novo miraculo exercere operationes alias; quia scilicet nihil illi deesset immediate ac formaliter pertinens ad potentiam proximam operandi. Idem intellige de inherencia accidentis. Communiter enim dicitur, quod accidens, divinitus conservatum sine subjecto, posset citra novum miraculum operari. Quin & ubicatio, quam *n. 4.* diximus prærequiri ad transeunter operandum, non nisi mediata & indirectè prærequiri videtur; quia non apparet, cur præciudendo ab illâ concipi non possit actus proximus ad agendum.

## CAP. III.

DE APPROXIMATIONE  
agentis ad passum.

Quodlibet agens creatum determinatam activitatis sphaeram localem sibi vindicat, ultra quam physice operari nequit. Sphæra hæc dicitur spatium illud, intra quod suas vires exerens, suamvè diffundere virtutem potest: quod spatium majus aut minus est pro mensurâ virtutis, & perfectionis causæ: idèque ingens incendium calorem & lucem longius protendit, quam exigua lucerna: idè etiam Sol amplissimam habet sphaeram, cum vel in terre visceribus operetur.

2. Intra hujusmodi sphaeram dicitur causa uniformiter difformiter operari: uniformiter, quia pro-



ducit effectus ejusdem rationis per totam sphaeram, ut Sol calorem & lucem per totam regionem aeris: *difformiter*, quia intensius agit in sphaerae partem propinquiorem, & remissius in remotiorem; languescit enim virtus & operatio, quò magis ab agente principali recedit. Vel, ut alijs placet, operatur *difformiter*, quia continuo decrescit vigor actionis pro ratione distantiae; sed in hac ipsa difformitate procedit *uniformiter*, quia, si in secunda sphaera parte decrescit uno gradu, in tertia decrescit duobus, in quarta tribus, & sic deinceps uniformi tenore. Hoc tamen exceptionem patitur, quando intra sphaeram activitatis passum (idest, subjectum receptivum), quod remotius est, dispositum invenitur magis, aut aliter, quam propinquum: tunc enim causa in remotiori passu producit effectus intensiores, aut diversae rationis. Sic Sol intensius illuminat chrySTALLAM, quam aërem viciniorum, sed minus dispositum; & producit aurum in terrâ, non in aëre sibi propinquiore, sed aliter disposito.

3 Quamvis autem nulla causa naturaliter agere possit nisi in passum intra illius sphaeram constitutum, ut omnes supponunt; quaeritur tamen 1., utrum divinitus possit agere ultra sphaeram? Quaeritur 2., & praecipue, utrum vel naturaliter vel divinitus agere possit in passum distans (dicitur distans, quodcumque non est contiguum causae). licet intra latitudinem sphaerae situm? an verò debeat agens esse

contiguum passu, illudve tangere immediatè? Contactus hic immediatus esse potest, vel immediatione virtutis, ut cum ignis attingit passum, non per entitatem suam, sed per calorem in medio diffusum, qui dicitur virtus ignis; vel immediatione suppositi, ut cum ignis entitas contigua est entitati passu. Quæstio hæc juxta methodum Aristot. pertinet ad lib. 7. *Physic.*: sed tractanda nunc est; quia propinquitas, sive approximatō agentis ad passum (sive formalis, sive radicalis, de qua *cap. præc. d. n. 4.*) una est ex notioribus conditionibus ad agendum. Tractanda item in solâ efficiente causâ: nam finalis nullam requirit propinquitatem physicam: materialis autem, & formalis, non propinquitatem, sed penetrationem postulant in eodem loco; quam penetrationem per se non exigit causa efficiens, ut experientia docet.

#### ASSERTIO PRIMA.

4 Nulla causa naturaliter agere valet in passum distans, nisi illud immediatè tangat saltem per aliquam concausam, aut virtutem, aut qualitatem propriam, aut seriem actionum, sine interruptione diffusam in medio. Eundem sensum intendunt hi termini frequentiores: *Nulla causa operatur in distans, quin operetur per medium, nisi contingat, ut effectus à se producendos in medio, inveniat jam ab aliâ causâ productos.* Assertio communis est inter Thomistas, & Authores nostros, contra Scotistas, qui hæc contractum ejusmodi necessariam agnoscant in multis agentibus, non

tamen in omnibus, saltem ita ut per se, non per accidens, conducat ad agendum.

5 Probatio sumitur ab experientia. Passim quippe cernimus, impediri actionem agentis in passum, licet intrâ sphaeram positum, quoties interponitur aliquid impediens contactum virtutis ab agente distans. Sic, fenestrâ clausâ, definit Sol illuminare conclave: sic interpositâ manu inter oculos & objectum, definit species ab objecto produci in potentia visivâ: sic ignis non comburitur propinquam stuppam, donec ferream laminam interpositam paulatim penetret. Sic demum, si vacuum daretur inter agens & passum, agens ab influendo cessaret, ut communiter supponunt Philosophi; qui rationem hinc reddunt, cur natura tantoperè vacuum abhoreat, ac vitare curet, ac scilicet interrumpatur influxus agentium, praesertim caelestium in corpora inferiora.

6 Porro hæc, & similia plurima, non aliunde proveniunt, nisi quia interrumpitur diffusio virtutis aut operationis per medium ab agente usque ad passum. Nam fenestrâ clausa v. g. non tollit imprimis, quòd aër cubiculi maneat intra sphaeram virtutis solaris, cum non ideo sit à Sole remotior. Deinde nec aufert intrinsecam aëris capacitatem, nec debilitat virtutem Solis, nec exteriorem lucem extenuat; ut est manifestum. Denique nec producit qualitatem aliquam luci contrariam, cum nulla sit, aut fingi possit, praesertim quæ prodeat

magis à fenestrâ clausâ, quam aperta. Dices, experimentis hæc probari, quòd intendimus, in quibusdam agentibus: non tamen inde confici posse canonem universalem; maxime cum in oppositam asserti soleant ex alijs causis experimenta plurima. Fateor, ex modo operandi quorundam agentium non scribi per deduci posse regulam generalem ad omnia: unde, licet quadam non agant nisi per lineam rectam, ut mox dicam, non ideo est in omnibus idem asserendum.

7 Cæterum in præsentia rationabiliter eruitur universalis canon. Tum quia experimenta nobis faventia, non ex uno vel altero agente sumuntur, sed ex innumeris diversorum generum, imò ex omnibus corporeis desumi possunt: nullum quippe est, cujus operatio non valeat suspendi per corpus aliud quòd interpositum, etiam intra propriam sphaeram. Tum quia, si assertio nostra tenet in Sole, qui maximam activitatem & sphaeram habet inter causas corporeas, jure poterit ad cæteras extendi. Tum quia opposita experimenta non urgent, ut patebit *cap. sequ.* Tum quia commune censetur esse omnibus agentibus, interjecto vacuo non agere. Tum demum, quia experimenta nostra roborantur generaliratione: quòd scilicet omnis causa finita limitatam spatij sphaeram sibi determinat, ut inficiatur nemo: & limitationis unica ratio est, quia, cum debeat operari per medium ut agat in distans, plus virtutum impendit, quò major est distantia,



sicque progressu ipso fatigatur, ut tandem siltat, impotens ultrà progredi: si enim in medio non insumuntur vites, distantia major, aut minor, impertinens omninò videtur ad agendum.

#### ASSERTIO SECUNDA.

8 *Causa potest divinitus agere in distans, sive intrà, sive ultra naturalem spheram, etsi non operetur in medio, nec passo contigua sit etiam per virtutem in medio diffusam, imò etsi per vacuum separetur à passu, vel à loco, ubi producit effectus.* Ita communis in omnì Scholà sententia. Ratio est: quia nulla in hoc apparet contradictio, ut ostendet objectionum solutio. Præterea, quòd perpetuo experiamur oppositum, probat quidem necessitatem naturalem, sed non essentialem; cum plura similiter experiamur, quæ tamen non sunt essentialiter necessaria, sed possunt divinitus aliter accidere; ut quòd materia semper habeat formam, quòd forma materialis semper sit in subiecto, quòd Sol perpetuo luceat, quòd corpus cum corpore non penetraretur. Accedit, quòd indistantia, vel approximatio agentis ad passum, mera est conditio ad agendum. Conditio autem, nisi positive probetur essentialis, debet asseri pure naturalis, divinitusque supplebilis; quia non sunt multiplicandæ conditiones essentialis absque necessitate: unde communiter dicitur, dari posse divinitus generationem tub tantalem sine alteratione præviâ, licet hæc ad illam conditio sit naturaliter necessaria.

#### ASSERTIO TERTIA.

9 *Causa potest naturaliter agere immediate in distans, dummodò virtutem, aut operationem aliquam eousque diffundat, vel saltem cum alijs concavis eousque protensis continuetur.* Explicatur Assertio: Ut Sol aurum sub terrâ producat, debet quidem per medium eousque protendere calorem, & alias qualitates; ipsa tamen auri productio pender etiam à substantiâ Solis distante, ut à causâ immediatâ immediatione, non loci, sed causalitatis. Item, dum ignis vicinum aerem calefacit, productio caloris immediate profuit, non solum ab extrema superficie ignis, aeri contiguâ, sed etiam à partibus ignis interioribus, quæ ab aere distant. Sic in alijs plurimis accidit. Assertio, sic explicata, inter Nostros & Scotistas receptissima est, contra Thomistas censentes, omnem effectum immediate produci à solâ virtute passo contiguâ, licet sæpe attribuat agentis distanti.

10 *Probat: quia sæpe contingit, effectum productum in loco distante perfectiorem esse virtute in medio diffusâ, & passo contiguâ, ejusque activitatem superare: tunc ergo non pot. rit effectus produci à solâ virtute contiguâ, sed immediate pendere debet ab agente distanti.* Anteced. ns patet 1. in productione auri sub terrâ: cum enim aurum sit effectus substantialis, nequit adæquate produci à virtute Solis accidentaliter diffusâ per medium, ex dicendis disp. 5. Patet 2. in splendore Lunæ, quem à Sole pro-

provenire demonstrat eclipis: nam is splendor produci nequit à solâ luce aëris aut ætheris contigui, utpotè remissiore: certum quippe est, quòd remissa lux intensiorem se solâ non efficit. Patet 3. in exemplo ignis nuper indicato: dum enim contagrat mons ingens, lucem & calorem extra se producit longius, & intensius, quàm si sola extrema superficies montis arderet: non ergo à solâ externa superficie, sed ab interioribus etiam incendij partibus, quæ ab extremo aere distant, immediate provenit productio lucis, & caloris.

11 Atque hinc ratio redditur, cur pars cubiculi, quæ lineâ rectâ solares excipit radios, magis illuminatur, quàm partes aliæ collateralales, æque, vel minùs à Sole distantes: quia scilicet pars illa directe opposita Soli, non à solo lumine contiguo, sed à Sole ipso distante illuminatur; quòd non accidit partibus e latere positis. Sol etenim (ut pieraque alia agentia, licet non omnia) vel unice, vel fortius agit per lineam rectam, quàm per obliquam; idest, per spatium, in quo ab agente usque ad passum duci potest linea recta sine offenculo alicujus corporis, aut vacui, continuatam operationem abruptentis: quæ recta linea duci nequit à Sole usque ad partes cubiculi ad latera fenestæ positas, propter obstaculum parietum. Et hæc eadem ratio est, cur interpositâ manu non recipit visus speciem objecti distantis: quia nimiam speciem in oculis produci debet, non à solis speciebus in aere

proximo collateraliter diffusis, sed ab objecto ipso, cujus lineam rectam interrumpit objecta manus.

#### ASSERTIO QUARTA.

12 *Agens naturaliter operari potest in distans, quavis non operetur in medio, dummodò continuetur usque ad passum cum alijs agentibus aut virtutibus partialiter concurrentibus ad effectum.* Ita PP. Suar., & Hurtad., quos citat & sequitur P. Quiròs, d. 57. s. 4., & communiter nostri Recentiores. Probat experimento montis conflagrantis nuper adducto: nam partes incendij remotiores immediate concurrunt cum propinquis ad producendum calorem exterioris aëris; cum tamen non agant in partes ignis aëri viciniore, quia *Simile non agit in simile*, juxta commune proloquium. Dices, interiores incendij partes agere per medium, saltem conservando partes exteriores ignis. Sed contra est, quòd conservatio ista de materiali se habet, neque attentens est necessaria, ut idem calor in aëre externo producat. Tum quia potuit incendium incipere à partibus exterioribus, & tunc istæ non conservarentur ab interioribus, cum potius essent earum cause; nec tamen minor ad extrâ calor emicaret. Tum etiam, quia si totum incendium conservaretur à solo Deo, non idèò minùs calefaceret externum aëra, proindeq. non minùs ageret penes omnes partes.

13 Unde colliges, quòd, si tota lux & calor, in regione aëris à Sole proveniens, conservaretur à solo Deo, præsentè Sole, non idèò



Sol desineret in terram agere, sicut modò, simul cum luce, & calore terre proximo, tamen nihil tunc operaretur in medio. Tum quia nulla ratio in contrarium apparet. Tum quia causa æque operatur cum virtute partiali, quã indiget, sive hæc à causã ipsã, sive à Deo solo producat; ut cernere est in specie, & habitu, quibus Intellectus, & Voluntas juvantur ad operandum. Indiget ergo causa distans juvamine virtutis, aut qualitatis ad effectum conducentis, in medio diffusã: sed quòd ea virtus, aut qualitas, producta sit ab eadem causã, vel ab aliã, nihil interesse videtur.

*Summa totius doctrinæ.*

14 Doctrinæ de approximatione agentis ad passum, aut locum effectus, summa est: Quòd agens quodlibet actione transeunte operari potest divinitus in quacumque distantia sine operatione per medium, imò licet intercedat vacuum. Caterùm naturaliter operari nequit, nisi intra certam spatij spheram, quæ major, aut minor est pro diversitate causarum. Intra hanc autem spheram debet agens esse passò contiguum uno è tribus modis. *Vel 1.* immediatione suppositi, ut cum ignis còburit immediatum lignis; quo in eventu non requiritur contactus penes omnes partes passu & agentis divisibilis, sed sufficit penes aliquam, ut ceteræ sint satis applicatæ ad immediate influendum. *Vel 2.* immediatione virtutis, ita ut, licet agens principale sit distans, juvetur tamen aliqua dissimili virtute partiali, ab agen-

te usque ad passum continuatè diffusã (sive ab eodem agente, sive ab alio productã), ut cum ignis simul cum calore interjacente producit aliquid in loco distante: tunc enim ex eo calore, & ex substantiã ignis, integratur unum agens adæquatum, quòd penes aliquid sui est contiguum passò. *Vel 3.* immediatione operationis continuatã per modum unius usque ad passum.

15 Notat enim P. Suar. d. 18. *Met. s. 8.*, quòd, quando effectus in distanti productus ejusdem rationis est cum productò per medium, non est opus per se loquendo, ut effectus existens in medio sit virtus partialiter influens in effectum distantem: tunc enim satis conjungitur agens cum effectu isto per continuatam seriem actionum similium; & ultimi termini productio non tam dicitur nova actio, quàm continuatio ejusdem actionis, quæ ab agente incipiens quasi progressa est usque ad terminum ultimum. Sic manus imprimet impetum, non solum in superficiem lapidis, quam tangit, sed etiam in ulteriores partes lapidis, quas non tangit nisi per continuatam productionem similis qualitatis; non enim eas tangit per se ipsam, nec per virtutem intermediam, cum impetus, ut multi censent, non sit productivus alterius impetus, sed solius motus localis.

16 Quando verò effectus ab agente principali distans diversæ rationis est, aut specie dissimilis effectui productò per medium, tunc necesse est, ut effectus interjacens, sit

sit virtus partialiter influens in distantem, vel saltem in ultimam dispositionem ad illum: quia tunc productio effectus distantis non est continuatio actionis in medio existentis, sed est alia actio diversa, quæ debet naturaliter esse contigua cum aliquã parte agentis adæquati. Hinc Sol non illuminat aërem cubiculi, fenestrã clausã: quia, licet non omnis actio Solis interrumpatur, siquidem continuari potest etiam per fenestram productio caloris; tamen productio lucis est actio diversa, & aliunde calor ad illam minime conducit ut virtus, aut dispositio.

CAP. IV.

ARGUMENTA CONTRA præcedentem doctrinam dissolvuntur.

**A**rgumenta, quæ doctrinæ traditæ obstare possunt, quatuor in classes distribuemus juxta ordinem Affectionum *cap. præc. Contra primam Assertionem.*

1 *Objic. 1.* multiplex experientia operationis in distans, quin appareat operatio per medium. Sic enim fasciantes obtutu nocent: basiliscus hominem aspectu perimit: torpedo piscis, hamo inhaerens, brachium piscatoris torpere facit: aproxis herba ignem concipit è longinq: unguentum amarium, & pulvis sympaticus, vulnera distantia sanant: magnes ferrum dissitum attrahit, nihil interim patiente argento interposito, ut testatur S. Augustinus 21. *de Civit. c.*

4. Sed *respondetur*; in his omnibus nunquam produci quidquam in loco distante sine aliquã operatione per medium: quæ operatio, licet non se prodatur sensibiliter in medio ipso, tamè satis ratione colligitur; tum quia nulla ex ijs causis operatur in quacumque distantia; tum quia in plerisque saltem, ut in fascinantibus, basilisco, &c., interrumpitur actio per aliquid interjectum.

2 Itaque fascinatio, si non ope demonis fiat, provenit à venenatis halitibus, per medium utriusque diffusis, qui ex oculis procedunt excitati ab imaginatione, & attentione intuitis: quã de re differit erudite P. Delcius *Disquis. Magic. l. 1. c. 3. q. 4.* Idem de basilisco dicitur: necnon de lupo raucedinem pastori, quem prior viderit, inducente; de quo Delcius *l. c.* Idem cum proportionem dici poterit de struthiocamello, ac de testudine, de quibus fertur, quòd solo aspectu pullos excludunt ex ovis, quibus non incubant: hoc enim, si verum est, præstant per spiritus igneos ex oculis emissos. Generaliter enim tenendum est, actus immanentes, ut visus, imaginationis, &c., nihil per se agere posse in aliena corpora omninò disjuncta, sed ut suum per accidens, aut occasionaliter, quatenus in proprio corpore commovent humores, qui varios halitus, aut qualitates foras emittunt.

3 Torpedo piscis qualitates per arundinem diffundit noxias, queis brachium piscatoris stupefacit; cujus signum est, quòd solus



piscator, arundinem tenens, venenatur, nullus autem alius, etiam proximus adflet. Aproxis non concipit ignem, donec spatium medium incalescat. Pulvis sympathicus, & urgentum armarium, si operantur in distantia quolibet, virtute demonis agunt, non sua: si verò non ultra certos terminos, fortassis agunt virtute propria, sed non sine aliqua operatione per medium, licet occultâ sensibus; alioquin certa distantia nihil conduceret.

4 De magnete, succino, & alijs, quæ vim habent electricam, sive attractivam aliorum corporum, magna est inter Philosophos controversia, verum per quas qualitates, an per effluvia substantialia corpusculorum, vim suam exercent? Utrovis autem modo aliquid in medio diffundunt. Si dantur ejusmodi effluvia, res est certa. Si verò fiat attractio per qualitates, has quoque recipit medium, licet quandoque solidum, ut jaspis, aut argentum, dividens à ferro magnetem. Hoc planè colligitur: tum quia non in quacumque distantia magnes attrahitur, tum quia nec sufficit medium quodlibet; si enim adamantem, aut hircinum sanguinem, aut alij succum interponas, cessabit attractio, ut passim asseritur, licet aliàs inter magnetem & ferrum distantia sit proportionata. Dum autem S. Augustinus ait, argentum medium nihil pati, loquitur de passione sensibili per motum localem, non de receptione cujusvis qualitatis.

5 Recursum Peripatetico-

rum ad qualitates occultas, ut operatio magnetis, & similes aliæ mirabiles explicentur, asyllum ignorantia vocant moderni Philosophi Corpusculares. Sed merito id facerent, si clarius aut certius aliquid afferrent ipsi. Nunc verò, cum ipsi perpetuò recurrant ad corpuscula variè figurata, varièque mota, licet in multis effectibus dicere non possint qualis figura, qualisve motuum directio sit, & in alijs non nisi divinando, & magnâ cum discordiâ designent figuram, & motum, aut motus causam, nominatim in re magnetica, ubi quot homines, tot sententia; profectò non est cur magis ille, quam iste recursus, asyllum inscitia vocitetur; siquidem utraque pari facilitate patet ignara cuique, & per utrumque æreana natura manent æqualiter impervia.

6 Dicunt alij, qualitatem magneticam immeritò vocari occultam, cum sensibiliter manifestetur motu locali. Sed verò qualitatem occultam dicimus illam, cui non correspondet immediata & propria satisfactio, quâ statim discernatur ab alijs (ut correspondet calori, & frigori v. g.), sed tantum dignoscitur ex effectu aliquo, secundum se indifferente ut à varijs causis proveniat, cujusmodi est motus localis. Obijciant alij, qualitatem magneticam non posse in medio recipi, cum in eo non habeat suum effectum formalem attrahendi, seu determinandi ad motum localem attractionis, ut cernitur in argento interposito. Sed responderi potest, qualitatem à magnete distans in me-

medio non ferreo, non esse formaliter attractivam, sed purè virtualiter, quatenus cum magnete concurrere potest ad efficiendam in ferro distantia qualitatem aliam specie dissimilem, & formaliter attractivam. Unde formalis effectus qualitatis in medio receptæ, est denominare medium proximè optum ad efficiendam qualitatem immediatè motivam ferri versus magnetem. Jam autem cap. præced. diximus, non debere agens operari uniformiter in totâ spherâ, quando intra illius ambitum occurrunt subiecta diversimodè disposita; posseque in loco distantia produci effectum diversè rationis, dummodò effectus in medio existens cooperetur ad illum simul cum agente principali. Hæc ita dixerim, non ut in præsentem quidquam decernam de virtute magnetica, sed ut recursum ad qualitates occultas, sæpe necessarium, à calumniâ vindicem.

7 Obijc. 2.: imaginatio in capite existens movet appetitum in corde residentem, & appetitus potentiam locomotivam, quæ in pedibus est, absque operatione per medium: quæ similiter non intervenit, dum objectum manu tactum, statim ab imaginativâ percipitur. Addi solet exemplum Angeli, qui, ut moveat corpora, non eget approximatione locali: tum quia Angelus non habet situm: tum quia operatur per intellectum, & voluntatem, quæ potentia non indigent contiguitate objectorum. Resp. Imaginatio, sive phantasia, movet appetitum, & hic potentiam exter-

nam, non physicè agendo, sed per modum conditionis inclinando, seu determinando: ut autem ita inclinet, seu determinet, esto supponatur in loco distantia, sufficit sympathia, in eo fundata, quod utraque potentia radice in eadem anima, vel saltem pertineat ad idem suppositum: hinc enim diversæ potentia sic inter se consentire possunt, ut posito unius actu determinetur altera ad operandum. Imaginativa percipit objectum manu tactum non sine operatione per medium: nam à quovis externo sensu ad cerebrum usque citissime transmittuntur species objecti per nervos à natura paratos; de quo in Animastica.

8 Angelus nequit movere corpus loco distans. Et quamvis non habeat situm, habet tamen realem, determinatam, & finitam presentiam, quæ debet esse contigua, sive immediata corpori movendo, saltem penes aliquam partem ejusdem corporis. Dicitur autem agere per intellectum & voluntatem; non quia omnis operatio Angelica sit volitio, vel intellectio; sed quia in Angelo potentia locomotiva, & quævis alia, perfecte subordinatur intellectui, & voluntati. Locutio Angelorum inter se (quæ solet etiam hic obijci) mysterium est vel Theologis imperium. Communiter dicitur non fieri per actionem transeuntem, sed in eo consistere, quod posita volitione unius Angeli mentem suam alteri aperiendi, tanquam conditione naturaliter necessariâ, statim alter elicit.



cit actum percipivum, vel insuadente Deo novam speciem, vel excitante, quam Angelus ipse quasi topicam habebat: quâ de re fasè Theologi in *trac. de Angel.* Non autem negamus, posse aliquid conducere per modum conditionis ad effectum distantem, dummodò virtus activa non distet ab effectu.

9 *Objic. 3.*: effectus in distantiori productus, sæpe perfectior est virtute diffusâ per mediam: tunc ergo à solo agente distante producit; & operatio in medio est per accidens. Sic aurum, sub terrâ productum à Sole, perfectione superat qualitates eousque diffusas. Sic in crystallo intensior lux, & calor à Sole producit, quàm in aère intermedio. Sic fundum lebetis, aquâ fervente pleni, tepidius & temperatius est, quàm aqua superior, & à subiecto igne remotior. Sic etiam, illasâ ab igne papyro, oleum superinfusum fervere solet. *Resp.* Hæc probant quod in 3. *Affert.* diximus *cap. preced.*: sed nihil in favorem Scotillarum. Nam, licet virtus imperfectior effectu, qualis sæpe est quæ in medio diffunditur, nequeat esse causa adequata; potest tamen inadæquate & instrumentaliter concurrere interdum cum agente distante ad productionem talis effectus, vel saltem ad ejus ultimam dispositionem. Sic species impressa, licet imperfectior cognitione, concurrat ad illam simul cum Intellectu. Potest etiam operatio per medium, tametsi non influat partialiter, esse conditio naturaliter necessaria, & sine quâ non, ex naturâ

& indole causæ; quæ natura & indoles nobis per experientiam innouit. Ex quo patet ad 1. & 2. exemplum.

10 Ad 3. dic, fundum lebetis calidius esse, quàm aquam, in principio calefactionis; postea verò, dum jam aqua fervet, idè tepidius esse, quàm superiorem aquâ, quia inferiores aquæ partes, incallescunt, & leviores factæ, superius ascendant, descendantibus interim partibus alijs frigidioribus, & idè gravioribus, quæ fundum lebetis temperant: id quod satis ostendit ebullientis aquæ revolutio. Si tamen aqua tandem ferveat, ut omnes ejus partes æqualiter caleant, non erit tepidum lebetis fundum. Et in his forsitan circumstantijs experimentum fecit P. Arriaga, qui testatur à se non impunè factum. simile quid accidit in papyro, quæ continet oleum; hujus enim crassiores & humidiores particule, descendentes, & papyrum temperantes, combustionem ejus impediunt.

11 *Objic. 4.*: qui lapidem projicit, impulum producit in lapide jam aliquatenus distante; nam impulsus in primo instanti, quo producit, causat motum lapidis: ergo lapidem recedere facit à loco, in quo erat projectori contiguus: ergo in illo primo instanti lapide distare facit à projectore. Negant aliqui, quòd impulsus in primo sui productionis instanti motum causet. Sed quia hoc difficile creditur est, facilius responderetur, ut manus projiciat lapidem, inprimis necessariam esse per modum conditio-

nis præviæ contiguitatem utriusque in instanti antecedenti: deinde in primo instanti præcindi ab utriusque præsentis, donec producatur impulsus, qui præsentias illas determinat: impulsus autem, aut motum prævium, non in solo lapide produci, sed simul etiam in manu fidem intellige de quovis projectore creato, nam de Deo nulla est difficultas), quæ simul & se, & lapidem impellit, ac movet. Hinc fit, ut manus in primo instanti productionis impulsus, vel etiam in aliquo imperceptibili tractu temporis, in quo immediate conservat impulsam lapidis, non separetur à lapide; quia, licet illum recedere faciat à loco, in quo erat, ipsa quoque manus locum mutat, & contiguitate retentâ lapidem comitatur tantisper. Dum autem manus sistit, & lapidem abire sinit, jam impulsus lapidis non amplius immediate pendet a manu, ut est manifestum.

*Contra secundam Affertionem.*

12 *Objic. 1.*: nulla causa operari potest, etiam divinitus, extra suam spheram. *Resp.* Duplex est activitatis sphaera, intrinseca, & extrinseca, sive localis. Sphaera intrinseca, est ratio formalis, sub quâ operatur virtus, sive physica, sive intentionalis; vel est capacitas effectus ad terminandam actionem talis causæ: & spheram hujusmodi nulla virtus transgredi potest. Sic potentia visiva percipere nequit nisi laedum coloratum, nec auditiva nisi sonum. Sic etiam causa pure physica producere nequit effec-

tum, quem nullatenus continet, seu qui non est intrinsecè aptus ad ejus actionem terminandam. Sphaera extrinseca, est spatium illud, sive loci ambitus, intra cujus terminos cohibetur naturaliter activitas causæ: & ultra spheram istam non est cur nequeat divinitus causa operari; quia, licet propinquitas loci sit conditio naturaliter exacta, nullo ex capite probatur essentialiter necessaria.

13 *Replie. 1.*: causa nequit agere, quando non est: ergo nec agere potest, ubi non est. Verùm hoc contra omnes probat, requiri penetrationem localem agentis cum effectu, sicut requiritur penetratio temporis, seu coexistentia in eodem instanti. Quare *neg. Conseq.*: quia potest causa simpliciter nunc existere, ac proinde virtualiter effectum continere, quàmvis non sit in hoc loco, dummodò sit in alio (nam si nullibi est, nihil est): at, si non est in hoc instanti, simpliciter non existit, & nihil continet. *Replie. 2.*: si causa divinitus operans non exigit certam loci spheram, operari poterit etiam in distantia infinita. *Nego sequel.* de infinitudine categorematica: deberent enim causa & effectus existere certis in locis; & implicat in terminis distantia infinita, certis utrimque locis terminata. Admitto tamen infinitudinem syncategorematicam, ita scilicet, ut ultra distantia sit designabilis, ultra quam non possit causa divinitus agere. Nec inde arguitur infinita virtus: nam, licet amplius sphaera naturalis soleat esse argumen-



mentum majoris virtutis, quia plus virium impenditur in agendo per medium; quando tamen nihil per medium agitur, ut in nostrâ hypothesis, de materiali se habet distantia major aut minor ad mensuram virtutis.

14 *Objic. 2:* causalitas, sive actio, nequit divinitus separari localiter ab effectu, cujus est modus: ergo nec à causâ, cum pariter sit modus ejus: ergo essentialiter exigit indistantiam utriusque. *Resp.* Inprimis objectio nimis probat, nempe quod actio penetrari debet cum causâ, sicut penetratur cum effectu. Deinde actio est localiter inseparabilis ab effectu, non præcisè quia modus illius est, sed quia modus ipsi intrinsicus ex proprio munere: nam vel est eductio, vel creatio: si eductio, est intrinseca unio, vel receptio sui termini intra subjectum: si creatio (quam à Deo distinctam nunc suppono,) non habet cui adhæreat intimè, nisi soli termino. At respectu causæ actio transiens non est modus intrinsecus, sed extrinsecus ex munere suo: non enim habet constituere causam intra effectum, aut vice versâ, sed potius constituere se ipsam & effectum extra causam, & extra locum causæ. Ut igitur actio vere dicatur causæ modus physicus, sufficit quod ab eâ sit essentialiter inseparabilis; tum *egressivè*, seu *in egrediendo*, quatenus essentialiter habet egredi à tali causâ; tum *in existendo*, quatenus essentialiter impotens est actu existere in rebus, quin talis causa in rebus existat. De cætero, localis

inseparabilitas ab omni re modificata, non est de conceptu modi ut sic; sed colligi debet ex penultima manere cujusque modi.

15 *Objic. 3:* Finis etiam divinitus movere nequit absque approximatione intentionali, licet hæc non sit ratio motiva, sed mera conditio: ergo nec causa physica potest agere sine approximatione locali. *Neg. Conseq.* nam Antecedens communiter censetur verum: tum quia cognitio non solum est approximatio, sed etiam intentionalis existentia objecti, quæ ita se habet ad genus causæ finalis, sicut ad genus efficientis existentia physica: tum etiam, quia voluntas, ut potentia, ferri non potest in bonum incognitum, quod eo ipso est extra spheram intrinsicam voluntatis. At nulla ratio similis in approximatione locali militat. Quare approximatio ista non est cur statuatur conditio plusquam naturaliter necessaria. *Dices:* actio pendet essentialiter, non solum à virtute causæ, sed etiam à conditionibus prævijs, cum sit etiam earum exercitium & causalitas, saltem in genere causæ moralis. *Resp.* Inprimis hinc ad summum probatur, quod actio in distans diversa foret ab actione in propinquum; non tamen, quod non esset eadem causa, & idem effectus. Deinde neque hæc probatur: nam respectu conditionum, ut causalantium in genere morali, exercitium sive causalitas non est actio physica secundum se præcisè, sed prout à Deo volita intuitu conditionum præsentium, ac velut in gra-

tiam ipsarum: talis autem volitio Dei variatur utique, variatis conditionibus: sed non ideo actio physica debet evadere intrinsicè diversa.

16 *Objic. 4.:* Deus nullo modo potest operari in loco à se distante: ergo multo minus causa creata. Sed verò hinc similiter sequitur contra omnes, quod omnis causa creata debet esse intimè præsens, & penetrata cum effectu: item quod nec mediata agere potest in distans agendo per medium: item quod nequit agere in uno loco, quin sit in omnibus. Deus ergo nequit agere, nisi præsentissimus ubique, non formaliter quia est agens, sed quia est immensus. Nam, si fingatur immensitatem deficere, manente in Deo integrâ virtute agendi, quæ modò est, posset Deus agere in quacunque distantia imaginabili. *Replic.:* immensitas Dei, quæ est ubique præsens, probari solet ex eo, quod Deus operatur ubique: quo argumento usus est Apostolus *Act. 17.*, probans, Deum non longè esse ab unoquoque nostrum, quia in ipso vivimus, movemur, & sumus. Operatio igitur infer essentialiter indistantiam agentis.

17 *Resp.* Plures cum Scotto negant, ex operatione Dei benè probari præsentiam localem, aut immensitatem, sed hanc dicunt esse attributum immediatè conveniens essentiæ Divinæ ratione sui, non ratione potentia operativæ. Apostolum autem sic intelligunt, ut significet, vel quod Deus præsens ubique sit per cognitionem, providen-

tiam, & curam rerum omnium; vel etiam, quod Deus non longè sit à cognitione nostrâ naturali, quæ possimus cum ex effectibus detegere, & quodammodo *attrectare*, ut loquitur Apostolus; siquidem *in ipso*, idest, per virtutem ipsius, vivimus, movemur, & sumus: quæ interpretatio facis consonat toti contextui, ut ostendit P. Vazq. *in 1. p. d. 28. c. 4.* Sed verius fortasse dici poterit, illationem, quæ ex operatione colligitur præsentia Dei, & ex infinitâ actione possibili colligitur immensitas, non in eo fundari, quod agens & passum debeant esse simul, sed in proportione vel paritate rationis; nam si Deus in omnibus operatur, ergo & in omnibus est, cum non sit minus infinitus in existendo, quàm in operando. Fundari quoque poterit in argumentatione mediata, quæ non tenet in agente quovis, sed in Deo solo: nimirum, si Deus ubique operatur, potest ubique esse; nam onticè agens, licet non debeat, potest tamen esse ubi operatur: si autem Deus potest ubique esse, jam ubique est à æterno; quia nequit moveri localiter, aut novam præsentiam adquirere, cum sit immutabilis.

*Contra tertiam.*

18 Adversus tertiam Assertionem pleraque argumenta modò soluta militare possunt. Sed peculiariter *objic.:* Causa loco distans, ut Sol à terrâ, æquè distat à passo, sive operetur per medium, sive non, sive continetur usque ad passum medijs alijs virtutibus, aut actionibus, sive secus: ergo neutro in casu po-



reus immediate agere in passum distans. *Prob. Conseq. 1.* : quia causa immediate agens, debet immediate attingere passum; alias non erit applicata. *2.* : quia, juxta Aristotel., movens & mobile, idest, agens & passum, debent esse simul: quod etiam sæpe confirmat D. Thomas, nominatim in *1. d. 37. q. 1. art. 1. ad 2.* dicens; *Illud, quod agit per suam absentiam, non est causa proxima ejus, quod fit, sed remota: virtus enim Solis proxime imprimitur in corpore sibi conjuncto, & sic deinceps usque ad ultimum.* *3.* : quia agens comparatur ad passum, ut actus ad potentiam: actus autem & potentia localiter conjungi debent. *4.* : quia manus intra mare non magis frigescit, quam intra puteum; quod tamen aliter contingeret, si partes aquæ maris distantes immediate concurrerent cum vicinioribus ad frigefaciendum. Atque hinc enervatur experientia de monte conflagrante, adducta *cap. preced.*

*19 Resp.* Causa distans, licet secundum suam entitatem æquè distet à passu in utroque eventu, distat tamen aliter: nam, dum agit in medio, vel cum medio, ejus distantia non excludit approximationem mediatam & virtuales, quam ratio & experientia docet esse conditionem naturaliter necessariam, ut causa operetur in passu distanti; & quâ positâ nihil obest distantia suppositi, vel partis ejus, dummodo passum aliunde sit intra spheram agentis. Hinc *neg. Conseq.*, quia obstant probationes. *Ad 1.* : causa

immediate agens debet immediate attingere passum immediate causalitatis, ac dependentiæ, quatenus causalitas in passu exercita pendet & oritur à tali causâ, non præcisè per aliam causam intermediam, sed per se, ac ratione sui: non tamen debet semper immediate attingere passum immediate quantitatatis, aut loci; nam sæpe in hoc genere sufficit attingentia mediata per virtutem aut actionem in medio diffusam, ut causa censeatur applicata passu.

*20 Ad 2.* movens & mobile debent esse simul, tum similitate temporis, vel coexistentiæ in rerum naturâ; tum etiam similitate locali, mediatâ saltem, quæ scilicet excludat interruptionem virtutis aut operationis in spatio intermedio. D. Thomas autem loquitur de causâ distante, secundum se spectatâ; quæ, quia non potest proxime agere in distans, nisi prius ordine naturæ operetur in medio, idè dicitur *remota*, idest, *remotè potens*, donec per illam priorem operationem constituatur *proxima*, idest, *proximè potens* ad effectum distantem immediate causandum. Sic materia secundum se dicitur potentia remota ad formam ignis, nec sit proxima, nisi per dispositiones accidentales; & tamen materia per se immediate recipit formam ignis.

*21 Ad 3.* actus informativus debet localiter conjungi cum potentia informabili, seu receptivâ; non ita verò actus effectivus, dum comparatur ad potentiam passivam, ex quâ suos effectus educit; non

non enim unicitur cum tali potentia, nec cum eâ componit unum ens; alioquin deberet cum illâ penetrari. *Ad 4.* : distantes partes aquæ maris idè non agunt cum vicinioribus in manum, quia ipsarum actio retardatur, aut impeditur à varijs causis, cœlestibus, & subterraneis, quæ inducto calore temperant marinam aquam, & magnâ ex parte nativo frigore privant. Non sic impeditur actio ignis in monte conflagrante; quia non ita facile privatur ignis calore intenso.

*Contra quartam.*

*22 Adversus quartam & ultimam Assertionem objic.* : Actio egreditur ab agente, & transit usque ad passum; unde & appellatur *actio transiens*: ergo transire debet per medium: nam, sicut corpus transire nequit de loco in locum distantem, non transeundo per medium, ita nec actio. *Resp.* Actio non egreditur ab agente, sicut sagitta egreditur ab arcu, & pervenit ad scopum, quasi prius in agente existat, & inde saltet, aut volet ad passum: hæc est imminuta Minervæ intelligentia est, cujus absurditas in actionibus Dei ad extrâ manifeste patet. Actio igitur incipit primò existere intra passum, ex quo educitur, & in quo recipitur: sed quia inibi existit virtute & efficacia agentis, idcirco ab agente *egredi* dicitur, vocaturque *transiens*, ut discernatur ab actione immanente, quæ non in passu extraneo, sed in agente ipso recipitur. Ita loquimur ex panurâ vocum: sed notionem vulgarè mente corrigimus. Hinc ex

tra rem est transitus corporis de loco in locum, cum supponat, existisse corpus antea in uno loco, ex quo migrat in alium. Qui de totâ illâ questione plura velit, adeat P. Suar. *d. 18. Met. f. 8.*

## CAP. V.

### CÆTERA PRÆREQUISITA generalia indicantur.

**P**Ræter hætenus explicata, solent ex Aristotele postulari ad agendam tria prærequisita generalia. *1.* distinctio agentis à passu. *2.* dissimilitudo inter utrumque. *3.* proportio majoris inæqualitatis. Hoc ultimum per se patet evolutis terminis: significat enim, inter agens & passum talem prærequiri proportionem, ut major sit virtus in agente, quam resistentiæ in passu. Primum, & secundum, multa indigent discussione, quam in decursu Philosophiæ pro opportunitate dabimus; quamque interim videre licet apud Exim. Doctorem *d. 18. Met. f. 7. & 9.* Nunc fati sit dicere quantum ad primum; illud inaiti principio generali, ab Aristotele tradito, *Omne, quod movetur, ab alio movetur*: unde infertur, quod, cum passum moveatur ab agente, debet ab eo distinguï; non quidem semper distinctione suppositorum (constat enim, sæpe idem suppositum agere & pati motum, ut cum homo se movet), sed distinctione saltem partis à parte, vel facultatis à facultate; ita ut, licet suppositum idem sit, tamen alia pars agat, alia patiatur motum,



tum, vel alia sit facultas aut potentia proximè activa motus, alia proximè receptiva: alia, inquam, saltem alietate inadæquatâ, seu distinctione includentis ab incluso, ita ut facultas activa distinguatur à receptivâ saltem secundum aliquod principium, seu virtutem partialem.

2. Distinctio ista, sic exposita, requiritur generatim in omni agente, si non sit purè creatum, sed consideretur prout adjunctam habens virtutem primæ causæ cooperantis: sic enita certum est, adæquatam potentiam activam semper à passivâ distingui saltem inadæquatè, nempe quâ parte includit virtutem primæ Causæ. Si tamen de virtute purè creatâ, æquivocè operante, sermo sit, principium illud (quod ab Aristotele traditum est vel unice, vel potissimè de motu physico tendente ad generationem substantialem) non est univèrsaliter verum: nam saltem actus voluntatis ab eadem potentia fiunt, aut fieri possunt, in quâ recipiuntur, cum solâ distinctione rationis imperfectâ. Nec obstat 1, quod agens comparatur ad passum, ut actus ad potentiam. Nam comparatio ista solum significat, quod agens potest actuare passum per aliquam formam à se productam: nulla est autem contradictio in eo, quod agens producat formam accidentalem, per quam ipsummet actuatur, ac perficiatur.

3. Nec obstat 2., quod respectu effectus producendi agens dicatur esse *in actu*, & passum *in potentia*. Nam hoc intelligendum est

de actu primo, & de potentia ad actum secundum; vel, quod in idem recidit, de actu virtuali, & de potentia formali. Nullo autem ex capite repugnat, quod eadem voluntas v. g. præsupponatur in actu primo, seu virtuali, ad amandum (idest, actualiter habens virtutem productivam amoris), & simul in potentia ad recipiendum amorem formalem, tanquam actum secundum illius actus primi. Nec obstat 3., quod agens dicatur subicere sibi passum. Nam hoc *subicere* metaphoricum est, & præcisè significat agens producere formam, quam passum recipiat. Nihil autem prohibet ex terminis, formam aliquam ab eodem recipi, à quo producitur. Nec semper est necessaria relatio realis inter agens, & passum specificativè sumptum, sed solum inter agens, & effectum, seu terminum formalem.

4. Quod attinet ad secundum, commune prologium est, ab Aristotele traditum, & experientiâ comprobatum, quod *Simile non agit in simile*. Hoc maximè locum habet in actione alterativâ, seu corruptivâ formæ in passu existentis; non enim aqua per se destruit aquâ, nec ignis ignem. Locum etiam habet in actione intensivâ; non enim unum luminosum intenditur ab alio simili: unde, si uni lucernæ admoveas mille alias, non idèò lucidorem invenies. Eodem spectat hoc aliud principium, *Omne agens intendit assimilare sibi passum*; nempe, vel similitudine specificâ, dum agens est univocum; vel similitudine genericâ, sive analogicâ, dum agens

agens est æquivocum. Quare, si jam assimilatio præsupponitur, cessat finis actionis, ac proinde cessat actio ipsa. Prærequiritur ergo, ut necessaria conditio ad agendum, dissimilitudo, seu carentia similitudinis inter agens, & passum. Hoc tamen (ut alias exceptiones omittam, alibi discutiendas) ita intelligendum est, ut simile non agat in simile actione præsupponente similitudinem; bene verò, actione similitudinem efficiente, aut conservante. Intelligendum item sic, ut solum obstat similitudo passivi cum agente secundum proximam virtutem agendi: nam, licet deur similitudo substantialis inter aquam frigidam, & calidam, altera tamen agit in alteram accidentaliter, quia sunt dissimiles in qualitate, quæ est proxima virtus agendi.

5. Superfunt adhuc alia quædam prærequisita, breviter percurrenda. Et 1. quidem, ad actionem substantialem prærequiritur in causis secundis, tum ex parte agentis, tum ex parte passivi, certum temperamentum qualitatum; quod varium est pro varietate agentis, & formæ producendæ. Hinc ignis, quantumvis applicatus ligno, non est proximè potens inducere formam igneam, donec materia ligni præparetur per qualitates igni debitas. 2. generaliter ad agendum prærequiritur carentia impedimentorum, quibuscumque existentia effectus coherere nequit. Sed notandum, alia esse impedimenta per actum secundum auferibilia, alia inauferbilia. Respectu agentis liberi dicun-

tur auferibilia, quæ pro libitu agentis auferri possunt eo ipso, quod agere velit. Sic voluntaria fessio impedit ambulationem, & odium liberum impedit amorem: sed utrumque impedimentum auferri potest hoc solo, quod homo velit ambulare, vel amare. Dicuntur verò inauferbilia, quæ nequit agens auferre pro libitu, v. g. ferrea vincula, quibus homo tenetur invictus, ac discedat.

6. Respectu agentis necessarii illud est impedimentum auferibile, quod ipsâ productione effectus auferri potest, & aliunde non habet jus ad existendum naturaliter prævalens juri agentis ad operandum. Sic frigus aquæ impedimentum est caloris inibi producendi; auferibile tamen ab igne validiore per ipsam caloris productionem. Sic etiam forma ligni impedimentum est formæ ignis in eadem materiâ; sed auferibile per introductionem ipsam formæ igneæ quando jam lignum amissis proprijs dispositionibus non habet jus prævalens ad sui conservationem. Illud autem est impedimentum inauferibile, ad quod auferendum per ipsam productionem effectus, non habet agens exigentiam prævalentem cuius exigentiæ naturali contrariæ. Sic illuminationem impedit interpositio corporis opaci: sic etiam præsentia validioris agentis impedit actionem debilioris.

7. Carentia igitur impedimentorum prioris generis requiritur, sed non prærequiritur; nec debet effectum præcedere, sed subsequi:



qui prærequiritur tamen, ac præcedere debet carentia impedimento-  
rum generis posterioris. Ratio est:  
quia causa non dicitur esse in acta  
primo proximo, & prorsus expedi-  
to ad operandum, quamdiu superest  
aliquid exequendum aut auferen-  
dum, priusquam ad actionem per-  
veniatur; seu quamdiu non intelli-  
gitur liberata prorsus ab ijs impedi-  
mentis, quorum ablatio vel non est  
effectus actionis, vel non est in ar-  
bitrio, nec in iure agentis: sic au-  
tem accidit, quamdiu non adest  
carentia impedimenti inauferibilis.  
E contrario, quamvis pro priori  
non intelligatur positivè sublatum  
impedimentum auferibile, sed præ-  
cindatur ab ejus existentia & caren-  
tia, nihil superest ad agendum præ-  
ter actionem ipsam, quæ, si ponatur,  
carentiam inducet talis impedi-  
menti. Et verò, si omne impedi-  
mentum deberet intelligi pro priori  
sublatum, ipsa quoque carentia ef-  
fectus, quæ certè impedimentum  
actionis est, deberet præintelligi ex-  
clusa positivè; cumque non exclu-  
datur nisi per existentiam effectus,  
hic præintelligeretur existens ante  
se; quod implicat.

8 3. prærequiritur existentia  
causæ remotæ conservantis proxi-  
mam. Quia causa creata causare  
non potest, nisi existat, & existere  
nequit, nisi actualiter ab aliâ causâ  
conservetur. Non tamen prærequi-  
ritur causa remota determinata, sed  
aliqua vagè, quando à pluribus di-  
visivè conservari potest causa pro-  
xima. Nec item recensenda est cau-  
sa remota inter prærequisita imme-

diata, & directa, quæ constituitur  
actum primum proximum ad agen-  
dum, sed tantum inter mediata, &  
indirecta, de quibus supra cap. 2. n.  
6.. Ratio est: quia potest plenè con-  
cipi actus primus proximus, quin  
concipiatur ut constitutus per cau-  
sam remotam: dummodò enim ignem  
A. concipias existentem, & ap-  
plicatum materiæ dispositæ, concipies  
proximè potentem comburere, licet  
causam, à quâ producitur, aut  
conservatur, non intelligas consti-  
tutivè inclusam in potentia ista pro-  
ximè combustivâ.

9 Dices: si concipitur ignis  
actu existens, debet concipi existens  
vi alicujus causæ, nec potest ab om-  
ni causâ conservativâ præcindi.  
Resp. Est nequeat ignis existens  
præcindi ab omni sui causâ, tan-  
quam à termino connexionis; po-  
test tamen concipi sine illâ ut con-  
stituente ignem ipsum in ratione  
existentis, & proximè potentis com-  
burere, ita ut in esse talis concipia-  
tur adæquatè distinctus à causâ re-  
motâ, licet cum illâ connectatur.  
Sic rationale non constituitur per  
discursum, nec creatura per Crea-  
torem, nec unio per extrema; sine  
quibus tamen, tanquam terminis  
connexionis, aut relationis trans-  
cendentalis, concipi non potest unio  
& .. Hæc de causâ remota, consi-  
deratâ in suo actu primo: ceterum,  
si de actione producente, aut con-  
servante causam proximam, sermo  
sit, illa fortasse constituit actum  
primum causæ proximæ in esse prio-  
ris respectu effectus producendi.

10 4. denique prærequiritur  
ad

ad causandum possibilitas effectus:  
si enim sit impossibilis, quomodo  
causabitur? Sed duplex distinguenda  
est possibilitas: alia extrinseca, con-  
sistens in ipsâ virtute causæ; & hæc  
possibilitas sine dubio prærequiri-  
tur, ac se tenet ex parte actus primi,  
non ut mera conditio, sed ut pro-  
pria ratio agendi: alia intrinseca,  
consistens in ipsâ cohærentiâ, seu  
non repugantiâ prædicatorum ef-  
fectus; & hæc possibilitas, licet sit  
terminus, quo cum essentialiter con-  
nectitur virtus causæ, non tamen  
constituit actum primum, nec cau-  
sam in esse proximè potentis agere:  
tum quia sine illâ, ut constituyente,  
concipi valet plenus actus primus:  
tum quia talis possibilitas est ter-  
minus, ad quem transcendentaliter  
refertur tota potentia proxima cau-  
sæ; à quâ proinde adæquatè distin-  
guatur necesse est. Idem de possibi-  
litate actionis dictum esto.

II Porro universim obser-  
vandum est, ex eo præcisè quòd res  
A. nequeat existere sine B., non be-  
nè inferri determinatè, quòd A.  
constituitur per B., nisi aliunde pro-  
betur: alioquin constitueretur crea-  
tura per Deum, actio per terminum,  
unio per extrema. Solum ergo in-  
fertur, quòd A. vel constituitur per  
B., vel per aliquid aliud necessariò  
connexum cum B.. Si autem inter

nota & certa constitutiva rei A. nul-  
lum inveniatur necessariò conne-  
xum cum B., sed omnia possint sine  
illo existere; tunc, si nihilominus  
deficiat res A., solo B. deficiente, &  
manentibus cæteris, optime infer-  
tur, quòd A. constituitur per B..  
Non sic accidit in præsentì: nam  
inter constitutiva certa potestatis  
proximæ ad agendum, datur ali-  
quod essentialiter connexum cum  
possibilitate effectus, & actionis,  
nempe virtus causæ.

12 Dices: causa constituitur  
causans per actionem actualem: er-  
go constituitur potens causare per  
actionem possibilem. Neg. Conseq.:  
quia denominatio *causantis* habet  
pro formâ causalitatem, quæ est  
actio: at denominatio *causare po-*  
*tentis* non habet pro formâ possibi-  
litem actionis, sed potentiam cau-  
sæ, quæ est virtus ejus. Fateor, hoc  
concretum, *causa possibiliter cau-*  
*sans*, vel, *causa causans ut possibi-*  
*lis*, constitui per actionem possibi-  
lem; quia constitutiva, quæ ut ac-  
tualia constituunt totum actuale,  
eadem ut possible constituant  
idem totum ut possibile. Cæterum  
ejusmodi concretum plus involvit,  
quàm hoc aliud, *causa potens causa-*  
*re*, cujus forma est, non actio, sed  
virtus causæ.





## DISPUTAT. IV.

DE PRIORITATE NATURÆ. UBI, AN SIT  
possibilis mutua prioritas?

## CAP. I.

EXPLICATUR NATURÆ  
Prioritas.

**P**rioritas naturæ propriè dicta, solum convenit causis respectu effectuum, in quos influunt physicè, vel moraliter. Unde non est confundenda cum prioritate temporis, seu durationis, vi cuius unum existit in tempore, vel instanti, in quo nondum existit aliud postea exiturum: non enim quidquid nos tempore præcessit, est causa nostri, nec prius naturam respectu nostri. Nec item est confundenda universim cum prioritate, seu præcedentia loci, vel perfectionis, vel dignitatis, vel honoris: nam prioritas huiusmodi convenire potest etiam non causis. Nec præterea confundenda est cum prioritate rationis, quæ reperitur interdum inter prædicata solâ ratione distincta, quando unum concipitur ut radix alterius, ut cum rationale dicitur prius admirativo, & admirativum risibili: non enim hic intervenit realis causalitas.

2 Nec denique confundenda est generatim cum prioritate *independentiæ non mutua in essendo*, quæ vocatur etiam prioritas *in subsistendi consequentia*, prioritas *logica*, prioritas *universalitatis*,

*et inconvertibilitatis*; quâ ratione dicitur prius id, quod potest existere sine alio, quin istud aliud possit existere sine illo; sive id, à cuius positione non valet consequentia ad positionem alterius, valet tamen è converso. Quod genus prioritatis reperiri potest, tum inter prædicata realiter identificata, quorum unum est universalius altero, ut animal respectu hinnibilis; tum inter extrema realiter distincta, dum intercedit connexio non mutua: hoc enim modo Deus est prior creaturâ, & anima rationalis prior est unione sui ad materiam.

3 Non, inquam, est confundenda naturæ prioritas cum prioritate istâ *independentiæ*, vel *inconnexionis non mutua*. 1.: quia sæpe datur *inconnexio non mutua sine prioritate naturæ*, v. g. inter hunc numero effectum, & hanc numero actionem: potest enim existere ignis B. sine tali actione ignis A., cum possit ab alio igne, vel à solo Deo prodigi; talis verò actio nullatenus existere potest sine igne B; nec tamen à ignis, vel ullus alius effectus, à naturâ prior actione, quâ producit. 2.: quia sæpe etiam datur naturæ prioritas inter extrema mutua connexa in existendo: ignis enim est naturâ prior calore, quem

quem in se radicat, ut etiam anima suis potentijs; Sol instrâ luce; imò qualibet causa necessaria ultimò disposita est naturâ prior effectu suo: & tamen mutuo connectuntur in existendo ignis, & calor, &c.

4 Nec obstat, quòd Aristoteles 5. *Metaph. c. 11.* dicat, illa esse naturâ priora alijs, quæ ejusmodi sunt, ut sine alijs esse possint, non autem sine illis alia. Loquitur enim de *independentiâ non mutua* titulo causalitatis, ita ut naturâ priora, prout hic, & nunc existunt, possint esse sine alijs, ut causis; non autem sine illis, ut causis, alia, prout hic & nunc existentia. De cætero, quòd alijs titulis mutuo connecti possint, agnoscit Aristoteles cap. 2. de *Postpredicam.*, dicens: *Barum, quæ essentiali consequentia convertuntur, alterum, quod est causa quovis modo, ut alterum sit, prius natura non incongruè dici potest.* Ubi planè supponit, dari posse reciprocam *dependentiam*, & *inconvertibilitatem duorum in essendo*, & tamen posse alterum esse naturâ prius altero, eo quòd sit illius causa.

5 Prioritas igitur naturæ nihil est aliud, quàm *Independentiâ non mutua unius ab alio, tamquam à causa*; ut ex adverso posterioritas naturæ nihil aliud est, quàm *Dependentiam non mutua* &c. Ita communiter Authores, nominatim P. Suar. d. 26. *Met. s. 2. n. 18.* Itaque omnis causa est naturâ prior effectu suo; quia & illum à se pendere facit tamquam à dante esse; & non invicem pendet ab effectu ipso quâ tali (saltem tamquam à causâ ejus-

dem generis) in ratione proxime potentis causare, sed hanc potentiam proximam jam aliunde habere supponitur: imperceptibile quippe est, quòd res A. proxime possit producere rem B., & tamen ad habendum hoc ipsum posse, expectet influxum rei D., prout à se producat. Id quod magis firmabitur cap. seq. à n. 4.

6 *Independentiâ ista non mutua*, fundata in munere causæ, merito vocatur *prioritas*. Tum quia sic appellatur generatim *independentiâ non mutua* ex quocumque titulo. Tum quia est quædam prioritas dignitatis; importat enim quandam muneris præcellentiam, juxta illud Act. c. 20., *Beatus est magis dare, quam accipere*. Tum maxime, quia nequit concipi, nec explicari juxta merita objecti, nisi terminis denotantibus præcedentiam. Nam existentiâ effectus subsequitur existentiâ causæ, ex illâ oritur, & pullulat, illi additur, illi supervenit, ita ut linea essendi progrediatur à causâ ad effectum. At progressus, superventus, additio, pullulatio, subsequutio, manifestè postulant, causam præmitti, præsupponi, præexistere. Cur autem prioritas hæc vocetur *natura*, ratio esse videretur, quòd *natura* dicitur à nascendo, & prioritas istâ fundatur in ordine, quo unum ab alio nascitur, sive oritur.

## Illustrationes.

7 Ex hac explicatione inferes sequentia 1.: prioritas naturæ non invenitur, nisi inter causam & effectum, adeo in processibus Di-



vinis, licet datur prioritas originis, non tamen naturæ; quia non datur ibi causalitas, nec dependentia propriè talis, quæ requirit distinctionem naturarum. 2.: ad prioritatem naturæ de materiali se habet dependentia vel independentia ex alijs capitibus, quàm causalitatis. 3.: pariter de materiali se habet prioritas temporis, licet sæpe datur ex peculiari conditione plurium causarum. Nihil enim prohibet ex terminis, causam verè esse causam, & non mutuò independentem ab effectu, quàmvis illum producat in primo instanti, quo ipsa existit; atque adeò nihil prohibet, dari tunc quidquid requirit prioritas naturæ. Sic Sol in primo instanti suæ existentia, lucem produxit cum prioritate naturæ; ut etiam Angelus intellectionem, & amorem. Imò ad prioritatem naturæ in causis immediatè influentibus, de formali se habet simultas temporis, seu coexistentia causæ & effectus in eodem instanti: nulla quippe causa physica immediatè causat, nisi actu existens.

8. 4.: omnis prioritas naturæ est prioritas à quo (licet hæc latius pateat, cum juxta plures dicatur etiam de prioritate originis in Trinitate): nam eatenus causa est naturæ prior, quatenus est id à quo effectus accipit esse. Prioritas autem in quo, variè usurpatur. Nam interdum, & frequentius, accipitur pro solâ prioritate temporis: interdum etiam, & satis frequenter, pro prioritate naturæ, non cujuscumque causæ, sed inconnexæ cum ef-

fectu; quamquàm, ut discernatur à prioritate temporis, vocari tunc solet prioritas in quo natura. Itaque, dum causa non connectitur, saltem essentialiter, cum existentia effectus, sed indifferens est, ut sine illo existat, idèoque perfecte concipi & intelligi potest actu posita, quin effectus intelligatur existens; tunc dicitur naturæ prior, non solum à quo, sed etiam in quo; & quidem eo strictius, quo magis fuerit indifferens: unde potentiæ liberæ maximè convenit hujusmodi prioritas in quo, quæ etiam vocatur perfectæ præiisimis: Dum verò causa est omninò connexa cum effectu, tunc meram habet prioritatem à quo.

9. 5.: signa naturæ, prius, & posterius, de quibus in Scholis mentio est frequentissima, facillè nunc explicantur. Signum prius nihil est aliud, quàm actus primus causæ, seu causa in actu primo; potestque esse remotum, vel proximum, iisdem gradibus, quibus actus primus, juxta dicta disp. 2. c. 5. n. 23.. Signum posterius nihil aliud est, quàm effectus prout à causâ dependens. Hæc signa ista non sunt instantia temporis, nec partes alicujus instantis: sed signum prius (de proximo loquor) adequatè identificatur cum complexo ex virtute causæ, & prærequisitis ad causandum; signum autem posterius, cum causalitate, & effectu: neque aliud est, intelligi vel existere aliquid in signo priori, quàm esse virtutem causæ, vel prærequisitum ad causandum; ut non est

est aliud, existere in signo posteriori, quàm existere per modum effectus.

10. Ex quo patet, quàm facillè verificentur in sensu reali plures propositiones, quæ tyronibus difficultatem ingerunt, dum referuntur ad signa prius, & posterius, existentia in eodem instanti temporis indivisibili, ut reverà existunt quoties effectus actu causatur. V. g. effectus existit in toto instanti, & tamen non existit in signo priori: item, in signo priori non intelligitur, nec realiter datur effectus, nec ejus carentia: item, pro signo priori datur indifferentia, & pro posteriori determinatio. Propositiones, inquam, istas, & similes alias, verissimas invenies, si modo signa rectè intelligas. Nam prima significat, effectum existere quidem in toto instanti, sed non idè esse causam sui, nec prærequisitum ad causandum se: secunda, nec per effectum, nec per ejus carentiam constitui causam in esse proxime potentis causare: tertia, causam in esse proxime potentis (quando habet prioritatem in quo, de qua n. 8.) non constitui per aliquid necessariò connexum magis cum effectu, quàm cum ejus carentia; effectum verò ipsum, & productionem ejus omninò excludere carentiam sui pro hoc instanti. At in his omnibus nec umbra contradictionis est.

11. Unde colliges, distinctionem hujusmodi signorum, & prioritatem naturæ, non esse opus rationis, sed quid omninò reale,

Nam independentè à nostris conceptibus datur in eodem instanti dependentia effectus à causâ, & independentia causæ ab effectu: datur item distinctio inter actum primum, & actum secundum, sive inter causam cum prærequisitis ad agendum, & effectum ut inde fluentem. Fateor, sæpe à nobis apprehendi prioritatem naturæ instar prioritatis temporis, & signa prius, & posterius considerari instar partium, aut cellularum ejusdem instantis; quâ de causâ interdum appellantur instantia naturæ, & instantia rationis. Sed aliud est apprehendere instar, aliud judicare, vel attribuere: apprehendimus enim Angelum instar alati juvenis, nec tamen illi corporeitatem attribuimus. Quinetiam, cum dicimus, causam in signo priori præscindi ab effectu, sermo est de præcisione reali, quæ duplex esse potest: altera inconnexions, sive indifferentiæ, quæ solum convenit causis prioribus in quo: altera non inclusionis, quæ convenit etiam causis prioribus purè à quo; hæc quippe, licet concipi nequeant sine effectu tanquam termino connexionis, non tamen illum constitutivè includant in suo actu primo.

12. Immeritò igitur quidam, idiomatis Scholarum osiores, doctrinam de signis priori & posteriori quasi vanam speculationem calumniantur: plurimum enim interest accuratè discernere in rebus simul existentibus, quid pertineat ad signum prius, quid ad posterius; ut inde sciamus, quid habeat munus



causa, quid causati. Duo hic observanda. *Primum*, dari posse in eodem instanti non duo tantum, sed tria, vel plura signa naturæ, si nimirum detur series plurium causarum & effectuum. V. g. in eodem instanti datur 1. signum, quo Deus est naturæ prior Angelo, quem creat; 2. signum, quo Angelus est prior suæ potentiæ intellectiva; 3. signum, quo intellectus Angeli prior est intellectu; 4. signum, quo intellectio est prior amore, &c. *Secundum*, signa prius, & posterius inveniri, non solum in primo instanti productionis effectus, sed etiam in quocumque instanti conservationis: ejusdem effectus ab eadem causâ; cum in quolibet habeat causa suum actum primum, & actum secundum.

13 6.: naturæ simultas, quæ naturæ prioritati contraponitur, explicanda est per consortium causalitatis. Quare illa dicuntur esse simul naturæ inter se, quæ per eandem actionem producuntur, ut juxta plures materia, & forma Cælestis nec tunc efficiunt duo signa, sed unicum, quia producuntur per modum unius effectus. Quod si duo effectus in eodem instanti producuntur ab eadem causâ per distinctas actiones, non propriè erunt simul naturæ, nec existent in eodem signo, sed in signis concomitantibus: vel erunt simul naturæ negativè, quatenus neuter est naturæ prior, nec posterior altero: quo etiam sensu negativo dulcedo, & albedo in saccharo dicuntur esse simul naturæ. Illa verò sunt simul naturæ respectu

tertij, quæ integrant, & quatenus integrant unam causam adæquatam respectu ejusdem effectus. Unde contingere potest, unum esse naturæ prius alio, & tamen ambo esse simul naturæ respectu tertij: v. g. si ignis A. producat ignem B., ac deinde cum eo jam producto per modum unius causæ immediate concurrat ad ignem C.. Intellige dicta de simultate à quo: nam simultate in quo, seu mutua connectionis, sæpe dicuntur esse simul naturæ quæcumque ita coexistunt, ut unum concipi nequeat existens sine alio, sive sit, sive non sit illius causa, vel effectus; atque hoc sensu Relativa dicuntur esse simul naturæ.

14 7.: naturæ prioritas convenit omnibus causis. Nam in primis causa efficiens strictissimam habet prioritatem à quo: & si non sit necessariò connexa cum effectû, habebit etiam prioritatem in quo. Deinde causa materialis, & causa finalis, ut intensionaliter existens, eodem fere modo, ac rigore præcedunt, quo causa efficiens. Demùm causa formalis, si per creationem producta sit, ut anima hominis, præcedit compositum prioritate naturæ à quo, & in quo. Si verò sit forma educta, præcedit compositum prioritate à quo, cum verè sit causa illius; non tamen prioritate in quo; quia, cum eductio sit realiter unio, & ultima determinatio, ut existat compositum, nequit forma intelligi existens vi educationis, quin intelligatur omninò connexa cum existentia compositi. Atque hoc

hoc tantum volunt, qui negant, materialem formam intelligi posse in illo signo priori ad compositum: loquuntur enim de signo prioritatis in quo, seu dicente in connexionem, aut indifferentiam aliquam.

15 8.: prioritas naturæ respectu effectus convenit etiam conditionibus prævijs, seu prærequisitis ex parte causæ. Tum quia effectus non subsequitur causam, nisi prout illis conditionibus investitum: nec supponit causam utcumque, sed ut proximè potent in causare, ac proinde ut conjunctam cum ijs conditionibus, per quas constituitur proximè potens. Tum etiam, quia puræ conditiones, licet non influant physicè, influunt tamen quodammodo moraliter, quatenus exigentiâ suâ movent, vel saltem determinant exigentiâ causæ, ut moveat Deum ad concurrendum. Atque ita nemo est, qui conditiones istiusmodi non collocet in signo priori.

An etiam actio sit natura prior effectû?

16 In hac quæstionculâ certum imprimis est, quod actio non præcedit effectum prioritate in quo; eum enim sit ultima determinatio, & exercitium, quo effectus in rerum naturâ ponitur, essentialiter est impotens existere, quin existat effectus. Deinde, loquendo de prioritate à quo, certum est pariter, quod actio, sicut non est causa ut quod, ita non est effectus prior ut quod: nam ratio causæ mensura est prioritatis naturæ. Denique certum

est, quod actio est effectus prior ut quo, sicut est causa ut quo, seu per modum exercitij, quo causa redditur causans, & prior in actu secundo. Solum ergo quæstio superest, an hæc prioritas ut quo, sufficiat, ut actio propriè dicatur naturæ prior effectû? Cui negativè respondeo cum pluribus.

17 1.: quia eatenus aliquid est naturæ prius, quatenus est causa, vel prærequisitum ex parte causæ: sed actio, licet causet ut quo, non est propriè causa, nec prærequisita ex parte causæ, ut fatentur omnes: ergo nec est propriè prior, licet præcedat ut quo. 2.: quia dum unus producitur effectus, communiter non recensetur, nisi dicitur signa, prius, & posterius: sed actio non pertinet ad signum prius, alioquin se teneret ex parte actus primi, quod nemo dixerit: ergo fertur ad signum posterius, quod est signum effectus. Quæ autem pertinent ad idem signum, sunt simul naturæ. Certè, si actio propriè præter effectum, deberet suum seorsim constitueret signum, medium inter signa causæ, & effectus; quod tamen communiter non agnoscitur. 3. (& in idem recidit): quia actio spectat ad actum secundum, cum certè non spectet ad primum: sed effectus spectat etiam ad actum secundum, juxta omnes: ergo actio, & effectus sunt simul naturæ. Patet consequentia: quia si actio propriè præcederet, spectaret effectus non ad actum secundum, sed ad tertium, siquidem adveniret post actum actionis, qui est secundus. Denique,



actio & effectus producuntur eandem actione, cum actio sit etiam productio sui: ergo convenit ipsis naturæ simultas, ex n. 13..

18 Unde colliges 1., optimè stare, quòd actio sit prior *ut quo*, & tamen non propriè sit prior. Sic, ut nuper ajebam, causa purè *ut quo*, non est propriè causa. Sic visio ocularis non propriè videtur; & tamen est visa *ut quo*, quia est id, quo color constituitur visus. Sic etiam receptio formæ in subjecto non propriè recipit, cum tamen sit recipiens *ut quo*. Imò actio ipsa est etiam *ut quo* causa sui, & prior se, cum sit exercitium, quo causa redditur in actu secundo causans, & prior actione ipsa. Num idcirco propriè diceretur actio seipsa prior? Colliges 2., cum actio dicitur *via* ad terminum, & *medians* inter causam & effectam, locutionem esse impropiam, & abusivam, inde ortam, quòd actio non cognoscitur per speciem propriam, sed apprehenditur instar *viz* mediantis, & tendentis in effectum. Reverà tamen actio est ultima formalis determinatio & executio effectus, totaque illius essentia est reddere effectum actu positum in rerum naturà. Loquor de actione instantaneà: nam successiva, quoad priores sui partes, præcedit utique terminum ultimum, quia non est immediata illius productio, nisi penès ultimam partem actionis.

Quenam sit forma denominans causam naturam priorem?

19 Responso communis est, formam, aut quasi formam,

quà redditur causa prior *ta actus primo remoto*, esse virtutem, aut potentiam ejus, nondum expeditam: quàm verò redditur prior *in actu primo proximo*, esse virtutem, aut potentiam ipsius ut conjunctam cum omnibus prærequisitis ad causandum: quàm demum constituitur prior *in actu secundo*, esse actionem, seu causalitatem actualem. Ratio omnium est; quia per hujusmodi formas, aut quasi formas, constituitur causa in esse causæ juxta illum triplicem actum: ergo per eandem constituitur in esse prioris, cum eatenus sit prior naturà, quatenus habet rationem causæ. Notandum tamen, quòd causa in actu primo, sicut non est actualiter causans, sed potens causare, ita non est actualiter prior effectui, sed potens esse prior. Cum enim prioritas naturæ sit independentia non mutua causæ ab effectui, non solum importat independentiam causæ, sed etiam dependentiam effectus, quæ in actu primo nondum est. Quare prioritas in actu primo, solum est prioritas potestativa, quatenus est potestas, ut à se pendere faciat effectum.

20 Notandam item, quòd prioritas actualis, sive in actu secundo, non est sola actio, vel causalitas. Quia non consistit in solâ dependentiâ effectus à causâ, quæ est actio, sed simul in independentiâ causæ ab effectui; quæ independentia in eo stat, quòd causa suum esse, suamque potentiam proximam habeat independentem ab influxu effectus. Hæc ergo prioritas, præter

actionem causæ in effectum, importat ex parte causæ sufficientiam, vel titulum essendi, non indigentem influxu effectus à se causandi; sive ille titulus sit aseitas, ut in causâ primâ; sive sit influxus alterius causæ, ut in causâ creatâ: idemque titulus pertinet etiam ad prioritatem in actu primo proximo, tanquam una ex conditionibus prævijs. Notandum denique, quòd hæc eadem forma, quasi coalita ex dependentiâ & independentiâ, est posterioritas naturæ, seu forma denominans effectum *posteriolem*. Passim quippe accidit, ut eadem forma respectu diversorum contineat denominationes diversas, & oppositas, v. g. *producentis & producti, recipientis & recepti*.

21 Sed contra responsum, quàm parte dicit, causam per actionem constitui priorem in actu secundo, solet *objici* 1., quòd actio est forma, quàm effectus & causa sunt simul naturâ, cum tribuat illis denominationes correlativas *causantis & causati*, & proprium sit relativorum esse simul naturâ. 2., quòd actio non est prior effectui, nec intelligitur in signo priori: ergo non potest constituere causam in esse prioris. 3., quòd causa per eandem formam est prior & effectui, & actione. Nequit autem per actionem esse prior actione, nisi actio præcedat semetipsam. Probatum hoc: quia causa, ut prior actione, præcedit actionem: ergo, si causa, ut prior actione, involvit actionem, hæc etiam seipsam præcedet.

22 Sed hæc parum urgent.

Ad 1.: actio est forma, quàm effectus & causa sunt simul naturâ simultate *in quo* (quam solam requirunt correlativa ex n. 13), quia, stante actione, nullatenus potest causa existere sine effectui, nec vice versâ. Cum hoc tamen cohæret, quòd actio sit forma prioritatis à quo, siquidem per actionem causa est in actu secundo id, à quo effectus oritur, ac pendet. Prioritas autem ista, maxime in actu secundo, non pugnat cum simultate *in quo*. Ad 2.: ut actio constituat causam in esse prioris, vel (quod idem est) ut sit prior *ut quo*, non requiritur quòd sit prior propriè, & *ut quod*, ex dictis n. 18.. Nec denominatio *prioris in actu secundo*, quemadmodum nec denominatio *causantis*, intelligitur in signo priori secundum omnia sui constitutiva: nam signum prius est ipse actus primus causæ, in quo non datur quidquid requirit prioritas actualis, ex n. 19..

23 Ad 3.: causa constituitur quidem per actionem in actu secundo prior actione, sicut per eandem constituitur in actu secundo causans actionem: sed inde non magis infertur, quòd actio præcedat se, quam quòd sit causa sui. Patebit hoc applicanti probationem adjunctam sic: Causa, ut causans, est principium actionis: ergo, si causa, ut causans, involvit actionem, hæc erit principium sui ipsius. Sicut ergo sine absurdo conceditur, actionem esse causam sui pure *ut quo* per modum exercitij virtutis distinctæ, cui soli propriè convenit denominatio *causa*; ita censendum de no-



mine prioris, quod idem valet.

## CAP. II.

AN SIT POSSIBILIS MUTUA  
natura prioritas?

**C**um naturæ prioritas solis conveniat causis respectu effectuum, quaestio nis propositæ sensus est, Utrum sit possibilis mutua causalitas? sive Utrum duæ res possint esse sibi invicem causæ, ita ut una causet aliam, & vicissim ab eâ causetur? Et primò quaestio loquitur de prioritate mutua in eodem instanti; nam in diversis non est cur repugnet mutua prioritas, cum possit ignis B. nunc produci ab igne A., & postea à solo Deo conservatus eundem ignem A. conservare, vel destructum reprodúcere. *Secundò* sermo nunc est de mutua prioritate, seu causalitate quoad primum esse, idest, quoad productionem unicam, vel primariam totalem, qua res accipit suum esse, vel in suo esse conservatur: nam de mutua prioritate quoad secundum esse dicemus cap. 4. *Tertio* nullum est dissidium de causis finali & efficiente; quas posse sibi invicem esse causas, nemo dubitat. Cum enim causa finalis non prærequirat existentiam physicam, sed solum causet ut cognita, sive ut existens intentionaliter; potest utriusque exercere causalitatem suam, antequam physice existat, ac proinde potest si nauter causare id, a quo postea causaliter efficienter secundum physicam existentiam. Atque ita se habet ægroti sanitas respectu medicaminis.

2. *Quartò* videtur etiam inconstanter admittenda mutua prioritas in causis moralibus: quod patet in rebus mutuo connexis, v. g. in formâ, & ejus ultimâ dispositione. Nam utraque, ut nunc existens, exigit à Deo conservationem sui pro instanti sequenti (hoc enim proprium est rei permanentis), & consequenter utraque exigit conservationem alterius, cum nequeat altera sine altera conservari: ergo utraque moraliter causet, seu conservat alteram pro instanti sequenti. Verum hinc non licet arguere ad causas físicas. Tum quia alioquin posset aliquid physice causare seipsum, sicut potest moraliter, ut patet eodem exemplo. Tum etiam, quia ex mutua prioritate morali non sequitur, posse aliquid præcedere se, vel suam causam, secundum eandem existentiam, aut durationem; sed solum posse, ut existens in hoc instanti, præcedere se ut existens in sequenti; vel, ut existens moraliter in scientiâ, & voluntione Divinâ, præcedere se ut existens physice. *Quaestio* ergo ad causas físicas devolvitur, quam duplici assertionione decidemus.

*Repugnat mutua prioritas in eodem genere causa.*

3. Hæc assertio ut certa supponitur in omni Scholâ cum Aristotele 5. *Metaph.*, & D. Thomâ ibi lect. 2. dicente: *Secundum idem genus cause aliquid esse causam, & causatum, est impossibile.* Quod quidem in causis materiali, & formali, nullâ indiget probatione, si modo causarum illarum incholes

pe-

penetretur. In causa autem efficiente probatur facile ex dictis *cap. præced.* Si duo se se invicem efficiant, atque ita unumquodque simul esset naturâ prius, & posterius altero, sequeretur, unumquodque pendere simul, & non pendere ab influxu alterius: pendere quidem, ut supponitur: & simul non pendere; quia naturâ prioritas importat independentiam causæ ab effectu, idest, sufficientiam, aut plenum titulum essendi (præsertim in causâ efficiente) independentem ab influxu effectus. Atque hæc reducenda est communis illa probatio: Si aliquid esset causa efficiens suæ causæ efficientis, existeret pro priori ad causam, à quâ primò producit, & accipit existentiam: ergo existeret priusquam produceretur, & antequam existeret. Hæc, inquam, & similes aliæ probationes ex prioritate desumptæ, ut vim habeant, reduci debent ad præcedentem: quia causam existere pro priori, nihil est aliud, quam existere cum potentia proximâ ad agendum habitâ independentem ab influxu effectus.

4. *Dices* forsan: prioritas naturæ gratis explicatur per independentiam istiusmodi: nam ea prioritas à parte rei nihil est præter munus causæ: de hoc autem munere disputatur, an possit esse mutuum; atque adeo an necessario dicat, vel non dicat independentiam ab influxu effectus: nec licet respondere per id ipsum, de quo est controversia. Sed in primis, illa est communis notio prioritatis naturæ, ut vidimus *cap. præced.* Deinde, quod

munus causæ: necessario secum affert talem independentiam, probatur 1. de conceptu causæ est, quod illam subsequatur effectus, quod illi realiter addatur, & superveniat, quod illam ordine existendi realiter præsupponat: unde est illud per se notum, *Prius est esse, quam operari, & Operari sequitur ad esse.* Hoc autem subsequi, addi, supervenire, præsupponere, cum non requirat præcedentiam temporis, inexplicabile est in sensu reali, nisi per independentiam, quam adstruimus. Certè, quod alteri additur, & supervenit, ex terminis supponit illud alterum jam aliunde positum.

5. 2. : communis sensus est, quod causa physica operatur, non ut sit, sed quia est; non enim volat avis, ut habeat alas, sed quia habet; nec homo videt, ut oculos habeat, sed quia oculatus est. Si autem causa potest ab effectu pendere quoad primum esse, invertetur hic ordo: causa enim operabitur, ut habeat causam essendi, adeoque ut habeat unde sit, quod est operari, ut sit. Confirmatur: datâ illâ dependentiâ, posset causa esse realiter medium, & finis respectu ejusdem, & secundum idem. Nam si A., & B. mutuo se se efficiant, A. secundum existentiam physicam est medium ad existentiam B., & secundum eandem existentiam est finis ejusdem B.. Imò res A. erit medium, & finis respectu sui: tunc enim Deus intendet existentiam rei A., assumendo ut medium existentiam rei B., ad quam

Ccc

alluq



assumit ut medium ipsam rei A. existentiam: erit ergo res A. medium ad medium, cujus ipsa est finis: quod autem est medium ad medium, est medium ad finem, ut nemo ignorat.

6 3.: evidentissimum est, nihil posse primò producere semetipsum: quia sequeretur, causam existere pro priori ad se, atque adeò existere antequàm existat. At hæc ratio nulla est, si causa non debet existere independenter ab effectu. Nam illud *ante*, illud *pro priori*, si non sonat independentiam istam, nihil aliud in proposito significare potest, quàm munus causæ: dicere ergo, quòd res ideò non potest causare se, quia nequit esse pro priori ad se, est dicere, quòd ideò se causare non potest; quia nequit esse causa sui: quæ ratio est manifesta petitio principij, vel responsio per questionem ipsam. 4.: si res potest primò produci ab effectu suo, poterit & à se immediatè. Non enim difficilius apparet, aliquid esse prius seipso, quàm esse prius suo priori; nec sibi dare esse, quàm sibi fabricare causam essendi; nec esse rationem à priori, cur sit, quàm esse rationem à priori, cur habeat unde sit. Denique, ut alia omittam, rueret inde communis demonstratio causæ primæ, in eo fundata, quòd in ordine causarum perveniendum est ad causam aliquam, quæ à nullius causæ influxu pendeat.

*Repugnat etiam mutua prioritas in diverso genere causæ physica.*

7 Ita sentiunt Scotistæ cum Subtili Doctore, & Nostri commu-

niter cum Eximio d. 27. *Met.*, contra Thomistas, qui mutua prioritatem in diverso genere physico passim admittunt etiam de facto: putant enim, materiam causare formam in genere causæ materialis, & à formâ causari in genere causæ formalis: item, ultimam dispositionem ad formam causari à formâ in genere causæ efficientis, & esse causam formæ, illamque præcedere in genere causæ materialis, seu dispositivæ, quatenus materiam disponit ad formam recipiendam. Similiter in re Theologicâ discurrere solent, v. g. in actu contritionis, quem dicunt præcedere gratiam sanctificantem per modum dispositionis, & ab eadem gratiâ causari, ac præcedi tamquam à causâ efficiente. Mutua prioritas inter materiam, & formam, cum in eo fundetur à Thomistis, quòd materia existat per existentiam formæ, satis impugnata manet *tract.* 1.. Nunc impugnanda est mutua prioritas inter causas efficientem, & materialem, seu dispositivam; unde pariter impugnata manebit quævis alia mutua prioritas physica.

8 Repugnat, quòd forma primò efficiat ultimam dispositionem, v. g. forma ignis calorem in instanti, quo calor præviè disponit, ac præparat materiam ad eandem formam: ergo repugnat mutua prioritas à Thomistis asserta. *Prob. Antec.*: repugnat, quòd forma intelligatur simpliciter existens pro priori ad primam productionem caloris, dum ipsa causatur à calore in genere causæ materialis: sed hoc acci-

de-

deret, si forma ignis primò efficiet calorem in instanti, quo calor est prævia dispositio: ergo repugnat, quòd forma ignis primò efficiat &c.. *Consequentia* recta est, & *Minor* indubitata: nam juxta omnes causa efficiens debet simpliciter præexistere ad productionem effectus. *Prob. Maj.*: Si forma intelligitur simpliciter existens, intelligitur posita extra omnes suas causas, ut ipsi Thomistæ docent ubi de existentia materiæ primæ: ergo præsupponit eas in rerum naturâ positas, cum omninò implicet rem actu poni extra causas nondum in rebus, positas, sed purè possibles: ergo præsupponit in rebus positum calorem, qui est una ex causis formæ in genere materiali. Sed repugnat, quòd forma pro priori ad primam productionem caloris præsupponat calorem in rerum naturâ positum, ut est evidens: ergo repugnat, quòd intelligatur simpliciter existens pro priori &c.

9 Consultò nunc loquor, non de *existentia* caloris, sed de *productione*; ut præcidam solutionem Thomistarum, quòd scilicet causa materialis non prærequirit existentiam, ideòque, licet calor præcedat formam ut causa materialis, non debet præcedere ut existens, sed potest existentiam accipere à formâ ut à causâ efficiente. Hæc solutio, quàm satis rejecimus ubi de existentia materiæ primæ, nihil prodest in præsentia. Nam causa materialis, quidquid sit de existentia, requirit saltem primam sui productionem, quâ ponatur in rebus pro

priori ad effectum: unde materia prima, nondum terminans actionem creativam, nequit esse causa materialis, etiam juxta Thomistas. Si ergo calor est materialis causa formæ, terminat primam sui productionem pro priori ad formam. Hoc autem implicat, si prima productio caloris oritur à formâ: sequitur enim, calorem præsupponi productum ante causam, à quâ produ-

10 Urgetur 1.: calor, si est materialis causa formæ, pro signo priori ad illam intelligitur disponens actualiter materiam; nam eatenus reducitur ad causam materialem, quatenus materiam disponit ad formam: ergo pro priori ad formam, materia calorem recipit & patitur: ergo pro illo priori datur in materia passio caloris, atque adeòeductio, quæ etiam apud Thomistas cum passione identificatur. Atquieductio caloris intelligi nequit pro priori ad ejus causam efficientem, ut est manifestum: si ergo intelligitur pro priori ad formam, hæc non est tunc efficiens causa caloris. Et hinc urgetur 2.: calor nequit existere pro priori ad suam causam efficientem; alioquin nulla ratio erit, cur repugnet mutua prioritas in eodem genere causæ efficientis: sed calor existit pro priori ad formam: hæc ergo non est illius causa efficiens. *Prob. Min.* 1.: quia pro priori ad formam calor intelligitur extra omnes suas causas, scilicet extra materialem, & efficientem (formalem non habet), siquidem terminat earum causalitates,



nimirum passionem, & educationem. 2.: quia calor pro illo priori communicat materiam formalem effectum calidam, & dispositam ad formam: effectus autem formalis à formâ non existente communicari nequit.

12. Dicunt Thomistæ, à nobis confundi signa naturæ, dum volumus, in signo causæ materialis intelligi signum causæ efficientis, & è converso. Sed verò signa ista esse distincta, nec alterum ex altero constitui, non ignoramus. Contendimus tamen, signum causæ materialis respectu formæ antecedere signum, in quo forma intelligitur existens, & potens efficere; consequenterque non posse à formâ causari calorem, qui jam supponitur productus, & existens in signo causæ materialis; nè alioquin calor existat; & terminet effectum sui, priusquam existat ejus causa efficiens. Contendimus item, calorem in signo; in quo materiam actu disponit, enim jam sit eductus, præsupponere sui causam efficientem, non quæ constituat illud signum dispositionis, sed quæ præexistat in anteriori signo; quemadmodum creatura, utpotè ens ab alio, præsupponit Creatorem, licet ex eo non constituatur. Hinc autem deducimus, formam, quæ calorem ut disponentem non præcedit, sed subsequitur, non esse causam illius efficientem. At in his nulla signorum confusio.

12. Hic addi solet alia probatio ad hominem, ut ajunt. Videlicet, juxta Thomistas accidentia

recipiuntur in toto composito, unde calor recipitur non solum in materia, sed etiam in formâ ignis. Quo posito, sequitur mutua prioritas in eodem genere, quam vel Thomistæ repugnare consent. Nam calor prior est formâ in genere causæ materialis, ut volunt; ac deinde forma est prior calore in eodem genere causæ materialis, cum sit subjectum receptivum, & sustentativum illius.

13. Quidquid de hoc sit, Ratio generalis contra istam, & quamlibet aliam mutuam prioritatem inter causas physicas, etiam diversi generis, est: quia omnis causa physica intelligitur existens pro priori naturâ ad effectum suum: tum quia debet intelligi jam producta, seu terminans actionem productivam sui (nisi absurde velis, ut res, nondum producta, sit proximè potens physice causare); si autem actionem terminant, jam habet esse, quia omnis actio activa potentia terminatur ad esse, ut ait D. Thomas q. 1. de pot. ar. 3.: tum etiam, quia causa est id, ex cuius esse consequitur aliud, ut ait idem Div. Thomas opusc. 31., loquens de causâ ut sic, seu de omni verâ causâ: debet ergo supponi præhabens esse. At si res A. existit pro priori naturâ ad effectum B, nequit pendere à causalitate istius effectus in nullo genere causæ physice: ergo &c.

14. Prob. Min. 1.: quia, si res A. existit pro priori ad B., jam est posita extra omnes suas causas, quas proinde supponit existentes pro priori ad se, ut constat ex modo

dictis cum D. Thomâ: ergo implicat, quòd una ex causis rei A. sit effectus B.: nam alioquin res A. præsupponeret existens illud ipsam, ante quod ipsa existit; & effectus B. præexisteret ante illam rem, quæ ante ipsum existit; esset quæ extra omnes suas causas, antequàm causaretur ab unâ earum; quòd est esse causatum, priusquam causetur, & existere priusquam sit. Hoc si non implicat, non est cur implicet mutua causalitas in eodem genere. 2.: quia existere pro priori naturâ, est existere cum independentiâ à causalitate effectus, non solum in eodem genere causæ; sed etiam in diverso; ut probant, si quis rectè consideret, argumenta posita n. 4. & seqq.. Unde colliges, eandem esse difficultatem mutue prioritatis inter causas physicas diversi generis, ac ejusdem.

15. Ad extremum observa, decantatam à Thomistis mutuam prioritatem inter materiam, & formam, etiamsi admittatur, non esse ad rem. Quia non datur ibi mutua causalitas secundum idem esse materię, sed secundum duo realiter distincta, juxta Thomistas: materia quippe secundum suam esse viale, & inchoatum, causat formam; & à formâ causatur secundum esse formale, & actuale, quòd à viâ realiter distinguitur. In hoc autem nulla est difficultas ex capite mutue prioritatis; sicut nulla est in eo, quòd finis secundum esse intentionale causet medium, & à medio causetur secundum esse physicum; vel in eo, quòd res secundum esse

substantiale causet effectum, à quo causetur secundum esse accidentiale. Solum ergo est questio, an res aliqua secundum unum, & idem esse, possit causare id, à quo causatur, sive in eodem, sive in diverso genere causæ? Unde in casu forme, & ultimæ dispositionis, querendum est à Thomistis, an calor v. g. existat pro priori ad formam ignis in signo causæ materialis? Si asserant: ergo calor existit pro priori ad suam causam efficientem; quòd plane repugnat. Si negent: non ergo formam causat calor secundum illud esse, quòd accipit à formâ, nempe secundum existentiam, sed secundum aliud esse viale realiter distinctum: unde hoc etiam exemplum mutue prioritatis extra rem est.

### CAPUT III.

#### DILUUNTUR OBJECTIONES.

1. Contra primam assertionem, licet ab omnibus admittam, obijci potest 1. à ratione: quia ignes A. & B. se invicem continent in genere causæ efficientis, cum unusquisque contineat individua omnia sue speciei præter seipsum: ergo jam habent mutuam prioritatem saltem in actu primo remoto: ergo & poterunt illam habere in actu primo proximo, & in actu secundo. 2. ab exemplis: nam partes minimi naturalis se invicem conservant: duo ignes se se mutuo fovent; & ignis, qui aerem calefacit, ab aere cal facto fovetur: lapides fornicis, & ponde-



ra in laterâ, se se mutuo suspendunt: equi trahentes currum, & rota ipsæ, coadjuvant se se: vinum calefacit stomachum, & ab eo calefit; quod etiam in manibus confrictis accidit: ingressus aeris causat apertionem fenestram, & ab eâ causatur: actus efficit habitum, & habitus actum: duo homines se se invicem perimere possunt: denique passim accidit, ut duo se se mutuo determinent in genere causæ formalis, v. g. existentia Petri determinat existentiam Pauli, & ab eâ determinatur, ad constituendam relationem coexistentiæ, vel denominationem *coexistentis*.

2 *Resp. ad 1. neg. secundam consequ.*: quia duo ignes non se invicem continent ut producendos in circumstantijs chymericis, in quibus necesse sit unumquemque existere, priusquam producat: quare neuter alterum continet ut producendum in sensu composito mutux sui productionis ab altero; quemadmodum nec in sensu composito Divini decreti, vel revelationis de non existentia talis ignis. Sic, licet voluntas contineat odium, non tamen ut producendum in sensu composito amoris, vel in sensu diviso cognitionis objecti. Hinc illa mutua prioritas in actu primo remore non dicit ordinem ad idem instans temporis, sed ad diversa; non enim aliter fieri potest prioritas proxima, vel actualis. *Ad 2*: exempla illa, vel nihil probant, vel ut summum mutuan connexionem, aut indigentiam reciprocam duorum, quæ, si non requirat prioritatem realem,

nihil habet incommodi. Singula percurramus.

3 Partes minimi naturalis sine mutuo influxu se invicem conservant indirectè, resistendo contrarijs, vel etiam tamquam conditiones concomitantes, quia neutra potest existere sine unione cum alterâ. Duo ignes conjuncti fortius resistunt contrarijs, quia *virtus unita fortior*; atque ita se invicem conservant indirectè, quin opus sit actione mutuâ alterius in alterum; sicut homo se ipsum conservat, dum se tuetur ab hostibus, quin ideò sit causa sui, aut prior se. Hoc etiam modo aer calefactus ignem fovet. Lapidis fornicis (idem intellige de ponderibus stateræ) non se invicem causant, nec præsentia unius causat præsentiam alterius; sed solum mutuan connexionem & simultatem habent, lapides in munere causæ præsentiarum, & præsentia ipsæ in ratione effectus.

4 *Dices*: saltem præsentia lapidum in fornice se se mutuo præcedunt per modum conditionis præviæ: nam præsentia unius est conditio necessaria, ut alter sit proximè potens conservare præsentiam suam, & è converso. *Resp.*: conditio prævia, ut lapis A. sit proximè potens conservare præsentiam suam formalem, non est formalis præsentia lapis B., sed præsentia radicalis, in eo consistens, quod lapis B. sit indistans ab hoc loco, idest, habens carenciam ubicationis in alijs locis: quod pariter intelligendum de radicali præsentia lapidis A. respectu B. ut potentis con-

fer

servare præsentiam suam formalem. Ex quo solum sequitur, quod utriusque præsentia radicales habent inter se naturæ simultatem, vel concomitantiam in munere causæ, vel præviæ conditionis ad præsentias formales, quæ pariter intelliguntur simul, aut concomitanter in ratione effectus. Et hinc patet etiam responsio ad exemplum equorum, & rotarum; quod solum probat, posse duas causas se invicem juvare ad producendum unum, aut duos effectus inter se connexos: quo in eventu neutra causa debet esse prior alterâ, sed ambæ intelliguntur simul naturâ pro priori ad effectus utraq; posteriores.

5 Exemplum vini, & stomachi nihil proficit. Nam aliud est, quod duo se se invicem producant; & aliud, quod alterum in altero ut in subjecto producat aliquid, & è converso. Tunc ergo stomachus producit calorem in vino, & vinum in stomacho calorem alium, quin alter calor in alterum influat, saltem mutuo. Idem accidit in manibus confrictis, quarum altera in alterâ calorem excitat medio motu, & impulsu: nam ibi utriusque calor provenit à motu, & utriusque motus à virtute motivâ utriusque manus cum simultate naturæ in causando. In sequenti exemplo, aer pro priori ad ingressum imprimat impulsus fenestram, quo impulsu causatur apertio: quare apertio fenestram non causatur ab ingressu aeris, sed est prior illo tamquam remotio impedimenti: ipse autem ingressus ab aère causatur efficienter. Dicitur

quoque poterit, quod aer simul naturâ causat ingressum sui, & impulsus in fenestram, cujus apertio resultat ab ingressu, & ab eo causatur in genere causæ formalis, & simul ab impulsu in genere efficientis.

6 Habitus non efficit eundem numero actum, à quo efficitur, sed alium similem. Ex quo tantum sequitur, dari posse mutuan quamdam prioritatem secundum speciem, idest, posse A. produci à B., & simul producere alium effectum ejusdem speciei cum B.: quod certe præsentem difficultatem non tangit. Subjunctum exemplum absurdè probat, posse hominem causare se, sicut potest perimere seipsum. Cum duo se invicem confodiunt, unius mors non est causa mortis alterius, sed utraque est effectus mutui vulneris, & mutuum vulnus est effectus utriusque hominis, quorum alter non est effectus alterius. Quanam hinc umbra mutux prioritatis? Ad ultimum exemplum dic, neutram existentiam esse causam formalem alterius, sed utramque esse quodammodo formalem causam concreti, *coexistens*, quia illud utraque constituit, determinando alteram ad constituendum. Et hoc sensu altera alteram determinare dicitur in genere causæ formalis, non quæ causet alteram specificativè sumptam, sed quæ causet in alterâ denominationem *coexistentis*. In eo autem munere determinandi, concomitanter se habent.

7 Contra secunda assertionem objici solent hæc eadem exam-

pla



pla nunc soluta. Sed, cum illa probent vel mutua prioritatem in eodem genere, vel nullam, inepte hac adferuntur. Opportunius *objic.* 1.: licet repugnet generatim mutua majoritas, aut prioritas eodem titulo, si tamen ex diverso titulo proveniat, repugnantiam exiit: unde duo homines se se invicem excedere possunt, si alter sit major virtute, alter sapientiâ; vel etiam se se mutuo precedere, si alter sit prior dignitate, alter etate: ergo, licet repugnet mutua causalitas in eodem genere, non ita in diverso. *Neg. Consequ.*: quia idem absurdum sequitur ex mutua causalitate in diverso genere, ac in eodem; scilicet, quod res præsupponatur existens ante causam, a qua accipit primum esse, atque adeo quod causata sit, priusquam primo causetur, &c.. At nihil simile sequitur ex mutua majoritate, vel prioritate in exemplis objectis.

8 *Objic.* 2.: introductio unius formæ præcedit in genere causa formalis expulsionem alterius: sed aliunde expulsio in genere dispositionis est prior introductione: ergo &c. *Prob. Min.*: quia expulsio formæ veteris intenditur ab agente ut dispositio, seu medium ad introductionem novæ; non enim ideò agens introducit formam novam, ut pellat veterem, sed e contrario; alioquin intenderet ultimam malum: quare agens posterius exequi debet introductionem, quam expulsionem, juxta illud, *Quod est prius in intentione, est posterius in executione.* *Neg. Min.* tum pro-

batione. Quia agens nec expulsionem intendit ut medium ad introductionem, nec e converso; sed utramque intendit ut finem, hoc discrimine, quod introductionem novæ formæ intendit ut finem primum, ac directum, expulsionem verò formæ veteris ut finem secundarium, & indirectum: quidquid enim necessariò sequitur finem directè quæsitum, est etiam aliquomodo intentum, juxta illud, *Qui vult antecedens, vult consequens*, nimirum virtualiter, & indirectè: quâ ratione non est inconyeniens, quod agens tendat in malum formæ veteris, id est, in carentiam ejus.

9 Loquor juxta communem sententiam, in quâ formæ veteris expulsio est formalis effectus secundarius formæ novæ, qui necessariò præsupponit effectum formalem primum, ac proinde formam novam materiæ unitam. Quò spectat illud Aristotelis, *Introductio unius est expulsio alterius*, nempe causaliter: quod in formis accidentalibus contrarijs certum videtur; non enim ideò calorem recipit aqua, quia frigus amittit, sed e converso; nec expulsio Gratiæ præcedit peccatum, sed subsequitur; nam, ut ait Tridentinum, *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Hinc in primo instanti generationis compositi solet hujusmodi signorum ordo in materiâ notari. In primo signo existit ultima dispositio ad novam formam: in secundo (vel in duobus concomitantibus) novæ formæ introductio, & expulsio dispositionis con-

traria; quia utraque immediate ponitur ad exigentiam dispositionis primi signi: id est, expulsio formæ veteris ad exigentiam novæ. Ideò autem, postâ ultimâ dispositione ad novam formam, non expellitur forma vetus in signo immediato; quia dispositio accidentalis non est immediate impossibilis cum veteri formâ substantiali, sed mediate duntaxat, quatenus novam formam substantialem exigit incompossibilem cum veteri, simulque destruit dispositionem accidentalem, quâ vetus forma indigebat.

10 *Objic.* 3.: calor, utpotè dispositio ad formam ignis, illam præcedit in instanti generationis: aliunde, cum sit proprietas ejusdem formæ, illam subsequitur in eodem instanti: proprietates enim sunt effectus formam subsequentes. *Resp.* ex P. Suar. d. 18. *Met. f. 3. n. 9.*, 10., & 11., calorem, & alia accidentia, quæ in instanti generationis sunt dispositiones præparantes, non effici a formâ in eo primo instanti, etiam non per naturalem emanationem, aut resultantiam; quia supponuntur ab agente extrinseco immediate producta pro priori ad formam; aliter quomodo materiam præviè disponerent? Solum ergo à formâ emanant, aut efficiuntur per modum conservationis, in sequentibus instantibus, in quibus jam non præcedunt formam ordine naturæ, eo quod cesset titulus dispositionis præparantis: jam enim non est opus accidentali determinatione materiæ, vel agentis, ut hanc formam causent, aut conservent (quo titulo de-

terminationis præbat calor in primo instanti ut dispositio præparans); ipsa quippe forma, semel exillens, exigit conservari pro sequentibus instantibus, atque adeo determinat agens ad sui conservationem, quamdiu non adest contraria exigentia robustior: materia quoque, semel possidens formam ignis, exigit eam retinere, donec adveniat alia. Quapropter in reliquis instantibus calor est dispositio, non præparans, sed ornans, & perficiens, atque adeo posterior formâ, ut ait idem Suarius d. 27. *Met. f. 2. n. 20.*

11 Si quæras, an ultima dispositio in instanti generationis vocanda sit *proprietas* formæ? Affirmandum videtur: quia ad nomen *proprietatis* sufficit esse accidens connaturaliter, & specialiter debitum composito, etiam si non emanet actualiter à formâ, nec iam entitativè subsequatur. Nihilominus ultima dispositio in signo, in quo formam præit, & ab eâ præcindit, non intelligitur esse proprietas, neque hanc denominationem subit, donec forma intelligatur existens pro posteriori: quia d. nominatio *proprietatis* constituitur de obliquo per exigentiam formæ, cui talis dispositio debetur.

12 *Objicitur* 4. auctoritas Aristotelis, & D. Thomæ. Sed, quod Aristotelem attinet, quoties ille mutua causalitatem admittit, toties in exemplum adducit causas efficientem, & finalem. D. Thomas autem (cujus loca refert M. Prado, *hic q. 24. f. 2.*) admittit insuper



mutuam causalitatem inter materiam & formam; sed non secundum idem esse reale materiæ: vult enim, ut materia specificativè sumpta, vel secundum suum esse incompletum, sit materialis causa formæ, simulque à formâ causetur secundum esse in actu, quo nomine intelligit D. Thomas esse materiæ physice completum, ut ostendimus tract. 1. d. 2.: unde solum sequitur (quod verissimum est), materiam esse causam formæ, & formam esse causam intrinsecam compositi. Quin etiam si demus, materiam juxta D. Thomam non existere nisi per existentiam formæ, solum sequitur mutuam causalitatem secundum duo esse materiæ, viale, & actuale; quæ non est mutua prioritas, de quâ disputatur, ut notavimus cap. præ. n. 15.

13 Admittit etiam D. Thomas ex parte formæ quendam prioritatem in genere causæ formalis respectu dispositionum: sed loquitur de dispositionibus, non specificativè sumptis, sed quatenus perficiuntur, ac melius se habent ex consortio formæ; ut satis indicat q. 28. de verit. ar. 8. Admittit item prioritatem quendam mutuam inter creationem, & creaturam: verum hæc est prioritas impropria, & ex modo concipiendi, quatenus creatio concipitur instar viæ ad terminum, & terminus instar subjecti receptivi: reverà tamen nec creatio proprie prior est termino, ut generatio de actione diximus cap. 1.; nec terminus est illius subjectum receptivum, sed subjectum puræ adhesionis, quod prioritatem non requirit.

14 Agnoscit denique 7. q. 113. ar. 8. ad 1.; quod ex parte Solis prius est illuminare, quam tenebras removere, sed ex parte aeris illuminandi, prius est purgari à tenebris, quam consequi lumen, ordine naturæ. Verum, quod D. Thomas non loquatur de ordine naturæ reali, videtur evidens: cum enim lux, & tenebræ sint contradictoria immediata & formalia, nempe lux, & non lux, purgatio, sive ablatio unius est ipsa formalis positio alterius: idem ergo formalissimè est, aerem purgari à tenebris, ac illuminari. Quomodo igitur dabitur hic ordo realis? Exponendus itaque S. Doctor de ordine naturæ improprio, & juxta imperfectum modum concipiendi, quatenus tenebras apprehendimus instar cujusdam impedimenti positivi, quod prius removeri debet, quam ingrediatur lux.

## CAP. IV.

DE MUTUA PRIORITATE  
quoad secundum esse.

1 S upposito, quod alibi probabimus, si ri posse divinitus, ut res eadem, ultra unam actionem totalem, terminer simul actionem aliam, queritur, an sit possibilis mutua prioritas quoad secundum esse, id est, quoad novas actiones, postquam utraque causa simpliciter existere supponitur per alias actiones totales? V. g. si ignes A. & B. à solo Deo producantur singuli suâ actione totali, utrum possint divinitus in eodem instanti novis actionibus se se invicem produ-

ducere? Affirmat communis sententia Nostrorum, quos citat, & sequitur P. Peynado hic disp. 8. sect. 3. §. 2.. Quia in hujusmodi prioritate mutuâ, etiam in eodem genere causæ, cessant absurda mutua prioritatis quoad primum esse: non enim sequitur, quod res existat, antequam simpliciter existat, vel ante causam, à quâ primò causetur; sed tantum quod existat, ut primò producta, priusquam secundò producat, & ante illam causam, à quâ secundò producat: quâ in re nulla contradictio apparet.

2 Objic. 1.: nequit eadem res simul esse prior, & posterior alterâ: si autem ignis A. foret causa, & effectus ignis B., simul esset natura prior, & posterior illo. Resp.: non est absurdum, quod eadem res secundum diversas actiones sit natura prior, & posterior alterâ, quando non in se sequitur, res existere, priusquam primò causetur; quamvis enim utraque denominatio conveniat eidem respectu ejusdem, non tamen secundum idem. Sic potest idem respectu ejusdem simul esse excedens, & excessum secundum diversas formas, v. g. secundum scientiam, & virtutem. Sic, licet idem corpus nequeat esse localiter superius, & inferius Cælo secundum eamdem ubicationem, potest tamen per duas. Sic etiam in sententiâ, quam modò supponimus, de possibilitate duplicis actionis totalis, potest ignis A., ut productus per unam actionem, esse independens ab igne B., & ut productus per aliam, ab eodem dependens.

Itaque in casu nostro ignis A., ut productus actione Dei, est natura prior igne B., & est illo posterior, ut secundò productus actione ipsius B.

3 Si inferas: ergo ignis A., est causa mediata sui ipsius. Potest concedi sequela, sic intellecta, ut ignis quoad primum esse causet mediata seipsum quoad secundum esse. Potest etiam absolute negari: quia ignis A. non causet ignem B. quoad primum esse, penes quod ignis B. causet invicem A.; sed tantum quoad secundam actionem, à quâ præscindit ignis B. ut proximè potens causare ignem A.; non enim hæc secunda actio est vitiosa, aut conditio prærequirita, ut ignis B. causet A. Causa autem causæ non est causa mediata causati, quando independenter ab ejus actione habet causa immediata vim, & potentiam proximam causandi, plenumque titulum, & sufficientiam essendi. Et hinc patet, in hac mutuâ causalitate nihil esse contra conceptum prioritatis naturæ: talis enim conceptus solum petit, ut causa independenter ab effectu suo habeat aliunde, vel à se, vel ab aliâ causâ, sufficientiam ad existendum simpliciter, & proximam potentiam ad causandum: hanc autem sufficientiam, & potentiam, habet utique in casu nostro unusquisque ignis ex vi actionis, quâ pendet à solo Deo.

4 Objic. 2.: ignis A. est prior igne B. in signo, in quo intelligitur proximè potens illum causare: sed in eodem signo est posterior igne



**B.**: ergo &c. *Prob. Min.* quia in eo signo intelligitur ignis A. existens, atque adeo positus extra omnes suas causas, quibus est posterior: una autem ex ijs causis est ignis B., ut supponitur. *Neg. Min.* Ad *prob.*: ignis A. in eo-signo solum intelligitur positus extra omnes causas, quibus indiget, ut sit simpliciter existens, & proxime potens operari: ad hoc autem non indiget actione ignis B., sed contentus est actione Dei, secum afferente causalitates materiae, & formae. Non ergo debet intelligi extra ignem B.; quia hic est causa superabundans, producensque secundo titulo, minime necessario, ut ignis A. verè sit existens, & potens operari. Nec dicas, hanc secundam actionem repugnare, quia non determinat effectum ad existendum, siquidem illum aliunde existere supponit. *Negabitur* enim, de conceptu actionis ut sic, esse quod determinet effectum ad existendum simpliciter; sed sufficere, quod illum determinet ad existendum novo titulo, seu ex vi novae causae.

5 *Obje. 3.*: si possibilis est mutua causalitas quoad secundum esse, poterit ignis B., primò productus ab igne A. productus à solo Deo, in eodem instanti suam istam causam producere quoad secundum esse. *Resp.* Hae hypothese, licet praecedenti difficilius appareat, communiter etiam admittitur: quia non inde sequitur, quod ignis B. sit naturam prior suam causam primò producente, quoad primum esse talis causae, penes quod ipsa est na-

tura prior; sed solum quod ignis B. sit prior eadem causa, sumpta quoad secundum esse, penes quod non praexistit ipsa. Nec ignis A. in casu posito existet, priusquam simpliciter sit, aut primò producat; sed existet primò productus ab alia causa, priusquam secundò, seu novo titulo producat ab effectu suo. Nec ignis B. desinet esse naturam prior igne A., quatenus illum secundò producit: quia, licet habeat efficiendi sufficientiam dependentem ab igne A., ut primò productus; non tamen dependentem ab illo, ut secundò productus, vel producendus: unde verificatur, habere sufficientiam efficiendi, & producendi, independentem à suo effectu, quae talis quod sufficere videtur ad prioritatem naturam.

6 Notandum hic, quod patrum mutuae prioritatis quoad secundum esse, communiter dicunt, secundas actiones esse de se totales, & per se sufficientes ad sustinendos effectus in statu existentiae, nec nisi per accidens conjungi cum primis actionibus, ad eque non nisi per accidens esse secundas. Sed hoc, indistinctè dictum, stare non potest. Nam in casu posito *n. 1.*, si secundae actiones per accidens supponunt primas, poterunt sine primis existere: si autem ita existant, dabitur in eodem genere mutua prioritas quoad primam esse, seu quoad unicum; ut patebit consideranti. Similiter in casu *num. 5.*, si secunda productio ignis A. permanere potest sine prima, proveniente à solo Deo, quia obstat quod ignis B. tunc pri-

mò producat ab A., sequitur, posse contingere, ut ignis A. unice producat ab igne B., quem primò producit: & en mutuam prioritatem in eodem genere quoad primum, vel unicum esse.

7 Dicendum igitur, quod in casu *n. 1.* secundae actiones vage supponunt aliquam ex primis, quia sine utraque permanere non possunt: vage, inquam; quia sine quavis earum potest utraque secunda perseverare; sic tamen, ut altera è secundis fiat prima; tunc que dabitur casus *n. 5.* In hoc autem ultimo casu, secunda productio ignis A. per se supponit vage, vel primam ejusdem A. productionem ab alia causa, vel primam productionem ignis B. ab alio, quam ab igne A.; potest enim perseverare sine alterutra, non sine utraque: & quamvis modò supponat ex parte actus primam productionem ignis B. ab A., cum non illam supponat ut virtutem activam, sed ut conditionem, contenta erit, si alia aequivalens subrogetur. Haec omnia ita esse deprehendes, si attentè consideres.

## CAP. V.

## UTRUM POSSIT ALIQUID

producere seipsum quoad secundum esse?

**Q**uoniam diximus, prioritatem naturae posse in effectu reperiri respectu suae causae quoad secundum esse, nunc inquirimus, utrum similis prioritas convenire possit alicui rei respectu sui ipsius? quod est inquirere, utrum

possit aliquid producere seipsum quoad secundum esse? Quod nullatenus possit quoad primum esse, certum omnino est, propter rationem jam supra tactam, & mox iterum attingendam. Certum est item, quod nihil potest, etiam quoad secundum esse, producere seipsum naturaliter: quia natura superfluum horret, & illa secunda productio semper esset naturaliter superflua, nec posset unquam existere in circumstantiis, in quibus non esset inutilis ad fines naturales: unde, si talis productio possibilis est, erit actio supernaturalis, non solum quoad modum, sed intrinsicè, & quoad substantiam. Et hinc certum pariter esse debet, quod, si aliquid potest producere se, solum id poterit ut instrumentum obedientiae divinitus elevatum. Solet etiam in praesenti supponi, vel permitti, quod ex terminis una actio totalis non excludit essentialiter aliam eodem instanti: atque etiam quod non repugnat mutua prioritas quoad secundum esse, de qua supra praeced.

2 His ita praemissis, astrictivam sententiam tenet *Eximius Doctor tom. 3. in 3. p. d. 99. f. 12. & d. 50. f. 4.*, quem sequuntur *PP. Amicus, Arriaga, Tellez, Compton, Raynandus*, & in *M. S.* non pauci Recentiores ingenio nobiles. *Negativa* multo communior est, non solum inter extraneos, sed etiam inter nostros Auctores, quorum aliqui tantum suis argumentis deferunt, ut Suarezianam sententiam vix defendi posse, gloriarentur. *Nihil*



ominus argumenta ista non ad eod mihi videntur ineluctabilia, ut excipi nequeant solatione probabili; quod in quaestione de possibili satis est ad affirmandum, juxta alibi dicta. Praecipuas igitur objectiones proponam, & solvam.

3 *Objic.* 1., & principaliter: omne principium producens realiter distinguitur a termino producto: ergo repugnat, aliquid esse principium se ipsum producens, etiam quoad secundum esse. *Prob. Antec.* 1.: quia, ut in Logica diximus ex mente omnium, productio est signum evidens distinctionis realis. 2.: quia producens refertur relatione reali ad productum. 3.: quia id passim ut per se notum supponitur a SS. Patribus, qui distinctionem realem inter Divinas Personas ex eo probant, quod constat, in Trinitate dari processiones reales, & nulla esse potest realis processio, sive productio, nisi inter distincta realiter. *Urgetur*: quia principium producens in creatis est vera causa, proindeque debet esse principium influens esse in aliud, juxta Suarezianam definitionem causae. Debet item esse naturam prius effectu suo; quae prioritas stare nequit in causa respectu sui ipsius nisi absurde dicatur eadem res prior, & posterior se, dependens, & independens a se.

4 *Ad Objectionem* fateor inprimis, evidens esse, quod omne principium primo producens, seu producens terminum quoad primum esse, realiter ab eo distinguitur; quia sequeretur alioquin, prin-

cipium illud existeret pro priori ad primam sui productionem, quod est existeret, priusquam primo produceretur, proindeque, priusquam existeret. Fateor deinde, nihil posse produci a semetipso, etiam quoad secundum esse, tamquam a principio praecipuo, vel causa principali: quia causa principalis, aut principium praecipuum, habet virtutem naturam suam commensuratum, aut proportionatam effectui, quem proinde absolute continet, etiam ut primo producendum. Ex hinc rursus fateor, omnem causam totalem, omneque principium activum adaequatum, etiam quoad secundum esse termini, distingui realiter a termino, saltem distinctione inadaequata, nempe qua parte dicit causam, aut virtutem principalem. Ceterum, quod semper debeat realiter a termino distingui principium activum, quod solum est secundum producens, solumque agit per virtutem inadaequatam, instrumentalem, & elevatam ab alia causa superiore; nullam facis efficaci ratione convincitur. Unde...

5 *Ad 1. prob.*: productio quoad primum esse, signum est evidens distinctionis realis: productio vero quoad secundum esse, semper quidem importat distinctionem realem termini a suo principio adaequato, vel principali; at non semper a principio inadaequato, & instrumentali. *Ad 2.*: relatio realis locum habet inter productum, & primo producens, vel producens adaequate, aut principaliter; secus vero, si omnes istae conditiones in produ-

cens

cente deficient. *Ad 3.*: SS. Patres loquuntur de productione quoad primum, vel unicum esse, item de productione connaturali, & necessaria; non vero de productione superabundante, & quoad secundum esse, maxime prout orta a virtute instrumentali: passim quippe docent, Christum D., quatenus includit corpus, & animam, quotidie corpus suum creare in Eucharistia, ut ostendit P. Suar. l. c., & eruditè Raynaudus in tom. de Euchar.. Hoc principium, *Ubi datur productio realis, necessario datur duo realiter distincta*, semper verum agnoscimus. Sed ad ejus veritatem sufficit, quod realis productio, quaecumque sit, semper supponat principium, saltem principale, realiter distinctum a termino. Id quod satis est ad argumentum Patrum pro distinctione personarum in Trinitate.

6 Porro, si a creatis productionibus non necessarijs licet arguere, poterit in Divinis dari duplex productio totalis ejusdem termini; proindeque non bene colligeretur ex dualitate processuum Trinitas personarum, quarum una sit improducta, duplex producta; siquidem posset utraque processio ad unam personam terminari, vel altera esse productio, quam Filius produceret Patrem quoad secundum esse. Repugnat ergo in Divinis productio quoad secundum esse: tum quia repugnat ibi productio realis, quae non sit connaturalis, & necessaria, sed superflua, vel superabundans, adeoque defectibi-

lis: tum quia nec potest ibi dari productio orta a virtute instrumentaria, & obedientiali: tum etiam, quia productio quoad secundum esse, necessario est actio distincta, & a principio, & a termino; qualis actio repugnat in Deo ad intra. Unde vides 1., cur Spiritus Sanctus non producat se ipsum, nec alias personas, quoad secundum esse. Vides 2., cur bene inferatur, Spiritum Sanctum, eo quod a Filio procedat, a Filio distingui; quia scilicet processio in Divinis, utpote prima, & necessaria, distinctionem importat termini a suo principio. Vides 3., cur ex dualitate processuum colligatur Trinitas personarum: quia nimirum ad primam processum supponitur persona improducta; & aliunde duabus processibus, utpote necessarijs, duplex persona producta correspondet.

7 Quod additur de Suareziana definitione causae, parum urget: tum quia negari poterit, quod etiam in creatis omne principium activum semper, & in omni eventu, sit vera causa: tum etiam, quia poterit definitio intelligi de distinctione, seu alicetate termini respectu principij, quod sit adaequatum in aliquo ex quatuor generibus causarum, nempe finalis, efficientis, formalis, & materialis: sic enim semper influit in aliud, alicetate saltem inadaequata. Nec item urget illud de prioritate naturae. Nam ex nostra hypothese solum sequitur, quod idem homo v. g., ut simpliciter existens per primam actionem, sit



independens à se ipso ut à causâ; & ut existens secundo titulo, seu per secundam actionem, sit à seipso, ut à causâ, pendens: hæc autem independentia, & dependentia (in quâ stat prioritas, & posterioritas naturæ), cum proveniat à diversis actionibus, & aliunde non inferat, rem existere pro priori ad primam sui productionem, non est cur censeatur implicatoria. Exemplum habet in prioritatibus temporis, loci, & dignitatis. Nam Petrus, ut existens hodie, præcedit tempore se ipsum, ut crâs exiturum; & bilocatus in locis A., & B. poterit esse localiter prior, & posterior se se: Philippus etiam, ut Rex Hispaniæ, est dignitate prior se ipso, ut Comes Flandriæ. Adde, quod non minus difficile apparet, idem respectu ejusdem esse naturâ prius, & posterioris, independens, & dependens; & tamen hoc admittitur ex dictis *cap. præc.*

8 *Dices*: in casu præsentis non solum est idem subjectum denominationum *prioris*, & *posterioris*, sed etiam est eadem forma denominans, utpotè consistens in complexo duplicis actionis, primæ, & secundæ. Verùm hoc pariter dici poterit in exemplis nuperis: nam etiam Petrus ordine temporis, loci, & dignitatis, denominabitur seipso prior, & posterior ab eadem formâ, nempe à complexo duplicis durationis, duplicis ubicationis, aut dignitatis; & in casu mutæ prioritatis quoad secundam esse, idem effectus denominatur suâ causâ prior, & posterior à complexo

duplicis actionis. Itaque in casu nostro formæ denominantes distinguuntur quoad rectum: nam prioritas in abstracto (quæ tribuit denominationem *prioris*) non est complexum duplicis actionis utcumque, sed est prima actio in recto, dicens secundam in obliquo; & è converso posterioritas in abstracto (tribuens denominationem *posterioris*) est secunda actio in recto, dicens in obliquo primam. Hæc autem formarum distinctio (utique realis, quia à parte rei nomine *prioritatis naturæ* sola prima actio significabilis est in recto, sive *ut quod*; & sola secunda nomine *posterioritatis*) sufficit ad coherentiam utriusque denominationis in eodem subjecto, ut patet in exemplis adductis.

9 *Sed insistes* 1.: vitari non potest, quod secunda actio ratione sui sit prior & posterior eadem entitate, cum actio sit prior termino, & posterior causâ. *Resp.*: actio non propriè est prior termino, ut vidimus *cap. 1.* At, inquis, si non est prior, saltem non est posterior termino: secunda autem actio foret posterior termino in casu nostro. *Dist.* hoc ultimum: foret posterior termino, ut existente independentè ab ipsâ, scilicet per primam actionem, *conc.*; ut existente dependentè ab ipsâ, *neg.* Quare jam ex parte termini, quatenus est, & non est prior actione secundâ, datur distinctio aliqua: nam terminus, ut prior, involvit primam actionem, quam non involvit, ut non prior. Simile quid accideret in casu biloca-

tionis: nam præsentia in loco B. foret localiter posterior, & distans à corpore, non prout existente in B., sed prout existente in A.

10 *Insistes* 2.: in casu nostro, effectus intelligeretur in signo causæ, quod planè repugnat. *Resp.*: nihil prohibet effectum intelligi in signo causæ sub eâ ratione, quâ non est effectus; sicut in mutâ prioritate quoad secundum esse, intelligitur effectus in signo antecedente signum suæ causæ; quod non minus apparet absurdum. Itaque in hypothesi nostrâ signa prius, & posterioris identificantur in adæquate, nimirum penes entitatem causæ, & effectus; distinguuntur tamen penes actiones, per quas constituuntur in esse duorum; sicut accidit in hypothesi mutæ prioritatis, ubi signum antecedens causam, & signum subsequens eandem, solum distinguuntur secundum actiones.

11 *Insistes* 3.: non sola actio, sed principaliter effectus ipse, specificativè sumptus, debet esse posterior causâ, & ab eâ dependens, cum ipse sit, qui producitur principaliter, & *ut quod*: hoc autem est imperceptibile, nisi distinguantur entitates causæ, & effectus. *Resp.*: effectus specificativè sumptus, est quidem subjectum, quod præcipue denominatur *posterioris*, ac *dependens*; attamen ita denominatur, non ab entitate suâ, sed ab actione, tamquam à formâ intrinsece, & formaliter inclusâ in denominatione *posterioris*, ac *dependentis ut quod*. Hinc distinguendum est illud *specificativè*: si enim

sonet, entitatem effectus præcise dendo ab actione, vel seorsum ab illâ, in se habere quidquid sufficit, ut denominetur *posterioris*, ac *dependens*; negandum est: si verò significet, entitatem effectus, ut ab actione distinctam, sed non ut separatam, esse subjectum earum denominationum ab actione, ut à formâ; concedendum. Nec ad hoc necessaria est distinctio realis inter entitates causæ, & effectus, cum sufficiat distinctio, ac diversitas actionum, ex dictis n. 7..

12 Quocirca, dum Adversarij interrogant, utrum res specificativè sumpta producat à se ipsâ? an solum reduplicativè, prout secundò producta? Dic, rem specificativè sumptam produci à se, si *ly specificativè*, denotet subjectum verè suscipiens denominationem *producti*; non tamen, si *ly specificativè* excludat secundam actionem à constitutione formali talis denominationis. Ad hanc constitutionem denotandam utimur illis reduplicationibus: Res à se causatur, & est effectus sui, *quoad secundum esse, prout secundò producta, prout existens novo titulo*; quin ideò velimus, denominationem *causati* &c. cadere solum supra secundam actionem, & non etiam supra entitatem rei. Quod si Adversarij clamant, requiri pro omni eventu distinctionem realem, non solum formarum, sed subjectorum, ad denominationes *prioris* & *posterioris, independentis* & *dependentis*: rotundè nega, donec aliter, quàm clamando, probent: ista quip-



pe denominationes in presenti nihil aliud sonant, quam denominationes *producentis*, & *producti*; & has in idem subjectum cadere posse, defendimus in presenti. Observe tamen, forsan negari posse, quod res in causa nostro *dependeat* à se, nimirum si negeetur ex 7., quod sit vera causa, licet sit principium activum. Unde consequenter neganda erit prioritas naturæ, solumque admittenda prioritas originis, quæ non infert strictam dependentiam termini.

13 *Objic. 2.*: actio, quæ homo seipsum secundo produceret, per se, & essentialiter supponeret aliam actionem totalem ad suum effectum terminatam: ergo esset actio repugnans. *Probat. Conseq. 1.*: quia eo ipso foret, non solum naturaliter, sed etiam essentialiter superflua. & inutilis, cum foret impotens existere, nisi in circumstantiis, in quibus non esset necessaria, vel in quibus supponeret jam præstitum suum effectum formalem, quæ est denominatio *producti*. 2.: quia de conceptu veræ actionis est, quod sit determinatio effectus ad existendum, quod sit egressio, & positio illius extra causam, & quod sit communicatio perfectionis: nihil autem horum haberet illa actio. 3.: quia esset actio adæquata, ut quæritio supponere videtur; & aliunde non esset adæquata, cum essentialiter peteret consortium alterius actionis. *Confirmatur*: talis actio, nec esset creatio, cum non produceret hominem ex nihilo; nec esset educatio, cum non esset unio sui ter-

mini ad aliud subjectum. Similiter explicari non potest, foret nè actio transiens, an immanens. *Confirmatur* iterum: repugnat medium essentialiter supponens finem jam obtentum: sed actio est medium ad existentiam effectus: ergo repugnat actio essentialiter supponens effectum jam existentem.

14 *Ad objic. conc. Antec.*: quia illa actio foret essentialiter secunda, & aliam totalem semper in eodem instanti præsupponeret. Sed *neg. Conseq.*: quin obstat probatio. *Prima*. instancias patitur manifestas. Nam in sententiâ, quam tractatur cum pluribus P. Peinado, l. 3. d. 1. f. 5., possibilis est actio, reflexe producat aliam actionem; ut etiam juxta plures possibilis est unio unionis, & ubicatio ubicatio. & tamen in his æque militat essentialis superfluitas, aut inutilitas. Itaque actio illa foret quidem essentialiter superflua in ordine ad indigentiam, aut exigentiam naturalem effectus, aut alterius rei naturalis; quia nunquam posset naturaliter exigere, nec ad finem merè naturalem conducere; quod pluribus miraculis commune est: at non foret superflua in ordine ad capacitatem obedientialem, quam habet homo (vel certe quæ non probatur carere), ut existat secundo titulo, & à se ipso produceret per secundam actionem; nam, ut capacitas exerceatur, omnino necessaria est talis actio. Est insuper utilis eadem actio ad fines, quos Deus, ut supernaturalis Author, intendere potest, v. g. ad Eucharis-

ta mysterium, quod sine tali actione commode explicari non posse, ostendit P. Suarez. Nec verum est quod additur de effectu formali: nam formalis effectus illius actionis non est reddere *productum* utcumque, sed *productum secundo titulo*, seu *productum à virtute propria*; quem effectum formalem non supponit præstitum illa actio.

15 *Ad 2. prob.*: non omnis actio debet esse determinatio effectus ad existendum simpliciter, quasi translatio illius de non esse ad esse; alioquin nulla esset possibilis actio conservativa, post primam productionem adveniens. Sufficit ergo ad conceptum actionis, quod effectum determinet ad existendum novo titulo, seu ex virtute, & efficacia novi principij, & quod in hoc sensu supponat indifferenciam in effectu; prout cernere est in act. omnibus, quibus duo se mutuo producerent quoad secundum esse. Quod omnis actio sit egressio, & positio effectus extra causam, verum est, non materiali modo (quasi effectus, in utero causa genitus, & nutritus, inde nascatur per actionem), sed modo philosophicè activo, quatenus actio determinat effectum ut sit in rebus efficacia virtutis causa. Id quod præstat actio, quæ de loquimur: nam per illam homo verè determinatur, ut secundo titulo sit in rebus ex merito, & efficacia propriæ virtutis. Quod autem omnis virtus, cujus efficacia existit effectus etiam secundo titulo, debeat esse realiter distincta ab effectu, non probast

Adversarij: non enim implicat, rem egredi à se, vel poni extra se, si philosophicè intelligatur sensu nunc exposito.

16 Nec omnis actio debet effectui communicare novam perfectionem; sed satis est, si iterum, vel secundo titulo comunicet eandem, quam habebat, id est, si efficiat, ut eandem retineat ex efficacia novæ causæ; prout cernitur in quavis actione conservativa, & maxime in actione reciproca, quæ duo se invicem quoad secundum esse producerent, vel quæ effectus secundo produceret suam causam. Sic autem potest homo sibi communicare perfectionem, quam præhabet; quia potest eam retinere novo titulo ex vi propriæ virtutis. *Ad 3. prob.*: actio illa foret adæquata, non in genere primæ productionis, aut actionis transferentis effectum de non esse ad esse simpliciter (non enim ad hoc genus pertinet, adedque in hoc genere nec est totalis, nec partialis), sed in genere productionis essentialiter secundæ; quia non indigeret consortio alterius, ad idem genus pertinens. Quod autem petat consortium alterius, spectantis ad diversum genus, diversumque signum, non sufficit, ut sit actio strictè partialis.

17 *Ad 1. Confirm.*: secundæ actio posset esse creatio, si nimirum Angelus seipsum secundo produceret: & tunc esset productio ex nihilo, id est, ex nullo subjecto præsupposito; quod fat est, ut discernatur ab educatione. Nec obstat,



quod supponeret terminum præ-existentm, adeoque non esset productio ex nihilo termini. Nam illud ex nihilo, sic acceptum, solum est de ratione creationis, quæ sit prima productio: ideoque conservatio accidentium in Eucharistia creatio est, quamvis non extrahat terminum ex nihilo sui. Quod si forma ignis v. g. se ipsam secundò produceret ex materia, productio illa foreteductio, uniretque suum terminum, non ad seipsum, sed ad materiam novo titulo, novaque unione. Denique illa actio dici posset immanens; quia non transiret ad subjectum extraneum.

18 Ad 2. *Confirm.*: repugnat quidem medium per se supponens finem jam obrentum omni modo, quo potest obtineri; secus verò, si per se supponat obtentum aliquo duntaxat modo, tendatque ad illum obtinendum alio modo, seu novo titulo. Atque ita se habet secunda actio in ordine ad existentiam effectus: similiterque se haberet actio reciproca, quæ effectus produceret suam causam quoad secundum esse.

19 Quædam tamen advertito. 1. homo seipsam producens quoad secundum esse, non foret causa univoca sui: quia, licet esse ejusdem speciei secum, non tamen ageret per virtutem connaturalem, & principalem, prout agere debet omnis causa univoca. Hinc si Angelus elevaretur ad producendum alium Angelum, vel Sol ad producendum alium Solem, nemo in illo agnosceret munus cause univocæ.

2. nihil potest esse sui ipsius causa intrinseca, materialis, aut formalis, absque distinctione in adæquata: quia nihil esse potest respectu sui totum, & pars. Nihil item potest esse subjectum receptivum sui: quia nihil potest uniri sibi metipsum, cū unio ex conceptu suo sit vinculum duorum. 3. dominium purè physicum, quod aliqui tribuunt causis, etiam non liberis, in suos effectus, valde improprium est, solumque significare potest, quod causa jus habet, ut stante actione suâ perseveret effectus: quo sensu potest causa per secundam actionem sibi dominari.

20 Mitto alia argumenta, quæ facile solvi poterunt ex dictis. Nunc, post solutionem objectionum, ulterius probatur Suariana sententia 1.: Quod omnes sapientes coegit ad negandum, quidquam posse producere semetipsum, præcipue est, quod res producibilis, priusquam fiat, aut producat, est nihil: à nihilo autem nihil fieri potest: ut ergo res verè possit producere quidquam, debet supponi producta, & posita extra nihilum; quod profus implicat, si res non aliunde, quam à semetipsâ, producat. At hæc ratio non impugnat productionem sui ipsius quoad secundum esse, cum pro priori ad illam supponatur res jam posita extra nihilum, verè producta, verè existens, ac proinde verè potens operari. Similiter hujusmodi productione non impugnat alia ratio, vel hæc eadem aliter proposita supra n. 3. 10. & 11.

Accedit, quod de conceptu actionis non est producere aliquid novum, sed aliquid denuò; nec est producere, quod est absolutè improductum, sed quod est improductum à tali causa, & tali modo; ut in actionibus conservativis perspicuum est: non ergo repugnat secunda illa productio, eo quod nihil novam producat.

21 2.: In communi sententiâ Nostrorum, & Scotistarum, divinitus possibilis est bilocatio ejusdem corporis: & tamen in eâ; vel eadem, vel paria absurda primo aspectu se offerunt: videlicet, quod res eadem sit anse se, & post se;

quod sit supra, & infra se; & quod localiter distet à se, maxime cum distantia fundet relationem realem. 3.: Non minùs absolutè certum est, nihil posse producere id, à quo producat, quàm nihil posse producere seipsum: ideoque utrumque adhibetur ut æquè certum in processibus Divinis, alterum pro distinctione, alterum pro trinitate personarum. At nihilominus communis sententia Nostrorum limitat illud primum ad productionem quoad primum esse, nec vult extendi ad productionem quoad secundum esse: poterit ergo illud alterum eodem pacto limitari.



# DISPUT. V.

## DE PLURALITATE CAUSARUM TOTALIUM ejusdem effectus.

### CAP. I. UTRUM POSSIT IDEM effectus produci divisim à pluribus Causis totalibus?

1. **Q**Uæritur in hac Disputatione, utrum pro eodem effectu dari possint plures cause totales ejusdem generis, vel simul, vel divisim influentes? Eiusdem, inquam, generis: nam quod dentur plures, quarum altera sit totalis in genere cause efficien-

tis, altera in genere cause formalis, &c., extra dubium est. De pluribus in genere cause efficientis, præcipue, vel unice quæstio est: & in primis disputanda de pluribus seorsim influentibus, aut potentibus influere divisim: utrum scilicet idem effectus adæquate contineri possit in virtute plurium agentium; ita ut idem ignis v. g., qui nunc producat ab igne A., produci poterit ab igne B., si hic loco illius applicetur: videtur materia? Negant Tho-



Thomistę communiter contingere hoc posse naturaliter ( & plerique etiam de potentia Dei absolutā ), si de causis univocis sermo sit concedunt tamen, aut concedere videtur eorum plures, de causis æquivocis, vel de causis, quarum una sit univoca, altera æquivoca. De causā priā nemo dubitat, juxta illud D. Thomę 1. p. q. 105. ar. 2., *Erroneum est dicere, Deū non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quantumque causam creatam.*

Thomistę igitur adjudicant singulis causis univocis, non quidem unicam effectam individua ( hoc enim esset evidenter falsum ), sed distinctas collectiones plurium effectuum possibilium, ita ut virtus uniuscujusque causę coarctetur ad effectus in suā collectione contentos, nec extendi valeat ad alios, etiam si ejusdem sint speciei. Sententia tamen affirmans, eūdem effectum ex naturā rei produci posse divisim a pluribus causis totalibus, sive univocis, sive æquivocis, defenditur ab omnibus Scolasticis cum Scoto, & ab omnibus fere Nostri cum P. Suar. d. 26. Met. f. 15., quibus alij plures adherent, ut Averta, Echaz, Spinula, & novissime Manso, & Aguilera. Hęc sententia ( quę loquitur de effectibus absolutis, non de modalibus, multo que minus de actionibus ) mihi vera est: &

3. *Probat*: Ignis A. v. g., qui nunc producitur ab igne B., ex nullo prædicato specifico determinatus est ad procedendum magis à

B., quam à C.; ut Adversarij fatentur, & est manifestum: aliunde nec ex propria individuatione: ergo nullo ex capite. *Prob. Min. 1.*: quia ignis A. ex propria individuatione nō magis est dissimilis ignibus illis, qui continentur in C., quam alijs ignibus contentis in B.; ut omnes supponere videntur: si autem determinatus esset ad procedendum magis à B., quam à C., proculdubio in hac ipsa determinatione dissimilior esset ignibus contentis in C., quam contentis in B.. 2.: quia, si talem determinationem habet ignis A., non pollet oriri ab aliā causā æquivocā, v. g. à Sole, vel à solo Deo; sicuti non potest actio ignis B., eo quod ex se determinata sit, ut oritur à tali causā. 3.: quia forma ignis, juxta Thomistas, individuatur à materiā: sed à materiā non accipit determinationem, ut oriatur magis ab igne B., quam à C., cum certe possit eadem numero materiā disposita recipere formam à quocunque igne applicato, sive C., sive B.: ergo, &c.

4. *Confirm. 1.*: activitas unius causę univocę non limitatur ad unicam effectam individua, ut fatentur omnes: ergo nec producibilitas unius effectus limitatur ad unicam causam univocam. Patet *Consequentia*: tum quia in activitate causę individue instantur argumenta contraria: tum etiam, quia nulla ratio est, cur magis limitari debeat producibilitas ignis, quam activitas; cum producibilitas sit de genere passivo, & ex terminis facilius sit produci, quam producere à

sicut facilius est cognosci, quam cognoscere; ideoque producibilitas dicit ordinem, non solum ad causam æqualem, sed etiam ad superiorem, & æquivocam; cum tamen activitas causę univocę non nisi ad effectum æqualem extendi possit. Urgetur hoc ipsum: individua causa univocę non agit sub ratione individuali reperta in effectu; alioquin non posset producere, nisi unicam individuum: ergo agit sub ratione specificā: ergo ratio, quę reddit effectum à tali causā producibilem, est specifica similitudo. Sed hęc similitudo reperitur in quolibet individuo ejusdem speciei: ergo &c.

5. Hęc facit quod notavit D. Thom. 1. p. q. 45. ar. 5. ad 1., scilicet activitatem naturalem causę univocę non extendi ad totam speciem; quia posset alioquin producere semetipsam, cum ipsa sit unum ex individuis suę speciei. Ex quā ratione S. Doctoris colligitur 1., in causā æquivocā contineri totam speciem effectus inferioris, v. g. in Sole contineri virtualiter eminenter omnia individua caloris, aut ignis: quia hęc cessat illud inconueniens, quod scilicet Sol posset etiam producere semetipsum. Colligitur 2., virtutem causę univocę non continere totam speciem, quia se ipsam non continet; extendi tamen ad omnia individua suę speciei præter semetipsam; non enim aliam exceptionem facit, aut exigit ratio D. Thomę. Dicendam igitur ad mentem Angel. Doctoris, quod ratio, sub quā naturaliter agit causa univocę ( quę ratio sub quā, vocatur

etiam *objectum potentia activę. Sphæra activitatis* ), est specifica similitudo; quę, cum requirat distinctionem individuorum, non invenitur in causā respectu sui ipsius.

6. *Confirm. 2.*: una forma non sibi determinat unicam materiā, ita ut ex se impotens sit in aliā materiā numero distinctā recipere: eadem anima leonis A. ( quę juxta Thomistas est indivisibilis ), sicut recipitur in materiā alimentū, quę nunc veskitur leo, potuit absolute recipi in materiā alterius alimentū, si leo nutrireretur alio: quis enim dicat, leonem agnoscere carnem nutritam, habituram distinctam animam, si nutrireretur equoat. Similiter una individua materiā non ita sibi determinat unicam formam, ut non possit divisim, aut successive, informari per alias ejusdem speciei. Quod patet 1.: quia potest informari per alias speciei diversas, ut est certum: ergo à formā priori per alias numero distinctas. 2.: quia sape sus comedit suam, & lupus lupum: tunc autem eadem materiā, quę erat sub animā lupi comelli, informatur per animam lupi comedentis, quę est ejusdem speciei. 3. ad hominem: quia eadem materiā, quę nunc recipit formam ab igne A., potuit formam recipere ab igne B., si hic loco illius applicaretur; alioquin ignis B., tali materię applicatus, non combureret, sed esset instar nivis, aut glacię, quod nemo dixerit. Atqui materia illa non reciperet ab igne B. eandem numero formam, quā recipit



408

Thom. II. De Causis extrinsec. rerum natur.

ab igne A. si vera est doctrina Thomistarum in questione presenti: reciperet ergo aliam ejusdem speciei.

7 Tum sic: ergo nec unus effectus ita sibi determinat unicam causam efficientem, ut non potuerit ab alia ejusdem speciei produci. *Prob. Consequ.*: tum quia Thomistæ quoad determinationem istiusmodi non aliter philosophari videntur in materia, & formâ respectivè, quàm in causâ efficiente. Tum quia materia est materialis causa formæ, & forma juxta Thomistas est formalis causa materiæ: difficilius autem est, quòd idem effectus habere possit plures causas formales, aut materiales, quàm plures efficientes. Tunc etiam, quia forma juxta Thomistas magis individuatur à materiâ, quàm ab agente; nihil enim in eorum doctrinâ solemnius, quàm quòd materia est præcipuum, vel unicam principium individuationis: si ergo nihilominus individua forma non sibi determinat individua materiam, cur sibi determinet individuum agens?

8 *Confirm. 3.*: si duo ignes applicentur materiæ unius tantum formæ capaci, uterque virtutem suam attemperabit, còcurrentq; singuli partialiter ad eundem ignem, ut Adversarij non negant: jam ergo ignis, tunc productus, in utroque agente continetur. *Dices*: continetur in utroque partialiter, non totaliter. Sed *contra 1.*: ergo singulæ causæ univoce non ita in solidum sibi determinat propriam quasi peculiarium effectuum, ut non habeant

plures effectus omnibus communes; quod cum doctrinâ Thomistarum male coheret. *Contra 2.*: in casu posito unusquisque ignis concursum suum attemperat, ut alter simul influat: ergo non influit partialiter ex defectu virtutis de se sufficientis, sed ex concurrentiâ cum altero: ineptè quippe diceretur attemperare concursum, aut virtutem, si ageret totis viribus, seu quantum ex se potest. *Contra 3.*: unusquisque ignis agens contineret illum effectum, ut causa univoce, & principalis; neuter quippe ageret ut instrumentum alterius: at inauditum est, quòd causa univoce verè contineat effectum prorsus æqualem, & tamen non contineat totaliter, saltem totalitate causæ principalis.

*Argumenta contraria, & Solutiones.*

9 *Objic. 1.*: si idem effectus in pluribus causis continetur, nulla ratio reddi poterit, cur hîc, & nunc ab unâ potius, quàm ab aliâ procedat. *Resp.*: non opus est aliâ ratione, nisi quia una causa præ aliâ hîc, & nunc applicata est, & expedita. Quòd autem ita se habeat una præ aliâ, pendet ex voluntate Dei, vel etiam ex voluntate hominis, aut ex variâ combinatione rerum. Difficilius redditur ratio, cur ignis A. producat hîc, & nunc ex pluribus effectibus, quos continet numero distinctos, unum præ alio. Sed hæc difficultas æque premit Adversarios, cum in quovis igne continerent fateantur plura individua. Nec illis prodest recursus

ad materiam, ex n. 6.: vel si prodest, proderit etiam nobis ex n. 3. Communis, & vera sententia Nostrorum est, determinationem effectus quoad individuum provenire à Causâ primâ, quæ sola pro libitu concursum suum parat igni A. potius ad effectum B., quàm ad C., vel ad alium ejusdem speciei.

10 *Objic. 2.*: agentia univoce, num. ro distincta, habent, sicut distinctas virtutes, ita & sphæras activitatis numero distinctas: ergo effectus pertinentes ad sphæram unius, non pertinent ad sphæram alterius. *Confirm. 1.*: Ignis A. ratione differentie specificæ limitatur ad determinatam speciem effectuum: ergo ratione differentie individualis coarctatur ad determinatos effectus individuos. *Confirm. 2.*: differentia individualis non minus limitat formam in esse naturæ, seu principij activi, quàm in ratione essentia, vel actus informativi: sed in hac ratione ita limitat formam, ut non possit tribuere formalem effectum eundem, quem tribuit altera forma: ergo & in esse naturæ, seu principij activi, ita limitat formam, ut producere nequeat eundem effectum, quem altera producit. *Confirm. 3.*: ratio potentia activæ, abstracta ab omnibus individuis unius speciei, plus extenditur, quàm ratio potentia activæ contracta, & singularis: sed illa ratio abstracta extenditur ad effectus omnes ejusdem speciei: ergo contracta non extenditur nisi ad aliquos.

11 *Ad object. neg. Antec.*,

nisi forte sit sermo de distinctione sphærarum inadaquatâ, seu quoad unum duntaxat individuum, quatenus scilicet sphæra cujusque agentis univoci comprehendit totam speciem præter ipsum agens, ex n. 5.; ideòque sphære naturales duorum ignium semper in uno individuo differunt, quia alter ignis in alterius sphæra comprehenditur, & neuter in suâ. De cætero, quòd in causis univocis non debeant distinguì sphære activitatis, licet virtutes entitativè distinguantur, est nostra ipsa conclusio, quam non impugnat objectio. Nec sphæra activitatis est virtus causæ, sed objectum virtutis, aut ratio *sub qua* tendit potentia physica; quemadmodum in potentijs intentionalibus ratio lucidi colorati est sphæra potentia visiva, ratio soni potentia auditiva, & sic de alijs. Sicut ergo idem color continetur intra sphæram cujusvis potentia visiva, ita idem ignis intra sphæram cujusvis potentia physice-combustiva, à se distincta.

12 *Ad 1. Confirm.*: ex illo Antecedenti multò verisimilius inferitur, quòd ignis A. ratione differentie individualis coarctatur ad unicum effectum individuum: quam consequentiam cum Adversarij negent, potiori jure negabimus nos quam ipsi deducunt. Et ratio negandi pro omnibus est: quia differentia specifica ignis v. g. diversificat rationem genericam, & constituit essentiam simpliciter diversam ab alijs speciebus sub eodem genere contentis, ac proinde respectu earum tollit ab igne rationem cau-



sa univoca, de cuius conceptu est producere effectus in essentia similes, non specie diversos. At differentia individualis distinguit quidem numericè, sed non diversificat essentiam, ac proinde finit eam habere in individuo quolibet rationem causæ univocæ, quæ est de conceptu specifico ignis, & quæ ordinem dicit ad effectus omnes specie similes. Quare differentia numerica non facit, ignem A. esse potentiam ad aliquem, aut aliquos tantum effectus individuos, sed esse talem individuum potentiam ad omnes specificè similes. Non aliter, ac potentia visiva in individuo non est potentia videndi aliquos tantum colores, sed est talis potentia videndi omnes.

13 Ad 2. *Confirm.* redit instantia, tum in limitatione formæ in esse naturæ quoad unicum effectum individuum, quæ limitatio multò magis infertur ex limitatione formæ ad unicum effectum formalem; tum in potentia visivâ ad suum objectum comparatâ. Quare *dist. Major.*: non minus limitat &c., limitatione identitatis cum unico individuo, *conc.* (tam enim in esse naturæ, quàm in ratione essentia, contrahitur forma ad identitatem cum unico individuo); limitatione causalitatis in effectus distinctos, *neg. Maj.*, & *concess. Min. neg. Consequ.* Disparitas autem inter effectum formalem, & alios extrinsecos, manifesta est: quia effectus formalis intrinsecè includit formam ipsam; unde formarum distinctio nequit non refundere distinctionem,

saltem inadæquatam, in effectus formales: quæ ratio non militat in effectibus virtutis activæ, ut quisque videt.

14 Ad 3. *Confirm.*: eodem argumento probari posset, quòd potentia visiva singularis non extenditur nisi ad aliquos colores; & quòd potentia activa singularis non extenditur nisi ad unicum effectum, cum ita comparetur ad rationem abstractam, sicut unum individuum ad omnia. Itaque *dist. Maj.*: plus extenditur &c., extensione logicâ, seu predicabilitatis, *conc.*; extensione physicâ, seu realis activitatis, quæ est prædicatum primæ intentionis, *neg. Maj.*, & *concess. Min.*, *neg. Consequ.* Sensus distinctionis patet ex Logicâ. Quilibet enim ratio abstracta, extensior est, quam contracta, cum fiat universalis, & predicabilis de pluribus: & hæc extensio, utpotè secundæ intentionis, non reperitur in singularibus: unde in hoc sensu ratio abstracta dividitur, & limitatur per contractionem. At prædicata primæ intentionis (ita vocantur que objecto competunt independentè ab Intellectu) non magis conveniunt rationi abstractæ, quàm singulari; non enim magis est animal rationale homo ut sic, quàm Petrus. Cum ergo extensio activitatis physicæ sit proculdubio prædicatum primæ intentionis, non magis convenit igni ut sic, quàm igni A: quare vel utrique, vel neutri, convenit extendi ad omnes effectus specie similes. Ubi nota, quòd etiam de igne ut sic verificatur posse produ-

ducere omnem ignem præter se, non quidem præter se ut producentem pro statu abstractionis (nam pro tali statu certè nec producit, nec producit); sed præter se ut producentem pro statu contractionis.

15 *Repl. 1.*: causis specie diversis respondent effectus specie diversi: ergo causis numero distinctis respondere debent effectus numero distincti. *Neg. Consequ.* propter dicta n. 12., & propter instantias ibidem indicatas. *Repl. 2.*: differentia specifica facit, ne causa contineat omnes effectus ejusdem generis, v. g. ne leo contineat animalia omnia: ergo differentia numerica facere debet, ne causa contineat omnes effectus ejusdem speciei: nam, sicut differentia specifica limitat genus, ita numerica limitat speciem. Sed iterum *neg. Consequ.* propter eadem motiva; quin obliet adjuncti probatio, in quâ locum habet usitata illa distinctio; sicut & eodem modo, *neg.*, sicut & diverso modo, *conc.* Differentia specifica limitat diversificando simpliciter essentiam, adeòque variando rationem agendi; numerica verò limitat servando essentiam integram, & invariata, ac de ratione agendi nihil immutando; non enim ratio agendi ex individuatione sumitur. *Repl. 3.*: ergo unicus ignis tantum potest producere, quantum omnes. *Dist. Consequ.*: quantum omnes simul producere possunt, *neg.*; quantum omnes divisim, aut distributive possunt, *conc. Consequ.* Sic unica materia in hoc sensu tantum potest recipere, quantum omnes: unica

potentia visiva tantum videre, quantum omnes: unicus homo tantum sustinere pondus, quantum mille homines robore pares.

16 Hinc unicus ignis continet ignes infinitos syncategorematicè, idest, non tot, quin plures: quia in specie ignis, ut in quâlibet aliâ, dari possunt plura & plura individua sine fine. Nec inde sequitur, ut aliqui obijciunt, infinita perfectio in quovis igne: non enim posse producere utcumque infinitos effectus, arguit infinitudinem potentia; sed posse producere simul plures & plures sine termino, item perfectiores & perfectiores sine limite, quod solius est Divinæ potentia. Posse autem producere, non simul, sed divisim, effectus perfectione æquales, syncategorematicè infinitos, optime coheret cum finitudine potentia. Sic enim Intellectus humanus producere valet cognitiones infinitas, & Voluntas infinitos affectus, ut passim omnes supponant. Nec Thomistæ dissentire possunt: quàmvis enim uni uique igni suam assignent collectionem, aut seriem effectuum possibilium, tamen in unaquaque serie nequit esse finitus numerus effectuum: alioquin contingere posset, omnes effectus ignis A. fuisse jam successivè productos, & corruptos, igne A. permanente; quo in eventu maneret ignis A. prorsus infæcundas, & impotens comburere non minus, quàm nix, aut glacies. Equidem talem ignem mihi applicatum nollem.

17 *Objic. 3.*: effectus parti-



cipat perfectionem causæ: sed nequit idem numero effectus participare perfectiones numero distinctas: ergo nequit oriri à duabus causis numero distinctis. *Resp.*: participatio ista non debet accipi rudi Minervâ, quasi eadem numero perfectio causæ, vel pars ejus, transeat in effectum; alioquin creatura esset frustralum Dei, cum sit participatio Divinæ perfectionis. Participatio ergo in præsentī significat imitationem ex vi causalitatis; quæ imitatio major aut minor est, prout fuerit major aut minor similitudo perfectionis, ideòque maximè convenit effectibus causæ univocæ. At nec umbra contradictionis est in eo, quòd unicus effectus imitari possit perfectionem plurium causarum similium, divisim causantium. Quò autem sensu dicatur effectus contineri *formaliter* in causâ univocâ, explicatum est *disp. 2. c. 5. n. 20.*

18 *Obje. 4.*: effectus pendet per se & essentialiter à causâ, à quâ determinatè producitur: ergo nequit sine illâ existere, adeòque nec ab aliâ produci. *Confirm.*: si potest idem effectus oriri à duabus causis, neutra erit causa per se, sed causa per accidens; quia per accidens erit effectui, ab unâ potius, quam ab aliâ causari: unde non dabitur inter causam & effectum ordo per se. *Obje. 5.* absurde probat, effectum, qui nunc producitur ab igne A., non posse produci à solo Deo, siquidem essentialiter pendet ab igne A. *Confirmatio* probat etiam absurde, nullam causam secundam esse causam per se respectu effectus

absoluti, cum per accidens sit effectui, quòd non à solo Deo causetur. Itaque ad *obje. neg. Antec.* propter *ly essentialiter*: quia nullus effectus absolutus secundum se pendet essentialiter, nisi à Deo. Dico *secundum se*; quia, si effectus reduplicet actionem, quâ producitur à causâ secundâ, à hac utique pendet essentialiter, cum actio sit modus causæ.

19 Concedo tamen, quòd effectus pendet *per se* à causâ creatâ determinatè producente; quia sic pendere, nihil est aliud, quam à tali causâ de facto accipere esse, quamvis illa non sit causa, sine quâ non: quòd nisi verum sit, non dabitur in effectu absoluto dependentia per se, nisi à Deo. Sic materia per se pendet à formâ, & quidem à priori juxta Thomistas: & tamen potest eadem materia pendere divisim à multis formis. Ad *Confirm.*: æquivocatio est in verbo *per accidens*: si enim solum excludat necessitatem, idemque sonet, ac *contingenter*, omnis causa secunda est causa per accidens respectu effectus absoluti: si verò excludat influxum verum, ac propriam, à virtute nativâ causæ proveniente, neutra ex causis divisim producentibus eundem effectum est causa per accidens, sed qualibet, dum actu producit, est causa per se perfectitate influxus; de qualibet enim verificatur illud D. Thomæ 1. 2. q. 85. ar. 5., *Per se quidem est causa alterius, quòd secundum virtutem suæ naturæ, vel formæ, producit effectum.* Hinc inter causam & effectum

effectum non debet dari ordo per se, perfectitate necessitatis, sed sufficit ordo per se perfectitate influxus.

20 *Obje. 5.*: Intellectus Petri, & Pauli nequeunt easdem numero cogitationes, quantumvis similes, producere. Item albedo A. producere nequit eandem numero speciem visivalem, quam producit albedo B.: pariter ergo de alijs causis & effectibus discurrendum. *Obje. 6.* probat contra Thomistas, vel certè contra doctrinam ex D. Thomâ deductam n. 5., in causâ æquivocâ non contineri totam speciem effectus inferioris; nam intellectus respectu cognitionis, & albedo respectu speciei, sunt causæ æquivocæ. Præterea omnes disparitatem agnoscunt inter actus vitales, & alios effectus absolutos. Nam actus vitalis, si est modus realiter indistinctus à productione sui, ut multi putant, non pertinet ad questionem præsentem, nec potest produci à solo Deo, sicut neque ulla actio causæ creatæ, ut nemo dubitet: si verò in qualitate absolutâ consistit, etiam sic ex conceptu actus per se immanentis quodammodo sapit, aut imitatur naturam modorum, dicitque specialem respectum, & habitudinem ad potentiam determinatam; ex quo respectu actus orti à potentijs numero distinctis sunt individualiter heterogenei magis, quam duo actus orti ab eadem potentia. Unde vel ipsi Thomistæ docent, nostros actus vitales produci non posse à solo Deo, ut videre est apud Froylanum *hic q. 3. art. 5. §. 4.* Similis heterogeneitas

individualis, & imitatio modorum, communiter agnoscitur in speciebus, quæ proveniunt à candoribus numero distinctis, propter speciales habitudines ad objecta determinata. De his ergo effectibus nemo disputat, an possint in pluribus causis idem contineri: sed de illis tantummodo, qui sunt omnino absoluti, nec habent respectum aliunde notum ad determinatam causam, sed omnino indifferentes sunt, ut proveniant vel à propriâ causâ, vel à solo Deo; cujusmodi sunt ignes, calores, &c..

21 Denique *nota 1.*: quamvis individuum A. contineat in ratione causæ cætera omnia sua speciei, potest tamen impediri per accidens, ne hoc, aut illud producat. Si enim individuum B. sit jam productum ab aliâ causâ, & corruptum, jam non potest ab individuo A. produci naturaliter, juxta communem sententiam de impossibilitate naturali reproductionis. Verum hoc est per accidens, & ex suppositione contingentis: nec tollit, quòd individuum B. potuerit primò produci ab A., loco alijs causæ. Similiter est per accidens, quòd effectus non possit producere suam causam univocam, à quâ de facto producitur, & quam proinde supponit jam productam. Nam idem effectus ex se potuit oriri ab aliâ causâ; tuncque posset producere causam illam, à quâ nunc oritur. Unde idem homo, qui nunc est filius Petri, & nepos Pauli, potuit esse pater & avus eorundem, si nimirum ortus fuisset ab alijs hominibus.



22 Nec obstat illud Ecclesiast. 7., *Honora patrem, & matrem, quia nisi per illos natus non fuisset.* Nam hoc verum est supposita presenti providentiâ, quâ Deus decrevit, non nisi ab his parentibus hunc hominem nasci. Potuit tamen Deus aliter decernere non minus naturaliter. Debet autem homo gratitudinem, & honorem ijs parentibus, à quibus de facto accipit esse, licet ab alijs accipere potuerit; sicut debetur gratitudo commodanti, & supplicium furanti vestim, licet alius potuerit illam æquè furari, vel commodare. Nec item obstat D. Thomas *Quodlib. 5. art. 8.*, docens, impossibile esse eundem filium nasci, sive sit alius pater, sive alia mater; nec esse idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive aliud corpus sigilli. Loquitur enim de filio quâ tali, seu prout reduplicante actionem generativam, & relationem ad tales parentes; non verò de filio secundum se, vel prout talis homo est. Sigillum constituitur ex figurâ, quæ modus est essentialiter affixus materiæ, ideòque nequit non cum materiâ ipsâ mutari.

23 *Nota 2.*: nostra sententia loquitur de individuis ejusdem speciei æquè perfectis. Si enim, ut aliqui centent, individua ejusdem speciei possint esse perfectione inæqualia, tunc individua minas perfecta nequeunt esse causæ totales perfectiorum. *Nota 3.*: idem effectus causari non potest à duplici causâ intrinsecâ, quæ sit totalis in eodem genere, sive materiali, sive formali. Cum enim causâ intrinse-

ca non aliter causet, quàm suam ipsius entitatem exhibendo, si entitas causæ est duplex, nequit non effectus, sive compositum, evadere duplex, saltem inadæquate: quæ de re plura diximus *tr. 1. d. 5. c. 4.* A duplici tamen causâ materiali extrinsecâ posse causari divisim eundem effectum, constat ex dictis *n. 6. Nota 4.*: ejusdem actus voluntatis, qui respicit intrinsece finem pro objecto, dari non potest duplex finis totalis; quia nullus actus potest mutare objectum intrinsece respectum, aut respicere divisim objecta distincta. Quare tales actus in ordine ad finem se habent instar actionum in ordine ad causam efficientem. Actus tamen externus, aut internus imperatus, qui ex se non respicit finem pro objecto, potest elici divisim propter fines totales, plures, & varios.

## CAP. II.

## UTRUM POSSIT DIVINITUS

*idem effectus produci simul à duplici causâ totali?*

**N**unc jam querimas, utrum duæ, vel plures causæ totales, quas diximus posse producere divisim eundem effectum, possint illum producere simul, non ita ut attemperent se se modo dicto *cap. præc. n. 8.*, sed ita ut singulæ fiat totales in actu secundo? Est autem causâ totalis in actu secundo, quæ actualiter influit in fluxu sufficiente ad ponendam effectum in rerum natura sine intelligentia alterius causæ ejusdem ordinis.

**1.** Disputatur modò, num id possit contingere divinitus? Nam de possibilitate naturali postmodum. Prima sententia negat, eamque tenent Scotista, & plerique Thomistarum, quibus accedunt pauci è Nostris. Secunda ex adverso affirmat, eamque tuetur Exim. Doctor *d. 26. Met. f. 4.*, & cum eo fere omnes Authores nostri, quibus adheret è Thomistis M. Prado citans Thomistarum principes Capreolû, & Cajetanum, adherent etiam Aversa, Echaz, Trinitar., Spinul. Mans., Aguil., & plures alij.

**2** *Probat*ur hæc ultima sententia: potest idem effectus (ut nuper ostensum est, & modò supponitur) contineri totaliter in duplici causâ, saltem æquivocâ, v. g. idem lumen in duplici Sole, si duplex existeret, vel idem calor aquæ in duplici igne: unde potest divisim terminare actiones totales duarum causarum. Si ergo nequit easdem terminare simul, hoc unice provenit ex eo, quòd una actio totalis ex conceptu adæquationis, vel totalitatis, essentialiter importat negationem alterius eodem tempore existentis circa eundem effectum. Sed falsum est, quòd talem negationem essentialiter importet actio totalis: ergo potest divinitus idem effectus produci simul à duplici causâ totali. *Prob. Minor. subsumpt.*: quia de conceptu actionis totalis solum est ita sufficere ad existentiam effectus, ut non indigeat juvamine alterius; in hoc enim discernitur ab actione partiali. At una sufficientia ex terminis non

negat essentialiter aliam; nec est idem non indigere aliquo, ac illud essentialiter excludere. Unde ex eo, quòd visus Petri sufficiat ad videndum colorem A., nec ad illum totaliter perspicendum indigeat visu Pauli, non sequitur, quòd visus Pauli non videat simul totaliter eundem colorem.

**3** *Confirmatur 1.* Locus uno corpore totaliter occupatus, potest divinitus alio corpore simul occupari, si duo corpora penetrantur, ut possunt juxta omnes. Potest etiam juxta Scotistas idem corpus duplici simul ubicatione adæquatâ locari; & eadem materia duplici simul adæquatâ formâ compleri. Potest item juxta Thomistas eadem humanitas terminari simul per tres Divinas subsistentias, utique totales. Pariter ergo poterit idem effectus duas actiones totales simul terminare. Patet *Conf. qu.*: quia in his manifestè infringuntur Adversariorum argumenta, maxime que sumuntur ex totalitate, ac dependentiâ.

**4** *Confirm. 2.*: juxta Scotistas apud Magistrum *d. 8. n. 73.*, & sæpe alias, actio Causæ primæ, concurrentis cum secundâ, ita est de se sufficiens ad effectum, ut non egeat concursu causæ secundæ, quamvis hæc simul verè influat. Quæ doctrina videtur etiam communis apud Thomistas; è quibus M. Joan. à S. Thomâ *hic q. 10. art. 5.* possibiles agnoscit duas actiones totales in eundem effectum, quarum altera sit folius Dei, altera etiam creaturæ. At si semel admittitur, altera



nam actionem totalem, quæ de se plenè sufficiat ad effectum in rerum naturâ statuendum, dari posse in eodem instanti actionem aliam (etiam si hæc dicatur partialis), omnino ruunt fundamenta contrariæ sententiæ, ut ea expendenti, & applicanti planè constabit: ergo &c.

5 Nec satisfacit Matrius n. 74. dicens, concursum Dei in actu secundo, licet secundum rem sit sufficiens ad effectum, tamen *in modo applicandi* esse insufficientem, & indigere consortio causæ secundæ. Nam ipse Matrius n. 73. impugnat opinionem dicebatum, concursum Dei in actu secundo esse partialem; quia (inquit) *tam indignum est vilificare causam primam in actu secundo, quam in actu primo*: vilificaretur autem Deus in actu secundo, si poneretur indigens concursu causæ secundæ. Atqui etiam indignum est vilificare causam primam in modo applicandi concursum; nulla quippe vilitas in Deum cadit nec in re, nec in modo: ergo concursus Dei, etiam quoad modum, non indiget causâ creatâ, sed se solo sufficit ad effectum. Unde perstat integra difficultas, quam Matrius fatetur *solidam*.

6 Nec item satisfacit, quod aiunt Thomistæ, causas primam & secundam concurrere ad eundem effectum sub diversâ ratione, primam sub communi ratione entis, secundam sub ratione particulari, & specificâ. Nam, quidquid sit de ratione *sub qua*, quæro abs te, an actio causæ primæ se sola sufficiat ad effectum in rerum naturâ pona-

dum, etiam si deesset actio causæ secundæ? Si asseras; perstat integritas tuorum scopulus argumentorum. Si neges, ponis actionem Dei ripsâ partialem, & indigam iuvaminis alieni; quod in tuis principiis est vilificare primam causam. Unde rejicitur etiam quod ajunt ad exemplum trium subsistentiarum, divinitus terminantium eandem humanitatem, nempe fore, ut terminarentur sub diversâ ratione. Nam, quidquid de hoc sit, certè unaquæque terminaret, sicut modò terminat subsistentia Verbi, quæ proculdubio terminat totaliter. *Dices*: terminat totaliter intensive, non extensive. *Contra*: sic terminat, ut non indigeat iuvamine alterius: & hoc nobis sufficit ad exemplum. *Contra* item; non minus terminat, quam subsistentia creata; & hæc simpliciter totalis est.

*Objectiones propositæ, & solutæ.*

7 Sed, quoniam in questionibus hujusmodi potissima probatio est objectionum solutio, protinus ad eam deveniamus. *Obje.* 1.: si unus effectus à duplici causâ totali simul procederet, ab utraque penderet actualiter, cum omnis effectus actualiter pendeat à causâ per se influente: aliunde non penderet ab utraque, siquidem non indiget utriusque influxu, sed alterutro contentus est. *Obje.* 2. instatur 1. ex *num. præced.*: pariter enim sequitur, quod effectus penderet, & non penderet à causâ secundâ, si produceretur simul actione totali solius Dei. 2. contra Thomist. in naturâ humanâ per tres subsisten-

tias

tias terminatâ; quæ similiter penderet, & non penderet à singulis. 3. contra Scotistas in materia recipienti simul duas formas, quarum à singulis penderet (saltem à posteriori), simulque non penderet. *Resp.* igitur, effectum ab utraque illâ causâ determinatè pendere dependentiâ *causalitatis*, quia verè ab utraque accipit esse: non tamen ab utraque pendere determinatè dependentiâ *indigentia*, sed tantum indeterminate & vagè ab earum alterutrà, quia non aliter ijs causis indiget. Loquor de indigentia naturali; quia essentialiter nulla res absoluta indiget, aut pendet, nisi à Deo. Vide dicta in simili *cap. præced.*, ubi hac eadem doctrina utuntur Scotistæ.

8 Sed *insistes* 1.: effectus nequit non indigere causâ determinatâ; non enim potest à causâ vagâ produci. Sed hujus argutiæ vide solutionem in simili *tr. 1. d. 3. c. 1. n. 15.* Et quære ab arguentibus, quomodò materia prima indigeat aliquâ formâ vagè, corpus aliquâ ubiicatione, famelicus aliquo pane, viator aliquo equo, & sic de innumeris alijs; cum certum sit, materiam non posse informari formâ vagâ, nec famelicum saturari pane vago, &c. *Insistes* 2.: neutra causa totalis foret causa per se, sed utraque per accidens. Verùm hoc etiam *cap. præced.* solvimus in simili cum Scotistis. Nunc addimus, quod perfectas causas non supponit necessitatem ex parte effectus, nisi cum hoc addito, *ex suppositione quòd alia causa non adjit*. Addimus item

propter dicta *d. 2. c. 1. n. 10.*, quòd utraque causa influeret cum inclinatione: quia pro circumstantiis, in quibus Deus nolit, alteram alteri attemperari, unaquæque exigit influere totaliter in patrum dispositum, & applicatum.

9 *Insistes* 3.: si effectus nullâ causâ indigeret, à nullâ produci posset, sed foret ens à se: ergo, si non indiget duplici causâ totali, non potest à duplici produci. Accedit, quòd implicat vera dependentia in eo sensu, in quo non est indigentia; tum ex ipsis terminis; tum quia idèò Deus nullo modo pendet à creaturis, quia illis nullo modo indiget: ergo implicat dependentia causalitatis in sensu determinato, si non datur in eodem sensu indigentia. *Resp.* Præter instantias *num. 7.*, argumentum æquè impugnat duas causas totales in actu primo, divisim productivas ejusdem effectus: nam si effectus nullâ causâ indigeret, à nullâ produci posset, nec simul cum aliâ, nec divisim: ergo, si non indiget duplici totali in actu primo, non potest etiam divisim à duplici produci; nisi derur dependentia productibilitatis in eo sensu, in quo non est indigentia. Quare solvendum est ab Scotistis; in ò & à Thomistis, cum pariter probet, non posse produci effectum à causâ secundâ, si potest à Deo solo.

10 Itaque *reg. Conseq.*: quia, licet indigere aliquâ causâ vagè, sit fundamentum producibilitatis; hoc tamen fundamentoposito, potest aliunde crescere, ut sic



dicam, fabrica producibilitatis, & productionis, potestque à pluribus causis, etiam non necessarijs, haberi; nec tenetur sequi mensuram indigentiz. Quemadmodum, qui non est homo, vel Angelus, nequit sanctificari per Gratiam; & tamen in sanctitate crescere potest magis, ac magis sine fine, tamen si non creseat in esse hominis, aut Angeli. Ad id, quod additur, *neg. in- teced.* propter nunc dicta: quamvis enim implicet dependentia ubi non datur aliqua indigentia; potest tamen, supposita indigentia vagâ, dari dependentia determinata. Deus autem idcò nullatenus pendet à creaturis, quia nullatenus illis indiget, nec determinatè, nec vagè. Expediit ad hæc omnia responderi potest, quòd nomen *dependentie* interdum sumitur pro indigentia, interdum pro satisfactione indigentiz; quo posteriore modo sumitur, cum dicitur de productione effectus à causâ. Potest autem satisfactio esse determinata, quamvis indigentia sit vaga; ut patet exemplo famelicij, viatoris, & alijs *num. 8.* Sed observa, nos loqui de effectu secundam se inspecto: nam, si accipiatur ut productus per duas actiones, determinatè indiget utraque causâ totali citra dubium.

11. *Objic. 2.*: qualibet ex causis in casu questionis esset totalis, ut supponitur; & aliunde non esset; quia de conceptu causæ totalis est, quòd non influat in consortio alterius. Verum hæc *objectio* re-jecta manet *2. 2.* ex proprio con-

ceptu causæ totalis in actu secundò; imitaturque manifestè in exemplis *n. 3. & 4.* Non est ergo de essentiali conceptu causæ totalis, quòd influat sola, quòd sit unica, quòd excludat omnem influxum præter suum; sed solum quòd ejus actio independentè ab alterius actione sufficiat ad effectum in rerum natura ponendum. Quare potest admittère consortium, aut comitatum alterius purè *materialiter*, id est, alterius, quæ non ita illi conjungatur, ut ambæ se se mutuo adjuvent, nec ita ut concurrant per eundem influxum, nec per duos invicem connexos, & coordinatos (quò sensu proprium est causæ partialis influere in consortio alterius); sed ita, ut qualibet de materiali se habeat ad influxum alterius, & perinde influat, ac si altera non adesset. Dici quoque solet, singulas causas esse totales, non totalitate exclusionis, sed totalitate sufficientiz; vel totalitate positivè, non negativè.

12. *Insiſt. 1.*: causa totalis nihil in effectu relinquit improductum: ergo nihil relinquit ab aliâ causâ producendum. *Neg. Conseq.* nam, sicut una subsistentia nihil relinquit interminatum in natura, una forma nihil relinquit incompletum in materia, una visio nihil invisum in colore, una cognitio comprehensiva nihil incognitum in objecto; & tamen aliquid relinquit ab aliâ terminandum, complendum, videndum, cognoscendum, nempe totam naturam, totam materiam, totum colorem, totum objectum: ita in re nostrâ.

Quod

Quod dictum est, dummodo verbum *relinquit* non innuat prioritatis ordinem per se inter causas (hic enim ordo negandus est), sed idem valeat *relinquit producendum*, ac *ſinit produci*.

13. *Insiſt. 2.*: altera ex causis totalibus vel actum ageret, vel nihil ageret. *Neg. assumpt.*: quia utraq; foret primò producens, seu producens effectum in primo instanti existentiz ipsius, & quidem in signis inter se prorsus inconuenis, ac se se materialiter comitantibus absque ullo prioritatis ordine unius causæ ad aliam, sed tantum utriusque ad effectum. Neutra ergo actum ageret, siquidem neutra supponeret terminum ab aliâ productum; sed utraque totum ageret, & totum extraheret de non esse ad esse. Repete instantias *n. 3. & 4.* nam similiter, positis in eadem materia duabus formis, altera vel completum completeret, vel nihil completeret; & sic de alijs. Quòd si velis, ut effectus ab una causâ totali primò productus, in instanti sequenti conservetur ab eadem, & ab aliâ simul per novam actionem; tunc nova hæc actio non magis actum ageret, quam aliâ qualibet actio conservativa post primam productionem adveniens; cujus conatus non eò tendit, ut, quòd actum est, incipiat esse, sed ne relabatur in non esse; quo sensu potest utique actum agi.

14. *Insiſt. 3.*: quòd est totaliter productum, nequit magis produci. *Dist.*: nequit magis produci, productione per se supponen-

te priorem aliam, *transseat*; productione non aliam supponente, sed pure comitante, *subsiſt.* nequit magis produci, nec bis, aut pluries; *neg.*; nequit magis produci, potest tamen pluries, *conc.* Sic lapis ab uno Angelo cognitus comprehensivè, atque ad eò totaliter, potest à pluribus alijs simul comprehendi. Adde alias instantias toties adductas.

15. *Insiſt. 4.*: neutra ex illis causis adequaret totam producibilitatem, totamque dependentiam effectus: ergo neutra esset causa adequata. *Resp.* Quælibet causa totam effectus producibilitatem intrinsicam adequat adæquatione sufficientiz; quia quælibet sufficit, ut tota illa producibilitas producatur: hinc tamen non sequitur adæquatio exclusionis, quæ scilicet essentialiter excludat adæquationes alias pariter sufficientes. Sic una comprehensio totam adæquat cognoscibilitatem objecti, nec tamen comprehensiones alias excludit. Similiter si dependentia effectus sumatur pro indigentia, qualibet causa illam adæquat adæquatione sufficientiz; quia qualibet ei plenè satisfacit. Si verò dependentia sumatur pro causalitate actuali, cum hæc in casu nostro sit duplex, non qualibet causa totam adæquat extensivè; quia non adæquat binarium actionum: sed negamus esse de conceptu causæ simpliciter adæquatæ, quòd dependentiam effectus, sic acceptam, extensivè adæquet. Dici tamen poterit totam adæquans intensivè, qualiter



unus homo intensivè adæquat perfectionem duorum.

16 *Objic. 3.*: si duo agentia luminosa, singula virtutis ut quatuor, producerent ut causæ totales unicam lucem ut quatuor, totam suam virtutem exhaurirent absdubiò: aliunde non totam exhaurirent: ergo sequeretur contradictiò. *Prob. Min.*: duo illa luminosa possent producere lucem ut octo, vel saltem duplicem lucem ut quatuor: ergo, dum unicam producunt, non operantur quantum possunt: ergo totam virtutem non exhauriunt. *Resp.* Eodem argumento probari potest, quòd duo corpora penetrata, locum non occupant quantum possunt; quòd duæ formæ in eadem materiâ receptæ, non informant quantum possunt; quòd illa duo luminosa, si unicam lucem producerent divisim, aut etiam successivè (ut si lux ab uno producta, postea conservaretur ab altero, vel post corruptionem miraculosè reproductaretur ab altero), non agerent quantum possunt, cum possint divisim, aut successivè duas producere luces ut quatuor. Itaque *neg. Min.* Ad *prob. dist. 1. Consequ.*: non operantur quantum possunt per quascunque actiones, *conc.*; quantum possunt per actiones totales directas ad lucem A., *neg. 1. C. 2. consequ.* Ut agens exhauriatur pro hoc instanti, non requiritur quòd agat quantum potest per omnes actiones, quas continet in sensu divisio ponendas; sed sufficit quòd agat quantum potest per unam actionem suam virtuti adæqua-

tam: & sic ignis A., dum actu producit ignem B. sibi æqualem, verè pro eo instanti exhauritur, quia unam actionem sibi adæquatam exercet directam ad ignem B., quamvis non agat quantum potest in sensu divisio per alias, quas continet, actiones dirigibiles ad ignes C., R., &c..

17 Jam verò unumquodque luminosum, de quo est sermo, potest divisim ab altero, totaliter producere lucem illam unicam, & quidem per actionem virtuti agentis adæquatam, quâ posita exhauriretur, & ageret quantum potest, idest, secundum totas vires: continentur igitur in duobus luminosis duæ productiones totales ejusdem lucis, saltem divisim ponibiles, quarum unaquæque, si poneretur, esset exhaustio virtutis causæ, & summus conatus. Fac ergo (& hæc est nostra hypothesis) has ipsas actiones simul existere; & invenies, utriusque luminosi virtutes exhauriri, licet non producant nisi unicam lucem ut quatuor. Cur enim exhauriantur divisim, & non simul, si actiones eadem sunt, & terminus idem? Possent quidem per alias actiones producere simul duas luces, ut quatuor, sicut possent divisim, aut successivè: attamen hoc non tollit, quòd actiones istæ, ad unicam lucem directæ, sint adæquatæ, & exhaurientes, tam simul, quam divisim. Sic uniones, quibus duæ formæ unirentur eidem materiâ, verè adæquarent vim informativam utriusque formæ, quamvis per alias uniones possent eadem forma duas ma-

materias informare. Certè exhaustio causæ, prout nunc accipitur, consistit in conatu, quem virtus adhibet in agendo, qui conatus est actio: si ergo duo luminosa æquales conatus adhibent, & æquales exhibent actiones circa eundem effectum, ac circa duos, nequeunt non æqualiter exhauriri.

18 Sed *repl. 1.*: unica lux ut quatuor, non æquivaleret duplici ut quatuor. *Dist.*: non æquivaleret in esse entis, *conc.*; non æquivaleret in ratione effectus, quando duas terminat actiones totales, *neg.*: lux enim unica, ut producta duplici actione totali, conatum agentium infumit æquivalentem ei, qui circa duplicem lucem insumeretur. Quod pariter dicendum est de unicâ luce productâ divisim, aut successivè, à duabus causis. *Repl. 2.*: unum luminosum ut octo, nequit exhauriri productione unius lucis ut quatuor: ergo nec ejusdem lucis productione possunt exhauriri duo luminosa, singula ut quatuor. *Dist. Antec.*: si luminosum ut octo, lucem illam producat unicâ actione totali, *conc.*; si duplici, *neg. Antec.*, & sub eadem distinctione *Consequ.* Unum agens virtutis duplò majoris quam effectus, potest etiam illum producere per duas actiones totales, vel ortas à distinctis partibus agentis, vel etiam ab eadem virtute profectas: quod si faceret in casu argumenti, non minus exhauriretur luminosum ut octo, quam si produceret unam lucem ut octo, vel duas ut quatuor. *Dice*, ex P. Ulloa: decretum applicativum Omnipot-

entia non haberet tunc modum tendendi Deo dignum; sic enim tenderet, *Volo, ut agens ut octo producat producat effectum ut quatuor.* Sed quid opus est repetitione illâ negatoria, *producat producat?* cum possit decretum ita concipi, *Volo, ut agens ut octo, per duas actiones totales producat effectum ut quatuor.* Si Angelus cognosceret lapidem per duas cognitiones numero distinctas, & simul positas (quod saltem divinitus non repugnat in principijs illius Authoris), numquid decretum Dei sic tenderet, *Volo, ut Angelus cognoscat cognoscat lapidem?*

19 *Repl. 3.*: actiones adæquantes virtutem agentium, ponunt in actu secundo totum id, quod agentia continent in actu primo: sed duo prædicta luminosa continent duos effectus ut quatuor: ergo duos in actu secundo ponere debent actiones adæquantes virtutem eorum agentium. Accedit, quòd duplex actio est duplex effectus in fieri, cui respondere debet duplex effectus in facto esse. *Dist. Maj.*: totum id, quod agentia continent in actu primo, ut producendum per omnes actiones, *neg.*; quod continent ut producendum per aliquas actiones verè adæquatas *conc. Maj.*, & similiter distinctâ *Min.*, *neg. Consequ.* Relege dicta n. 17. Nec obstat quòd additur de effectu in fieri: nam actio non tam est effectus in fieri, quam ipsi in fieri effectus quasi viable, distinctumque realiter ab effectu: potest autem dari duplex via ad eundem terminum, etiam



etiam philosophice, ut patet in duplici productione successiva.

20 *Replie.* 4. : causæ non impendunt vires præcisè circa actiones, sed præcisè circa entitatem effectus: si ergo in casu proposito non datur duplex entitas effectus, nequeunt impendi vires duplicis causæ. *Resp.* Actio est exercitium virium, est conatus, & ratio formalis infumendi vires causæ: quare, licet effectus præcisè, sive ut quod, vires causæ infumat, non tamen infumit seorsum ab actione, sed cum illa, & per illam, tamquam per exercitium infumendi; quod exercitium si multiplicetur in ratione totalis, necessariò multiplicat expensas virium, sive entitas effectus sit unica, sive multiplex. In casu ergo proposito, effectus unicus perinde se habet, ac duplex, in ordine ad vires datam causarum infumendas: quia unaquæque causa perinde infumit, ac si altera non adesset, & eandem ponit actionem, quam poneret seorsum ab altera; proindeque easdem virium expensas facit, quas taceret divisim, aut successive producendo: unde, sicut effectus ab utraque successive productus, perinde se haberet, ac duplex; ita & productus ab utraque simul.

21 *Objic.* 4. : effectus, à duplici causâ totali productus, cuilibet eorum suam esse deberet in solidum: repugnat autem, deberi aliquid duobus simul creditoribus, unicuique in solidum. *Confirm.* proprium est causæ totalis habere dominium effectus: nequit autem

dominium ejusdem rei ad duos simul dominos pertinere, maxime cum independentiâ reciproca unius ab alio. *Resp.* Sat nobis est, quod nostra sententia locum habeat in causis purè physicis (quid: quid sit de causis moralibus, id est, rationalibus, & liberis), v. g. in duobus ignibus respectu tertij: hujusmodi autem causæ effectum debere suum esse, nihil aliud significat, quam ita existere, ut verificet causalem istam. *Ideo effectus habet esse, quia illud accipit ab his causis:* non enim ignis productus ita debetur igni producenti, ut ei tradendus sit ad fruendam, vel liberè disponendum. At in hoc sensu potest idem effectus debere suum esse duabus causis, unicuique in solidum soliditate, non exclusionis, sed sufficientiâ; quemadmodum idem lapis comprehenditur in solidum ab unoquoque Angulo. *Ad Confirm.* : dominium, conveniens causæ totali purè physicæ, valdè improprium est: non enim igni totaliter agenti convenit libera facultas disponendi de re sine injuria alterius; quæ est definitio veri dominij. Dominium autem improprium, sumptum præcisè pro jure producendi, aut conservandi effectum sine indigentia alterius, potest sine incommodo ad duas causas inter se independentes pertinere.

22 *Replie.* : si effectus esset gratitudinis capax, deberet unicuique causæ retributionem, entitati acceptæ proportionatam: vel ergo retributionem duplicaret; atque ita red-

redderet plus, quam accipit, scilicet duplò majus: vel eam divideret inter utramque causam; atque ita non retribueret unicuique pro meritis, siquidem unaquæque totum esse dedit. *Resp.* Effectus in eâ hypothesi non teneretur duplicare gratitudinem, aut retributionem, entitati acceptæ proportionatam: quia sic totum esse acciperet à singulis causis, ut tamen non indigeret largitione utriusque, nec eam exigeret; quo ex capite decessit obligatio effectus respectu singularum: quare solum teneretur utrique retribuere perinde, ac si essent causæ partiales, scilicet retributione dividendo. Vel, si majoris, dic, duplicandam fore gratitudinem quasi totali: quia gratitudo non solum debetur pro dono accepto, sed etiam pro conatu donantis: tunc autem daretur duplex conatus totalis; & unaquæque causa perinde conaretur donare totum, ac si altera nihil donaret.

23 *Objic.* 5. : nequit eadem causa producere simul duos effectus sibi adequatos, licet eos possit producere divisim: ergo nec idem effectus produci simul potest à duplici causâ adequatâ, licet possit divisim. *Resp.* Antecedens negatur à multis; quia si ignis A. potest producere divisim duos ignes sibi aequales, jam eos vere continet: quavis ergo simul eos producat, non producat plus, quam continet, nec dabit quod non habet. Et licet verum sit, effectum excedere non posse perfectionem causæ totalis, hoc intelligi potest de-

excessu intensivo, non de purè extensivo, qualis est in duobus ignibus respectu unius. Verius tamen est, non posse causam (nisi ei nova virtus accedat, quo in eventu jam non erit eadem causa, sed alia) producere adequatè quidquam seipsâ majus, aut perfectius, etiam extensive, si aliunde non sit intensive inferius: verè quippe daret quod non habet, non minus, quam qui duos daret nummos, non habens nisi unum: & alioquin non facile posset impugnari, qui admitteret excessum etiam intensivum. Nec obstant, quod unus ignis duos contineat divisim producendos: nam hoc solum est posse producere unum sine altero; quæ ratione non excedunt etiam extensive perfectionem causæ.

24 Quapropter, concess. Antec., neg. Conseq.. Disparitas in eo est, quod causa in productione unius effectus adequati totas vires impendit, & consequenter redditur pro tunc impotens ad alium: at effectus, terminando unam actionem adequatam, non impendit vires, nec conatu lassescit, sed mere passivè se habet, ac proinde poterit aliam simul actionem terminare. Infiles: sicut exhauritur virtus causæ per unum effectum adequatum, ita exhauritur producibilitas effectus per unam causam adequatam. *Resp.* : non exhauritur sicut eodem modo: nam causa exhauritur per suum unum conatum, & expensas in sui virum; idèque, siquid aliud ageret in sensu composito, ageret ultra, vel supra vires: at pro-



producibilis effectus non aliter exhaustitur, nisi quatenus una totali actione posita nihil in eo manet impro ductum; & hoc non tollit quominus idem bis, aut pluries producatur, cum nullus inde resulet labor ipsius. Sic nequit idem intellectus comprehendere simul plura objecta sibi æqualia in esse cognoscibilis; & tamen cognoscibilitas ejusdem objecti potest comprehendendi simul à pluribus intellectibus: quia licet utrobique detur exhaustio, datur diversimodè.

25 Ut alia præcaveas, nota I.: duæ causæ totales in nostrâ hypothesis possent influere per virtutes, & actiones naturales quoad substantiam, per eandem scilicet, per quas possunt influere divisim in eundem effectum, applicante Deo suam Omnipotentiam singulis in eodem instanti, sicut applicaret in diversis. Forent tamen actiones illæ supernaturales quoad modum, quatenus existerent in circumstantiis indebitis, nempe altera in sensu composito alterius, Deo supernaturaliter sic volente. Not. 2.: eadem actio nequit oriri à duplici causâ totali, nec simul, nec divisim; quia posset alioquin existeret sine qualibet earum; quod est contra conceptum actionis, siquidem actio ex proprio essentiali conceptu est modalis determinatio causæ, à qua oritur. Nec hinc licet arguere ad entitatem effectus absoluti, ut quisque videt. Not. 3.: esto verum sit, quod omnis actio ponit terminum à se distinctum, ne sit via sine termino; non idè sequitur,

quod duplex actio ponit duplicem terminum: sicut ex eo, quod omnis visio tendat in objectum à se distinctum, non sequitur, quod duplex visio tendit in objectum duplex.

26 Not. 4.: vitiosa est hæc argumentatio: Posita una actione totali, ponitur effectus: ergo eadem actione deficiente, deficit effectus. Vitiosa, inquam, est: quia arguit ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis, non aliter ac ista: Si datur homo, datur animal: ergo si non datur homo, non datur animal. Quare, licet singulæ actiones totales inferant existentiam effectus; tamen, alterutra deficiente, potest effectus permanere vi alterius. Not. 5.: quamvis dari nequeat in eodem instanti duplex carentia vel defectus formalis ejusdem rei; potest tamen dari duplex defectus radicalis, aut illativus, & adæquate quidem; quia dari possunt duæ causæ simul adæquate inferentes defitionem ejusdem rei. Si enim duæ formæ substantiales introducerentur simul in eandem materiam, singulæ inferrent adæquate defitionem formæ præhabita. Sic ergo, licet dari nequeat duplex existentia formalis unius effectus, benè tamen duplex existentia illativa, in duplici actione consistens.

27 Not. 6.: effectus omnimodò idem nequit provenire simul (ut nec divisim) à duplici causâ intrinseca ejusdem generis, propter dicta ad finem cap. præced. Potest tamen eadem forma in genere sus-

tentativo causari simul à duplici materiâ, ut alibi diximus. Not. 7.: cum D. Thomas nostræ sententiæ contradicere videtur, loquitur de potentia ordinaria, sive ex naturâ rei, ut exponit Cajetanus in 1. p. q. 52. ar. 3.. Videadus etiam Prado *Metaph. p. 2. contro. 16. art. 4.* docens, quod D. Thomas rarissimè disputat de potentia Dei absolutâ. Not. demum: idem actus voluntatis, si finem pro objecto respicit intrinsecè, nequit habere duos fines totales, nec simul, nec divisim; cujus rationem etiam dedimus cap. præc.; quæ non militat in actu externo respectu finium operantis: potest enim quis ambulare, tum recreationis gratiâ, tum ut occurrat amico; & ita quidem, ut quovis istorum finium deficiente, ambulatio existeret propter eorum alterum.

## CAP. III.

UTRUM NATURALITER  
produci possit idem effectus à  
duplici simul causa totali in actu  
secundo.

**N**Egat communis Philosophorum in omni Scholâ sententia, quam refert, & sequitur Exim. Doctor d. 26. *Met. s. 4. n. 22.* Affirmant tamen P. Henao *empyr. exercit. 16. s. 9.*, Pat. Quiros *hic d. 53. s. 5.* & apud ipsum *s. 6.* Nominales, & alij nonnulli veteres, & moderni: quibus subscribit P. Ulloa *Physic. specul. d. 3. n. 131.*, & *seqq.*, posita saltem per miraculum immediatâ applicatione duarum causarum ad eandem par-

ticulam subjecti; quo etiam sensu affirmat Cajetanus in 1. p. q. 52. ar. 3.. Hæc secunda sententia non est improbabilis: suaderi que potest 1. evertendo fundamenta contraria. Duo sunt præcipua. *Primum*: quod natura superfluum odit, & vitat: duplex autem actio totalis superflua est pro unico effectu, cum sufficiat unica: quâ ratione repugnat naturaliter duplex forma in eadem materiâ, nec non bilocatio unius corporis, & penetratio duorum. *Secundum*: quod duo agentia corporea nequeunt naturaliter applicari simul eidem parti subjecti: quia nequeunt immediatè tangere passim eodem ex latere, nisi penetrarentur: penetratio autem est naturaliter impossibilis.

2 Neutrum urget. Non *primum*: nam, ut omittam, quod natura non semper superfluum vitat, ut patet in productione monstrorum, duplex actio totalis non solum utilis, sed necessaria esse potest, ut satisfiat exigentiæ naturalium causarum: duo quippe ignes æquè applicati ad unam partem materiæ, cum singuli adæquate contineant formam producendam, singuli naturaliter exigunt eam adæquate producere. *Dices*: non ita exigunt, quando duo simul adsunt æquè parati. Sed verò gratis restringis principium illud generale, Quod causa necessaria, dum applicatur passo disposito, nec ab ullo contrario impeditur, exigit fecunditatem suam plene explicare, & agere totis viribus. Saltem, cum exigentiam istam ego asseram, non licet tibi,



donec eam aliunde impugnes, allegare superfluitatem actionum. Nec item ex capite superfluitatis arguere licet Scotistis, & Thomistis, qui volunt, actionem Dei semper esse simpliciter sufficientem ad effectum independentem ab actione creaturæ, ut vidimus *cap. præc. n. 4.* : hoc enim posito, pariter superflua videtur actio causæ secundæ.

3 Præterea duplex actio totalis, etiam respectu effectus, licet non sit necessaria, non est inutilis; deservit enim, ut existentia effectus sit firmior, & securior, siquidem alterutra actione deficiente potest effectus existeret, & conservari vi alterius; quod effectui valde commodum est, & merito appetibile. Sic multiplex virtus adæquate continens eundem effectum (in qua instatur argumentum) non est inutilis effectui; quia deservit, ut possit idem effectus produci facilius, aut certius, siquidem unâ causâ deficiente potest adesse altera. *Dices:* actio est essentialiter medium ad existentiam effectus: superfluum est autem duplex medium totale respectu ejusdem finis. Sed verò duplex medium totale conducit, ut finis obtineatur duplici titulo, ac proinde securius: item, ut satisfiat intentionibus, aut exigentijs duorum agentium. Accedit, quòd lex vitandi superfluum non cogit agentia libera: unde poterunt duo Angeli movere simul Cælum, ita ut pro libitu producant eundem motum ut causæ totales. Nec repugnantia naturalis bilocationis, penetrationis, & pluralitatis formarum

in eadem materiâ, sumitur ex superfluitate, sed ex peculiari naturâ quantitatis, & ex indole formæ substantialis, notâ per experientiam.

4 Non urget *secundum:* quia, si in rogam ignis conjiciatur globus materiæ uniformiter combustibilis, plures ignis partes naturaliter applicabuntur simul puncto centrico globi, quàmvis non penetrentur. Præterea, licet agentia penetrari deberent, penetratione tamen suppositâ, naturaliter agerent ut causæ totales, cum nihil jam retardaret adæquatam virtutem singulorum. Quare totum miraculum stare in penetratione; minime verò in actionum totalium simultate: fore enim tunc naturaliter debitus unicuique agenti concussus Dei ad agendum totaliter: nec actiones essent supernaturales quoad modum ratione decreti Omnipotentiam applicantis, sed tantum præsuppositivè ratione penetrationis agentium. Sic, licet miraculum sit, quòd lapis locetur juxta Lunam, quòd tamen ibi positus, & sibi relictus, in terram decidat, naturalissimum est.

5 Probari solet eadem sententia 2. à ratione: duæ causæ totales in actu primo, applicatæ simul eidem passio, in primis non otiantur ambæ, ut est certum. Deinde nec oriatur earum altera, relinquens alteri totum munus agendi; quia ex duobus ignibus simul applicatis neuter est in jure agendi potior. Denique non agunt partialiter, quasi altera suum influxum temperet in gratiam alterius, ut volunt

Autores primæ sententiæ: cum quia hoc pugnat cum indole causæ necessariæ, cujus est agere totis viribus in materiam dispositam: cum etiam, quia unus ignis non præsentit alterius præsentiam, nec de illâ moneri potest, ut alteri suam activitatem attemperet. Superest igitur, ut singulæ causæ influant totaliter in formam tunc producendam.

6 Probari solet 3. ab exemplis. Nam 1. idem fundamentum referri potest totaliter ad plures terminos. 2. dari potest multiplex connexio adæquate inferens eundem terminum: sic enim plures causæ totales in actu primo, inferunt possibilitatem ejusdem effectus. 3. multiplex peccatum lethale potest simul adæquate causare expulsiorem ejusdem Gratia. 4. plures Sacerdotes, proferentes formam simul, consecrabunt eandem hostiam ut causæ totales. 5. potest Angelus habere simul plures præsentias adæquatas: nam potest fieri præsens toti aule v. g., cum tamen ei medietas, aut pars centesima sufficiat. 6. anima bruti, si ponitur indivisibilis, educitur ex materiâ primigeniâ, & simul ex materiâ alimenti, quarum quælibet illi sufficit ad existendum: & saltem anima rationalis utriusque materiæ unitur duplici unione totali. 7. potest eadem actio exerceri propter duos simul fines adæquatos. 8. potest etiam dari duplex causa moralis adæquata: ut, si ad preces aut imperia duorum hominum aliquid agas, idem acturus in gratiam cu-

jusque. 9. idem objectum pluribus simul cognitionibus adæquate comprehenditur naturaliter.

7 Nihilominus non est 2. primâ & communissima sententia recedendum. Cujus probatio sic instaurari potest: quia ex terminis superfluum, & vanum est adhibere majorem conatum, ubi minor sufficit: unde merito rideretur, qui ad conterendam muscam magno irapetu irrueret. Dum ergo sufficit conatus causæ partialis, frustra erit totalis. Adde, quòd multiplex actio totalis pro unico effectu sequitur non esse prodiga profusio virtutis causarum; non aliter, ac profusio mille aureorum ad emendum rem unius tantum pretio dignam. Ratio à priori: quia causæ non intendunt actiones propter actiones sed propter effectus; quibus si possent existentiam tribuere sine actionibus, eas omitterent ut inutiles; nec item exigunt explicare virtutem suam per actiones, nisi quatenus per eas obtinent effectum, qui solus imitatur & refert perfectionem agentis. Dum ergo duæ causæ non possunt intendere duos effectus, nec in eis virtutem suam explicare, quia solum adest subjectum unius capax; frustra & inutiliter, contraque propriam exigentiam, ponent duas actiones totales. Unde colliges, totam actionis utilitatem naturalem ab effectu desumi: quare, si ad illam superflua sit, inutilis erit undequaque.

8 Colliges etiam, ut una causa totaliter induat, esse conditionem naturaliter necessariam,



quod non adsit alia causa cum equali jure influendi in eundem effectum: si enim adsit, utraque attemperabitur, suumque minuet conatum, & ambae influent per actiones parciales, vel per unam totalem essentialiter dependentem ab utraque causa; sicut accidit, cum intellectus simul cum habitu, vel specie, producit actum. Quod autem obijebatur n. 5. super ignis ad motionem, frigidum est. Nam quis monet ignem de presentia materiam dispositam, ut comburat statim? Quis intellectum de presentia speciei, ut cum illa concurrat? vel de presentia habitus adquisiti, ut suam illi virtutem attemperet? Quis in casu questionis monet agentia de incapacitate passivi, ut non producant plures formas, quas continent, sed unam duntaxat? Ratio ergo attemperationis est; quia causa prima non debet naturaliter concurrere cum secundis, nisi juxta meritum effectus producendi: quare, dum effectus, hic & nunc producendus, non meretur duas actiones totales, Deus ut naturae Author non applicat Omnipotentiam suam, nisi ad duas parciales, vel ad totalem unicam.

9. *Confirm. 1.*: quamvis duo agentia simul applicata, duas formas contineant in actu primo, non exigunt producere nisi unicam, quando materia unica sufficit: ergo si effectui sufficit unica totalis actio, duo illa agentia non nisi unicam exigunt elicere, tametsi duas contineant in actu primo: eadem quippe militat utrobique ratio.

Hinc illi doctrinae generali, Quod causa necessaria exigit agere totis viribus, seu quantum potest, adhibenda est haec limitatio, *quantum potest juxta meritum & indigentiam effectus*; sicut ab Adversariis adhibetur haec alia, *quantum potest juxta meritum, & indigentiam subjecti*. Dices: unus ignis, si solus esset, exigeret totaliter agere: ergo id ipsum exigit in consortio alterius: non enim exigentiam & appetitum innatum mutare potest ex circumstantia extrinsecâ presentis alterius ignis. *Nego Consequ.*; nec idem admitto mutationem appetitus innati; nunquam enim ignis habuit appetitum agendi totaliter pro his circumstantiis.

10. *Confirm. 2.*: si possent duo agentia duplici simul actione totali producere naturaliter eundem effectum, posset & idem agens virtutis longè superioris effectum illum producere naturaliter duplici, aut multiplici simul actione totali: v. g. Sol producere posset naturaliter ignem, a mille actionibus totalibus simul positis: & aqua, dum ab igne privatur frigore intenso, posset producere remissum multiplici actione totali. Sequela est contra sensum omnium; ideoque ab Henao, & Quirosio negatur. Planè tamen sequitur, si verum est indistincte, quod causa necessaria agit totis viribus, exigitque fecunditatem suam plene explicare; & quod multiplex actio non est inutilis, quia conducit ad majorem securitatem effectus. Ab omnibus ergo limitanda est exigen-

tia illa causa necessaria, contemnendaque major ista securitas effectus, quia supponit prodigalitatem virtutis activae; sicut major commoditas venditoris in accipiendo mille aureos pro re vili, supponit prodigalitatem emptoris.

11. Ex dictis facile solves quidquid à ratione proferunt Adversarij. Nunc exemplorum turbam n. 6. percurramus. *Primum* est falsum in relationibus informantis ad informatum, recipientis ad receptum, producentis ad productum, aut e contra. Quod autem verum sit in relationibus primi generis, nempe similitudinis, aequalitatis, &c., nihil obstat: quia unaquaeque similitudo suum terminum distinctum habet, & nullo ex capite repugnare probatur, quod idem homo sit eodem tempore similis, aut aequalis pluribus. *Secundum* absurdè probat, posse unam causam producere simul innumeros effectus adaequatos, sicut eorum possibilitatem simul infert propter connexionem, de qua infra *disp. 7.* Disparitas ergo est; tum quia connexio causae in actu primo cum possibilitate effectus, non est praecise propter terminum, sicut actio, sed praecipue propter virtutem causae, quae deficiente illa connexionem deficeret: tum quia non est capax attemperationis, aut partialitatis, sicut influxus in actu secundo.

12. *Tertium* similiter probat, ab eadem causa produci simul posse plures effectus adaequatos, sicut ab uno peccato possunt expelli mille gradus Gratiae, & ab uno Gra-

tiae gradu mille peccata. Gratiam igitur expellunt peccata, non per influxum physicum, sed per semetipsa in genere causae formalis, quo in genere non est locus attemperationis. Nec peccata existunt praecise propter expulsionem Gratiae, sed propter alios fines praeavos à peccatore intentos. Quod si peccatum consideres in ratione causae moralis medio Divino decreto expellentis Gratiam, dic, Deum auferre Gratiam per unicum decretum intuitu duplicis peccati simul commissi; vel etiam duo peccata moraliter movere ad duo, vel quasi duo decreta Dei circa expulsionem Gratiae, quae non sunt inutilia, sed congruentia potius, ut duplex peccatum pro meritis odio habeatur.

13. *Quartum* in primis non loquitur de causis naturaliter operantibus. Deinde facile solvitur: quia dici potest, plures Sacerdotes in eo eventu influere per unam actionem physicam, aut moralem, quae ab omnibus simul pendeat. *Quintum* retorquetur: quia nequè Angelus simul habere naturaliter plures praesentias simpliciter adaequatas, seu quae non sint partes actuales, vel aptitudinales unius praesentiae absolute totalis. Quod autem intra sphaeram illius spatij, ad quod naturaliter extendere valet praesentiam suam, possit eam coartare pro libitu, & existere in sola parte centesima; probat quidem Angelum non esse instar corporis, quod necessario habet totam praesentiam, cujus est capax; sed non probat, centesimam illam partem esse




esse presentiam adequatam toti virtuti Angelicæ. Vel dic, esse presentiam adequatam secundum quid, quatenus in aliquibus circumstantiis sufficit.

14 *Sextum* similiter retorquetur: nam certum est, nec animam bruti, nec rationalem, posse naturaliter informare duo simul corpora simpliciter adæquata. Materia ergo primigenia non est absolute ac simpliciter adæquata, cum per se ordinetur ad componendum cum materia alimenti unum corpus adæquatum, & animæ naturaliter debitum: dicitur tamen adæquata secundum quid, & quasi ad tempus, quatenus sufficit ad initium ætatis. *Septimum* solum habet locum in æctione externâ, quæ secundum se non pendet essentialiter, nec immediate à fine, v. g. in ambulatio- ne. Hanc fateor exerceri posse propter duos fines totales, & ab ijs causari per duos actus voluntatis, per quos imperetur, ac determinetur (non efficienter sed connexivè), quasi per duas finium causalitates totales. Cæterum causalitates huiusmodi non sunt inutiles; quia non

existunt præcisè propter effectum, sed deserviunt, ut ut ametur duplex bonitas finium, tum ut Voluntas in se perficiatur, & libertas exerceatur. *Octavum* eodem modo solvitur: si enim à precibus singulorum hominum adæquatè movearis, necessariò habebis duos actus voluntatis, qui sint veluti causalitates respectu actus externi, à quo non totam suâ utilitatem sumunt, cum simul deserviant ad duplex illud motivum amandum, aut in pretio habendum, nec non ad exercitium libertatis.

15 *Nonum* optimum est ad prætenfas contradictiones dissipandas, dum quæstio hæc de potentia Dei absoluta disputatur. nunc verò, cum agitur de superfluitate naturali, non est id rem: quia cognitiones non existunt in gratiam objecti, sed solius intellectus: unde non superrant plures cognitiones, quando plures sint intellectus adfunt. Oppositum accidit in actionibus physicis; quæ nec intrinsecè perficiunt causam, nec aliunde utilitatem sumunt, quam ex merito, & indigentia effectus.



# DISPUTAT. VI.

## DE VIRTUTE, QUÆ SUOS EFFECTUS producant Causa creata.

**S**UPPONIMUS, quod *disp. 2. c. 5.* probatum est, causas creatas verè aliquid efficere virtute sibi propriâ, nec solum aliquid accidentale, sed etiam aliquid substantiale, ut satis colligitur ex ibi dictis. Supponimus item, quod pariter certum est, nomen, & munus causæ efficientis non solis accidentibus convenire, sed etiam, & præcipuè substantiis: verissimè quippe dicimus, Solem illuminare, ignem comburere, &c.: Inquirimus tamen, in quo consistat vis efficiendi, seu virtus activa, causæ creatæ propriæ? ut um in solis accidentibus? an etiam in substantiis ipsis? Nominè *virtutis activæ* intelligimus id, à quo immediate oritur actio; vel id, quo redditur causa in actu primo fecunda, seu que redditur potens immediate attingere operationem, & effectum. Et hæc præ oculis habenda distinctio vulgaris inter principia *quod*, & *quo*. Principium *quod* appellatur id, cui præcipuè attribuitur operatio, seu denominatio operantis, videlicet persona, vel suppositum, juxta illud, *Actiones sunt suppositorum*. Principium *quo* dicitur illud, quod agit ut pars, aut virtus alicujus suppositi: solet que subdividi, maxime apud Thomistam, in principium *quo* immediatum, & principium *quo* mediatum, & radicale: vel alijs terminis, in principium *quo* per modum virtutis immediate influentis, & principium *quo* per modum radicis, à qua virtus emanat. Solt etiam actio vocari principium *quo*, sed longè alio sensu, scilicet non per modum influentis, sed per modum influxus, non per modum agentis, sed per modum exercitij, quo aliud agit. Principium autem *quo*, ut nunc sumitur, verè influit, & agit; sed vocatur *quo*, relate ad suppositum, cui inservit. Exemplum habes in potentia visiva, & visione actuali: nam utraque est id, *quo* videt homo; sed longè aliter.

Jam verò in quæstione propositâ Thomistæ omnes moralicus teneant, virtutem, quæ causæ creatæ producant effectus suos, tum substantiales, tum accidentales, nullatenus identificari cum substantiâ, sed adæquatè consistere in accidentibus, quamvis hæc non agant ut causæ principales, quando effectus nobiliores producant, sed tantum ut instrumentariæ virtutes rei substantialis. Concedunt igitur substantiæ ignis v. g. munus causæ prin-



cipalis verè, ac propriè, tum per modum principij quod, tum etiam per modum principij quo radicalis, sic enim appellant formam substantialem: volunt tamen impossibile prorsus esse, quòd substantia creata sit virtus immediatè operativa alicujus effectus, ne partialiter quidem. Ex adverso Scotista omnes cum Subtili Doctore, Nominales etiam, & Nostri ferè omnes cum Eximio d. 18. Met. s. 2. & 3., constanter tenent, substantiam creatam, non solum ut principium quod, & quo radicale, sed etiam ut immediatam virtutem, esse operativam plurimum effectuum, & substantialium, & accidentalium. Ex his tamen Authoribus alij concedunt, alij negant, substantiam ab accidentibus jvari ad productionem alterius substantiæ: alij substantiam esse volunt operativam accidentium in se ipsa tantum; alij, etiam in subjecto extraneo: & alij alias limitationes addunt minoris momenti. Quid nobis tenendum sit, distinctis Assertionibus asseremus.

## CAP. I.

SUBSTANTIA CREATA EST  
virtus immediatè activa alterius  
substantiæ.

**I**TA Nostri cum Scotistis contra Thomistas. Probatur argumento communi, sed efficacissimo: datur in creatis virtus adæquatè productiva substantiæ, ut Thomistæ fatentur: sed talis virtus in solo accidenti consistere non potest: ergo debet, saltem ex parte, consistere in substantiâ, quæ proinde virtus est immediatè activa alterius substantiæ, sive adæquatè, sive inadæquatè, à quo modo præscinditur. Prob. Min. Virtus adæquatè productiva nequit esse imperfectior, & ignobilior effectui: sed accidens est ignobilius substantiâ, ut nemo dubitat: ergo virtus adæquatè productiva substantiæ consistere nequit in solo accidenti. Prob. Maj.: virtus adæquatè productiva continere debet totam perfectionem effectus, vel for-

maliter, vel eminenter, aut saltem æquivalenter (id est, vel secundum eandem speciem, vel secundum aliam eminentiorem, aut saltem perfectione æqualem): sed nullo ex his modis continet totam perfectionem effectus, si est ignobilior effectui, ut per se patet: ergo &c. Major, quæ sola negari posset, videtur clarissima: nam virtus adæquatè productiva communicat, & tribuit effectui totam perfectionem ejus; & tribuere nequit quam non continet, juxta illud per se notum, *Nemo dat quod non habet.*

2 Nec dicas, accidens continere virtualiter substantiam. Nam continere virtualiter (nisi accipiat in sensu mox impugnando), nihil est aliud, quam posse producere. Repugnat autem posse adæquatè producere, ubi non est entitativa perfectio æqualis, aut major effectui producendo. Nisi hoc sit principium inconcussum, non bene probabitur infinita Omnipotentis perfectio ex virtuali continentia infinitorum effectuum: nec erit unde

impugnetur, qui attribuat infimo gradui caloris virtutem adæquatè activâ totius Universi, saltem quoad effectus educatione productos: vel saltem qui agnoscat in calore virtutem adæquatè productivam lucis, aut in accidenti materiali virtutem adæquatè operativam accidentium spiritualium. Certè, qui hæc, & similia paradoxa vellet obtrudere, statim ab omnibus rejiceretur ex improportione virtutis cum effectu, quæ improportio ex imparitate perfectionis illicò probaretur.

3 Thomistæ, ut argumenti vim declinent, varijs utuntur vocibus. Dicunt in summa, commensurationem perfectionis cum effectu querendam esse in solâ causâ principali, quæ respectu substantiæ semper est substantia aliqua, æquè, vel magis perfecta; minime verò in virtute instrumentariâ, cujuscumodi est accidens substantiam producens; non enim hæc virtus agit *ut quod*, sed *ut quo*, non proprio nomine, non virtute propriâ, sed in virtute, & nomine substantiæ, cujus vices gerit, & à quâ confortatur, ut sub ejus auspicijs producat effectum, quem proprio Marte producere non potest ut causa principalis. Sic procurator, donans, aut vendens nomine mandantis, transfert dominium rei, quod ipse non habet. Sic etiam Legatus, aut Prorex, valide tractat ac perficit nomine Regis publica negotia, quæ propriâ auctoritate perficere non posset. Hinc accidens in ordine physice operandi, est virtualiter substantia; sicut Prorex in ordine

gubernandi, est virtualiter rex.

4 Verùm responsio hæc rejicitur validissimè, simulque probatio nostra corroboratur. 1. non sat est, quòd causa principalis, per se immediatè non influens, commensuretur in perfectione cum effectu, si tota virtus immediata non commensuratur. Prob. 1. tum quia perfectio, quæ non influit, de materiali se habet ad perfectionem effectus; non enim se illi communicat. Sic, licet verè dicatur, *Musicus*, vel *Theologus edificat*, musica tamen, vel Theologia de materiali se habet ad perfectionem edificiij, quia non influit. Id, quod maxime verum est, quando perfectio causæ nec mediatè, nec immediatè influit, id est, nec influit immediatè in effectum, nec in virtutem à quâ effectus oritur; ut accidit in re nostra, siquidem substantia juxta Thomistas nec influit immediatè in aliam substantiam, nec in accidens, à quo illa oritur; non enim volunt, ut dimanatio accidentis à substantia sit per influxum, aut actionem, sed per meram connexionem, & exigentiam, ne alioquin substantia sit immediatè activa alicujus effectus. Sic, quòd Petrus sibi divitijs affluat, nihil prodest, ut dicit Paulum per se, vel per famulum, si nec per se immediatè divitias Paulo communicat, nec illas tribuit famulo, ut communicet. Urgetur: causa non aliter perfectionem suam refundit in effectum, nisi quatenus in illum influit: ergo, si nec immediatè, nec mediatè influit, nullatenus perfectionem suam



refundit, sed eam sibi retinet inextem, & sterilem.

5 2.: quidquid sit de causâ principali, negari non potest, quòd virtus adæquata debeat in perfectione commensurari cum effectu: redit enim nostra probatio, quòd alioquin daret quod non habet; & quòd alioquin posset infirma entitula esse virtus totalis ad effectus quoslibet. *Dices*: virtus perfectionem non dat, nisi *ut quo*. *Contra*: dare *ut quo* per modum virtutis, est verè ac propriè dare. Tum quia virtus immediatè influens, est verè ac propriè causa, cum illi propriè conveniat causæ definitio, nominatim Thomistica illa, *Causa est, ad quam sequitur esse alterius*. Tum quia illius est propriè dare, à quo propriè accipit effectus: hic autem ab eo propriè accipit, à quo propriè pendet, prout tali actione productus: pendet autem propriè sine à principio *quo* per modum virtutis, cum sine illo sit essentialiter impotens existere actio, quæ tamen existere potest sine principio *quod*, ut Thomistæ non dubitant. Tum etiam, quia forma substantialis, licet vocetur terminus *quo*, dicatur que produci *ut quo* (solum compositum dicitur produci *ut quo*), tamen verissimè accipit perfectionem à causâ: ergo, licet virtus immediatè influens datus principium *quo*, verissimè dat perfectionem effectui. Semper ergo stabit, quòd virtus totalis, si est ignobilior effectu, verè ac propriè dat quod non habet.

6 3.: accidens proprio no-

mine, ac virtute propriâ nequit adæquate producere substantiam, ut fatemini: ergo neque in virtute, ac nomine substantiæ. *Prob. Conseq.*: accidens, prout activum in virtute substantiæ, vel accipit virtutem aliquam à se distinctam, vel nihil accipit præter suam entitatem. Si primum dicas: in primis id alienum est à mente Thomistarum: ac deinde nihil prodest; quia, si virtus accidenti superaddita, est substantia, quæ immediatè juvet ad influendum, jam substantia erit immediatè operativa; si est aliud accidens, redit argumentum eodem impetu. Si verò dicas secundum: ergo accidens agere in virtute substantiæ, est agere in vi sua solius entitatis: at hæc est eadem ipsa virtus, quæ ageret accidens, si ageret nomine proprio: si ergo nomine proprio agere non posset, pariter neque in virtute substantiæ. Sic nequit puer ultra vires proprias sustinere pondus nomine gigantis, si nullas à gigante vires accipit præter eas, quas habet sibi relictus. Unde frustra dicitur, accidens *confortari* à substantiâ. Quomodo enim confortatur, si nihil roboris accipit præter sibi proprium, seu præter id, quod intrinsicè convenit accidenti sibi relictò, & proprio sub nomine operanti?

7 Urgetur retorquendo exempla moralia. Si Procurator, Legatus, Prorex, nullam potestatem acciperent præter eam, quam habent ut personæ privatæ, nullam contractum, negotium vel publicum validè perficerent nomine

mandantis, aut nomine Regis: ergo si accidens nullam à substantiâ virtutem accipit præter eam, quam habet intrinsicè ut accidens est, nullam effectum ultra proprias vires producere poterit nomine substantiæ. Unde vides, exempla ista non esse ad rem: quia Procuratori, & Legato reipsâ communicatur vera potestas non inferior, nec ignobilior effectu morali, in quem immediatè influit: sive illa potestas consistat in voluntate: Principis moraliter permanente, & operante sub conditione voluntatis delegati, sive in alio quolibet; quod nostra non interest. Urgetur iterum aliâ retortione. Nihil potest Legatus, aut Procurator agere nomine alterius, qui ut ab intrinsicè impotens per se immediatè agere illud ipsum; alioquin posset quis constitui Reipublicæ gubernator nomine leonis, aut equi: ergo pariter nihil potest accidens agere nomine substantiæ, si hæc est ab intrinsicè impotens per se immediatè agere illam ipsum effectum, ut reipsâ est juxta Thomistas.

8 Et hinc 4. rejicitur doctrinæ responsionis. Non magis est ab int. int. incapax equus ad immediatè gubernandum more politico, quam substantia creata juxta Thomistas ad immediatè agendum: sed propter illam incapacitatem omninò repugnans, aut nugatoriam esset, aliquem vices equi gerere, aut sub equi nomine, vel in ejus virtute destinari ad gubernandum: ergo &c. *Adde*, quod nequit non esse dedecus, & imperfectio

substantiæ, indigere vicariâ virtute accidentis ob incapacitatem agendi; instar pupilli tutore indigent is qui sub ejus nomine contractus celebret; aut instar nescientis scribere, cujus nomine subscribit a ius testamentum. Et quidem in his exemplis indigentia provenit ex imbecillitate, vel imperitiâ, per accidens habitâ: in substantiâ verò, ex omnimodâ incapacitate ab intrinsicè.

9 Hinc patet quàm frustrâ dicatur, quòd accidens in ordine operandi est *virtualiter substantia*: hoc enim, suppositâ incapacitate substantiæ ad immediatè operandum, significat potius, quòd accidens est profus impotens operari: non aliter, ac quidquid in ordine gubernandi, vel in ordine intelligendi est *virtualiter finis*, reipsâ est profus impotens gubernare, vel intelligere. Quod magis patebit hoc syllogismo: Substantia est impotens immediatè operari; sed accidens est *virtualiter* substantia in ordine operandi; ergo accidens est *virtualiter* impotens immediatè operari. Certè, quòd est *virtualiter* substantia in lineâ operativâ, id habet *virtualiter*, quòd substantia habet formaliter in eâ lineâ, ut patet inductione per omnia, quæ dicuntur esse *virtualiter* hoc, aut illud: sed substantia habet formaliter essentialem incapacitatem immediatè operandi: ergo eandem incapacitatem habet *virtualiter* accidens, si est *virtualiter* substantia in lineâ operativâ. Accedit, quòd, si accidens idèò agit, quia est vir-



tualiter substantia, melius, vel saltem æque bene ageret, si esset substantia formaliter: sicut non minus bene calefacit quod est formaliter ignis, quam quod est ignis virtualiter.

10 Nec magis juvat, quod accidens in ordine operandi dicatur quasi spiritus, & quinta essentia substantia, ut novissime loquitur M. Aguilera. Nam ex doctrinâ Thomisticâ sequitur, accidens esse quasi spiritum, & quintam essentiam incapacitatis essentialis ad immediatè operandum: hæc enim incapacitas, & nihil aliud in ordine operandi, exprimi potest ex substantiâ, quantumvis alembico rationis utaris. Sic in ordine gubernandi, aut intelligendi, spiritus & quinta essentia alius, erit spiritus, & quinta essentia incapacitatis ad eam munera.

11 5. ex iisdem exemplis, quibus armari solent Adversarij. Nam juxta doctrinam ipsorum, accidentia Eucharistica, dum aquæ guttam in vinum convertunt, novam vini formam adæquate producant: dum ignis percussione filicis elicitur, calor, & motus sunt adæquata virtus ignem producents; sicut etiam adæquata virtus ex putri generans animalculâ sunt accidentia tunc præsentia. At in his casibus, non adest substantia vini, nec ignis, nec animalculi, cujus nomine operetur virtus accidentalis, & quæ velut causa principalis confortet debilitatem accidentis: ergo accidens tunc producit adæquate substantiam, non conforta-

tum, non in virtute substantiæ, sed in virtute propriâ, quia obstat inæqualitas perfectionis; quod est mirabile, & contra doctrinam Thomistarum.

12 Dicunt, in his casibus substantiam, à quâ virtus accidentalis decisa, vel relicta fuit, esse causam principalem effectus, licet jam separata sit, vel non existens. Sed in primis causa non existens, licet antea extiterit, est actu nihil, omnis que roboris, & perfectionis expers: quomodo ergo confortat accidentia? quomodo gerit munus causæ principalis, cujus est proprie causare magis, quam accidentis, ut vultis? Quomodo dat esse, si non habet esse? Quomodo perfectionem communicat, si nullam actu continet? An, ut Petrus dicit Paulum, sufficiet, quod olim ditissimus fuerit, si nunc est pauperrimus? Dices: causa principalis existit adhuc, non in se, sed in virtute relicta. Sed verò existere in virtute, nihil est aliud, quam existere excitatem accidentis: hæc entitas non continet ut quod perfectionem effectus: aliunde neque illam jam continet causa principalis: ergo effectus accipit perfectionem, quæ in nullâ sui causâ continetur.

13 Deinde calor, si à solo Deo produceretur, & conservaretur, idem ageret, quod modo: & tamen non esset virtus ab ullo igne relicta, vel decisa, nec ab aliâ substantiâ creatâ. Imò de facto calor in filice excitatus, in nullo igne extitit unquam; neque in ullo mure extitere accidentia, quæ producant mu-

murem ex patri. Nullius ergo ignis, aut muris nomine operantur accidentia ista. Nec recurras ad ignem, aut murem possibilem. Nam causa, quæ nec existit, nec unquam extitit, nihil verè causat, ut omnibus in confesso est. Præterquam quod virtus nunc operans, nec est, nec fuit unquam illius propria. Accedit, quod in principijs Thomistarum nulla causa verè agit ut quod per virtutem sibi non unitam; ideòque negant, Intellectum elevari posse divinitus per auxilium extrinsecum ad producendam visionem beatam. At virtus accidentalalis certè non unitur causæ non existenti.

14 6. denique impugnatur responsio n. 3.: quia iisdem terminis defendi poterit, accidens intrinsecè constituere compositum substantiale nomine materiæ, vel formæ. Si enim obiecas, ex non substantiis non posse fieri substantiam: concedam de non substantiis proprio nomine, vel propriâ virtute componentibus, de non substantiis non confortatis à substantiâ, seu quæ non sint virtualiter substantiæ in ordine constituendi: negabo tamen de non substantiis, quæ in virtute ac nomine substantiæ component, quæ à substantiâ confortentur, quæ in ordine constituendi sint virtualiter substantiæ, sicut quæ quasi spiritus & quinta essentia substantiæ. Quâ distinctione similiter eludam quidquid aliud objeceris. Vide dicta tr. I. d. I. c. 8..

15 Probari præterea potest nostra Assertio sicutum ignis comburit stuppam, calor ignis agentis pro-

ducit in passo calorem sibi æqualem (illum scilicet, qui resultat in primo instanti velut proprietates formæ genitæ, qui que juxta Thomistas producitur à generante) ergo nequit in eodem instanti producere formam ignis: ergo hæc à substantiâ ignis agentis producitur. Prob. prim. Conseq.: nulla virtus in eodem instanti, in quo producit effectum sibi adæquatum, potest producere alium, præsertim superiorem; cum certum sit, per effectum adæquatum exhausti totam virtutem activam: sed calor in passo productus, est effectus adæquatus calori agenti, cum sit illi prorsus æqualis quoad speciem, & intensiorem; ab eoque tanquam à virtute univocâ proveniat: ergo calor ignis agentis nequit in eodem instanti producere formam ignis. Dices: calor est effectus adæquatus caloris, prout agentis virtute propriâ, non verò prout agentis in virtute ignis. Sed contra 1.: calor, prout est virtus ignis, est idem calor prout est propria virtus, absque ullâ vel additione, vel distinctione reali, ut fateris: ergo nequit adæquari, & exhausti realiter, prout est agens virtute propriâ, quin adæquetur, & exhaustiatur, prout agens in virtute ignis. Contra 2.: calor in passo producitur à calore agente, non solum entitative sumptus, sed etiam prout activus in virtute ignis; producitur enim secundum omnia, quæ habet naturam suam; habet autem suapte naturam esse virtutem ignis: sed calor productus, prout activus in virtute ignis,



est omnino adequatus calori agenti, etiam prout activo in virtute ignis: ergo &c.

16 Probari quoque solet eadem Assertio: quia, si substantia immediate non influit, non erit alterius substantiæ causa propriæ, & per se perfectate influxus, aut causalitatis. Sequela negatur ab Adversarijs, & merito: nam inde fieret, solum accidens esse veram causam substantiæ, proindeque causam principalem. Probari tamen solet: quia substantia, si non immediate influit in Aliam substantiam, cum aliunde non influat mediata, siquidem nec influit in accidens, non erit causa substantiæ nec immediata, nec mediata: non enim aliter est causa, nisi quatenus influit. Et quamvis diceretur causa mediata, non ideo esset causa per se, juxta dicta d. 2. c. 1. n. 18.. Sed quia reponi potest, ad proprietatem causæ operantis ut quod sufficere, quod operetur mediâ virtute, quam physicè possidet ut propriam; hac enim ratione propriæ tribuntur Personæ Verbi operationes humanitatis; quæ responsio longiorem postulat discussionem, quâ non indigemus in præsentiarum: idcirco, probatione istâ prætermisâ, probatur Sequela ex doctrinâ ipsâ Thomistarum.

17 Causa, cui perinde est existere, ac non existere, ut denominetur causans, non causat propriè, ac per se: sed, si substantia non influit nisi per virtutem accidentalem, eodem modo denominatur causans, sive existat, sive non

existat, per actionem accidentis à se relictæ, vel decisi, ut patet in exemplis num. 11., & in alijs sap. sequ. objiçendis, ut que supponunt Adversarij: ergo &c.. Major videtur innegabilis: nam quis dicat, ad propriè causandum, id est, ad dandum esse, nihil referre, quod causa sit aliquid, vel nihil (maximè, si jam diu antè deserit), seu quod actu contineat, vel non contineat perfectionem effectus, nec ut quod, nec ut quod? Sed nihilominus probatur 1.: quia implicat propriè causare ut quod sine ulla proportione cum effectu: sed causa, quando non est, seu quando est non ens, nullam habet proportionem cum effectu; nam, ut ait cum Philosopho Div. Thomas. q. 3. de pot. ar. 4., non est ad ens nulla est proportio: ergo &c.. 2.: quia implicat effectum propriè produci ut quod, quando non est: ergo, & implicat causam propriè producere ut quod, quando non existit: ut enim ait Ang. Doctor loc. cit., hoc modo factum agitur, quo faciens agit: agens autem agit, secundum quod actu est. 3.: quia suppositum non actu existens, vel non actu possidens naturam, non propriè operaretur ut quod per operationem naturæ, etiam si antea existisset, aut naturam possedisset: ergo pariter &c..

18 Denique probatur Assertio nostra: quia substantiæ creatæ non repugnat esse virtutem activam: ergo non est cur illi negeret immediatus influxus in aliam substantiam. Consequentia recta est apud Thomistas. Prob. Ant. substantiæ

tantia non repugnat esse virtutem immediate passivam, seu receptivam, ut patet, tum in materiâ primâ, tum in substantiâ totius compositi, quæ juxta Thomistas immediate recipit accidentia: ergo nec repugnat esse virtutem, seu potentiam immediate activam. Prob. Consequ. tum quia argumenta contraria vel utramque potentiam in substantiâ impugnant, vel neutram, ut mox patebit. Tum etiam, quia dissonum est, quod in distributione potentialium tribuatur substantiæ illa tantummodo, quæ defectum, & imperfectionem redoleret, accidenti verò tribuatur illa, quæ perfectionem sapit: substantia enim longè perfectior est accidenti, & ut ait D. Thomas 1. p. q. 25. ar. 1., Manifestum est, quod unumquodque secundum quod est actu, & perfectum, secundum hoc est principium activum alicujus: patitur autem unumquodque, secundum quod est deficiens, & imperfectum. Aliæ probationes erui poterunt ex objectionum solutione, quam jungimus.

## CAP. II.

### RESPONDETUR ARGUMENTIS CONTRARIA SENTENTIA.

1 IN hoc cap. solvemus argumenta, quibus Thomistæ negant, posse substantiam esse immediate operativam alicujus effectus. Objic. 1. multiplex quasi paramia, vel adagium, Philosophorum usum eritum. Primum: Substantia est prior se: sed potentia operativa propter operationem, ad quam

per se primò ordinatur: ergo substantia nequit esse potentia, seu virtus operativa. Secundum: Potentia specificatur ab actu: sed actus, sive operatio: potentia activæ, est accidens: cum ergo substantia specificari non possit ab accidenti, substantia nequit esse potentia operativa. Tertium: Actus & potentia debent esse in eodem genere: item, Perfectibile, & perfectivum sunt in eadem linea: ergo, cum operatio sit actus perfectivus potentie operantis, potentia ista debet esse de lineâ, seu genere accidentali, sicut est operatio. Quartum: juxta doctrinam Aristotelis, Solum agit quod habet contrarium: at substantia contrarium non habet Quintum: Actus est melior, ac potior, quam potentia: quod sumitur ex Aristotele 9. Metaph. c. 8.: sed actus potentie operativæ, cum sit accidens, nequit esse potior, quam substantia: ergo substantia non est potentia operativa. Sextum: Prius est esse, quam operari: ergo prius est ordinari ad esse, quam ad operationem: sed substantia ordinatur ad esse: ergo potentia operativa, quæ ordinatur ad operationem, est quid posteriorius, & consecutum ad substantiam.

2 Resp. Si paramijs certandum est, nobis quoque suppetunt adagia, nisi fallor, opportunitiora. Primum: Unumquodque operatur secundum quod est in actu. Ita sapissimè D. Thomas & ex eo cæteri passim. Sed substantia ignis v. g. est in actu per suam formam substantialem immediate: et



go per eandem operatur immediata. *Secundum: Unum quodque, sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere.* Ita conceptis verbis D. Thomas 3. p. q. 77. ar. 3. Sed substantia se habet immediate ad esse, ergo se habet immediate ad agere: *Tertium: Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Notissimam hoc est ex Philosopho 1. *Poster.* Sed accidens est immediate operativum propter substantiam: ergo substantia magis est immediate operativa. *Quartum: Bonum est diffusivum sui.* Hoc ex D. Dionysio desumptum cap. 4. de *Divin. nomin.* approbant omnes. Sed substantia est per se immediate bona: ergo est per se immediate diffusiva sui: ergo per se immediate diffundit perfectionem suam in effectum. *Quintum: Quod perfectior est actus, eò perfectiorem exigit potentiam.* Hoc etiam usu tritam est, patetque satis exemplo actuum vitalium. Sed productio substantiæ ignis est actus perfectior productione caloris: ergo, cum productio caloris exigit totam alterius caloris potentiam activam, productio substantiæ exiget perfectiorem aliam potentiam, nempe substantialem. *Sextum: Modus operandi sequitur modum essendi.* Tritissimam est, & sumitur ex D. Thomâ 1. p. q. 50. ar. 5. Sed perfectior essendi modus convenit substantiæ, quam accidenti: ergo & perfectior modus operandi. At immediate operari, est modus operandi perfectior, ut patet in Deo. Micro alia: nam hæc sufficiunt, ne Thomâ nos de adagiorum copia blandiantur.

3 Quæ verò nobis objecta sunt, explicantur nullo negotio. Ad 1.: substantia est propter se, quatenus non est propter aliud suppositum adæquatè distinctum intrinsicè afficiendum. Hoc tamen non tollit, quòd etiam sit aliquomodo propter operationem. Tum quia juxta Adversarios est vera causa principalis, verum que principium quod, & quo radicale: de conceptu autem veri principij operativi, veræque radice, est ordo ad operationem. Tum etiam, quia id probat vetus adagium, *Esse est propter operari*, vel, *Unumquodque est propter suam operationem*: quod explicans M. Froylan. hic q. 2. ar. 2. §. 9. dicit, *substantiam esse propter operationem, tamquam propter finem effectum, vel perficiendum per ipsam substantiam*, sicut *In carnato dicitur esse propter salutem hominum, tamquam finem effectum, & consecutum ad ipsam Incarnationem.* Jara ergo substantiæ aliquomodo est propter operationem, & ad eam ordinatur. Et cur non eodem modo ad operationem ordinabitur potentia operativa, quamvis identificetur cum substantiâ?

4 Quia, inquis, potentia operativa ordinatur per se primò (id est, sub conceptu primario) ad operationem. Sed contra: pariter ordinatur per se primò potentia passiva ad passionem: tam enim primò concipimus ordinem ad passionem in potentia passivâ ut tali, quam ordinem ad operationem in potentia operativâ quâ tali: nec passio est minus accidentalis, quam

quàm operatio, ut nemo dubitat: & tamen juxta Adversarios potentia passiva, tum formæ substantialis, tum accidentium, identificatur cum substantiâ, siquidem substantia materiæ immediate recipit formam, & substantia totius compositi immediate recipit accidentia: quid ergo prohibet id ipsum dicere de potentia operativâ? Dices: licet potentia passiva, præcisè concepta sub ratione talis, per se primò ordinetur ad passionem, cum tamen ejusmodi potentia non sit primarius conceptus substantiæ, sed secundarius, tamen si realiter identificatus, non sequitur, substantiam per se primò ad passionem ordinari. Sed cur non idem tibi dictum habeat? Cur non eodem jure dici poterit, potentiam operativam identificari realiter cum substantiâ, sed tamen non pertinere ad ejus conceptum primarium, sed ad secundarium; quia substantia non definitur per potentiam activam, nec passivam? Adde, quòd nec accidens definitur per ordinem ad operationem, sed per ordinem ad subj. & tum: unde sub conceptu accidentis non ordinatur ad operationem per se primò: & tamen se cum identificat potentiam operativam.

5 Præterea, admissio ordine per se primò, dicimus potentiam operativam ordinari ad operationem, tamquam ad purum medium, & ad effectum tamquam ad finem: in ijs enim, quæ operantur effectum ab actione distinctum, finis non est actio, sed effectus, ut sæpe do-

cet Aristoteles, nominatim 9. *Metaph. t. 17.* Ad effectum autem ordinatur potentia illa, tamquam ad finem qui: potentia verò ipsa, quando identificatur cum substantiâ, est finis cui; quia, dum operatur immanenter, intendit se intrinsicè perficere; &, dum operatur transeunter, intendit virtutem suam explicare, quatenus hoc est quoddam bonum, & commendatio potentia ipsius. Unde tandem sequitur, potentiam substantialem ita esse propter operationem, ut sit ultimæ propter semetipsam. Audi Froylan. loc. cit.: *Addimus cum Cajetano, unumquodque esse propter suam operationem, id est, propter seipsum, ut perfectum, & conjunctum cum operatione ipsa, & ita esse proverbium intelligendum.*

6 Ad 2. instantia est 1. in potentia passivâ, quæ pariter specificatur à passione. 2. in potentia radicali, quæ in esse radice debet specificari à radice. 3.: quia Logica specificatur ab ente rationis juxta Thomistas; quòd durius est, quam substantiam specificari ab accidenti. 4.: quia probat, potentiam operativam esse quid modale, cum operatio sit modus. Deinde retorquetur: quia potentia non solum specificatur ab actione, sed etiam, & magis quidem, ab effectus; magis enim voluntas specificatur ab amore, quam à merâ productione amoris: ergo quando effectus est substantia, potentia debet esse substantialis. Denique resp.: operatio non est potentia specificativum intrinsicum (hoc enim speci-



ficativum eſt differentia ſpecifica cujuſque rei, vel etiam forma phyſica in rebus compositis), ſed tantummodo extrinſecum, & arguitivum, quatenus ex perfectione, vel indole operationum, & effectuum, dignoſcimus, & arguimus perfectionem potentiarum, & earumdem inter ſe diſtinctionem ſpecificam: nec potentiarum duntaxat, ſed ſuppoſitorum: ſic enim hominem à brutis diſcernimus ex actu diſcurrendi; & generatim ex nobilitate ac diverſitate operationum præſtantiam ac differentiam rerum ſubſiſtentium colligimus, tamquam à ſigno, vel indice. Hoc ſenſu nihil prohibet ſubſtantiam ſpecificari ab operatione accidentali, maxime quando hæc eſt via ad ſubſtantialem effectum.

7 Ad 3. redit inſtantia in potentia paſſivâ materiæ, cujuſ actus eſt paſſio: item in quavis ſubſtantia, quæ ſine dubio eſt immediate perfectibilis per accidentia, ut ignis per proprietates, anima per actus, vel potentias, &c.: item in materiâ, utique perfectibili per animam ſpiritualem, quin ſit in lineâ ſpirituâli: item in accidentali potentia, quæ eſt in genere qualitatis, cum tamen ejus actus, vel operatio, ſit in genere longe diverſo, nempe in prædicamento actionis. Itaque illud adagium, utrovis modo præferatur, ab omnibus explicandum eſt de actu, & potentia, perfectibili & perfectivo, invicem ordinatis ad conſtituendum unum per ſe, nimirum ſubſtantiale compositum; debent enim eſſe in eodẽ

genere, non qualicumque, ſed ſubſtantiali; quia ex non ſubſtantijs ſubſtantia non ſit. Poterit etiam explicari de actu exiſtentia, & potentia logicâ, ſeu poſſibilitate exiſtendi; de quibus ſolis verum eſt, quod actus, & potentia dividunt genus quodlibet. Mitto, quod Adverſarij in his, & alijs argumentis falſo ſupponunt, omnem actionem eſſe accidentalem.

8 Ad 4.: ſi illud eſt univerſaliter verum, lux non ager, quia non habet contrarium; nec agent potentia animæ, quia contrariò carent: item ſubſtantia non erit cauſa principalis, quia cauſa principalis eſt, quæ primariò ac magis propriè agit. Ariſtoteles ergo intelligendus, vel de contrarietate radicali, quæ convenit etiam ſubſtantijs, quatenus radicant qualitates contrarias, ut aqua, & ignis; vel de contrarietate latâ, quatenus incompoſibilitatem ſonat in eodem ſubjecto, quæ reperitur etiam in ſubſtantijs; vel potiùs de contrarietate privativâ, quatenus agens debet in paſſo præſupponere privationem formæ, quam tentat inducere.

9 Ad 5. ab omnibus adhibenda eſt limitatio. Nam alioquin paſſio erit potior, quàm materia; & receptio accidentis, ipſaque forma accidentalis, melior erit, quàm ſubſtantia compositi, quam immediate actuat. Nec dicas, Ariſtotelem haud loqui de potentia paſſivâ: nam contrarium patebit legenti *cit. lib. 9. à text. 19. ad 19.*: & certè pronuntiatum illud verifimilius eſt in po-

ſentia paſſivâ, quàm in activâ: quia paſſiva ex genere ſuo imperfectior eſt. Adde, quod nec in activâ generatim locum habere poteſt: tum quia lux eſt activa caloris, nec tamen eſt ejus productione imperfectior: tum quia ſimplex apprehenſio lapidis non eſt potior Intellectu, ſive potentia intellectivâ: tum etiâ, quia non eſt melior actus peccati, quàm potentia peccandi, ut non melior eſt morbus, quàm potentia ægotandi; unde, & ipſe Ariſtot. eſſatum ſuum limitat ad actus de genere boni. Dicendum igitur, eſſatum illud, generatim ſumptum, non niſi triplici ſenſu verum eſſe. 1. de potentia, & actu ſubſtantiali, quia forma ſemper eſt potior, quàm materia. 2. de actu, & potentia logicâ; quia melius eſt unicuique rei actu exiſtere, quàm poſſe exiſtere. 3. de actu comparato ad potentiam, prout involventem privationem actus; quia melior eſt potentia cum actu, quàm cum privatione.

10 Ad 6. urget iterum inſtantia in potentia paſſivâ; nam certè prius eſt eſſe, quàm pati, vel recipere: item in potentia radicali, cum prius ſit eſſe, quàm radicare accidentia: item in ipſo accidenti operativo, in quo pariter prius eſt eſſe, vel in eſſe, quàm operari. Quare *neg. Conſeq.*; niſi forte ſit ſermo de prioritate rationis, quatenus prius concipimus rem eſſe conſtitutam in ſe, quàm illam ad operationes comparemus; idèd que ordinè ad operationem (intellige ordinem transcendentem, non prædicamentalem) apprehendimus quaſi poſ-

teriore, & conſequentem: quo pacto etiam omnipotentia Dei concipitur ut quid poſterius, & conſecutum ad Divinam eſſentiam.

11 Sed *replie. 1.* ex Colleg. Complut.: hæc cauſalis eſt vera in ſenſu reali, & phyſico, *Quia res eſt in ſe ſimpliciter, eſt operativa alterius*: ergo eſſe operativum eſt quid realiter ſubſequens, & cauſatum ab eſſe ſimpliciter, ſive ab eſſe ſubſtantiali. *Neg. Antec.*: nam ea cauſalis non magis eſt vera, quàm hæc, *Quia res eſt ſimpliciter, eſt radicaliva accidentium, vel eſt eorumdem receptiva, vel eſt operativa principaliter*; & ut quod: item non magis, quàm iſta, *Quia accidens exiſtit, eſt operativum alterius*: in quibus nulla eſt cauſalitas phyſica juxta Adverſarios, ſed pure logica, vel meta-phyſica. *Replie. 2.* ex eodem: eſſe operativum non eſt primum eſſe: ergo non eſt eſſe ſubſtantiale. *Prob. Antec.*: tum quia primum eſſe conſtituit rem in ordine ad ſe cum præciſione ab omni alio; & eſſe operativum formaliter dicit ordinem ad aliud. Tum quia eſſe operativum non eſt formalis effectus formæ ſubſtantialis; nam hujus effectus formalis eſt dare ſpeciem compositæ, & nullum compositum accipit ſpeciem ab eſſe operativo.

12 *Neg. Antec.*, ſi loquatur in ſenſu reali, ac de eſſe operativo nobiliori. Ad 1. *prob.*: primum eſſe, niſi ſit omninò infacundum, & ſterile, neceſſariò dicit ordinem ad operationem in ſenſu reali: quare falſum eſt, quod conſtituat rem



in ordinē ad se cum reali præcisione, vel distinctione ab omni alio. Si tamen loquaris de præcisione rationis, quæ non pugnat cum identitate reali, transeat. Et quære quid dicas ad instantiam in esse operativo radicali, vel *ut quod*, & in esse receptivo accidentium. Ad 2. *prob.*: esse operativum, prout convenit toti composito, est formalis effectus formæ substantialis, ab eo que sumitur species compositi; nam hominem v. g. definimus *animal rationale*, quod perinde sonat, ac esse operativum sensationis, & discursus: esse, inquam, operativum, non utcumque, sed per modum virtutis substantialis; quemadmodum juxta Adversarios, esse operativum per modum radicis, aut principij *quod*, & esse receptivum accidentium, est formalis effectus formæ substantialis, ab specie compositi realiter distinctus.

13 *Repl.* 3., & præcipuè: esse substantiale est actus primus respiciens existentiam, tamquam actum secundum, & ultimum: & esse operativum est actus primus respiciens operationem, tamquam actum secundum, & ultimum: ergo ista duo esse realiter distinguantur. *Prob. Conseq.*: quia implicat, duos actus secundos usque adeò diversos ab eodem actu primo provenire; magis enim inter se differunt, quam actus videndi & audiendi, aut actus intelligendi, & amandi, qui distinctas potentias postulant. 2.: quia existentia, & operatio non sunt actus inter se subordinati, nec attingi possunt sub eadem ratione for-

mali. 3.: quia implicat duo actus ultimi, quorum unus adveniat post alium. 4.: quia, dum substantia existit, & non operatur, esse substantiale reducitur ad suum actum secundum, & esse operativum non reducitur ad suum: repugnat autem, quòd ex duobus realiter identificatis, alterum sine altero reducatur ad actum secundum.

14 *Resp.* Totum argumentum instatur clarissime: tum in actu primo radicali, qui respicit emanationem accidentium ut actum secundum: tum in potentia materiae, quæ respicit passionē, & existentiam, ut duos actus secundos omnino diversos: tum in potentia receptivā accidentium, quæ, licet identificetur cum substantiā totius compositi, receptionem respicit ut actum secundum: tum in essentia accidentis, quæ juxta Adversarios eadem realiter est potentia, & actus primus, ad existentiam, & operationē. Præterea *neg. Antec.* quòd primam partem: quia falsò supponit distinctionem realem essentia ab existentia. Quod si velis, ut ea distinctio permittatur, *neg. Consequ.*: quia duo actus secundi, quamvis valde differant, & potentiam immutent diversimodè, respici poterunt ab eodem realiter actu primo; ut Adversarij fateri tenentur in exemplis, aut instantijs, nunc indicaris. Quòd actus videndi, & audiendi, licet fiant in diversis organis, postulent distinctas realiter potentias activas, negant Scotistæ, & plures e Nostris, idem dicentes de actibus intelligendi, & amandi. Sed

esto postulent, distinctio potentiarum animæ non probatur præcisè ex diversitate actuum, sed ex alijs etiam capitibus, ut suo loco videbimus; quamquam aliunde supposita distinctio reali potentiarum, diversitas actuum satis probat diversitatem earum specificam. Ex quo patet ad 1. *probationem*.

15 Ad 2. dici potest, quòd illi actus sunt inter se subordinati, quatenus operatio per se supponit existentiam sui principij, sicut evenit in existentia, & operatione accidentis. Cum enim operatio per se supponat existentiam, juxta illud, *Operari sequitur ab esse*; cum que existentia ordinetur ad operationem, juxta illud, *Esse est propter operari*; negari nequit aliqua inter utrumque actum subordinatio, vel coordinatio. Uterque item pertinet ad eandem lineam genericam *actus potentia substantialis*, quæ dici poterit ratio formalis, in qua conveniant, & sub quā attinguntur, licet in alijs valde inter se differant. Atque hinc etiam censerī poterunt in sensu reali actus inadæquati, sive parciales; quia non exhausti unusquisque totam potentiam sui principij realiter sumpti, sed est pars collectionis omnium actuum tali potentia respondentium. In sensu tamen formali uterque vocari potest adæquatus, alter respectu potentia objectiva, prout formaliter contrapositione non erit, & chymæ, alter respectu potentia physice operativæ, formaliter sumptæ; quæ tamen potentia realiter identificatur. His omnibus ut assentiantur Ad-

versarij, cogendi sunt instantijs paulò antè premisis.

16 Ad 3. *prob.*: existentia non est actus ultimus, nisi respectu potentia objectivæ, formaliter sumptæ (vide dicta *tr.* 1. d. 2. c. 4. n. 19.): quare post eam advenire poterit operatio, sicut post eam advenit passio, & receptio, quamvis ejusdem potentia sit actus; & sicut post apprehensionem (quæ est actus adæquatus, & ultimus potentia apprehensivæ, formaliter ut talis) advenit judicium, quamvis sit actus ejusdem potentia realiter spectatæ, non enim potentia judicativa, & apprehensiva realiter distinguantur. Ad 4.: præmissa instantia clarissima in essentia accidentis, quæ sæpe existit, quin operetur; nec non in potentia apprehensivæ, quæ, dum apprehendit, & non judicat, pariter reducitur ad suum actum, quin judicativa reducatur ad suum; dic, esse operativam vere reduci per existentiam ad unum actum realiter suum, licet, quandiu non agit, non reducatur ad omnia actum, ad quem reduci potest. Quid autem facilius, & frequentius, quam quòd eadem potentia, plures actus continens, reducatur ad unum, & non ad alium realiter distinctum?

17 *Objic.* 2.: quòd est proprium Dei, communicari nequit substantia creatæ: sed identificare secum potentiam operandi, proprium est Dei ergo &c. *Confirm.* 1.: alia Dei attributa, ut justitia, & sapientia, non nisi medijs accidentibus participantur à substantia crea-



creata: ergo pariter potentia operandi. *Confirm. 2.* ex Froylan. : si substantia esset immediate operativa, secum identificaret ultimam differentiam accidentis, videlicet rationem principij proximi, quæ est ultima differentia accidentis immediate operativæ: & hinc etiam identificaret secum operationem; quia non minus est extra lineam substantiæ ratio principij proximi, quam operatio ipsa, proinde que par est utrobique ratio identitatis, sicut, si homo secum identificaret ultimam differentiam formicæ, identificaret etiã rerum omnium ultimas differentias. Tum sic: ergo substantia foret simpliciter infinita. *Prob.*: quia secum identificaret ultimam actualitatem generis dicentis perfectionem simpliciter simplicem: identificaret enim operationem; & hæc est ultima actualitas de lineâ operativâ, quæ perfectionem dicit simpliciter simplicem, & in Deo repertam.

18 *Resp. ad object.*: proprium est Dei secum identificare potentiam operandi, non qualemcumque, sed infinitam, & independentem ab omni alio, tam in essendo, quam in operando; qualis certe non communicatur creaturis, quâvis hæc suam quoque potentiam habeant finitam, & utroque modo dependentem à primâ Causâ. Similiter proprium est Dei nomen causæ principalis, cum ipsi conveniat per antonomasiam. An propterea substantia creata non poterit esse causa principalis? Proprium etiam est Dei esse bonum, juxta illud Christi *D. Luc. 18.*, *Nemo bonus, nisi solus*

*Deus.* An idcirco bona non erit substantia creata? Et mirum est, accidenti communicari quod proprium est Dei, non autem substantiæ. Si inferas: ergo substantia creata est potens per essentiam. *Neg. Consequ.* absolute: quia dictio *per essentiam* communiter accipitur ut opposita huic, *per participationem*: creatura autem, quidquid est, per participationem est. Si tamen *ly per essentiam* pro eodem accipias, ac per aliquid identificatum cum essentiâ, *consequ.* Et quæro abs te, num accidens sit potens per essentiam, num substantia creata sit causa principalis per essentiam, aut bona per essentiam, aut etiam ens per essentiam?

19 *Ad 1. Confirm.*: similiter probari posset, quod substantia non nisi medijs accidentibus communicatur bonitas, & perfectio, vel etiam ratio ipsa substantiæ. In eo igitur, quod justitia, & sapientia identificentur cum substantiâ, specialis repugnantia invenitur à Theologis, & Animalisticis. Nunc sat est dicere, quod justitia, & sapientia consistunt in operatione inmanente, vel eam supponunt, nisi ab extrinsecis infundantur: nequit autem creatura secum identificare operationem suam; quia debet immediate subijci dominio Dei, non solum in essendo, sed insuper in operando.

20 *In 2. Confirm.* supponitur quod probandum erat, scilicet rationem principij proximi esse ultimam differentiam accidentis immediate operativæ: oppositum nunc defendimus, nimirum illud esse prædicatum commune substantiis, & ac-

accidentibus, in eis que diversificari per differentias singulorum proprias: videlicet, quia substantia est principium proximum per modum per se stantis, accidens per modum inharrentis; & in particulari, anima per modum principij viventis, ignis per modum substantiæ elementaris, calor per modum qualitatis contrarium habentis, & sic de alijs. Sic, licet substantia sit immediate receptiva, non secum identificat ultimam differentiam accidentis immediate receptivi, cujusmodi est quantitas, sicut potentia vitalis juxta Thomistas. Sic etiam, licet accidens sit causa principalis (ut cum calor calorem producit ut causa univoca), non idcirco secum identificat ultimam differentiam substantiæ.

21 *Obje. 2.*: Si forma substantialis est immediatum agendi principium, semper erit in perpetuo exercitio agendi; sicut quia anima est immediatum principium vivificandi, nequit in subjecto esse, quin illud actu vivificet, seu constituat vivum. *Resp.*: anima est immediatum vivificandi principium in genere causæ formalis, quæ si subjecto unita supponitur, nequit non illi tribuere suam effectum formalem, quippe qui à forma ut unita subjecto non distinguitur. At forma, ut est principium agendi, requirit ulterius plures conditiones, cujusmodi sunt applicatio ad passum, decretum Dei &c., quibus, si destituatur, ut potest, non erit in exercitio agendi. Et retorquetur exemplum: nam anima rationalis, licet sit immediatum

principium vivificandi corpus, non semper actu vivificat, ut patet in animâ separatâ: ergo, & poterit esse immediatum principium agendi, licet non semper agat. Dices, te loqui de animâ unitâ. Verum hoc est ponere animam conjunctâ cum exercitio vivificandi, quod est unio; pone ergo similiter formam conjunctam cum exercitio agendi, & ita semper agat. Deinde instatur in formâ accidentali, v. g. in calore, quæ semper est in exercitio qualificandi subjectum, seu constituendi calidum, & non semper est in exercitio agendi. Pariter instatur in potentia receptivâ: nam forma aquæ, licet semper informet subjectum, non semper est in exercitio recipiendi frigus.

22 *Obje. 4.*: si anima rationalis esset immediate activa intellectus, non posset anima cogitare noscere seipsam. *Prob.*: quia sequeretur, extrema realiter identificari, quando medium realiter distinguitur ab utroque: nam potentia, & objectum sunt extrema, inter quæ mediat cognitio; & hæc in eo eventum realiter distingueretur à potentia, & objecto, quæ tunc forent realiter idem. Repugnat autem, quod extrema magis distinguantur à medio, quam inter se. Verum hæc obiectio importune hæc intruditur à nominalis, cum spectet ad Animalicam; ubi activitatem immediatam animæ in actus vitales proprijs argumentis ostendemus. Nunc instatur perspicue in animâ, vel Angelo cognoscente suam potentiam intellectivam: tunc enim potentia, & objec-



tum sunt extrema distincta magis à medio , quàm inter se. Similiter agens , & passum extrema sunt , inter quæ mediatur actio eductiva : & tamen dum potentia intellectiva producit , & recipit cognitionem quamlibet , agens , & passum magis à medio , quàm inter se , distinguuntur. Negandum igitur , quòd cognitio mediet localiter , aut alio sensu proprio , inter potentiam , & objectum ; potius enim est ratio formalis , quæ potentia redditur immediate cognoscens , & objectum immediate cognitum. Solum ergo dicitur medium improprie , quatenus apprehenditur instar mediantis. Vel , ne de voce litiges , sit medium , sed per modum exercitij representandi , non aliter : quo sensu nihil prohibet extrema distinguui magis à medio , quàm inter se.

23 *Obje.* 5. specialiter pro adæquatâ activitate accidentis in substantiam. Sæpe contingit effectum substantialem produci , quando nulla adest substantia idonea ad influendum : tunc ergo substantia producit à solis accidentibus. *Prob. Antec.* : quia , dum ignis calore ferri candentis , aut percussione filicis excitatur , dum vinum ex aquæ guttula in calice consecrato producit , dum animalcula nascuntur ex putri , imò dum viventia omnia virtute seminis generantur , nulla substantia præfens est , quæ contineat effectus istiusmodi , vel quæ possit apra censer ad influendum. *Confirm.* 1. : licet actio sit entitas imperfectior effectui , illum tamen adæquate producit adæquatione influxus , quia

scilicet solum agit ut quo : cum ergo accidens etiam agat ut quo , poterit adæquate producere substantiam adæquatione virtutis , licet entitative sit imperfectior. *Confirm.* 2. ex quodam Recentiore : nulla causa creata continet totam perfectionem effectus : sed nihilominus adæquata dicitur in genere causæ secundæ : ergo , licet accidens non contineat totam perfectionem substantiæ , poterit eam producere ut virtus adæquata. *Prob. Maj.* : tum quia omnis creata virtus indiget auxilio primæ causæ. Tum quia omnis causa creata perficitur per effectum : hic ergo novam perfectionem addit , quam causa non præhabet. Tum etiam , quia complexum ex causâ creatâ , & effectui , est quid perfectius solâ causâ ; & non ita foret , si tota perfectio effectus contineretur in causâ , ut patet in complexo ex Deo , & creaturâ , quod non est perfectius Deo solo.

24 *Ad object. dist. Antec.* : quando nulla adest substantia idonea ad influendum univoce , *con.* ; nec univoce , nec æquivocè *neg. Antec.* , & *Conseq.* *Ad prob.* : jam vidimus *cap. præced.* , exemplis illis æque urgeri Thomistas , quibus querenda est substantia idonea , quæ verè , & proprie tunc influat ut causa principalis , & principium quod , & quæ verè sit effectibus æqualis in perfectione. Recursus enim ad substantiam , ex quâ decisa , vel relicta fuerit virtus accidentis , nihil prodest : tum quia sæpe accidens à nullâ particulari substantiâ idoneâ relictum est , ut in casu animalculi ex

putri geniti : tum quia substantia , ex quâ decisa fuit virtus nunc influens , v. g. virtus seminis , sæpe jam non existit , adeoque impotens est verè , & proprie causare , ut satis ostendimus ad finem *cap. præced.* Quam ergo Adversarij substantiam invenerint idoneam ad influendum per modum veræ causæ principalis , eandem dicimus influere per modum virtutis. Quod si contenti sint substantiâ non existente , eadem , & nos contenti erimus : non enim difficilius est , quòd res non existens influat ut virtus , quàm quòd influat ut vera , & propria causa principalis. Imò minus est difficile ; nam , ut ait D. Thomas 3. cont. gent. c. 67. , *Causa actionis magis est id , cuius virtute agitur , quàm etiam illud , quod agit ; sicut principale agens magis agit , quàm instrumentum.*

25 Itaque ignis , à ferro candente productus , tribui potest plurimis igniculis , qui intra ferri poros delitescunt ; quod etiam de filice plures existimant. Si autem ibi supponatur esse solas calor , ab igne semotus , recurrendum erit ad influxum Calorum , ut etiam in productione metallorum , aut mineralium : sunt enim cælestia corpora causæ universales , quibus incumbit , non solum quodam generali concursu juvare causas interiores , sed etiam supplere defectus earum influxu majore , quando adest materia disposita , & non adest sublunaris causa satis proportionata. Nec obstat , quòd à terrâ distet substantia corporum cælestium : potest enim

nihilominus immediate influere , juxta dicta *disp.* 3. c. 3. *Affer.* 3. Conversio aquæ in vinum per accidentia Eucharistica , Divinæ virtuti tribuitur à D. Thomâ 3. p. q. 77. ar. 3. ad. 2. Generatio autem animalium ex putri , Soli , & stellis expressè tribuitur à S. Doctore 1. p. q. 105. ar. 1. ad 1. ; ubi etiam eodem modo loquitur de generatione plantarum , & mineralium. Quod si cælestia corpora , utpotè inanimata , non videantur sufficere productioni viventium , recurrendum est cum communi Nostrorum , & Scotistarum , ad Causam primam , cuius est supplerere defectum , vel insufficientiam causæ secundæ , quoties formam exigit materia disposita.

26 Difficilior apparet hic recursus in consuetâ generatione animantium ex semine : nam , si semper ibi opus est peculiari concursu primæ Causæ , non satis videtur à naturâ provisum propagatio ni viventium , siquidem eorum causæ secundæ , & specificæ , per se insufficientes deprehenduntur. Multi dicunt , virtutem seminis non esse merè accidentalem , sed in eo inveniri partem substantialem immediate activam. Sed quia non ideò vitatur , quòd virtus seminis producat effectum senobiliorem , nempe animam equæ v. g. ; propterea plures , graves que Authores satis probabiliter censent animam matris , saltem in viviparis , immediate influere in animam fætus , & , dum generatur homo , in unionem animæ rationalis ad corpus. His tamen in præfenti non indigemus : nam recursus ad Causam



primam approbat cum Scoto P. Suarez *cit. d. 18. f. 2.*, & ab objectionibus optimè vindicat à n. 39.

27 Virtus ergo feminis disponit, & organizat corpusculum (quamquam ad hoc etiam munus virtutem feminis insufficientem putat Scotus apud P. Suar. n. 32.), posita quæ ultimâ dispositione, Deus ut naturæ Author supplet defectum virtutis activæ feminis ad producendam animam bruti per modum causæ principalis, sicut se solo creat animam rationalem, ut est certum. Neque id provenit ex imperfectione animantium, sed ex perfectione potius, quæ non patitur aliam modum originis à causâ secundâ; sicut magna hominis perfectio est, quod ejus anima non nisi à Deo solo produci queat. Nec ideo minus bene provisum est propagationi viventium. Tum quia non aliam providentiam exigit propria ipsorum conditio. Sic non est defectus naturæ, vel providentiæ, quod nulla creatura sit sufficiens ad agendum sine concursu Dei simultaneo. Tum quia non ideo minus certa, & regulata est viventium propagatio; sicut nec eorumdem conservatio, quæ juxta omnes per totam fere vitæ periodum à Deo provenit vel unicè, vel principaliter. Tum demum exemplo propagationis hominum.

28 *Dices 1.*: recursus ad Causam primam pro influxu plusquam generali, non est philosophicus. *Dist.*: quando assignabilis est causa secunda satis idonea, *conc.*; quando assignari non potest, *neg.*, ut patet in productione animæ ra-

tionalis. Et quæro abs te, num sit magis philosophicus recursus ad causam non existentem pro influxu principali, contra illud D. Thomæ ab omnibus receptum, *Unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere?* maxime cum influxus principalis sit magis proprius, ex eodem D. Thoma citato supra n. 24.. *Dices 2.*: generatio viventium miraculosa erit, si Deus ad eam concurrat ut causa particularis. *Neg. sequel.*: quia non semper ac Deus concurrat ut causa particularis (id est, per influxum plusquam generalem), miraculosè agit; sed tunc solum, cum concurrat contra, vel supra rerum naturalium exigentiam; quod in præfenti non accidit, siquidem concurrat Deus juxta exigentiam materiæ ultimò dispositæ. Solutio est evidens exemplo animæ rationalis. Adde, quod ille concursus dici potest causæ universalis proprius, cum sit naturaliter debitus ex munere causæ universalis, & Authoris naturæ.

29 *Dices 3.*: ergo in humanis pater non erit propriè principalis causa filij: ergo non erit propriè pater. *Dist. 1. Conseq.*: non erit propriè &c. proprietate, quam postulat in agente creato species humana, *neg.*; proprietate simpliciter tali, *conc. 1.*, & *neg. 2. conseq.* absolutè. Species humana, ut propagetur, nihil aliud requirit in agente creato, nisi 1. principalitatem ministrandi materiam, & virtutem instrumentariam, ac dispositivam materiæ; 2. proprietatem causæ, sine qua non, seu causæ determinantis, quæ natu-

raliter indiget effectus, unde *Eccl. 7. f. 7.* jubetis honorare parentes, *Quoniam nisi per illos natus non fuisset.* Et hoc ipsum est, quod requiritur, & sufficit in humanis ad nomen Patris propriè dictum. Ad nomen Matris minus activitatis requiritur, si vera est communior sententia, denegans matri concursum activum. *Ceterum* proprietas causæ principalis, simpliciter agentis, non convenit humano patri: non solum quia est causa purè mediata: nec solum, quia nullatenus producit animam proles; imo nec unionem, nisi forsitan instrumentali-ter: sed etiam, quia sæpe non existit in instanti generationis, sive animationis; & licet existat, per accidens est, cum perinde gerat tunc manus causæ, sive jam sit mortuus, sive secus. Quod autem causa non existens nequeat esse principaliter agens, satis, ut opinor, ostensum est. Hinc in sacris Litteris Deo tribuitur principalis actio in formatione, & animatione corporis humani, ut *Job. 10.*, & *2. Machab. 7.*

30 Jam ad 1. *confirm. n. 23.*: *neg. Consequ.*: nam actio sic agit purè ut quo, ut non propriè causet, nec det esse, sed sit pura determinatio alterius ad causandum, ac dandum: unde non ipsa, sed id, cujus determinatio est, continere debet perfectionem effectus. At virtus activa verè, & propriè causat, & dat esse effectui, ut vidimus cap. præd., & in hoc sensu verè agit ut quod, seu verè est id, quod agit, licet dicatur agere ut quo, dum

comparatur ad suppositum. Ne ergo det quod non habet, totam effectus perfectionem contineat necesse est. Ad 2. *confirm.*: Major continet paradoxum evidenter falsum, & vel Thomistis contemnendum. Nam continere totam perfectionem effectus, ut omnes intelligunt in præfenti, nihil est aliud, quàm in se habere perfectionem æqualem, aut superiorem, & insuper ita facundam, ut possit effectum producere sine javamine alterius agentis creati. Quis autem dubitat, qui hoc sensu contineat ignis ignem, calor calorem, lux lucem?

31 Nec momenti sunt probationes. Non prima: quia generalis concursus primæ Causæ non ideo requiritur, quia omnis causa creata perfectione sit inæqualis effectui, sed quia omnis causa, & effectus debet immediate subijci dominio Dei, & ab eo essentialiter dependere. Non secunda: quia causam perficere per effectum, est melius se habere cum effectui, quàm cum ejus carentiâ: ad hoc autem sufficit, quod effectus novam perfectionem addat realiter distinctam, nec à causâ præhabitam in individuo, licet præhabitam in specie, vel eadem, vel nobiliore, ut cum Sol à luce perficitur. Non tertia: quia complexum ex Deo, & creaturâ ideo non est perfectius Deo solo, quia Deus creaturam continet eminentiâ simpliciter infinitâ, quâ nihil melius cogitari potest: dum tamen eminentia finita est, vim habet proloquium illud, *Finitum additum finito fit majus.* Sic nummus argenteus, addi-



tus aureo, facit majus, licet in eo contineatur eminenter.

32 Ad finem observa, potentiam, quæ pertinet ad prædicamentum Qualitatis, non esse potentiam ut sic (alioquin omnis etiam potentia passiva, vel operativa radicalis, foret qualitas), sed illam tantummodo, quam aliunde constituerit esse accidentalem, & à quantitate distinctam. Observa insuper, potentiam operativam non debere ad operationem ordinari tamquam medium ad finem: potest enim ad operationem, vel ad effectum potius, ordinari per modum agentis, finem procurantis. Observa denique, Aristotelem, dum ait, ignem non agere ut ignem, sed ut calidum, solum velle, ut calor sit conditio, sine quâ non, quo sensu dicitur ignis non agere nisi ut applicatus; vel etiam, ut sit virtus partialiter influens in effectus ignis. De mente D. Thomæ non nihil dicemus cap.

sequ.

### CAP. III.

**ACCIDENS SÆPE IMMEDIATE influit in substantiam ut causa instrumentalis.**

**I**TA Doctor Exim. *clt. d. 18. f. 2. n. 14.*, quem sequuntur cum P. Compton plurimi Recentiores. Contrarium tenent Scotistæ, & plures è Nostri, ut PP. Hurad., Arriag., Ovied., Lynce, Peynad.. Sed ante probationem præmittenda est notio causæ instrumentalis, quam supra *disp. 2. c. ult.* explicatam reliquimus.

#### §. I.

### QUID SIT CAUSA INSTRUMENTALIS.

**I**STRUMENTI nomē, quia valde ambiguum, & ferè equivocum est, in varias explicationes distrajit Authores: de quibus late, & optimè P. Suar. *d. 17. Met. f. 2.* Nonnullas acceptiones præmittam minùs proprias. 1. antonomastice dicitur causa principalis, quæ à nullâ pendet, & cæteras à se pendere facit in operando, quibus proinde velut instrumentis utitur: quo sensu sola Causa prima est principalis; omnes verò causæ secundæ sunt instrumentales: atque ita sæpe loquitur D. Thomas, non minuatim *q. 3. de pot. ar. 7.* dicens: *Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum Divinae virtutis operantis.* Hæc tamen acceptio latissima est, nec tollit, quòd omnes attribuunt pluribus causis creatis munus causæ principalis variorum effectum.

2. vocari solet instrumentum, quodlibet principium agendi datum supposito ad operandum, etiam si æquè perfectum sit, vel etiã nobilius, quàm effectus: & sic forma, tam substantialis, quàm accidentalis, necnon partes integrantes, ut manus, pedes, &c., dicuntur instrumenta suppositi, cui soli tribuitur nomen causæ principalis, idest, principij *quod.* Hæc etiam acceptio minùs propria censetur. 3. vocatur instrumentum, quidquid loco alterius subrogatur, ut actionem aliquam,

quam, licet imperfectiorem, executeat: unde imperus, impressus lapidi, dicitur instrumentam projicientis. Sed nec acceptio ista propria, & stricta est: quemadmodum nec illa, quâ quædam agentia dicuntur instrumenta aliorum, quia instituta sunt, ut eorum vices gerant, aut defectum suppleant, quàmvis ab eis non immediate juventur ad operandum. Unde Scotistæ, ut videre est apud Maftrium *hic disp. 7. n. 98.*, negant, & merito, quòd semina sint proprie instrumenta viventium.

3. Ut igitur ad acceptionem strictam deveniamus, Thomistæ communiter dicunt, illud agere ut instrumentum, quod per virtutem alienam, seu ab alio acceptam operatur; illud verò ut causam principalem, quod operatur virtute propria. Sed impugnantur: quia vel illa virtus, ab alio accepta, distinguitur ab entitate causæ instrumentalis, vel non. Si primum dicas: vix ulla erunt instrumenta naturalia; nam calor v. g., dum agit ut instrumentum ignis, & species, dum concurrat ad cognitionem, non agunt per virtutem à se distinctam. Si secundum: nulla causa creata proprie principalis erit, cum omnes accipiant entitatem ac virtutem suam à Deo, & plures ab alijs etiam causis secundis. Huic affinis est explicatio dicentium, causam principalem esse, quæ nomine proprio; instrumentalem, quæ alieno nomine operatur. Quæ rejicitur pariter: tum quia non explicat, quid requiratur ad operandum nomine proprio, vel alieno:

tum quia solum convenit instrumentis moralibus, aut politicis, ut cum satelles dicitur instrumentum judicis, eo quòd ejus nomine, & autoritate operetur; in instrumentis autem naturalibus non nisi per violentam metaphoram locum habet.

4. Eodem spectat alia Thomistarum expositio, quòd scilicet causa instrumentalis est, quæ non agit nisi ut mota ab alio; principalis verò, quæ alienâ motione non eget. Verùm hoc est tollere à causis creatis rationem causæ principalis, cum omnes ad operandum indigeant physicâ præmotione Dei, juxta Thomistas. Dicunt, se loqui de motione instrumenti, quæ sit tota ratio agendi. Verùm motio istiusmodi ut summam convenit instrumentis mechanicis (Quibus competit *instrumenti* nomen ex primâ impositione, idèd que de his intelliguntur plures locutiones D. Thomæ); imò ne his quidem omnibus: nam licet malleus fabri ferrarij non agat nisi ut motus, motio tamen non est tota ratio agendi, sed simul innata gravitas. In instrumentis autem naturæ, nullâ motione opus est ab instrumento ipso distinctâ, ut patet in calore instrumentaliter concurrente ad generationem ignis, & ad nutritionem viventis.

5. Scio, nolle Thomistas, ut calor vocetur instrumentum ignis, sed potius virtus ignis instrumentaria. Sed in primis ita loquitur sapienter D. Thomas, v. g. *I. p. q. 115. ar. 1. ad 5.*, ubi calorem vocat instrumentum ignis, & instrumentum ani-



animæ ad generationem carnis. Deinde, calor, si est virtus immediata activa substantiæ, vere & propriè causa illius est, cum ei propriè conveniat definitio causæ, ut vidimus *cap. 1.*: sed non est causa principalis: ergo est propriè causa instrumentalis, adeoque propriè instrumentum. Denique si calor, aut quodlibet aliud accidens, est unica immediata virtus causæ principalis, immeritò vocatur virtus instrumentaria; potius enim virtus primaria, & principalis, appellanda est: quemadmodum virtus, sive potestas immediata Regis, est potestas primaria, & principalis; nec est instrumentaria, nisi quæ convenit ministris inferioribus, qui ut instrumenta Regis operantur. Adde, quod ex terminis virtus instrumentalis est virtus instrumenti; sicut virtus intellectualis est virtus intellectus. Si ergo virtus caloris est instrumentaria, calor ipse instrumentum est.

6 Scilicet, quibus accedunt plures à Nostris, instrumentum esse dicunt, quod tantum dispositivè concurrat, quin attingat immediatè productionem effectus principaliter intenti: causam verò principalem, quæ immediatè influit in formam præcipuè intentam. Hæc etiam explicatio meritò rejicitur, eo quod plura sint instrumenta, tum naturalia, tum supernaturalia, quæ immediatè concurrunt ad productionem effectus principalis, ut inductione probat P. Suar. *loc. cit. n. 11.* Et certè, quod instrumenta artis, non solum per impulsam ar-

tificis, sed etiam per innatam gravitatem, immediatè concurrunt ad formam domus, aut statuz, videtur perspicuum. Aliqui è nostris Authoribus instrumentum esse volunt, cui nulla respondet formalitas effectus. Sed verò quædam sunt instrumenta, quibus aliqua formalitas effectus correspondet, v. g. phantasma, sive actus phantasiæ, cui, ut instrumentaliter concurrenti ad speciem intelligibilem, correspondet formalitas representationis. Adde, quod, dum forceps forcipe, vel malleus malleo, tamquam instrumento, fabricatur, omnimoda est correspondentia formalitatum.

7 Dicendum ergo cum Exim. Doctor *loc. cit. à n. 17.* causam instrumentalem esse, quæ producit effectum se nobiliorem, sive altioris ordinis, vel saltem ad quem activitas ejus proportionata non est, nisi à superiore agente juvetur speciali concursu. Quod ultimum additur propter causas obedientialiter concurrentes, ut sunt instrumenta mechanica, & ex res naturales, quæ ad supernaturalem actionem elevari possunt: tales enim causæ, licet producant effectus entitativè æquales, aut ignobiliores, solum instrumentaliter concurrunt ob improportionem activitatis; ut si Sol Solem, aut Angelus formicam divinitus produceret. Ex adverso causa principalis, propriè dicta, erit, quæ immediatè producit effectum sibi æqualem, aut inferioriorem, ita ut non indigeat speciali juvamine superioris agentis. Dico *speciali juvamine, vel concursu:* quia

quia non est contra rationem causæ principalis indigere concursu Dei generali, qui requiritur ad effectum titulo entis participati.

8 Hinc inferes, omnem causam instrumentalem esse partialem in ratione virtutis operativæ: quia, ut supra ostendimus, nulla virtus ignobilior effectu, potest esse totalis, aut adæquata respectu illius. Unde semper debet à principali causâ immediatè influente juvari: ratione cujus juvaminis causa instrumentalis dicitur agere ut confortata, atque etiam ut elevata, quia scilicet eo evehitur, quod ex proprijs meritis non assurgit. Dum ergo dicitur accidens, ut causa instrumentalis, influere in substantiam, non negatur substantiæ agentis influxus immediatus, sed potius seponitur, & quidem præcipuus, utpotè proprius causæ principalis. Non tamen è cõverso instrumentalis est omnis causa partialis: potest enim causa indigere juvamine alterius, & nihilominus esse principalis, nempe quia non eget juvamine superioris, sed inferioris, aut æqualis. Sic Intellectus est causa principalis cognitionis naturalis, quamvis eget juvamine speciei.

9 Instrumentum dividi solet in conjunctum, & separatum. Conjunctum dicitur, quod principali agenti conjungitur per unionem, vel per contactum physicum: quo modo calor est instrumentum ignis, & calamus scribentis. Separatum vocatur, quod nullo ex his modis conjungitur agenti principali: quo pacto sacramenta dici-

solent instrumenta Humanitatis Christi existentis in Cælo. Solet etiam utrumque subdividi in conjunctum, aut separatam, in existendo, & non in causando, & è cõverso. Sed, licet verum sit, posse instrumentum esse conjunctum in causando, & separatam localiter in existendo, non tamen separatam temporaliter, ita ut causet per modum instrumenti propriè dicti, quando non existit principale agens. Negandum etiam, quod instrumentum strictè tale possit esse separatum in causando, quamvis in sensu lato vocetur instrumentum.

## §. II.

PROBATUR ASSERTIO  
præfixa.

10 POSSIBILE est accidens naturali virtute productum ad producendum immediatè substantiam: ergo talia defacto sunt plura accidentia, v. g. calor, & alia ignis propria; quæ proinde immediatè influunt in substantiam ut causæ instrumentales. *Antecedens* expresse conceditur ab Oviedo, & Arriaga, nec negatur à Peynado, & alijs; & facile probatur: nam ideò ejusmodi accidens repugnaret, quia semper esset substantiâ ignobilius, & nulla virtus attingere valet nobilioris effectus productionem: at hæc ratio probat quidem, non posse substantiam adæquate produci ab accidente; minime verò non posse partialiter, & instrumentarie. Quod patet à priori: nam præcontingentia totius perfectionis



effectus ad ſolam pertinet cauſam, aut virtutem totalem, ut omnibus in conſeſſo eſt. Patet etiam exemplis à communi Philoſophiâ receptis : nam ſpecies viſualis ignobilior eſt actu videndi, ad quem concurret ; quod pariter accidit in actu phantaſiæ reſpectu ſpeciei intelligibilis, & in hac ipſâ ſpecie reſpectu intellectiōis, nec non in habitu adquiſito reſpectu actuum Voluntatis.

11 Jam verò *Conſequentia* probatur: quia plura de facto ſunt accidentia, quorum ad præſentiam ſemper producitur ſubſtantia, ſive adſit propria & ſpecifica cauſa ſubſtantialis, ſive non adſit: ſic enim ſemper ac adeſt cum debita ſiccitate calor ut octo, undecumque proveniat, producitur ignis. Calor igitur immediate inſiuit in ſubſtantiam ignis connaturaliter. Patet hæc conſeq. : nam accidens poſſibile connaturaliter productivum ignis, ſi exiſteret, non alio maniſteſtiori ſigno virtutem ſuam oſtenderet. *Confirm. 1.* : non alia ratione colligimus, ignem eſſe activum ignis, & calorem caloris, niſi quia cernimus ad eorum præſentiam produci ſemper tales effectus, & aliunde nullum apparet repugnantia caput in eo, quod ſubſtantia ſit activa ſubſtantia, & accidens accidentis. Si ergo nullo ex capite repugnat accidens eſſe inſtrumentaliter activum ſubſtantia, & aliunde ſemper ad præſentiam aliquorum accidentium ſubſtantia producitur, accidentia iſta de facto cenſeri debent activa ſubſtantia.

12 *Confirm. 2.* : reſuſus ad cauſas univerſales, præſertim ad primam, pro influxu pluſquam generali, vitandus eſt quoad fieri poſſit, nec arripiendus, niſi ubi & quatenus principia philoſophica convincunt improportionem cauſæ particularis, ut omnibus Philoſophis ſolemne eſt. At in generatione animalium ex putri materia, metallorum in penetralibus terræ, ignis in ſpeculo, &c., non convincitur principiis Philoſophicis improportio accidentium proximorum ad concurſum partialem, ex n. 10. : ergo quod attinet ad talem concurſum, non eſt recurrendum ad cauſas univerſales; quamvis recurratur pro concurſu cauſæ principalis, ad quem improportionata eſſe accidentia, principiis philoſophicis evincitur. *Dices*: ſi recurritur ad ſuperiores cauſas pro influxu principali, cur non, & pro totali? Sed cedo, cur ad ſuperiores cauſas pro influxu totali recurritur in productione plurium effectuum, & non omnium? Repones: quia principia philoſophica non cogunt in omnibus effectibus, cogunt autem in aliquibus ob improportionem cauſæ particularis. Eadem ergo ratione nos ducimur, ut pro influxu principali recurramus, non pro totali.

13 *Confirm. 3.* : ſi accidentia non concurrunt ad productionem ſubſtantia, ſæpe ſubſtantia, v. g. ignis A., producet effectum ſe ipſam perfectiorem: producet enim ignem B. ſibi æqualem, & inſuper in ſemetipſo proprietates ſuas ( ut ſuppono

zum Adverſarij), quæ ſimul cum igne B. conſtituunt quid perfectius, quam ſola ſubſtantia ignis A. *Reſpondet 1. P. Peynado*, cauſam æquivocam producere poſſe effectum ſe perfectiorem extenſive, licet non intenſive: ſic enim lux ut quatuor producit lucem ut tria, & calorem ut quatuor. Quare, cum ignis proprietates ſuas producat ut cauſa æquivoca, nihil refert, quod illæ ſimul cum igne B. conſtituant conjunctum extenſive perfectius.

14 Hæc tamen ſolutio rejicienda omnino videtur. Tum quia nulla erit ratio, cur ignis ſemipalmaris non producat ſe ſolo ignem bipalmarem, aut etiam quantumvis extenſum, qui ſolum extenſive perfectior erit ſua cauſa. Nec refert quod non ſit cauſa æquivoca: nam æquæ generale eſt cuiusque efficienſi cauſæ, non poſſe quidquam producere ſe ipſam perfectius: unde, ſi hoc in cauſa æquivocâ limitatur ad perſectionem intenſivam, cur non & in univocâ? Tum quia ignis B. eſt æqualis igni A., tam extenſive, quam intenſive, cum ſit ejuſdem ſpeciei, & quantitatis: ergo adæquat, & exhaurit totam virtutem ignis A., tam extenſive, quam intenſive: ergo nequit in igne A. ſuperſeſſe virtus ad producendum in ſenſu composito quidquam aliud. Tum denique, quia in rebus finitis quæcumque perfectio addatur alteri ex æqualibus, facit abſolute quid majus, & æſtimabilius: producet ergo ignis A., ut cauſa totalis, quid ſimpliciter melius entitate ſua. Quod attinet exemplum lucis, in-

primis non conſtat quantum caloris producat lux ut quatuor. Deinde calor ut quatuor forte non compenſat quartum lucis gradum, qui deficit luci ut tria. In ſummâ negandum, poſſe ab eâ luce produci tantum caloris, ut ſimul cum luce producta ſuperet abſolute perfectionem lucis agentis.

15 *Reſpondet 2. idem Peynado*, & ante ipſum Lynce, ignem A. nunquam producere ignem tot partibus extenſum, quot ipſe habet; ſicut qualitas, ut communiter dicitur, nunquam producit aliam ſibi æqualem in gradibus, ſed tres gradus caloris v. g. producant duos, duo non niſi unum, unicus autem ſe ſolo nullum. Semper ergo ignis A. per exceſſum partium ſuperat, vel adæquat conjunctum ex ſuis proprietatibus, & igne B. Sed nec melior eſt iſta ſolutio. Nam 1., ſi divinitus penetretur ignis palmaris cum ligno item palmari ad combustionem parato; ignis ex ſuppoſitione huius miraculi naturaliter comburet, cum ſit cauſa neceſſaria, & intime applicata paſſo diſpoſito: producet ergo ignem palmarem, omnino æqualem agenti; neque enim eſt ratio, cur una pars ligni præ alia maneat incombuſta, cum ſingula in loco respondeat totidem partibus ignis agentis, & ſupponatur æquæ diſpoſita.

16 2. ſequitur ex eâ doctrinâ, quod, ſi per ſpatiū unius ulnæ continetur materia facile combuſtibilis (v. g. pulvis tormentarius), non poterit tota comburi, ſi ſupponatur combuſtio incipere ab igne quatuor



digitos extensionis habente: nam primus ignis tres digitos materiae comburet, secundus duos, tertius unum, quartus nullum: unde in sexto materiae digito sicut combassio. At sequela manifeste repugnat experientiae. Si enim tormentarium pulverem continenter spargas, etiam per unius leucae spatium, applicata scintilla ignis, illico totus coflagrabit. Hinc paritas qualitatum nulla est. Constat enim experientia, qualitates activas, quod longius propagantur, eò magis decrefcere in intensioe, & extensione. At substantia nec intensioem, aut remissionem admittit; nec in extensione limitatur, si materiam dispositam inveniat, ut experientia ipsa manifestat.

## S. III.

EXPLICATUR MENS  
D. Thomae.

7 **D**enique Assertio nostra roboratur autoritate D. Thomae. Nam S. Doctor, ut notum est omnibus, sapissime asserit, accidentia immediate producere substantiales effectus: sed non intendit denegare substantijs immediatum influxum in eisdem effectus: ergo solum concedit accidentibus partialem, & instrumentarium influxum in substantiam, qualem modo defendimus. Minor probatur contra Thomistas, qui D. Thomam allegant ut patrum indubitatum sententiae negantis, substantiam esse immediate operativam ullius effectus. Nam 3.

cont. gent. c. 69. rat. 9. sic loquitur Angelic. Doctor: *Si agere sequitur ad esse in actu, inconveniens est, quod actus perfectior actione destituitur: perfectior autem actus est forma substantialis, quam forma accidentalis. Si igitur forma accidentales, quae sunt in rebus corporalibus, habent aliquas actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem. Non est autem ejusmodi actio disponere materiam: quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt forma accidentales. Igitur forma generantis est principium actionis, ut forma substantialis introducatur in generatum.*

18 Dices: D. Thomas vocat actionem propriam substantialis formae illam, quae oritur ab accidentibus in virtute substantiae. Ibi enim asserit quod ex actione formarum accidentalium producuntur formae substantiales, in quantum agunt instrumentaliter in virtute substantiam formarum. Sed contra 1.: D. Thomas fundat propriam actionem in ratione actus, quae ratio immediate convenit formae substantiali, & perfectius, quam accidentali: ergo, si accidenti convenit immediate agere titulo actus, inconveniens est, quod non immediate agat substantialis forma, cui magis convenit ille titulus. Contra 2.: si productio substantiae immediate oritur à solis accidentibus, non magis erit actio propria substantiae, nec magis in virtute ipsius, quam alteratio, v. g. calcfactio, à solo calore proveniens: sed hoc est

aperte contra D. Thomam in loco allegato: ergo &c. Prob. Maj.: juxta Thomistas, agere in virtute substantiae, est agere virtute accepta à substantia per emanationem: item, actionem esse propriam substantiae, est actionem oriri à virtute accidentali substantiae propria, idèdque substantiae attribui tamquam agenti ut quod. Atqui tam calcfactio, quam ignitio, oritur à virtute caloris, accepta per emanationem à substantia ignis, cujus est propria, tamque proprie dicitur ignis calcfacere ut quod, quam comburere: ergo &c.

19 Contra 3.: in phrasi D. Thomae, unum agere in virtute alterius, est agere per virtutem subordinatam alteri, à quo immediate concurrente juvetur: ergo, quod accidens agat in virtute substantiae, non destruit, sed adstruit immediatum substantiae concursum. Prob. Antec.: D. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. ait, quod, si sint multa agentia subordinata, semper secundum agens agit in virtute primi: & ideo omnia agunt in virtute ipsius Dei. Quod latius tradit 3. cont. Gent. c. 70.; ubi ex eo, quod creatura operetur in virtute Dei, colligit immediatum Dei concursum, dicens: *Sicut agens inferum invenitur immediate activum, ita virtus primi agentis invenitur immediata ad producendum effectum.* Hoc ibidem confirmat exemplo quaestionis, in qua versamur: *Sicut igitur (inquit) non est inconveniens, quod una actio producat ex aliquo agente, & ejus virtute (nempe accidentali); ita*

non est inconveniens, quod producat idem effectus ab inferiori agente, & à Deo: ab utroque immediate, licet alio, & alio modo. Ubi plane supponit dari actionem immediate immediatione virtutis ortam à substantia creatà, & ejus accidenti; sicut idem effectus immediatione simili oritur à Deo, & à creatura; alias comparatio esset inutilis, & extra rem.

20 Hinc habes, D. Thomam, quoties dicit, accidens in virtute substantiae producere instrumentaliter substantiales effectus se nobiliores, toties confirmare nostram sententiam: nam instrumenta, proprie dicta, requirunt actualem concursum principalis agentis, & eatenus agunt in virtute illius, quantum ab eo simul concurrente juvantur. Dum autem S. Doctor ait, quod in creatis omnis actio est per qualitates, vel medianibus qualitibus; quod in nulli creatura virtus, aut potentia operativa, est idem, quod substantia; quod proximum principium operationis debet esse accidens; & similia: intelligendus est de virtute, seu potentia completa, proxima, & expedita, quae in ordine ad actiones, à simplici emanatione distinctas, semper in creatis indiget aliquo accidentali comprincipio, vel complemento, sine quo non dicitur potentia, nisi mediata, vel remota. Hoc sensu materia prima non dicitur potens recipere formam, nisi medijs dispositionibus accidentalibus; & dum est sub forma ignis, non habet potentiam ad formam aquae, nisi remotam. Simi-



Iter ignis in India existens, non nisi mediate, ac remote potens est comburere lignum in Europâ. Quibus tamen loquendi modis non tollitur immediatio potentiz secundum se receptivæ, & combustivæ. Contrâ verò, quia Deus nullo adminiculo indiget à se distincto, ut sit complete, & proximè potens producere quosvis effectus, meritò præ causis secundis dicitur esse sua virtus, vel suam secum identificare virtutem.

21 Addo, rationem fundamentalem Thomistarum aperte reprobari à D. Thomâ 1. p. q. 105. a. 5. sic agente: *Sicut materia est propter formam, ita forma, quæ est actus primus, est propter suam operationem, quæ est actus secundus: & sic operatio est finis rei creatæ.* Nota, quòd materia est propter formam per se primò. Addo rursus, quòd exemplo effectus producti simul à causis principali, & instrumentali, explicat D. Thomas, qualiter idem effectus à Deo simul, & à creaturâ producatur: sic enim ait cit. 3. cont. Gent. c. 70.: *Non sic idem effectus causæ naturali, & Divina virtuti attribuitur, quasi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat; sed totus ab utroque secundum alium modum: sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus.* Ex quâ doctrinâ dicimus, substantiam, & accidens immediate influere per eandem realiter actionem in substantialem effectum, qui ab unoquoque agente producitur totus totalitate effectus, licet non totalitate causæ.

## §. IV.

SIT NE SUBSTANTIA EX SE  
Virtus adæquatè productiva  
Substantiæ?

22 **E**X dictis suboritur dubium, utrùm substantia ignis v. g. quantum est ex se, sit virtus adæquatè productiva alterius substantiæ, licet in actu secundo semper aut sæpe juvetur ab accidentibus? Pars negativa probari potest: quia nullo sufficienti fundamento adstruitur ea virtus adæquata. Non imprimis ab experientia: quia semper operatur substantia cum apparatu, & comitatu accidentiam, à quibus proinde semper adjuvari videtur. Non deinde ex eo, quòd substantia ignis v. g. sit æqualis alteri substantiæ ignis & ejus formalitates omnes contineat: nam æqualitas perfectionis, aut correspondentiæ formalitatum, se solâ non arguit virtutem activam, ne partialem quidem: unde nec Sol Solis, nec unio unionis, nec mulus nulli produxitus est. Dices: aliunde constat experientia, perfectionem ignis esse fecundam alterius ignis. Contrâ: si experientia nullam ostendat fecunditatem, nulla est admittenda, quantumque detur proportio perfectionis: ergo si experientia non ostendat fecunditatem adæquatam, ut non ostendit in igne, non est admittenda tanta fecunditas, etiam si æqualitas perfectionis adsit.

23 Pars verò affirmativa ex eo probatur, quòd causa univoca, vel

vel etiam æquivoca perfectior effectu, si supponatur verè activa, & fecunda, juxta communem Philosophorum sensum non limitatur ad activitatem tantum partialem sine fundamento admodum urgenti; quale non adest in præsentiarum: nam, quòd substantia plerumque juvetur ab accidenti, provenire potest, non ex defectu virtutis secundum se adæquatæ, sed ex eo, quòd simplenda sit virtus, quam substantia impendit in suis proprietatibus producendis, & conservandis: Imò, & si substantia nullam aliunde faceret impensam, posset temperare concursum, & admittere confortium accidentis, sicut temperat voluntas cum habitu acquisito, & unus ignis cum alio æquè applicato, & sufficiente. Accedit, quòd accidens est adæquatè activum accidentis, ut calor caloris: ergo, & substantia poterit esse adæquatè activa substantiæ, præsertim ejusdem speciei, cum utrobique sit eadem commensuratio. Hæc pars videtur probabilior.

24 Quare ad fundamentum negativæ partis dicatur, positâ æqualitate perfectionis, & experientia fecunditatis, jure colligi virtutem adæquatam, nisi quid obstat; ut in calore, & alijs accidentibus videre licet. *Objiciens*: accidens non potest adæquatè producere aliud æqualis intentionis: ergo nec substantia substantiam aliam æqualis perfectionis. *Resp.*: accidens potest adæquatè producere aliud, minus quidem intentionem, sed tamen ejusdem speciei; nam major, aut minor in-

tenio non variat speciem, maxime si gradus sint homogenei: poterit ergo substantia producere adæquate aliam ejusdem speciei; quòd nobis sufficit. Præterea, in substantiâ non militat experientia, quæ in accidenti, quantum ad decrementum intentionis:

25 *Objiciens* iterum, substantiæ virtus adæquata nunquam naturaliter reduci valet ad actum, cum semper concurrat partialiter cum accidentibus, & occupata sit partim in suis proprietatibus: non ergo est virtus naturalis. *Resp.*: 1.: *fat est*, quòd virtus naturalis reduci possit ad actum, vel formaliter, vel æquivalenter, id est, vel producendo effectum, de quo est sermo, vel saltem æquivalentem alium: id quòd præstat virtus substantiæ, quatenus adæquata: nã influxus, quem exhibet in proprietates, & simul in substantiam ut causa principalis, æquivaleret influxui totali, quem præstaret in aliam substantiam, si à nullo accidenti juvaretur. *Resp.*: 2.: substantiæ virtus, quatenus adæquata, potest utique naturaliter exerceri, seu reduci ad actum: si enim igni B. in primo suæ productionis instanti apponatur materia aliunde disposita, poterit ille adæquatè producere alium ignem solâ virtute substantiæ. Nam imprimis in eo instanti non occupatur in suis proprietatibus efficiendis, ut notavimus *disp.* 4. c. 3. n. 10.: deinde non juvatur ab accidentibus proprijs; hæc enim pro eo instanti occupantur in producendo instrumentaliter ipsum ignem B.: denique nec juvari debet



ab accidentibus passivi; quia hæc occupari tunc possunt naturaliter in alterando materiam aliam propinquam.

## §. V.

**ARGUMENTA CONTRA**  
*activitatem accidentium in*  
*substantiam diluuntur.*

26 **O**BJIC. 1.: nulla est necessitas tribuendi accidentibus influxum in substantiam, siquidem substantia habet ex se virtutem sufficientem, & totam continet perfectionem alterius. *Resp.*: ea necessitas, saltem physica, satis probata est §. 2.; quin obstat sufficientia substantiæ ex se adæquata, cum plerumque occupetur in suis proprietatibus. Adde, quod etiam sæpe occupatur aliquatenus in disponendo passum: ut enim producat ignis v. g., debet in passu existere calor ut octo, qui sæpe producitur ab igne agente: sed non producitur à solo calore ut octo ignis agentis, cum solus calor non producat alium æque intensum: ergo producitur etiam à substantiâ ignis. *Replie.*: ubi adest causa univoca, non debetur concursus causæ æquivocæ: sed substantia ignis est causa univoca alterius ignis, accidens autem est causa æquivoca: ergo &c. *Resp.*: Major utrumquam vera est de causâ univocâ non alijs productionibus occupatâ; qualis non est substantia ignis.

27 *Objic.* 2.: nulla formalitas substantiæ correspondet accidenti: ergo accidens nullatenus

continet perfectionem substantiæ, proindeq; nullatenus est substantiæ productivum. Inprimis objectio probat, repugnare profus accidens, quod in substantiam influat, contra plerosque Authores contrariæ sententiæ. Deinde *resp.* 1.: correspondentia formalitatum (idest, similitudo, vel univocatio in predicatis) non est necessaria in causis æquivocis; ut cernitur in substantiâ, quæ productiva est accidentis juxta Adversarios, & in habitu concurrente ad actum. Hoc tamen est discrimen inter causam æquivocam perfectiorem, & imperfectiorem effectum, seu principalem, & instrumentalem, quod illa ita est dissimilis, ut supereminet effectum, idèdque dicitur illum continere eminenter; hæc verò est dissimilis simul & inferior, idèdque purè virtualiter effectum continet. Cæterum in dissimilitudine prædicatorum respectu effectus pares sunt: nam certè non major est similitudo substantiæ ad accidens, quàm accidentis ad substantiam.

28 *Resp.* 2. *neg. Anteo.*: nam calor v. g. convenit cum igne in predicato, seu formalitate productivi caloris, quæ juxta Adversarios utriusque convenit. Nec refert, quod ea formalitas solum conveniat utriusque, prout abstrahit à substantiâ, & accidenti: nam etiam formalitas representationis solum convenit phantasmati, & speciei intelligibili, prout abstrahit à materiali, & spiritali; & solum est communis speciei, & cognitioni, prout præscindens à vitali, & non vitali; sicut etiam

etiam formalitas vitalis solum communis est Intellectui, & visioni beatæ, ut præscindens à substantiâ & accidentali, naturali, & supernaturali: & tamè hujusmodi correspondentia, seu convenientia, reputatur sufficiens ad rationem causæ, & effectus.

29 *Dices.*: quando duæ causæ partialiter influunt, debet unicuique respondere peculiaris formalitas effectus, quæ non reperitur in alterâ: sic enim supernaturalitas actus fidei respondet specialiter habitui, & vitalitas intellectui. At formalitas productivi caloris non correspondet magis calori, quàm substantiæ ignis agentis. *Resp.*: regula ista non tenet generatim, ut patet, quando duo ignes partialiter concurrunt ad alium tertium, vel quando Voluntas, & habitus acquisitus partialiter actum efficiunt. Quod ergo in pluribus verificetur, oritur ex particulari conditione causarum, & effectuum, præsertim ex eo, quod una causa partialis indigeat aliâ, quia perfectione caret secundum se sufficiente ad effectum; ut accidit in exemplo actus fidei. Ex dictis inferes, rationem sub qua accidens producit substantiam, esse rationem productivi accidentis. Vel, si mavis, dic, esse rationem eandem, sub qua substantia ipsa efficit; sicut dici debet in exemplo habitus acquisiti. Nam instrumenta, quæ in operando subordinantur alteri, sicut non producant effectus tantquam suos, sed tanquam proprios agentis, cui subserviunt, ita non debent sibi præfigere propriam ra-

tionem sub qua, sed sub eadem tendere possunt, sub quâ tendit causa principalis.

30 *Objic.* 3.: potentia materialis efficere nequit actus spirituales: ergo nec virtus accidentalis effectus substantiales; par enim est utrobique impropertio. *Neg. Consequ.*: quia potentia materialis, v. g. visiva, de facto nullo ex capite probatur activa actuum spiritualium, nec cum ipsis proportionem habet etiam in ratione dispositionis proximæ: at accidens, sicut proportionem habet cum substantiâ in ratione proximæ dispositionis ad illam, ita, & in ratione instrumenti activi proportionem habere poterit, nisi quid obstat. Si tamen virtus aliqua materialis idoneo argumento à ratione, vel ab experientia, probaretur instrumentaliter activa effectus spiritualis, distantia generis nihil obstarat: atq; ita de facto cæsèt plurimi de phantasmate materiali respectu speciei spiritualis.

31 *Objic.* 4.: ubicatio, & quantitas agentis non influunt in ullum effectum, præsertim substantialem: & tamen non nisi ad præsentiam eorum accidentium producitur substantia: ergo quod producitur ignis ad præsentiam caloris, nihil probat. Huc etiam facit exemplum cognitionis, quæ juxta communem sententiam non influunt efficienter in amorem. *Resp.*: in ubicatione, & quantitate positivè probatur impropertio ad effectus agentis, cui insunt: in ubicatione quidem, quia modus est ad nihil aliud institutus, nisi ut rem ultimò deter-



minet ad talem locum in quantitate verò, quia, si esset activa, foret causa universalissima, cum interveniat in omni productione corporea; qua etiam ratione negari solet activitas materię primę in operationes compositi. Similiter improportio cognitionis ad efficiendum amorem, positivè probari solet in Animasticâ ex varijs absurdis, quę inde sequerentur: v. g. quòd superfluous esset habitus charitatis ad amorem Dei super omnia, quia sufficeret influxus cognitionis pręvia supernaturalis: item, quòd individua cognitio foret quasi causa universalis variorum, imò contrariorum affectuum; quia sub eadem cognitione possunt elici amor & odium, volitio efficax & inefficax, intensa & remissa &c.. At in re nostrâ nihil asseritur, quod experientiam enervet.

32 Ad extremum quæres, an sola agentis accidentia concurrant ad substantiam? an verò accidentia passivi ultimò dispositi? an utraque simul? Hoc ultimum affirmandum videtur cum P. Compton, & alijs. Nam utraque solent esse ejusdem rationis, & sufficienter applicata sunt ad concurrendum. Nec obstat, quòd accidentia, quibus passiva ultimò disponitur, sint proprietates formę genitę. Nam, ut jam retigi n. 25., forma in primo generationis instanti non efficit eas proprietates, quę simul sunt dispositiones subjectum præparantes: quare poterit tunc ab illis effectivè pendere, licet eas conferret in sequentibus instantibus,

quando jam ipsa conservatur à solo Deo.

## CAP. IV.

## DE VIRTUTE PRODUCTIVA effectus accidentalis.

1 **A**SSERO 1.: substantia est virtus immediatè activa suarum proprietatum, sive accidentium in semetipsâ. Ita Nostri cum Scotistis contra Thomistas. Dicuntur proprietates, sive accidentia propria, quę substantiam intrinsicè perficiunt, pertinentque permanenter ad ejus connaturalem statum, v. g. calor in igne, frigus in aquâ, potentia in animâ. Hujusmodi accidentia dicuntur à propria substantiâ dimanare, fluere, ac resultare: quę dimanatio juxta Thomistas in eo consistit, quòd substantia ignis v. g. connectatur naturaliter cum calore, simulque exigat, ut eadem actio, quâ ipsa producitur, sit etiam productiva caloris, tamquam termini secundarij, & consequentis: unde volunt, proprietates immediatè produci à generante, vel creante substantiam, & quidem eadem actione. Scotistę verò, & Nostri cum P. Suar. d. 18. Met. f. 3. dicunt, dimanationem esse actionem immediatè ortam à substantiâ ipsâ, cui proprietates insunt.

2 *Probatur* Assertio 1.: substantia est productiva proprij accidentis, ut expressè docet D. Thomas 1. p. q. 77. ar. 6.: sed non est productiva medio alio accidenti, cum nullum mediet inter substantiam, & primam proprietatem,

ut

ut est certum: ergo est productiva per se ipsam ut virtus immediata. *Confirm.* præoccupando solutionem Adversariorum: licet substantia dicatur quodammodo activa proprij accidentis, ut ibi loquitur D. Thomas in respons. ad 2., quia emanatio non est per transmutationem, sed per naturalem resultationem, ut ibidem explicat S. Doctor in resp. ad 3.; tamen est principium efficiens proprij accidentis vero aliquo sensu; cum à D. Thomâ rotundè vocetur principium activum, & productivum, & ipsi Thomistę fateantur, proprietatem physicè dependere à substantiâ in genere efficientis, ut videre est apud Colleg. D. Thom. Complut. q. 11. n. 86.. At hoc stare nequit, si substantia non aliter influit, quàm exigendo, ut eadem sui productione producat accidentis: ergo &c.

3 *Prob. Min.* 1.: quia juxta Thomistas materia cęlestis exigit, ut forma producat eadem actione, quâ ipsa producitur, quòd etiam de materia elementari dicunt in prima creatione Mundi: & tamen materia nullo modo est principium efficiens formę. 2.: quia substantia nullo modo est principium efficiens actionis, quâ producitur ipsa: ergo nullo modo est principium efficiens actionis, quâ producitur accidentis, si hæc est actio realiter eadem, ac illa. Sed implicat aliquid esse principium efficiens effectus, quin sit etiam actionis, ut est manifestum: ergo &c. *Urgetur*: quòd nec per se immediatè influit, nec radicat aut sustentat virtutem effectivam, nul-

lo modo est principium efficiens. At, si vera est doctrina contraria, substantia nec immediatè efficit accidentis, nec virtutem effectivam illius radicat, aut sustentat, cum certè non radicat, nec sustentet virtutem agentis, à quo substantia ipsa producitur. Aliam impugnationem dabimus paulò inferius.

4 *Probatur* 2. Assertio vulgaris experimento aquę calidę, quę ab igne remota suam ab intrinsecò recuperat frigiditatem; cujus nullum principium idoneum assignari potest, præter aquę substantiam. Thomistę duplici solutione occurrunt. Prima est, semper in aquâ remanere aliquale frigus, quòd remoto contrario se se intendit, & ad majorem intensionem sufficit, quia ex conjunctione cum propria substantiâ, vel radice, vires accipit. Sed contra est, quòd frigus remissum, si proprię radici conjunctum potest producere frigus intensus poterit & separatim; quòd experientia repugnat. Patet Sequela: tum quia substantia, si nihil per se ipsam cooperatur, vires ejus augere nequit: tum etiam, quia juxta Thomistas, ut calor intensus producat ignem, & ut vini accidentia producant vinum, de materiali se habet, quòd sint, vel non sint conjuncta proprię radici; aquę enim agunt in virtute illius, sive conjuncta, sive sejuncta: quòd etiam in seminibus viventium patet.

5 Secunda, & communior solutio est, novum illud frigus non produci per novam actionem, sed per eandem, quâ substantia aquę



generata est; quæ actio, amoto contrario, per novam sui explicationem perficit suum terminum secundarium, qui est frigus aquæ. Sed *contra 1.*: quia sæpe causa, quæ generavit aquam, jam non est præsens, nec existit, ac proinde non perseverat ejus actio. *Contra 2.*: quia, licet actio illa perseveret, nequit esse productio frigoris, si potest sine illo existere: cum enim actio ex conceptu suo sit ultima determinatio ut producat terminus, tam secundarius, quam primarius, implicat omnino, quod existat sine aliquo sui termino; alioquin esset ultima determinatio, & simul non esset, quia indifferentiam aliquam relinqueret, & ulteriore determinatione indigeret.

6 *Contra 3.*, & generatim impugnatur emanatio Thomistica: Sæpe substantiæ productio est creatio, & productio proprietatum esteductio, ut cernitur in animâ rationali, necnon in formâ aquæ, & alijs elementaribus initio Mundi juxta Thomistas: ergo nequit esse realiter eadem actio; quia alioquin pederet simul, & non pederet à præsupposito subjecto. *Urgetur* in formis etiam eductis: nulla forma produci potest eadē actione cū subjecto, ex quo educitur: tum quia sequeretur; subjectum illud physicè præsupponi ad productionem sui ipsius: tum quia idē Thomistæ negant educationem formæ elementaris ex materiâ initio Mundi, quia tunc forma producta est eadē actione cum materiâ. Atqui frigus educitur ex formâ aquæ, & quævis alia pro-

prietas ex formâ, cujus est, siquidem juxta Thomistas accidentia recipiuntur in toto composito: nequit ergo eadē actione cum formâ produci.

7 *Objic. 1.*: proverbium illud, *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*, quod præcipue intelligi solet de proprietatibus, ac de motibus gravium, & levium in suum centrum: ergo idem agens producit formam, & proprietates ad eam consequentes. *Accedit 1.*, quod operatio incipiens cum esse rei, tribuitur generanti, vel creati rem. *Accedit 2.*, quod *Omne, quod movetur, ab alio movetur*, ideoque agens, & passum distingui debent: si autem substantia produceret in se suas proprietates, eadem foret agens, & patiens, movens, & mota. *Resp.*: qui dat formam, dat ea, quæ naturaliter consequuntur, *mediate, & imputative*, quatenus, dando formam, dat virtutem immediate activam, naturaliter connexam cum consequentibus: quo etiam sensu dicitur, *Causa causa est causa causati*, præsertim quando causa immediata naturaliter connectitur cum effectu.

8 *Audi D. Thomam 1. p. q. 105. ar. 5*, ubi de Deo loquens. *Non solum, inquit, est causa actionum, in quantum dat formam, quæ est principium actionis, sicut generans dicitur esse causa motus gravium, & levium; sed etiam &c.* En planè supponit, quod generans non aliter est causa motus gravium, nisi quatenus dat formam, quæ est principium illius motus. *Ad primum*

*nam*, quod additur, eadem responsio est; nisi quod illud intelligi debet de operatione, quæ sit necessaria, vel saltem quæ non sit præter intentionem generantis; nam alioquin non ipsi tribuitur. *Ad secundum*: omne, quod movetur, ab alio movetur mediate saltem, vel etiam immediate partialiter, quatenus ad omnem motum concurrat causa prima. De cætero, quod possit eadem potentia pati ac recipere motum, quem agit, Adversarij fateri debent in potentijs intellectivâ, & volitivâ.

9 *Objic. 2.*: proprietates non producuntur à substantia per actionem propriè talem, sed per emanationem, aut resultantiam: non ergo datur actio substantiæ ad illas terminata. *Resp.*: emanatio physicè loquendo est vera actio, ut efficaciter ostendit P. Suar. *loc. cit.*: moraliter tamen, aut usualiter, non tam dicitur actio, quam additamentum, vel appendix actionis terminatæ ad substantiam, ex quâ naturali necessitate resultat, ut illam quasi consummet constituendo substantiam in suo statu connaturali: & hoc sensu proprietates non tam produci dicuntur, quam ex productione substantiæ resultare. Diferimen ergo emanationis ab actione sumitur ex indole terminis: quia emanatio est productio termini pertinentis ad intrinsecum, & connaturalem rei statum; actio verò est productio aliorum effectuum quoruncumque.

10 *Affero 2.*: Substantia est etiam immediate productiva plu-

rium accidentium in passo extraneo. Ita passim iidem Authores pro præcedenti allegati. *Prob.*: quia calor v. g., in passo extraneo productus, ejusdem speciei est cum calore proprio ignis: aliunde calor est producibilis actione transeunte, ut constat: si ergo substantia ignis productiva est caloris proprii, cur non & caloris in extraneo subjecto? *Confirm.*: cum ignis disponit lignum ad combustionem, producit in eo calorem ut octo, qui est ultima dispositio ad ignem: sed non illud producit virtute solius caloris proprii: ergo adhibet etiam virtutem substantialem. *Prob. Min.*: quia, juxta communem Philosophiam, una qualitas non producit univocè aliam æqualis intensiōis: calor autem ut octo, quo ultimo disponitur passum, æqualis intensiōis est cum calore ignis agentis. Id ipsam experientia docet in alijs accidentibus, quæ plerumque intensius operantur in passum extraneum, dum propria substantiæ conjunguntur, quam dum ab eâ separantur; quod satis indicat immediatam cooperationem substantiæ.

11 *Dices 1.*: accidentia Eucharistica eadē vi, & intensiōe operantur, ac si essent cum propriâ substantiâ. *Resp.*: in Eucharistiâ suppletur à Deo cooperatio substantiæ ad occultandum sensibus mysterium; sicuti suppletur, quando ibi convertitur aqua in vinum. *Dices 2.*: si aquæ substantia est productiva frigoris ad extrâ, cur non illud producit etiam dum est intense calida? *Resp.*: quia impe-



ditur per calorem intensum sibi inhærentem, qui subjectum proximum actione suâ præoccupat: vel etiam, quia frigus proprium est conlucio prærequisita, ut aqua producat æstivum, eo quod ordine naturæ prius exigit perficere se, quam ad extrâ operari.

12 *Dices 3.*: calor ignis est causa univoca sufficiens productioni caloris in subjecto extraneo: sed in præsentia causæ univocæ non debetur cõcurfus causæ æquivocæ, qualis est substantia ignis respectu caloris; ideòque Sol, quamvis ex se productivus ignis, non concurrat ad illam, alio igne præsentate: ergo &c. *Resp.*: in primis calor ignis se solo non sufficit productioni caloris in eâ intensione, quâ sæpe producit in passo extraneo, ut vidimus n. 10.: unde non mirum, si opus sit cooperatione substantiæ. Deinde doctrina *Minoris* non est universim vera, ut patet in luce, quæ producit calorem, alio etiam calore præsentate. In causis universalibus, qualis est Sol, diversa ratio est: quia virtus earum videtur à naturâ insinrata in supplementum causarum sublunarium; unde non nisi in istarum defectu concurrat.

13 Observa tamen, non omnia accidentia, quæ substantia in se producit, posse produci ab eadem in passo extraneo: quædam enim suapte naturâ producibilia non sunt actione transeunte, v. g. gravitas, & levitas. Observa rursus, quod aliqui volunt, substantiam non immediatè influere in ea accidentia, quæ à proprijs ipsius acci-

dentibus æquivocè producuntur in extraneo subjecto, verum quidem esse in quibusdam, v. g. in speciebus, quas ad sensus mittunt accidentia substantiæ: non tamen esse verum in omnibus; nam substantia Solis concurrat ad calorem, quem lux ejus æquivocè producit in aère. Hoc ergo pendet ex indole specificâ variorum effectuum: neque aliud intendimus, quam quod substantia sit immediatè activa plurium accidentium in passo extraneo, eorum præsertim, quæ à proprijs ipsius qualitatibus univocè producuntur, & eorum maximè, quæ sunt dispositiones ad aliquam formam substantialem.

14 *Affero 3.*: accidentia immediatè producere possunt alia accidentia, non solum cooperante substantiâ, sed etiam interdum se solis, tum ut causæ univocæ, ut cum calor aquæ producit calorem in manu, tum ut causæ æquivocæ, ut cum color producit species visuales. Assertio est omnibus certa, & experientiâ teste comprobata. Nec dubium, quin accidens possit esse vera causa principalis alius accidentis ignobilioris, vel etiam ejusdem speciei, saltem remissioris, juxta proprium conceptum causæ principalis traditum *cap. præc. §. 1.*; non tamen juxta minus propriam causæ principalis acceptionem pro agente *ut quod*, per modum suppositi habentis, aut sustentantis virtutem activam. Porro, dum accidentibus concedimus activitatem, non loquimur de omnibus: non enim omnia novem Præ-

dicamentorum accidentia sunt activa, nisi fortè per naturalem resultantiam quorundam effectuum purè modalium; quo sensu quantitas v. g. propriam ubicationem producit. Loquimur ergo de qualitatibus, iisque non omnibus; nam figura, inter qualitates numerari solita, non est activa. Ex qualitatibus autem aliæ sunt activæ similia, aliæ dissimilia, aliæ similia pariter, & dissimilia. Qui de his plura velit, consulat *Exim. Doctorem cit. d. 18. §. 4.*

## CAP. V.

## DE POTENTIA OBEDIENTIALI.

**E**Gimus hætenus de virtute naturali productivâ substantiæ, & accidentis. Nunc de virtute, seu potentiâ obedienciali breviter agendum.

## §. I.

## QUID SIT POTENTIA OBEDIENTIALIS?

**Q**Uæcûque potentia non operatur, nisi ex imperio rationalis agentis, vocari potest potentia obediencialis, maximè si ex se non exigit agere, vel pati. Unde lignum, aut lapis, dicitur esse in potentiâ passivâ obedienciali ad formam artis, & instrumenta mechanica dicuntur agere per potentiam obediencialem. Nunc verò pressius accipitur obediencialis potentia pro aptitudine rerum, ut Deo supernaturaliter decernenti subsistant, & obediant in recipien-

do, vel agendo: ideòque definiri potest, *Aptitudo rerum, ut pro arbitrio Dei, ejusque auxilio rebus ipsis indebito, munus impleant, quod naturaliter implere non valent.* Quæ definitio consonat doctrinæ D. Thomæ *q. 6. de pot. ar. 1. ad 18.*

2 Hæc ergo potentia dicitur *obediencialis*; quia nequit reduci ad actum ex propria exigentiâ, nec alterius rei ordinis naturæ, sed ex imperio Dei ut Authoris supernaturalis; unde contraponitur potentiæ naturali, idest, reducibili naturaliter ad actum. Dicitur *ele-vabilis*; quia per auxilium Dei constituitur in statu proximè potentis assurgere ad munus superioris ordinis, vel extra naturalem ejus spheram collocatum. Dicitur etiam *inchoata, & remota*; quia nunquam potest naturaliter fieri proxima, seu expedita; & quia potentia obediencialis activa, si strictè sumatur, nunquam est adæquata, & sufficiens effectui, etiam in genere causæ secundæ, nisi ei addatur præcipua virtus ordinis supernaturalis. Dico, *si strictè sumatur*: quia vocatur etiam obediencialis minus propriè potentia illa, quæ supernaturaliter agit solum quoad modum: & talis potentia potest ex se habere naturalem virtutem, effectum, & actioni adæquatam, licet ob circumstantias sit ipsi indebitus generalis concursus primæ causæ; ut si Deus paret aquæ concursum ad frigefaciendum in conspectu validioris ignis. Nunc loquimur de potentiâ obedienciali activâ per actionem supernaturalem quoad substantiam. Per actionem,



inquam; supernaturalem: quia, licet effectus in se naturalis sit, si tamen sit extra sphaeram naturalem agentis, ab eo producetur obedientialiter actione intrinsecè supernaturali; ut si ignis elevetur ad producendam aquam.

3 Hinc potentia obedientialis potest etiam competere rei supernaturali relatè ad effectum entitativè naturalem, ut si Gratia elevetur à Deo ad producendam calorem, qui est extra illius connaturalem sphaeram: potest item rei entitativè naturali convenire, ut convenit Intellectui respectu visionis beatæ, quæ supra illius sphaeram naturalem est. Consistit autem hæc potentia in ipsâ Intellectus entitate naturali (idem intellige de rebus alijs entitativè naturalibus), & cum ipsâ realiter identificatur: quia Intellectus in entitate suâ naturali habet posse obedire Deo in cooperando lumen gloriæ ad producendum visionem beatam. Unde talis potentia est naturalis *entitativè*, & *subjectivè*: non tamen dicitur *potentia naturalis* absolute; quia solum ita vocatur potentia ut respiciens effectus naturali actione à se producibiles, seu ad quos per se non indiget consortio supernaturalis comprincipij. Potentia ergo naturalis, & obedientialis Intellectus, *subjectivè* identificantur: *completivè* autem, & *terminativè* distinguuntur: *completivè*; quia altera in ratione potentia proxima, & adæquata, solum completur per comprincipia supernaturalia, & indebita; altera verò per naturalia,

& debita: *terminativè*; quia altera respicit terminos, seu cognitiones supernaturales, altera naturales. Quo genere *terminativè* distinctionis solent quoque distinguipotentia ordinaria, & extraordinaria Dei, seu potentia Dei ut Authoris naturæ, & ut Authoris supernaturalis, quæ subjectivè sunt unum, & idem. Sic etiam solum *terminativè* distinguuntur à parte rei Intellectus, & voluntas in sententiâ identificante potentias cum animâ.

4 Dividi solet potentia obedientialis in *passivam*, seu receptivam formæ supernaturalis, vel naturaliter irreceptibilis in tali subjecto; & in *activam*, seu productivam termini supernaturalis, vel naturaliter improducibilis à tali potentia. Utraque certò datur in animâ nostrâ: passiva respectu gratiæ, & aliorum donorum supernaturalium: activa respectu actuum fidei, charitatis, visionis &c. Sed discrimen est inter utramque potentiam: quòd activa, ut notavimus n. 2., inadæquata est, & partialis in suo genere, scilicet in genere causæ efficientis, etiam secundæ; idè què non agit nisi adjuncta comprincipio activo supernaturali: passiva verò est, vel esse potest adæquata in ratione subjecti receptivi, nec in hoc genere requirit comprincipium supernaturale. Si enim anima ad recipiendam gratiam indigeret potentia supernaturali superadditâ, potentia hæc vel reciperetur immediate, & adæquatè in animâ, vel mediante aliâ potentia supernaturali? Si hoc secundum optes; de illâ

aliâ potentia idem quaram, & ibimus in infinitum. Si verò primum dicas: jam ergo anima ad recipiendam formam aliquam supernaturalem, non eget potentia passivâ supernaturali: quo dato, non est cur illâ indigeat ad recipiendam gratiâ.

5 Hinc elevatio potentia obedientialis passivæ consistit in decreto Dei supernaturali producendi in ipsâ, vel dependenter ab ipsâ ut à subjecto, formam aliquam ipsi naturaliter inassequibilem ratione sui. Elevatio verò potentia obedientialis activæ consistit in conjunctione illius cum auxilio, seu comprincipio activo supernaturali, vel etiam in decreto Dei applicante Omnipotentiam ad specialiter concurrentium cum re aliquâ ad effectum, aut actionem supernaturalem, & indebitam. Et ratione istiusmodi elevationis utraque potentia, licet entitativè naturalis, dicitur implere munus suum ut *supernaturalizata*. Notandum hinc, quòd ad potentiam obedientialem passivam reduci potest potentia obedientialis *informantiva*, quæ formæ convenit ad plures materias simul informandas, vel magis propriè ad informandam aliam materiam possibilem, specie diversam, cui non coaptetur naturaliter: item potentia obedientialis *terminabilis*, quam habet natura creata; ut terminetur per subsistentiam verbi.

6 Duplex hinc quæstio excitari solet. *Prima*: utrum potentia obedientialis activa sit virtus immediate influens simul cum super-

naturali comprincipio in effectum supernaturalem? an verò comprincipium illud sit tota virtus, seu tota ratio agendi per modum virtutis, v. g. lumen gloriæ respectu visionis beatæ, & habitus fidei, vel charitatis respectu suorum actuum? *Secunda*: utrum in quâlibet re creatâ detur potentia obedientialis, elevabilis ad producendum quodlibet? Utraque, præsertim prima, propriè pertinet ad Theologos, à quibus fusissimè tractari solet, & plenissimè tractatur à P. Ripalda tom. 1. de Ente superr. disp. 30. Quia tamen sæpe ad has controversias alludunt Philosophi, non eas omninò pretermitemus, sed tractabimus parè, vel delibabimus.

### §. II.

*Lumen, seu habitus, non est tota ratio agendi; seu tota virtus ad actus supernaturales.*

7 TA universa Societatis Scholasticæ cum totâ pariter Scholâ Scotistarum contra Thomistas; qui, licet catholicè agnoscant veram activitatem animæ, intellectus, & voluntatis, in actus supernaturales; totum tamen influxum per modum virtutis tribuunt principio supernaturali, cujusmodi est lumen, aut habitus per se infusus: & generatim negant, inveniiri posse in rebus entitativè naturalibus potentiam obedientialem, quæ sit virtus ne partialiter quidem activa supernaturalis effectus. Itaque juxta Thomistas anima visionem Dei verè agit ut quod, & illam etiam



etiam intellectus verè agit ut quo per modum potentia: at nec anima, nec intellectus visionem agit per modum virtutis; nam hoc pacto solum lumen agit. Nostra verò sententia est, virtutem adæquatam ad visionem consistere in complexo ex lumine & intellectu, ita ut non solum lumen, sed etiam intellectus verè influat tamquam virtus partialis.

8 *Prob. 1. ex Concil. Trident. sess. 6. can. 4. sic definiente: Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo metum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, & merè passivè se habere, anathema sit.* Ex quo fidei oraculo habemus 1., liberum arbitrium verè cooperari Divinae gratia: cooperari autem ex terminis est operari simul cum alio. Habemus 2., liberum arbitrium non merè passivè se habere, sed verè aliquid agere: ergo plus confert ad actum supernaturalem, quam recipere gratiam, & actum ab eà solà productum; nam hoc totum est merè passivè se habere. Dicunt, animam, & liberum arbitrium verè agere, & cooperari, ut quod per modum substantia, & ut quo per modum potentia.

9 Sed impugnantur 1.: quia, si nec anima, nec voluntas, est immediata virtus, esse principium quod, aut quo, nihil aliud in re significat, quam esse quid recipiens ba extrinseco agente totam virtutem activam, & ab hac actum su-

pernaturalem: hoc autem non egreditur terminos merè passivitatis. Sic materia prima merè passivè se habet ad formam, & ad operationes formæ. Dicitur: lumen gloriae est virtus appropriata, & coaptata animæ, & eo sine data, ut anima reddatur potens ad visionem. Contra: etiam forma est appropriata materiae, & eo sine datur, ut totum compositum, in quo materia includitur, reddatur potens operari ut quod. Et urgetur paritas: virtus gratia adjuvantis non subordinatur voluntati, sed eam sibi subordinat, juxta Thomistas: nam, licet oppositum asserat Palancus hic q. 22. n. 19.; id tamen absurdum esse docet M. Bolivar Dominicanus tract. de Vision. dub. 4. n. 33.: ergo virtus illa non aliter appropriatur animæ, aut voluntati, nisi quatenus illi utiliter unitur ut forma excellentior, quæ suam sibi subiectum subordinat. At hoc sensu citra dubium appropriatur materiae forma substantialis.

10 Impugnatur 2.: quia res non influens immediate per se ipsam, nec per aliud, quod ejus nomine, vel in ejus virtute influat, non verè agit: sed voluntas, aut anima, non influat immediate per se ipsam in visionem, nec aliunde lumen influat nomine animæ, vel in virtute animæ: ergo &c. Major constat; quia non alium agendi modum assignant ipsi Thomistæ; qui, ut vidimus supra cap. 1., non aliter salvant veram activitatem substantia ut principij quod, & quo radicalis, nisi quatenus accidens

in-

influit nomine, & virtute substantia. Minor autem probatur quoad secundam partem: tum quia agere in virtute alterius, est agere virtute ab altero accepta, vel radicata, saltem per emanationem, ut ipsi explicant Thomistæ, ubi de activitate accidentis; virtus autem luminis certè non est radicata, nec accepta ab animâ: tum etiam, quia quod agit nomine alterius, & in virtute alterius, agit ut alteri subordinatum, ut docet D. Thomas citatus supra cap. 3. §. 3., & patet inductione per instrumenta politica, mechanica, & naturalia: lumen autem non agit ut subordinatum animæ, juxta Thomistas. Urgetur anima non agit visionem ut causa instrumentalis, ut omnes Thomistæ docent teste Palanco hic q. 21. n. 41.: aliunde nec ut causa principalis: ergo nullo modo. Patet Minor: tum quia lumen non est instrumentaria virtus animæ, alioquin foret virtus illi subordinata: tum quia nec anima continet totam perfectionem visionis, nec ipsi principaliter attribuitur visionis productio.

11 Impugnantur 3.: quia, si voluntas agit per gratiam ut per totam virtutem, non nisi impropijsime dicitur cooperari gratia; quod repugnat cit. Concilio, Scripturæ, & Patribus. *Prob. Sequel.*: quia nemo dicitur cooperari suæ virtuti adæquatæ, sed operari per illam. Sic homo non coamat propriae voluntati, nec cointellegit intellectui, nec coambulat potentia ambulatoria, nec cooperatur pro-

curatori, cui totum negotium commisit; sed amat per voluntatem, intelligit per intellectum, &c. Hinc non nisi impropijsimè verificabitur illud Sap. 9., *Mitte illam de cælis sanctis tuis, ut mecum laboret.* Quod respexit Apostolus 1. Cor. 15. dicens: *Abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum:* id est, (ut explicat S. Augustinus de Grat. & liber arbitr. cap. 5.) *non solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc non gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Impropijsimè, inquam; non secus, ac si diceretur: mea potentia visiva mecum videt; meus intellectus mecum intelligit; meus operarius, cujus tantum manibus vineam colo, mecum laborat. Certè, qui socium rogat, ut secum laboret, censetur irrisor, si totum laborem socio committat, nihil ipse immediate laborans.

12 Urgetur hoc ipsum: gratia Dei verè nos adjuvat ad operandum, ut ex Scripturâ, Concilijs, & Patribus notum est: sed *Qui adjuvatur, aliquid etiam per se ipsum agit*, ut ait S. Augustinus ad illud Psalm. 78., *Adjuva nos Deus:* ergo anima nostra aliquid etiam per se ipsam agit: ego non agit solum per gratiam: qui enim sic adjuvatur à socio, ut nihil agat nisi per socium, ridiculè diceretur *aliquid etiam per se ipsum agere*, quamvis dici posset agens ut quod, quia ipsius nomine socius ageret. *Confirmatur* ex D. Thomâ 1. p. q. 12. ar. 5. dicente: *Cum virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad*



Dei essentiam videntiam, oportet quod ex Divina gratia superascendat ei virtus intelligendi: & hoc augmentum virtutis intellectiva, illuminationem intellectus vocamus... Et istud est lumen, de quo dicitur Apoc. 21. &c. Ubi perspicis, lumen esse incrementum, & augmentum virtutis, ac proinde non esse totam virtutem, sed aliquid virtutis in intellectu presupponere: alioquin verè dici posset, primam gratiam esse augmentum gratia; vel lucem, aëri tenebroso datam, esse augmentum virtutis illuminativa; vel pecuniam, collatam pauperi nullam præhabenti, esse augmentum pecuniarum. Nota, loqui D. Thomam de virtute, non de principio quod, aut quo per modum potentia.

13 Impugnantur denique: viâ Tridentinâ cit. can. eam definit activitatem liberi arbitrij, quam Calvinistæ, contra quos agit, non agnoscebant, sed negabant. At activitatem per modum principij quod, & per modum potentia volitiva, agnoscebant utique Calvinistæ. Nam vel impius ipse hæresarcha Calvinus apud Camerarium lib. 10. de liber. arbit. cap. 5. sic loquitur: Non hæc queritur, agat ne voluntas, quod extra dubium est; sed agat ne à se ipsa, ac pro modo Divina actionis: quis enim negat, per voluntatem fieri, ut velit homo? Tum cap. 9. sententiam suam sic proponit: Hominem sic docemus agi Dei gratia, ut tamen simul agat; si tamen simul agere, ut penes Dei spiritum tota sit, ac maneat actionis

efficacia. Vide alia Calvini verba apud Ripald. l. c., & Maldonatum in cap. 15. Joan. v. 5.

14 Prob. 2. : anima verè vivit physicè per visionem Dei, ipsa que visio, vel ejus productio est motus animæ physicus, & vitalis, ut nemo dubitat: motus autem vitalis, est motus ab intrinseco juxta omnes: anima ergo verè ab intrinseco producit visionem. Sed hoc stare nequit, si lumen est tota virtus: ergo &c. Prob. Mir. v. ex dictis n. 10. : quia, si anima nec immediate influat, nec efficit, aut radicat virtutem influentem, non verè agit. 2. : quia, ut productio sit ab intrinseco subjecti, prout actum requiritur, non sufficit quod sit à virtute intrinsece inherente subjecto, si hæc est ab extrinseco impressa, neque assatens à subjecto radicata. Sic sensationes animæ bruti non sunt ab intrinseco materia, nec materia est earum principium vitale. Sic etiam nec vitalis est aëri productio caloris à luce, quæ ipsi inhaeret. Sic item nec est vitaliter ab intrinseco lapidis motus sursum, proveniens ab impetu, quem ab extrinseco impressum, intrinsece recipit lapis.

15 Nec prodest, quod Thomistæ dicunt, virtutem luminis esse consonam, coaptatam, & appropriatam animæ. Tum quia hoc etiam verificatur de forma respectu materia, ex n. 9. Tum quia lux quoque satis consona, & coaptata est aëri: nam Aer secundum naturam suam speciat est in ultima dispositione ad lumen suscipiendum n.

visione diaphanitatis, ut ait D. Thomas q. 28. de verit. ar. 3. ad 9. Tam quia impetus ad motum sursum potest esse non violentus, sed valde consonus naturæ lapidis, si nimirum imprimatur à solo Deo: nam juxta doctrinam Thomistarum supra disp: 1. c. 2., quidquid à Deo fit, nequit esse violentum, sed potius est conforme præcipua ac prævalenti inclinationi rerum. Nec item prodest, quod virtus luminis dicatur dari ad effectum intra spheram potentia intellectiva contentum. Nam si sermo sit de spherâ naturali, certè non intra illam continetur visio: si autem de spherâ supernaturali, hoc nihil est aliud, quàm visionem contineri intra spheram intellectus ut habentis lumen gloria, At etiam illuminatio, vel calefactio, continetur intra spheram aëris ut lucem habentis; & motus sursum intra spheram lapidis ut habentis impetum. Adde, quod non magis inter se conveniunt intellectio naturalis, & visio beata, quàm motus lapidis sursum, & motus deorsum, saltem si à solo Deo imprimatur impetus.

16 Prob. 3. ex capite libertatis: amor supernaturalis est liber: ergo provenire debet à virtute liberâ in actu primo. Sed habitus charitatis non est liber in actu primo: ergo non est tota, & unica virtus. Patet subsumpta Minor: quia habitus charitatis nequit se ipsum determinare ad actum, vel ad omissionem actus; alioquin omisio actus, etiam peccaminosa, imputaretur habitui, eidemque proprie

competeret meritum; ac demeritum; quod est absurdum. Dicunt, habitum esse liberum ut quo, & permissivè, quatenus permittit voluntati, ut propria virtute omittat, vel impediat actum supernaturalem. Sed contra probatio instauratur 1. : actus supernaturalis est immediate liber voluntati, ut constat: ergo immediate provenit à voluntate immediate virtutis. Prob. Conseq. : tum quia, si non ita provenit, solum erit voluntati liber, quatenus voluntas potest propria virtute ponere actum naturalem impeditivum supernaturalis, vel illum omittere, ex quâ omissione sequitur actus supernaturalis à sola virtute habitus: sic autem actus supernaturalis solum est liber media omissione naturalis, ac proinde solum mediate liber. Tum etiam, quia de ratione actus immediate liberi est, quod possit voluntas illum immediate cohibere, & ab eo cessare: hoc autem imperceptibile est, nisi actus immediate pendeat à virtute propria voluntatis; ideòque, ut salvetur immediata potestas Dei ad impediendum, vel destruendum quemlibet effectum, omnis effectus debet à Deo immediate pendere immediate virtutis, ut Thomistæ non dubitant.

17 Instauratur 2. : actus liber in communi sententiâ Thomistarum est intrinsece & essentialiter liber: ergo ex suis intrinsecis est positiva determinatio, & electio unius objecti vel motivi præ alijs, quæ hîc & nunc attrahere possunt voluntatem: ergo formalitas posi-



rive determinationis, & electionis, præcontineri debet in ejus adæquata virtute activâ, quæ proinde positivè determinativa, & electiva esse debet. Atqui habitus non est positivè determinativus, & electivus: tum quia alioquin jam non permisivè tantum, ut Thomistæ dicunt, sed positivè liber esset: tum quia inde contra sensum omnium sequeretur, habitum esse liberum arbitrium; nam, ut ait D. Thomas 1. p. q. 83. ar. 3., *Proprium liberi arbitrij est electio: ex hoc enim liberi arbitrij esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere: & ideo naturam liberi arbitrij ex electione considerare oportet.* Debet ergo simul cum habitu concurrere virtus voluntatis. Accedit, quod juxta datam solutionem libertas, & vis determinativa voluntatis ad actum supernaturalem, constituitur ex ejus virtute naturali: eatenus enim voluntas liberè elicit talem actum, quatenus propria virtute potest elicere omnifisionem illius, vel actum naturalem, quo supernaturalis impediatur. Cum ergo libertas essentialiter constituitur ex potestate omittendi, nequit ex virtute solius habitus constitui, sed insuper importare debet virtutem naturalem. Non ergo habitus est tota virtus liberè determinandi ad actum salutarem: quo dato, ruunt argumenta contraria. Mitto alia plurima, quæ nostri Theologi nervosè proponunt, ac promovent.



## §. III.

RESPONSIO AD OBJECTIO-  
NES.

18 **O**bjic. 1.: intellectus non agit visionem, nisi ut elevatus: sed lumen est tota ratio elevandi: ergo & est tota ratio agendi. *Confirm.*: operari sequitur ad esse: sed habitus est tota ratio essendi supernaturaliter: ergo & est tota ratio agendi supernaturaliter. *Resp.*: eadem arguendi formâ probari potest, quod applicatio ignis est tota ratio comburendi, & cognitio tota ratio amandi, quia ignis non comburit, nisi ut applicatus, nec voluntas amat, nisi ut illustrata per cognitionem. Præterea retorquetur: voluntas non elicit actum meritorium, nisi ut libera: sed habitus non est tota libertas, vel tota ratio libertatis, ex n. 17.: ergo habitus non est tota ratio eliciendi. Itaque *dist. Maj.*: elevatione se habente ut totam virtutem, *neg.*; se habente ut complementum virtutis, *conc. Maj.*, & *Min.*, & *neg. conf. qu.* Ad *Confirm.*: operari non necessariò sequitur ad esse, tamquam ad totam virtutem agendi, sed sæpè tamquam ad prærequisitum, vel virtutem partialem. Quod Thomistæ fateri debent in hac retorsione: Operari sequitur ad esse: sed substantia est tota ratio essendi: ergo & est tota ratio agendi. Vel in hac: operari liberè, sequitur ad esse liberum: sed habitus non est tota ratio, cur voluntas sit libera ad actum salutarem: ergo nec

nec est tota ratio, cur illum liberè operetur. Adde instantiam in applicatione ignis, quæ erit tota ratio comburendi, quia comburere sequitur ad applicari.

19 **O**bjic. 2.: intellectus ante elevationem est essentialiter improporcionatus ad producendam visionem Dei: sed essentialis improporcionatio non auferatur per elevationem: ergo etiam positâ elevatione nequit intellectus visionem producere. Sed rogo te, num ante elevationem detur in animâ & intellectu improporcionatio essentialis ad visionem producendam *ut quod*, & *ut quo* per modum potentia? Et, si detur, an per elevationem auferatur? Intellectus igitur ante elevationem est improporcionatus essentialiter ad producendam visionem tamquam tota virtus; & hæc improporcionatio non tollitur per elevationem: non tamen est essentialiter improporcionatus, ut visionem producat tamquam virtus partialis; ad hoc enim solum naturaliter improporcionatus est, improporcionatione, non quidem auferibili, sed tamen vincibili supernaturaliter per comprincipiam elevans, quod, eâ non obstante, adjuvat intellectum ad influendum.

20 **O**bjic. 3.: ex nostrâ sententiâ sequitur, visionem esse partim naturalem, & partim supernaturalem, siquidem à virtute partim naturali, & partim supernaturali procedit. Imò visio erit absolute naturalis; quia denominatio sequitur debiliorem partem. *Neg. sequel.*: quia, sicut visio non derivat natu-

ralitatem ab animâ, & intellectu, licet naturalibus, & juxta Thomistas propriè agentibus *ut quod*, & *ut quo*, per modum causæ principalis: item, sicut intrinseca libertas actus non evadit naturalis à virtute liberâ partim naturali: item, sicut species intelligibilis non est partim materialis, partim spiritualis, quamvis à phantasmate materiali, & ab intellectu spirituali producat: ita visio beata non est partim naturalis, quamvis à virtute partim entitative naturali procedat; sed est undique supernaturalis, quia est actus indivisibilis absolute superans exigentiam, & sufficientiam totius naturæ, prout fert conceptus entis supernaturalis: natura quippe nec visionem unquam potest ut sibi debitam innate exigere, nec ejus productioni sufficere sine auxilio supernaturali. Quod additur de denominatione sequente debiliorem partem, in primis non est universim verum, sed mille patitur exceptiones: deinde falsum supponit in præsentî, si loquatur de partibus visionis, quæ nullæ sunt. Cur autem visio in naturalitate non sapiat debiliorem partem sui principij, ratio est, quia illius partis naturalitas non cooperatur nisi ut supernaturaliter elevata. Rogo Thomistas, cur substantia, ab accidenti producta, non sapiat debilitatem accidentis? Dicent, rationem esse, quia substantia solum debet sapere indolem causæ principalis, quæ est alia substantia. Sed iterum rogo: cur ergo visio beata non sapit naturalitatem intellectus, qui juxta



Thomistas verè illam producit ut causa principalis?

21 Ex his colliges 1., visionem non minus intrinsecè supernaturalē esse, quàm lumen; licet visio, & non lumen, oriatur à virtute inadæquatà entitativè naturali. Ratio: quia supernaturalitas consistit in indivisibili, scilicet in superando simpliciter sufficientiam, & exigentiam totius naturæ; quod æquè visioni convenit, ac lumini. Nec Thomistæ dissentire possunt; apud quos visio intrinsecè pendet ab intellectu tamquam à principio verè activo; & actus charitatis, intrinsecè liber, essentialiter supponit virtutem naturalem impeditivam sui; cum tamen lumen, aut habitus, non ita pendeat, aut supponat. Colliges 2., ineptè nobis objici, quòd homo, vel Angelus poterit naturæ viribus videre Deum. Nam hoc absolutè sonat, posse videre Deum modo naturaliter possibili, & sine gratiæ juvamine, vel posse naturæ viribus sibi relictis, & non elevatis, nec adjutis per vires supernaturales. Sic ineptè diceres, posse puerum portare mille ferri pondo proprijs viribus, eo quòd habeat vires aliquas parciales, & inchoatas. Et quare ab Adversarijs, an aptè dicatur, hominem habere potentiam naturalem, & quidem adæquatam, ad videndum Deum, eo quòd intellectus juxta ipsos sit tota potentia Deum videndi, quia lumen non additur per modum potentia?

22 Et hinc colliges 3., nullatenus favere sententiam nostram

errori Pelagij, nec Semipelagianorum, Nam Pelagius ad negotium salutis æternæ, sive ad fidem, & opera salutaria, naturam per se sufficere dicebat, nec gratiam esse necessariam, nisi fortè ad facilius operandum. Semipelagiani agnoscebant gratiæ necessitatem ad progressum, & consummationem, non tamen ad exordium salutis; naturam quippe sufficere volebant saltem ad initium fidei sine opitalante gratiâ. Lege D. Thomam *Quodlib. 1. ar. 7.*, & Magn. Augustinum *De predestin. Sanct. cap. 2.*, ubi Semipelagian. errorem distinctè proponit, sicut errorem Pelagij in *Epist. 90. ad Hilar.*, in *lib. de grat. Christ.*, & alijs sæpissimè. Hujusmodi errores nostra sententia jugulat: concedit enim naturæ virtutem aliquam ad supernaturales actus, ceterum ita insufficientem, & ineptam, ut sibi relicta, & auxilio gratiæ destituta, ne ad minimum quidem actum supernaturalem valere possit. Vide M. Augustinum *De grat. Christ. cap. 47.*, & invenies, hanc nostram sententiam expressè approbatam à Doctore gratiæ. Non ita facile se expedient Thomistæ ab errore Calvinii, ut colligi potest ex dictis §. *præced.* non censorie, sed vi consequentiæ. Nec item pari facilitate repellent errorem Pelagij, si concedant, totam potentiam ad actus salutares esse naturalem, ut videntur concedere, siquidem activitatem per modum potentia non tribuunt habitui, sed voluntati.

23 *Objic. 4.* contra probationem nostram ex vitalitate de-

sumps

sumptam: Vitalitas visionis non præcontinetur in intellectu, sed in solo lumine: non ergo indiget immediato influxu intellectus. *Prob. Antec. 1.*: quia vitalitas visionis est supernaturalis, vel est ipsa supernaturalitas, & hæc in intellectu non continetur. 2., & fore in idem recidit: quia visio est vita supernaturalis in actu secundo: ergo ipsi respondet vita supernaturalis in actu primo; qualem non habet intellectus, ut distinctus à lumine. 3.: quia lumen non agit sub ratione supernaturalitatis ut sic; aliàs posset producere quicquid est supernaturale: ergo agit sub ratione supernaturalitatis vitalis: ergo etiam vitalitas luminis correspondet. *Objic. 2.* probat 1., vitalitatem intellectus, aut liberi arbitrii, de materiali se habere ad actus supernaturales, ac proinde liberum arbitrium in ijs actibus efficiendis se habere velut *inanimè quod linc*, contra definitionem Tridentinam. Probat 2., actum charitatis, quatenus est positiva determinatio, & electio, non esse supernaturalem; quia sub eâ ratione non continetur in habitu, sed in voluntate. Probat 3., intellectum non agere ut causam principalem visionis; quia concludere perfectionem effectus propriam est causæ principalis, ut Thomistæ docent circa productionem substantiæ ab accidenti. Probat 4., lumen verè vivere, & intelligere per visionem; siquidem est principium verè, & proprie vitale, vitaliterque producens visionem verè, ac proprie, magis quàm intellectus.

24 Dicendum igitur, quòd vitalitas, & tota perfectio visionis præcontinetur virtualiter in intellectu tamquam in causâ partiali tota, inquam, non totalitate causa, sed totalitate effectus. Quando enim effectus indivisibilis oritur à pluribus causis partialibus, totus pendet à singulis; nam quod paribus caret, totum pendet à quocumque pendet: non tamen totus effectus pendet à singulis totalitate causæ, id est, à singulis et à causis totalibus, quia sic ab unâ pendet totus, ut minime penderet ab eâ, nisi simul ab alterâ penderet etiam totus. Hinc omnia prædicata visionis realiter producantur ab intellectu, sed omnia simul etiam à lumine. Id quod loquendo de actibus voluntatis pulchrè docet D. Bernardus *tract. de grat. & liber. arbitrii. prope finem*, his verbis: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum (singula opere individua) peragunt: totum quidem hoc, & totum illa.* Idem patet in actu producto ab specie, & intellectu, vel à voluntate, & habitu adquireto. Porro contentus visionis in intellectu non est *inavoca*, nec eminentialis, sed purè virtualis, & instrumentalis, quæ non requirit æqualitatem, aut excessum perfectionis, sed reperiri potest in re longè inferiore, ut in accidenti respectu substantiæ, nec non in specie, & habitu adquireto, respectu intellectus, & amoris.

25 Hinc ad *objic. neg. Antecedens*, intellectum de præcontinentiâ purè virtuali tamquam in

caus



causâ inadæquatâ. Ad 1. prob.: supernaturalitas visionis continetur etiam in intellectu virtualiter modo dicto; quia tota visio realiter producitur ab intellectu, ut à causâ partiali, & tota realiter à lumine. Dico *realiter*: nam in sensu formali sola vitalitas visionis intellectui respondere dicitur, & lumini sola supernaturalitas; quia prædicata visionis perferantibus non alio ex capite necessarius apparet concursus intellectus, nisi quia visio vitalis est, nec concursus luminis, nisi quia visio est supernaturalis. Et hinc intellectus dicitur concurrere sub ratione vitalitatis, lumen verò sub ratione supernaturalitatis, tamquam sub ratione formali *sub qua*; licet simul, & lumen, & intellectus producat quamlibet aliam formalitatem visionis, tamquam rationem formalem *quæ*. Res est clara exemplo speciei, & intellectus concurrentium ad cognitionem naturalem sub diversâ ratione formali. Nec obstat, quòd intellectus non sit entitative supernaturalis, nec lumen sit vitale: quia ad producendum totum effectum per modum causæ partialis, non requiritur convenientia in omnibus prædicatis, nec æqualitas, aut superioritas; ut patet in specie non vitali producente cognitionem vitalem, & in alijs exemplis *num. præced.*

26 Ad 2. prob. *dist. Conseq.*: respondet vita in actu primo supernaturalis per identitatem, *neg.*; supernaturalis per elevationem, idest, supernaturalizata per principium elevans, *conc. Conseq.*.

Satis enim est, quòd visioni respondeat in actu primo principium adæquatum, in quo includantur vitalitas, & supernaturalitas, licet sine identitate inter se; cuiusmodi est complexum ex intellectu, & lumine. Sic cognitioni, quæ est representatio vitalis in actu secundo, non respondet in actu primo representatio identice vitalis, sed complexum ex specie representativâ, & intellectu vitali. *Dices*: ergo datur in visione formalitas aliqua non repta in virtute totali, nempe *identitas* vitalitatis, & supernaturalitatis. *Resp.* Imprimis idem infertur de identitate representationis, & vitalitatis, in cognitione quâvis. Deinde, identitas duplicis formalitatis non est peculiaris formalitas distincta per rationem ab ijs, quas identificat. Denique, licet peculiaris formalitas sit, fat est, quòd reperiatur eminenter, aut æquivalenter in complexo ex intellectu, & lumine; hoc enim complexum perfectius est, vel saltem non imperfectius visione, quatenus illam identitatem includente. Nec illa formalitas ex numero earum est, quæ formaliter contineri debent in causâ; ut in adducto exemplo videre licet.

27 Ad 3. prob.: similiter probari posset, speciem non requiri ad cognitionem; quia intellectus agit sub ratione vitalitatis, non qualiscumque, sed representativâ, alias producere posset quidquid est vitale. Præterea *dist. 1. cõseq.*: sub ratione supernaturalitatis vitalis *realiter, conc.*; vitalis formaliter, *neg.*

*Conseq.* Similiter *dist. 2. consequ.*. Itaque in sensu reali supernaturalitas vitalis producitur à lumine, ut ostendimus: in sensu autem formali ratio *sub qua* lumen agit, non est supernaturalitas vitalis, saltem pro explicito; nec tamen est supernaturalitas indifferens ad vitalem, & non vitalem, sed determinatè vitalis, vel pro implicito, vel connexive; quo modo rugibilitas, licet non sit formaliter animalitas, est tamen connexive; non enim est indifferens ad animal, & non animal: quòd pariter exemplo representationis vitalis explicari potest.

28 Ad extremum adverte, lumen & intellectum efficere visionem actione unica, realiter indivisibili, & utrique communi: quòd per se patet, si actus vitalis sit realiter indistinctus à productione sui. Et, quidquid de hac distinctione sit, facile probatur: quia actio intellectus est intrinsecè supernaturalis, cum sit essentialiter connexa cum termino supernaturali: ergo nequit procedere à solo intellectu, sed debet etiam procedere à lumine: ergo lumen vere agit per actionem intellectus: ergo superfluit alia insuper luminis actio. *Dices* ex Palanco: nequit eadem actio procedere à virtutibus specie distinctis, & simultaneè concurrentibus sub diversâ ratione formali: tum quia actiones specificantur, ideòque diversificantur ex diversitate principiorum, & rationis formalis *sub qua*: tum etiam, quia virtutes illæ non constituunt principium per se unum de lineâ operativâ, cum non

comparentur ut actus & potentia de lineâ istâ. Sed *contra* est, quòd *una & eadem actio procedit à primo, & secundo agente*, nempe à Deo, & creaturâ, ut ait D. Thomas 1. p. q. 105. ar. 5. ad 2.: & tamen Deus & creatura sunt principia summe diversa, concurruntque simultaneè sub diversâ ratione formali, nec comparantur ut actus & potentia. Itaque actiones solum diversificantur ex diversitate principiorum, & rationis formalis, quando aliunde supponuntur, aut probantur numero distinctæ: nec una actio requirit principium per se unum, nisi unitate ordinis, subordinationis, aut coordinationis ad eundem effectum.

## §. IV.

POTEST QUODLIBET DIVINITUS ELEVARI AD QUODLIBET PRODUCENDUM, QUIBUSDAM EXCEPTIS.

29 I TA cum P. Suar. plerique nostrorum, & alij plurimi etiam Thomistæ, quos citat, & sequitur P. Ripalda t. 1. de ent. super. d. 40. s. 2., contra P. Vazquez, quem sequuntur alij plures à Nostris, & Mastrius Scotista. Dixi *quibusdam exceptis*: quia nulla creatura elevari potest ad producendum se ipsam quoad primum esse, nec ad producendum actum essentialiter verum de sui non existentia: & generatim ex productiones excipiendæ sunt, in quibus repugnantia specialis deprehendatur, quæ non sit communis rebus crea-



tis ut plurimum. Excipiunt aliqui res solâ creatione producibiles: sed immeritò; quia non repugnat, creaturam elevari divinitus ut instrumentum ad creandum, ut alibi dicemus cum P. Suar..

30 *Probat*ur Assertio 1.: quia Deus facere potest quicquid non implicat contradictionem; & nulla contradictio sequitur ex eo, quòd elevetur aqua divinitus ad producendam gratiam, & sic de alijs. *Dices* cum Adversarijs, in presenti non tam disputari, quid Deus possit, quam quid possint creaturæ? an scilicet de facto insit creaturis omnibus activa potentia obedientialis ad quodlibet? Hæc autem questio, utpotè non de possibili, sed de facto, & ad creaturas existentes pertinens, decidi non debet ex mera non repugnantia, sed ex experientia, vel ex alijs indicijs, quæ nulla favent affirmativæ parti. *Addes*, quòd extensio virtutis ad effectus quoslibet, proculdubio est magna perfectio creaturæ, quæ non debet adstrui de facto sine fundamento positivo, & urgenti. Sed *contra* est 1., quòd eodem jure vocari poterunt *questiones de facto*, quæ instituantur super capacitate formæ, ut recipiatur divinitus in materiâ multiplici, vel materiæ, ut plures simul formas recipiat, vel naturæ, ut simul terminetur pluribus subsistentijs, vel corporis, ut in pluribus locis simul existat, aut cum alio corpore penetretur; & generatim quæcumque miraculum aliquod circa creaturas existentes concernunt. Et tamen questiones

hujusmodi affirmativè decidunt Adversarij passim ex non repugnantia.

31 *Contra* 2.: questio super extensione potentie obedientialis magis est de possibili, quam de facto: inquit enim, an contradictionem implicet talis actio creaturæ, ut obedientis creatori? Quæ si negativè decidatur, eo ipso quasi consequenter deciditur affirmativè questio de facto circa potentiam rebus inditam. Explicatur: ideò ex non repugnantia hypothesis rectè inferitur, eam contineri de facto sub potentia Dei, quia supponitur in Deo potentia ad omne, quod in se non implicat contradictionem: sed etiam in aquâ supponitur potentia, scilicet obedientialis, ad omnem actionem, quæ, si consideretur ut proveniens ab aquâ, non involvit in se contradictionem; nam eo ipso talis actio non est impotens oriri ab aqua: ergo ex non repugnantia talis actionis rectè inferitur, eam contineri de facto sub aquæ potentia obedientiali. *Dices*: prius debet probari potentia in aquâ ad talem actionem; si enim non datur potentia in aquâ, proculdubio contradictionem implicabit actio, ut ab aquâ proveniens. Sed *infero*: ergo in omni questione de possibili prius debet probari potentia in Deo ad talem hypothesim; nam si ad illam non datur in Deo potentia, proculdubio implicabit hypothesis. Dammandus est igitur usus omnium, qui prius probant, hypothesim in se inspectam non repugnare, ut inde inferant, potentiam in Deo dari ad illam excquendam.

32 *Contra* 3.: questiones circa potentiam obedientialem rectè, vel præcipuè respiciunt amplitudinem Omnipotentie Dei, ejusque absoluti dominij supra creaturas: & cum amplitudo Divini dominij metienda sit ex mera non repugnantia hypothesis, ex eodem capite metienda est creaturæ potentia obedientialis, etiamsi ad questionem de facto quodammodo pertineat. Et hinc *probat*ur Assertio nostra 2.: quia Divino dominio & Omnipotentie tribuenda est omnis amplitudo, & commendatio excogitabilis, ubi non apparet repugnantia: major autem ex terminis amplitudo est Omnipotentie, majorque Divini dominij commendatio, quòd possit Deus uti creaturâ quolibet ut instrumento ad quosvis effectus, quam quòd non possit. Sic, quòd Sol medio calore ut instrumento plures effectus producere possit, quam possit ignis medio eodem instrumento, valde commendat virtutem Solis supra virtutem ignis. Quò enim aliqua virtus activa est altior, eo potest instrumentum perducere ad altiores effectus, ut scite ponderat D. Thomas q. 6. de pot. ar. 1. ad 18., ita concludens: *Unde nihil prohibet, quin natura creata sit in potentia ad aliqua facienda per divinam potentiam, quæ inferior potentia facere non potest. Et ista vocatur potentia obedientie, secundum quòd quolibet creatura creatori obedit.* Dicit in potentia ad aliqua, non ad omnia, propter exceptiones n. 29. factas: de cætero potentiam illam

habet qualibet creatura, juxta D. Thomam.

33 Denique *probat*ur: quia plures Adversarij concedunt in creaturis potentiam passivam obedientialem ad formam quamlibet, v. g. in aquâ ad recipiendam gratiam, in Angelo ad recipiendum calorem, &c. Non est autem major difficultas in potentia activa. *Dices*: potentia passiva non dicit perfectionem, secus activa. Sed *contra*: potentia activa pure obedientialis, prout à nobis asseritur, non dicit perfectionem plusquam transcendentalem, cum fundetur in ratione creaturæ, seu entis creati ut sic perfectionem autem transcendentalem dicit etiam potentia passiva; non enim convenire potest, nisi enti reali, & positivo. Unde solves quòd n. 30. objiciebatur de perfectione sine fundamento urgenti non asserendam. Non enim adstruimus novam aliquam perfectionem specificam, vel quæ magis in unâ, quam in aliâ creaturâ repleat, sed perfectionem generaliter imbibitam in conceptu creaturæ; ad quam asserendam urgens fundamentum est dominium Dei. Non tamen negandum, quòd in intellectu & voluntate specialis perfectio sit potentia obedientialis ad actus supernaturales, tam passiva, quam activa: quia fundatur, non in generali conceptu creaturæ, sed in proprio conceptu creaturæ rationalis; & quamvis innatè non exigat tales effectus, ab ipsis tamen connaturaliter exigitur tamquam proprium principium activum, & passivum: quod pariter



dicendum de potentia passiva obedientiali, quæ animæ rationali conuenit ad recipiendam gratiam.

## §. V.

## PRÆOCCUPANTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

34 **U**T contraria argumenta præcaueas, sequentes notationes præ oculis habeto. 1. : quamvis lignum v. g. ex se virtutem habeat inchoatam, & partialem ad producendam ignem, tamen ea virtus compleri nequit, nec fieri proxime potens, per consortium ignis agentis, aut alterius principij naturalis: quia virtus ligni ad ignem est pure & strictè obedientialis, ac proinde non explicabilis nisi per actionem supernaturalem; & in ordine ad actionem huiusmodi compleri nequit per naturale principium. Sic obedientialis potentia materiæ (quæ tamen non tam strictè obedientialis est) ad plures simul formas recipiendas, exerceri nequit, licet simul adsint agentia naturalia plurium formarum productiva; quia scilicet ea potentia instituta est ad obediendum Deo ut Authori supernaturali, non verò ad obtemperandum agentibus naturalibus.

35 2. : ex nostrâ sententiâ non sequitur, quòd brutum eleuari possit ad videndum Deum, nec lapis ad intelligendum, aut liberè agendum. Nam, ut optimè obseruat P. Arriaga, brutum eleuari ut videat Deum, est eleuari

ut sit constitutum intrinsicè huius denominationis, aut concretum, *videns Deum*: hoc autem fieri nequit, nisi evertatur essentialis denominationis; quippe quæ constituitur essentialiter ex visione & subiecto rationali, sicut homo constituitur ex materia & animâ. Cum ergo Deus invertere nequeat rerum essentias, nequit efficere, ut existat denominatio *videntis Deum* constituta per subiectum non rationale, vel per formam, quæ non sit visio intuitiva Dei; quemadmodum facere non potest, ut existat homo sine materia, vel animâ. Potest itaque brutum, aut lapis, in genere causæ purè activæ diuinitas eleuari ad producendam intellectionem, aut visionem Dei, si consistat in qualitate absolutâ, vel etiam ad eam recipiendam: non tamen eleuari potest in genere causæ intrinsicæ ad constituendum concretum, *intelligens*, aut *videns Deum*. Sic potest Deus se solo producere visionem, calorem, animam; & tamen nequit esse subiectum constituens cum ijs formis denominationes *videntis, calidi, animati*. Dixi, *si consistat in qualitate absolutâ*: quia, si visio, vel intellectio sit modus realiter indistinctus à productione sui, non poterit à lapide, vel à bruto produci; nisi fortè possibilis sit actionis actio reflexa, ut cum alijs Adversarijs putat P. Peynado; hæc enim opinione datâ, poterit etiam res quæque diuinitus eleuari ad producendas aliarum rerum actiones.

36 Ex dictis inferes, quòd,

si brutum produceret ac reciperet intellectionem, aut amorem, non ageret vitaliter, nec liberè: non vitaliter; quia non ageret cum aptitudine ad constituendam denominationem *intelligentis*, aut *amantis*, adeoque nec *viuentis* per tales actus: non liberè; quia denominatio *liberè agentis* essentialiter includit subiectum rationale, quod præsupponatur intelligens. Quare formæ illæ non præstarent tunc suos effectus formales proprios, ac per se, propter incapacitatem subiecti, juxta dicta *disp. 2. c. 2. n. 15.*: quod pariter dicendum de gratiâ diuinitus unitâ lapidi, aut bruto. *Dices*: intellectio à lapide producta, & in eo recepta, foret ab intrinsecò, & in intrinsicè lapidis: cui ergo non foret lapidi vitalis? *Resp.*: quia id haberet intellectio per accidens, non per se, siue non ex proprii ipsius actus exigentiâ; quam perfectam importat conceptus vitæ ex parte termini, vel effectus. Et hinc nec vitalis esset actio directa, vel reflexa, per quam lapis causaret intellectionem; quia, licet actio ipsa per se penderet à lapide perfectate sui, non tamen perfectate termini.

37 Inferes etiam, corporeos oculos, seu potentiam hominis materialiter visivam, eleuari posse ad producendum visionem Dei, non tamen ad videndum Deum; quia non est potentia intellectiva, quam intrinsicè & essentialiter includit denominatio *Deum videntis*. Similiter potentia visiva diuinitus producere potest auditionem, & auditiva visionem coloris; quin ideò vi-

siva reddi possit audiens, nec auditiva videns, propter eandem rationem. Suppono distinctionem potentiarum ab animâ: si enim detur adæquata realis identitas, verè in sensu reali potentia visiva intelligit, amat, audit, &c.; non tamen in sensu formali; quia formaliter solum dicit ordinem ad actus de linca restrictâ ad perceptionem lucidi colorati, per quos actus certè non intelligit, nec audit, &c., cum fieri non possit, ut actus, qui solum est perceptio lucidi colorati, sit perceptio soni, vel Dei, vel alterius objecti, nisi mutet essentiam.

38

3.:

licet sphaera naturalis activitatis cuiusque rei limitata sit ad certa genera, vel species effectuum, sphaera tamen activitatis obedientialis extenditur ad omnia, in quibus ut à tali virtute productis nulla implicatur contradictio: quò enim longius sphaera ista protenditur, eò magis dominium Dei, & Omnipotentia commendatur; ideòque in ejus sphaeræ finibus dilatandis liberales esse debemus. Nec inde inferas, creaturam sibi usurpare sphaeram Divinæ activitatis, eo quòd possit agere sub ratione entis ut sic, quæ est sphaera activitatis Omnipotentia. Nam in primis creaturæ non correspondet, sicut Omnipotentia, ratio entis illimitata, seu quæ late patet, ut constat ex limitationibus adhibitis n. 29. Deinde ratio entis, ut Omnipotentia correspondens, est ratio entis ut producibilis principaliter, aut totaliter, & independenter ab alia concausa; prout



item creaturæ correspondens, est ratio entis ut producibilis pure instrumentaliter. Sicut ergo intellectus creatus non sibi usurpat sphaeram intellectus Divini, quarevis possit attingere quidquid Deus cognoscit, tendatque sub ratione veri & cognoscibilis ut sic; quia scilicet verum ut sic Divino intellectui correspondet ut cognoscibile modo infinito, & cum infinita claritate; creato autem non nisi ut finite & imperfecte cognoscibile: ita in re nostra dicendum.

39 Unde colliges, creaturæ potentiam obedientialem esse infinitam *terminative*, quatenus respicit effectus syncategorematicè infinitos; non tamen esse infinitam *subjective*, quia tot effectus non respicit nisi ut virtus imperfecta, inchoata, & instrumentaria. Sic hæc mea cognitio, *omne cognoscibile*, terminative infinita est, totque respicit objecta, quot scientia Divina; nec tamen est subjective infinita, quia modus respiciendi confusus & imperfectus eam deprimat. *Dices*: potentia obedientialis, quam ponimus, non solum extendi potest ad effectus innumeros, sed etiam ad magis ac magis perfectos sine fine: ergo erit infinita perfecta. Patet *consequ.*: quia virtus eò perfectior est, quò major est effectus; ideòque virtus potens ad effectum ut quatuor, perfectior est, quam potens ad effectum ut duo. *Dist. Antec.*: ita ut magis laboret, vel plus virium impendat circa effectus perfectiores, quam circa imperfectiores, *neg.*; ita ut

ad utroque concurrat æqualiter ex parte sui, *conc. Antec.*, & *neg. consequ.*; cuius probatio locum habet in virtute naturali, præsertim principali, secus autem in virtute instrumentaria pure obedientiali; hæc enim suum quasi terminum virtutis æqualiter adhibet ad effectus majores, aut minores, & horum majoritas, aut minoritas, non ipsi, sed causæ elevanti & adjuvanti adscribitur. Sic non ostenditur dicitur, qui uno teruntio concurrat cum alijs ad summam 100. aureorum, quam si concurrat ad summam 50.: nec plus laborat, qui per vires ut unam portat cum 9. hominibus pondus ut decem, quam si portaret cum 4. hominibus pondus ut quinque. Et, ut proprius accedam, intellectus creatus, tamen si finitus, concurrere potest ad visionem Dei magis ac magis clarâ sine fine, si lumen augeatur; quia non plus virium impedit ex parte sui.

40 4.: potentia obedientialis (maximè quæ non exigitur ab effectu, & quæ vocari potest *transcendentalis* ad discrimen illius, quæ specialiter convenit potentijs animæ ad actus supernaturales intelligendi, & amandi, à quibus per se exigitur) non debet effectum continere formaliter, nec eminenter, id est, nec ut causa univoca, nec ut æquivoca principalis, & perfectior, sed tantum pure virtualiter, & per modum instrumenti elevabilis à superiori agente: qui modus continentia, ut sæpe diximus, non requirit in causa similitudinem, aut perfectionis æquali-

tatem cum effectu, nec formalitatem correspondentiam, aut convenientiam, nisi valde genericam: imò in præsentem sufficit convenientia in ratione entis ab alio, dummodò non adsit repugnantia ex alijs capitibus, de quibus n. 29.. Hæc igitur continentia pure virtualitatis inchoatæ, & instrumentalis, verè continet lapis Angelum, calor gratiam, &c.

41 5.: potest etiam aqua divinitus elevari ad producendum calorem in semetipsâ: quo in eventu calor esset violentus aquæ, quin obstat definitio illa violenti, *cujus principium est foris, passio non conferente vim*; potest enim intelligi de principio, saltem principali, quod etiam tunc foris esset; nec non de passio non conferente vim ex propria inclinatione. Nec inde sequitur, aquam habere potentiam sui destructivam immediatè, vel potentiam, quæ sui destructioni coexistat; sed tantum habere potentiam sui destructivam mediatè, quatenus est productiva rei causantis, aut exigentis destructionem aquæ, non quidem in sensu composito actionis, quæ procedit ab aquâ, sed in sensu diviso; non enim calor exigeret aquæ destructionem, ut cum actione illâ componendam, sed ab aquâ productus exigeret à solo Deo conservari, atque ita inferre corruptionem aquæ.

42 6.: elevatio cujuslibet ad quodlibet fieri potest per auxilium extrinsecum, ut ajunt, id est, per meram assistentiam Omnipotentis, supernaturali decreto ap-

plicatæ ad concurrendum, absque ulla supernaturali qualitate intrinsecè receptâ in re elevatâ, atque adeò absque illius intrinsecâ mutatione. Quod maximè dicendum est in elevatione potentia obedientialis ad creandum instrumentariè. *Dices*: aqua est intrinsecè impotens producere gratiam: si ergo per elevationem non mutatur intrinsecè, retinet adhuc eandem impotentiam, elevatione positâ: & alioquin transiret de impotente ad potentem, absque ulla sui mutatione. *Dist. Antec.*: est intrinsecè impotens producere gratiam se solâ, & sine supernaturali concursu Dei, *conc.*; est intrinsecè impotens producere simul cum ejusmodi concursu Dei, *neg. Antec.*; nam ad hoc solam est impotens extrinsecè, in potentia consistente in carentiâ elevationis, seu applicationis Omnipotentis. Tum *dist. Conseq.*: retinet adhuc eandem impotentiam intrinsecam, *conc.* (nam adhuc, elevatione positâ, manet aqua intrinsecè impotens ut producat se solâ gratiam); retinet eandem impotentiam extrinsecam, *neg. Consequ.*: aufertur enim per elevationem carentiâ auxiliij extrinseci, quæ aquam reddebat extrinsecè impotentem producere simul cū Deo supernaturaliter cōcurrente.

43 Non itaque transit aqua de intrinsecè impotente ad intrinsecè potentem, sed tantum de impotente extrinsecè (non ex defectu extrinseci complementi) ad proximè poten-



tem potentia extrinsecus completam: qui transitus non requirit mutationem intrinsecam, ut patet. Quapropter in aqua elevata denominatione proxime potentis producere gratiam, est partim intrinseca, quatenus virtutem aquae partialem & inchoatam importat; partim vero extrinseca, quatenus dicit consortium Omnipotentiae actualiter applicatae; & quod hoc tantummodo accedit aquae nova potentia per elevationem. Termini quidem videntur intricati; sed res est clara satis exemplo hominis, qui de se impotens sustinere pondus, quod requirit vires daorum, redditur potens per extrinsecam assistentiam, & applicationem alterius hominis.



## DISPUT. VII.

### DE CONNEXIONE CAUSARUM CUM possibilitate suorum effectuum.

**D**isputatio ista praecipue respicit causam primam, sive Omnipotentiam Dei, de qua celebris controversia est, an connectatur metaphysice cum possibilitate creaturarum? Connecti unum cum alio, ut nunc sumitur, est non posse unum esse sine alio, sive ut possibili, sive ut futuro, sive ut existenti, prout fuerit connexio: dumque impotentia essendi sine alio non solum est physica, seu naturalis, verum etiam metaphysica, sive essentialis, dicitur connexio metaphysica. Non ita connecti Omnipotentiam cum creaturis ut existentibus, certum est: unde solum quaeritur, an ita connectatur cum creaturis ut possibilibus, seu cum earum possibilitate? Duplex creaturarum possibilitas distingui solet: altera extrinseca, consistens in ipsa Divina virtute, a qua possunt existentiam accipere, & a qua proinde denominantur extrinsece possibilis, aut producibilis: alia intrinseca, consistens in intimam coherentiam, seu non repugantiam praedicatorum creaturae cujusque, prout scilicet talia sunt, ut, si existant, non implicent contradictionem. De possibilitate extrinseca nulla est controversia, cum eam Deus non exigat modo, sed secum identificet: quare de sola intrinseca disceptatur..

Notandum tamen, quod possibilitas intrinseca non distinguitur ab essentia rei, atque adeo nec ab existentia, cum haec ab essentia non distinguatur realiter, ut alibi probabimus; unde connexio cum possibilitate intrinseca, est connexio cum essentia, & existentia rei. Verum

tam

tam possibilitas, quam essentia, & existentia potest accipi 1. absolute, & exercite, prout scilicet est aliquid actu in rebus positum; atque ita sumitur, quoties utimur nomine *existentiae*, vel *rei existentis*, nisi aliud explicetur: 2. conditionate, & signate, seu objective, prout scilicet est objectum verificans hanc affirmationem conditionatam, *si produceretur, non implicaret contradictionem*; & hunc sensum reddit nomen *possibilitas*, vel *res ut possibilis*, indistincte prolatum; eodemque sensu scientia Dei, quam vocant *simplicis intelligentiae*, terminatur ad creaturas ut posibles. Connecti ergo cum possibilitate hominis, non est connecti cum eo quod homo sit actu ens, aut aliquid, sed est connecti cum eo quod homo, si produceretur, esset verum ens, & aliquid non repugnans, seu cum eo quod homo talis sit, qualis cognoscitur a Deo per scientiam simplicis intelligentiae. Et hinc, quidquid sit de possibilitate intrinseca, de qua nonnulla disceptatio est in Metaphysica, quaestio in praesenti, si lubeat, proponi poterit sub his terminis, utrum Omnipotentia connectatur cum eo, quod scientia simplicis intelligentiae circa creaturas, tale habeat objectum, quale nunc habet?

Porro, data connexione, legitime inferitur, Omnipotentia existit, ergo creaturae sunt posibles. Cumque ex opposito consequentis sequatur oppositum antecedentis, inferitur etiam legitime, creaturae non sunt posibles, ergo non existit Omnipotentia: vel, quod idem valet, si creaturae non essent posibles, non existeret Omnipotentia. Hinc frequens est in hac controversia usus hypothesis impossibilis, quo scilicet fingitur aliqua hypothesis (id est, conditio, vel suppositio), quae revera impossibilis est, ut inde aliquid inferatur, aut affirmetur: v. g. Si homo fieret impossibilis (en hypothesis), deficeret Omnipotentia. Usus talium hypotheseon in conditionalibus illativis frequentissimus est apud Auctores super materiae quavis; ut cum dicitur, si anima hominis esset divisibilis, non esset spiritualis; si Deus fallere posset, non esset summe verax; si esset auctor peccati, non esset summe sanctus; &, ut contra Graecos arguebant in Florentina Synodo Latini Doctores, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur ab ipso.

Sed observandum, quod hypothesis impossibilis, ut sit utilis ad aliquid inferendum praeter suo contradictorio, debet non implicare formaliter in terminis, sive in adjecto, ut ajunt, id est, in praedicatione conlato ex terminis se se invicem expresse destruentibus: alioquin solum erit utilis ad inferendum duo simul contradictoria. Sic, qui diceret, *si homo esset rationalis & irrationalis, non distingueretur a bruto; vel, si homo esset possibilis & impossibilis, posset produci a Deo*; implicaret in adjecto, & frustra inferret, quod homo praecise distingueretur a bruto, vel quod praecise posset a Deo produci; cum potius sequeretur utrumque contradictorium, nempe distingui & non distingui, pos-



se & non posse. Atque ita intelligendum est proloquium illud, *Ex impossibili sequitur quodlibet*, scilicet quodlibet ex contradictorijs. Idem est, quando subjectum hypothesis assumitur ut prorsus invariatur, v. g. *Si homo, manens homo, non esset rationalis*; quod pariter implicat in adjecto, cum perinde valeat, ac *Si homo maneret & non maneret rationalis*. Debet ergo predicatum hypothesis non constari ex terminis, implicantibus; & subjectum assumi debet ut præscindens à predicato, quod ipsi auferatur in hypothesis negante, vel à formalitate directe opposita predicato, quod ipsi additur in hypothesis affirmante. Tunc autem recte inferri poterit unum contradictorium præ alio, nisi Adversarius probe utrumque sequi per mediatas consequentias ex ipsis contrariis visceribus deductas.

Addo tamen, quòd, dum illatio est permissiva, vel disparata, & conditionatum supponitur inconnexum cum subjecto hypothesis, nihil obest implicatio in adjecto. V. g. si leo & equus supponantur omnino inconnexi, nihil prohibet sic dicere, *Si leo esset & non esset rugibilis, equus verè esset hinnibilis*; quia tota illa hypothesis implicatio permittit veritatem conditionati, seu disparate se habet. Hinc defensores inconnexionis Omnipotentia cum possibilibus, & chymicis, non debent titulo implicationis in adjecto recusare ullam hypothesis, sub qua inferatur, vel affirmetur, Omnipotentiam invariata permanere.

## CAP. I.

CAUSA PRIMA CONNECTI-  
tur metaphysicè cum possibili-  
tate creaturarum.

**I**Ta cum P. Suar. communior sententia Nostorum, quos citat, & sequitur P. Peynado *hic disp. 3. n. 8.*, & omnes Thomistæ apud Prado *hic q. 21. n. 20.*, contra Scotistas communiter, & plures è Nostris cum P. Vazquez *in 1. p. d. 104. c. 6.*; quorum mens est, Deum ex suis intrinsicis non inferre possibilitatem creaturarum, nec earum impossibilitatem excludere, sed ex se indifferentem esse ad eventum, in quo creaturæ, nunc possibiles, fiunt impossibiles, & quæ

modo chymicæ fuerint, fiunt possibiles; quia ex se solum habet virtutem plenissimam ad producendum quicquid non repugnaverit; an autem hæc, vel illa objecta repugnent, aut secus, ipse non curat, id est, nec infert, nec impedit. Sed contra hanc doctrinam

2 *Probatur.* Assertio 1.: Deo convenit Omnipotentia perfectissima, seu quæ perfectior cogitari non possit: sed Omnipotentia metaphysicè connexa cum possibilibus perfectior est, quam inconnexa: ergo &c.. *Prob. Min.*: Omnipotentia connexa, secum ab intrinseco affert quicquid necessarium est, ut absolute possit operari quodcumque velit; & ab intrinseco excludit omne quod

dimentum operandi, quod non ab ejus liberâ voluntate proveniat: non sic autem Omnipotentia inconnexa, quæ nec ab intrinseco infert possibilitatem effectus, abs dubio necessariam ad operandum, nec ab intrinseco excludit effectus impossibilitatem, quæ, si detur, impedimentum erit operandi, prorsus independens à liberâ voluntate Dei. Sed major perfectio est in ratione potentia, quòd ab intrinseco affert, aut inferat quicquid necessarium est ad operandum, & excludat quicquid obtare posset, quàm quòd non ita interat, nec excludat: ergo &c.. Cetera constant, & *Minor* videtur ex terminis nota: quis enim dubitet, quin potentia sit eò major, & excellentior, quò plenius sub proprio arbitrio habet operationem, & minus obnoxia est impedimenti, & à fortiori si essentialiter excludat obiculum omne?

3 *Urgetur 1.*: potentia, quæ ex se non resistit, nec repugnat eventui, in quo præter libertatem propriam sit penitus impedita, & veluti catenata ad operandum, imperfectior est, quàm quæ tali eventui resistit essentialiter. At ita se habet Omnipotentia inconnexa, si ad connexam comparatur; siquidem non repugnat eventui, in quo creaturæ omnes aliunde fiunt impossibiles, quo in eventu prorsus impedita esset ad operandum, multò tenacius, & ineluctabilius, quàm in homine ferreis vinculis catenato potentia currendi. *Urgetur 2.*: Omnipotentia connexa sibi soli

debet, quòd expedita sit ad operandum, quodcumque libuerit: inconnexa verò non hoc sibi unice debet, sed creaturis etiam, quarum possibilitatem (sine quâ non esset expedita, sed impedita prorsus) non infert ex proprijs meritis, sed quasi aliunde proveniente expectat. Quis autem non videat, hoc posterius ad imperfectionem, & debilitatem potentia pertinere? *Explicatur*: Omnipotentia inconnexa perinde non infert, nec sibi debitam facit possibilitatem effectus, ac si talis possibilitas esset in potestate liberâ creaturæ, à Deo non ortâ, nec impedita: hæc enim est vis inconnexionis, non curare de possibilitate creaturæ, sed permittere, quantum in se est, ut creatura reddatur possibilis, aut impossibilis, sive proprio Marte, sive aliunde. Igitur Omnipotentia inconnexa, quantum in se est, patitur, ut in potestate creaturæ sit retinere, seu cohibere virtutem ipsius, ne unquam operetur, etiam si maxime velit. Hoc autem magnam Omnipotentia debilitatem arguit: fac enim, creaturam esse liberam, ut se reddat possibilem, vel impossibilem inconsulto Deo: nunquam poterit Omnipotentia quidquam efficere, nisi precario obtineat à creaturâ, ut se possibilem esse patiat.

4 Certè, potentia nihil efficere potens, nisi sub conditione quòd alter velit, aut permittat, proculdubio est admodum imperfecta, & alteri subordinata: ergo



potentia ex se indifferens ad eventum, in quo nihil possit efficere, nisi sub eâ conditione, indifferens est ut cum magnâ imperfectione subordinetur alteri. Sic autem se habet Omnipotentia inconnexa; cum ex se non repugnet eventui, in quo possibilitas omnium creaturarum dependeat ab aliquâ libertate à Deo distinctâ, & independente. Chymerica quidem est libertas ista: sed Omnipotentia juxta Adversarios non repugnat eventui, in quo chymera omnis fiat possibilis, saltem ijs exceptis, quæ directè & immediate opponuntur alicui prædicato Divino, cujusmodi est v. g. mendacium divinum, seu revelatio falsa, quæ immediate opponitur veracitati Dei. Libertas autem, seu potestas reddendi creaturas omnes impossibiles, inconsulto Deo, nulli prædicato divino directè opponitur. Quod si neges, cedo cuienam? Nam Omnipotentia non aliter opponitur, nisi quatenus illi substrahere valet possibilitatem effectuum: hæc autem nulla est oppositio, si, ut contendis, Omnipotentia nihil detrahitur ex eo, quod omnis creatura fiat impossibilis. Dices forsitan, potestatem illam, à Deo independentem, fore Deum alterem, idè quæ directè opponi unitati Dei. Sed frustra id dices: nam in primis illa potestas non foret Deus alter, cum non sit proprium Dei facere de possibilibus impossibilia, vel è contrâ. Deinde, licet potestas illa foret opposita unitati Dei, non tamen ejus Omnipotentia formati ut

tali, cum nihil faceret contra conceptum Omnipotentia, prout à te expositum: hoc autem mihi sufficit, ut probem, Omnipotentia conceptum ex doctrinâ tuâ non repugnare, nec resistere subordinationi ad alteram.

5 Et hinc probatur Assertio 2.: inconnexio cum possibilibus destruit, vel minuit valde perfectionem plurium attributorum Dei, cujusmodi sunt dominium, seu potestas dominandi, libertas, justitia, misericordia, liberalitas, quæ nequeunt explicari, seu exerceri, nisi erga creaturas. Patet assumptum: nam, connexione sublata, Deus est ab intrinseco indifferens ad eventum, in quo nulla creatura sit possibilis: ergo est indifferens ad eventum, in quo nulli rei possit absolute dominari, & in quo non sit absolute liber, nec absolute potens justa decernere, nec misereri, nec benefacere; non enim tunc hujusmodi potestas in Deo esset absoluta, sed purè conditionata juxta Adversarios, sub conditione scilicet, quod creaturæ redderentur possibiles, quæ conditio non esset à Deo illata, nec inferibilis: ergo nec de facto Deus est ex se, & ex proprijs meritis, plusquam conditionatè liber, & potens dominari &c.: Deus enim juxta Adversarios nihil aliud nunc habet ab intrinseco, quam haberet, si nulla creatura esset possibilis. Atqui libertas purè conditionata, maxime sub conditione à se non dependente, similisque potestas dominandi, beneficiandi,

miserendi &c., multò imperfectionior est, quàm absoluta, ut patet, tum ex communi sensu; tum exemplo libertatis, & potestatis humanæ; tum quia libertas, eo modo conditionata est libertas impedita, & ligata, impotens quæ proprio Marte fieri expedita, consequenter quæ magis dicenda est non libertas, quemadmodum dicitur non liber ad audiendam sacram, qui vel carcere detinetur, vel non habet copiam sacerdotis celebrare volentis. Multum ergo deprimuntur eorum perfectio attributorum, connexione sublata.

6 Urgetur 1. data inconnexione, Deus est intrinsece indifferens ad eventum, in quo detur potestas, à se independens, destruendi possibilitatem creaturarum, ut paulò antè vidimus: ergo est intrinsece indifferens, ut se inconsulto possit alia potestas ipsum privare officio, & exercitio Domini, Judicis, Benefactoris &c.: exercitio quidem, ut est clarum: officio pariter; nam officium Regis, cui subditi sunt impossibiles, & officium Judicis, aut Benefactoris, cui chymericum sit judicare, aut beneficere, frivolum videtur, & nugatorium. Urgetur 2.: ex terminis absurdum est, quod Deus ab intrinseco sit indifferens, ut sibi ab extrinseco præcludatur fontus misericordia, & beneficentia, ita ut non maneat liber ad ullum inter rivulum derivandum: Sic autem Deus erit indifferens, si ex se non resistat impossibilitati creaturarum: ex hac enim impossibilitate sequeretur, Divina misericordia,

ac beneficentia fontes manere ab extrinseco penitus oclusos absque ullâ Dei libertate, sive ad effluendum in sensu composito impeditum; sive ad impedimentum ipsum auferendum. Urgetur 3.: Fide credimus, Deum posse quidquid vult; & hunc fidei articulum Deus ipse ab intrinseco verificat; non enim in eo articulo credimus aliquid à Deo distinctum: at non illum Deus ab intrinseco verificabit, si est ab intrinseco indifferens ad eventum impossibilitatis creaturarum; sic enim ab intrinseco permittet eventum, in quo nihil ad extrâ velle possit, ac proinde in quo falsificetur articulus ille fidei, utpotè de subjecto non supponente quoad illud, quidquid vult.

7 Ex dictis robar accipiet communis alia probatio: quod scilicet, si Deus esset intrinsece indifferens ad impossibilitatem creaturarum omnium, esset indifferens ad eventum, in quo nihil producere posset, cum nihil tunc esset producibile: ergo esset intrinsece indifferens ad eventum, in quo amitteret Omnipotentiam, seu in quo non esset Omnipotens, sed nullipotens. Communis Adversariorum responsio est, quod in eo eventu non deficeret Omnipotentia, nisi secundum denominationem absolute potentis, quæ denominatio non est adequate intrinseca Deo, sed constituitur partim ex possibilitate creaturarum Deo extrinseca, tamquam ex conditione prorsus necessaria, ut Deus dicatur absolute potens operari ad extrâ; quare solam est intrinseca Deo



Deo potentia sufficientissima, quantum in se est, ad producendum quidquid non repugnaverit; seu, quod in idem recte dicit, potentia ex se sufficiens ad producendas creaturas omnes, imò, & chymeras, sub conditione quòd nò repugnèt; quæ vocari poterit potentia quoad sufficientiã, non quoad efficaciam. Verùm hæc responsio *reijcitur* 1. ex dictis in 1. & 2. probatione, ubi ostendimus, potentiam, quæ non est ab intrinseco absolute potens operari quocumquæ velit, nec excludit impedimenta sibi non libera, sed potius finit se impediri, & quasi catenari ab extrinseco, non esse perfectam, nec Deo dignam: item, potentiam purè conditionatam sub conditione à se non illata, nec dependente, multum deprimere libertatem, dominium, & alia Dei attributa.

8 *Reijcitur* 2.: deficientibus possibilibus, Deus non magis posset creaturas producere, quam nunc potest chymeras, ut Adversarij concedunt: sed nunc non habet ex se veram potentiam, & sufficientiam ad producendas chymeras, etiam sub conditione quòd fierent possibles: ergo nec tunc ad producendas creaturas: ergo deficeret tunc omnis vera potentia, & sufficientia Dei ad operandum. *Prob. Min.*: respectu termini essentialiter improducibilis, repugnat vera potentie sufficientia sub conditione, quam ipse terminus reddit essentialiter improducibilem: sed talis est potentia producendi chymeram sub conditione quòd fiat possibilis: ergo &c.

*Prob. Maj.* 1.: quia non aliã ratione repugnat modò vera sufficientia causandi, vel destruendi Deum sub conditione quòd Deus fiat causabilis, aut mortalis. Urde con muniter concedunt Adversarij, Deum connecti cum impossibilitate rei potentis ipsum causare, vel destruere, quia scilicet Deus est essentialiter incausabilis, & immortalis. 2.: quia producibilitas termini arguit non repugnantiam potentie productivæ; ideòque possibilitas creaturarum connectitur cum omnipotentia, ut ferè omnes asserunt; & ideò etiam juxta Adversarios Deus connectitur cum impossibilitate mendacij à se profecti, quia si esset possibile, argueret in Deo potentiam mentiendi: pariter ergo improducibilitas termini arguit repugnantiam potentie productivæ. Patet *Consequ.*: quia ita se habet improducibilitas ad impotentiam producendi, sicut producibilitas ad potentiam productivam; nec major est ratio, cur repugnet producibile sine productivo, quam productivum sine producibili; quemadmodum aequè repugnat producus sine producto, ac productum sine producente; quia utrobique militat lex correlativorum.

9 3.: quia repugnat, præsertim Deo, potentia operandi ligata per impedimentum metaphysicè impotens auferri, vel præcaveri: talis autem est potentia producendi chymeram sub conditione possibilitatis, propter impedimentum essentialis repugnantie termini. *Urgetur*: repugnat Deo potentia operandi

sub

sub conditione, quam Deus ipse reddat essentialiter improducibilem: ergo, & sub conditione, quam terminus essentialiter improducibilis reddat. *Antecedens* constat: tum quia ideò repugnat Deo potentia conditionata mentiendi sub conditione possibilitatis mendacij, quia Deus ipse conditionem istam repugnantem reddit: tum etiam, quia si Deus connecteretur cum impossibilitate chymeræ, nullatenus posset illam producere, quia conditionem possibilitatis Deus ipse redderet improducibilem. *Consequentia* verò recta videtur: 1. quia tam chymericum est potentiam reduci ad actum, ipsa que tam insolubiliter ligata est, in uno, quam in alio eventu: 2. quia minus dederet Deum potentia impedita ab intrinseco, sive à Deo ipso, quam potentia ab extrinseco impedita per impedimentum æternum, essentialiter insolubile, neque ullâ ratione profectam à virtute Dei.

10<sup>o</sup> Ex quibus inferes, Deum connecti cum impossibilitate chymerarum omnium; quia ab intrinseco infert, impossibile esse quidquid ipse producere non potest. Concedunt Adversarij ferè omnes, Deum connecti cum ijs chymeris, quarum impossibilitas immediate fundatur in aliquo divino prædicato, v. g. Deum connecti cum repugnantia plurium Deorum, quia est essentialiter unus, cum repugnantia peccati divini, quia est summè sanctus, cum repugnantia divini mendacij, quia est summè verax, & cum repugnantia cause potentis ipsum causare, perimere, vel immutare, quia est es-

sentialiter incausabilis, immortalis, & immutabilis: negant tamen ita connecti cum alijs chymeris, v. g. cum hircocervo. *Sed verò*, si ex impotentia Dei ad mendacium resultat connexio cum impossibilitate mendacij, resultabit pariter cum impossibilitate chymerarum omnium ex impotentia Dei ad eas producendas, quam nuper ostendimus. *Adde* 1., quòd in ejusmodi chymeris infertur pleraque Adversariorum argumenta. *Adde* 2., quòd eodem jure, quo ponitur in Deo potentia ad producendum hircocervum sub conditione quòd fieret possibilis, poterit etiam in Deo poni potentia mentiendi sub conditione quòd mendacium non esset indecens, nec rationi contrarium. Si dicas, conditionem istam destruere essentialiter mendacij, te ipsum exarmas; nam etiam conditio possibilitatis absolute destruit essentialiter hircocervi. *Adde* 3., quòd nulla ratio est, cur impotentia magis inferat terminum improducibilem, quam potentia terminum possibilem: si ergo Deus infert impossibilitatem sui mendacij, quia est summè impotens mentiri, cur non inferat possibilitatem creaturarum, quia est summè potens eas producere?

11 *Reijcitur* 3. ratione, quam ex P. Ribadeneyra sumit, & promovet P. Peinado: juxta doctrinam responsionis, Deo est intrinseca potentia conditionata producendi hominem sub conditione possibilitatis, non verò sub conditione impossibilitatis, quâ homo fit chymera: ergo Deus intrinsece infert dif-

tia-



tionem possibilitatis hominis ab impossibilitate chymeræ; nam posse sub unâ conditione, & non sub aliâ, non stat sine distinctione unius ab aliâ. Sed possibilitatem hominis (quæ ab ejus essentiâ non distinguitur, ut in limine prænotavimus) distingui ab impossibilitate chymeræ, est non esse chymericam, nec implicare contradictionem: ergo Deus ab intrinseco infert, possibilitatem hominis talem esse, qualis de facto est. Idem argumentum fieri potest in cæteris creaturis. *Dices:* Deus ab intrinseco non infert, possibilitatem hominis de facto distinguere à chymerâ, cum non inferat, hominem de facto esse possibilem; sed duntaxat infert, distinctam fore, si daretur. *Contra:* eatenus homo (loquor de purè possibili) nunc est possibilis, quatenus, si daretur, esset distinctus ab omni contradictione, seu chymerâ; nec alio sensu volumus Deum connecti cum possibilitate hominis: ergo Deus inferens, possibilitatem hominis, atque adeò essentiam ejus, si daretur, distinctam fore à chymerâ, infert possibilitatem hominis, qualem intendimus.

**12** *Repones:* Deus non infert, quòd possibilitas hominis distingueretur à chymerâ, si daretur exercite, & absolutè, sed tantum si daretur objective, seu conditionatè, id est, si tale esset objectum, de quo verè dici posset, *Si existet, non implicaret contradictionem.* Sed hæc evasio, quam non impugnat, nec affert P. Peynado, rejicitur sic: Deus infert, quòd ipse a suo intellectu cognoscatur potens sub conditione

possibilitatis potius, quàm impossibilitatis: ergo infert, quòd a suo intellectu statim concipiatur possibilitas ut objectum distinctum ab impossibilitate, seu quòd ab eâ discernatur intentionaliter, & objective: si enim intellectus nullum discrimen sibi proponat inter utraq; conditionem, quomodo poterit cognoscere, Deum posse sub unâ potius, quàm sub alterâ? Sed nequit possibilitas ita concipi, & objective discerni, nisi concipiatur ut exilens saltem conditionatè, sive ut objectum, de quo verè dicatur, *Si existet, non implicaret contradictionem;* non enim alius est modus distinctionis à chymerâ, nisi per veram existentiam, saltem conditionatam: ergo Deus infert possibilitatem, saltè ut objective, & conditionatè positam. *Urgetur:* Deus infert, possibilitatem concipi ut à chymerâ distinctam saltem pro casu positionis conditionatæ: sed nequit ita concipi, quin concipiatur etiam distincta pro casu positionis absolutæ, ut patebit consideranti: ergo &c.

**13** Nonnulli ex Adversarijs, quibus potentia conditionata sub conditione impossibili difficilis apparet, dicunt, deficiente possibilitate creaturarum, mansuram Dei omnipotentiam quoad entitatem, non tamen quoad denominationem potentis; eo fere modo, quo scientia Dei de existentia Mundi eadem esset quoad entitatem, si Mundus non existeret, & tamen non denominaret Deum scientem existere Mundum. Verum hæc doctrina inprimis non vitat potentiam, seu capaci-

citatem conditionatam sub conditione impossibili. Nam Deus, etsi ponatur intrinsecè separabilis à denominatione potentis, saltem est intrinsecè capax talis denominationis, cum illam habeat de facto; què admodum, licet sit intrinsecè separabilis à denominatione scientis existentiam Mundi, hujus denominationis intrinsecè capax est. At, si possibilia fierent chymerica, Deus non esset intrinsecè capax ad denominationem potentis, nisi sub conditione impossibili, quòd scilicet chymeræ fierent possibles; sicut modò nõ aliter est capax denominari potest respectu chymerarum: ergo &c.

**14** Deinde doctrina ista ponit Deum ex se indifferentem ad eventum, in quo nullatenus denominetur potens, ac proinde in quo verè dicatur omninò impotens, & infansibilis, amittatque magnifica nomina *Causæ primæ, fontis, & originis* rerum omnium, & consequenter in quo non verè nominetur *liber, justus, misericors, liberalis, potens, dominari:* quæ omnia, & exterminis absurda videntur, & contra mentem orthodoxorum, qui ejusmodi attributa sub proprijs nominibus intrinsecas esse Dei perfectiones intelligunt non minus, quàm denominationes *sancti, boni, aterni,* &c. Ratio à priori est: quia potentia (idem intellige de libertate, & cæteris nunc enumeratis) in ratione talis numeratur inter perfectiones, quas vocant simpliciter simplices, quæ scilicet semper meliores sunt ipse, quàm non ipse: quis enim dubitet, quin melius & altimabilis sit

ex terminis esse potentem operari, quàm impotentem? At omnes perfectiones simpliciter simplices iuxta sanam Theologiam sunt Deo intrinsecæ, & ab ipso essentialiter inseparabiles. Unde colliges, Deum ab intrinseco habere quidquid est necessarium ad constituendam denominationem absolutè potentis, sicut habet quidquid necessarium est ad denominationem sancti. Quare denominatio illa non constituitur per intrinsecam possibilitatem creaturarum, licet eam essentialiter inferat; sicut denominatio sancti non constituitur per intrinsecam impossibilitatem peccati, licet illam inferat essentialiter. Vide dicta *disp. 3. c. 5. n. 10. & seqq.*

**15** Exemplum de scientiâ Dei contingenti circa Mundum, importunum est. Tum quia denominatio scientis hoc objectum contingens præ opposito, à nemine dicitur perfectio simpliciter simplex. Tum quia in denominationibus *liberè volentis, & scientis* objecta contingencia, fide cogimur admittere defectibilitatem, seu potius impedibilitatem quoad denominationem: nihil autem cogit aliò transferre tanti mysterij difficultatem. Tum præcipuè, quia denominatio scientis existentiam Mundi, si deficeret, satis compensaretur per denominationem scientis non existere Mundum; sicut etiam denominatio *liberè volentis*, per denominationem *liberè volentis*: at denominatio potentis omnia, quomodo compensabitur per denominationem nihil potens.



498  
tis? Et hinc retorquetur exem-  
plum: nam intellectus Divinus,  
licet indifferens ut denominetur  
vel *sciens dari Mundum*, vel *sciens  
non dari*, non est tamen indiffe-  
rens ut careat omni denotatio-  
ne *scientis*, dicaturque penitus  
*inſcius* rerum omnium: quod pa-  
riter evenit in Divinâ voluntate,  
quatenus liberâ quasi in actu pri-  
mo. At Adversarij sibi fingunt  
Deum ex se indifferentem ut careat  
omni denominatione *potentis*, et-  
que verè dicatur *nihil potens* pro-  
ducere, nec liberè velle.

16 Cum solutione nunc  
impugnata coincidit duplex alia,  
quam tradit M. Manso. *Altera*,  
quod, deficientibus possibilibus,  
deficeret Omnipotentia quoad  
obliquum, non quoad rectum:  
id est, deficeret creaturarum pos-  
sibilitas, quam de obliquo in por-  
tat denominatio *potentis*, non ta-  
men deficeret intrinseca Dei per-  
fectio, quam illa denominatio di-  
cit in recto. *Altera*, quod potest  
Omnipotentia supponi virtualiter  
indistincta ab intellectu, & volun-  
tate, & à potentijs generativâ &  
spirativâ in Trinitate: quo posito,  
ex defectu possibilium solum de-  
ficeret denominatio *potentis ad ex-  
tra*, quæ est secundaria denomi-  
natio, seu effectus formalis secun-  
darius Omnipotentia; non tamen  
deficeret denominatio *infinite po-  
tentis ad intra*, quæ est primaria  
Omnipotentia denominatio, seu  
primarius effectus formalis. *Utra-  
que* solutio supponit Deum ex se  
indifferentem, ut careat omni de-

nominatione *potentis ad extra*:  
quare utraq; facile impugnabi-  
tur; tum ex primâ & secundâ pro-  
batione nostrâ; tum ex dictis con-  
tra solutionem præcedentem. Cer-  
tè (quidquid sit de primaria vel se-  
cundaria denominatione), quod  
Deus sit ab intrinseco indifferens,  
ut sibi ab extrinseco ligeretur inso-  
lubiliter potentia operandi ad ex-  
tra, utque sibi penitus præcludan-  
tur fontes omnis beneficentiæ, ac  
misericordiæ, necnon ut sibi ab  
extrinseco auferatur omnis usus  
propriae libertatis, & potestatis  
denominativæ: hoc, inquam, sine  
imperfectione à Deo alienissimâ  
concipere nescio.

17 Denique subjungo bre-  
viter duas alias nostræ sententiæ  
probationes. *Prima* sit: Deus ab  
intrinseco infert, impossibilem  
esse identitatem hominis cum chy-  
merâ: ergo ab intrinseco infert,  
possibilem esse distinctionem ho-  
minis à chymerâ: ergo ab intrin-  
seco infert, essentiam hominis esse  
possibilem. Utraque consequen-  
tia legitima est, ut consideranti  
liquidum erit. *Prob. Antec.*: Deus  
habet impotentiam intrinsecam ef-  
ficiendi, ut homo identificetur  
cum chymerâ: nemo enim in Deo  
agnoscit potentiam faciendi, ut  
possibilia sine impossibilia, vel è  
converso: sed illa impotentia in-  
fert ab intrinseco, impossibilem  
esse identitatem hominis cum chy-  
merâ: ergo &c. *Prob. Altn.*: ex  
impotentia Dei ad aliquem termi-  
nem, rectè infertur impossibilitas  
termini. Quod patet 1. paritate

sententiæ divini, cujus impossibi-  
litas rectè infertur ex impotentia  
Dei ad mentiendum. 2.: quia pos-  
sibilitas termini legitime infert po-  
tentiam Dei ad illum; ideoque  
possibilitas creaturarum connecti-  
tur cum Omnipotentia, ut faten-  
tur passim Adversarij: ergo, cum  
ex opposito consequentis legitime  
infertur oppositum antecedentis, ex  
impotentia Dei ad aliquem termi-  
num legitime infertur ejusdem ter-  
mini impossibilitas. Nec dicas,  
Deum ex se habere potentiam ad  
illam identitatem sub conditione  
quod sit possibilis. Nam hoc est  
dicere, potentiam in Deo esse ad  
identitatem hominis cum chymerâ  
sub conditione quod non sit iden-  
titas cum chymerâ: quod, ut vi-  
des, nugatorium est. Hæc ratio  
aquè probat connexionem Dei  
cum quolibet possibili, & cum  
chymerâ quâlibet ut impossibili.

18 *Altera probatio*, & satis  
communis, sit: Deus virtualiter  
eminenter continet hominem;  
quæ continentia in eo consistit,  
quod Deus sine imperfectione &  
limitatione contineat quidquid est  
perfectioris in homine (idem pu-  
ta de cæteris creaturis), & aliun-  
de fecunditatem habeat ex se suf-  
ficientem ad hominem producen-  
dum: nec dubium, quin continen-  
tia ista, sive dicatur terminative  
conditionata, sive secus, subjec-  
tive sit absoluta, & cum Deo iden-  
tificata. Sed hujusmodi continen-  
tia necessario infert, hominem non  
esse chymeram: ergo infert, ho-  
minem esse possibilem, adedque

cum ejus possibilitate connectitur.  
*Prob. Min.*: ejusmodi continentia  
continet hominem potius, quàm  
chymeram; alioquin Deus, sicut  
est eminenter homo, ita esset emi-  
nenter chymera; quod absolum  
est: sed non potius contineret ho-  
minem, quàm chymeram, si non  
inferret, hominem à chymerâ dis-  
tingui: ergo, &c. *Urgetur 1.*: con-  
tinentia illa facit, Deum esse emi-  
nenter id, quod homo esset for-  
maliter, si existeret: sed facere non  
potest, ut Deus sit eminenter im-  
plicans contradictionem: ergo per-  
mittere non potest, ut homo, si  
existeret, esset formaliter impli-  
cans contradictionem; quod est  
excludere impossibilitatem homi-  
nis.

19 *Urgetur 2.*: Deus nullo  
modo continet chymeram ut tali-  
lem: unde vel Adversarij dicunt,  
potentiam Dei non extendi ad chy-  
meram, nisi sub conditione quod  
fiat possibilis, id est, sub conditio-  
ne quod desinat esse chymera: &  
licet aliqui Recentiores anonymi  
apud P. Hemelman oppositum  
dicere videantur, id tamen esse  
contra communem sensum SS. Pa-  
trum, Theologorum, & Philoso-  
phorum, planè ostendit P. Peyna-  
do *cit. disp.* 3. n. 26.. Deus ergo  
necessario infert, id, quod conti-  
net, distingui à chymerâ quâ tali:  
cum ergo contineat eminenter ho-  
minem, hunc à chymerâ quâ tali  
distinctum necessario infert. *Urge-  
tur 3.*: Deum continere eminenter  
hominem, est habere perfectio-  
nem ab homine participabilem



verè, seu non chymericè: ergo in eâ continentia fundatur, seu radicatur hæc veritas, *Si perfectio Dei participaretur ab homine, non chymericè participaretur.* Sed veritas ista est ipsa possibilitas hominis, vel eam significat: ergo &c.

20 Ex hucusque dictis planè deducitur, Deum metaphysicè connecti cum possibilitate omnium creaturarum, & impossibilitate chymerarum omnium, non solum in communi, sed etiam in particulari. Tum quia Deus ad nullam creaturam, vel chymeram, potest habere potentiam impeditam, vel ex se impedibilem ab extrinsecò, nec conditionatam sub conditione impossibili. Tum quia essentialiter infert distinctionem singulorum possibilium à singulis chymeris, & è converso, cum eorum inter se identitatem efficere non possit. Tum etiam, quia si vel una chymera fieret possibilis, Deo adveniret nova continentia, novaque potentia intrinseca, quam modò non habet: & si vel una creatura fieret impossibilis, Deo deficeret aliqua vera potentia, & continentia, quam modò secum identificat: Deus autem essentialiter excludit eventum, in quo ipse vel accedat nova perfectio intrinseca, vel deficiat ea, quam secum identificat in præsentia.

21 *Dices:* non deficit potentia, nisi deficiat ejus terminus formalis primarius, seu ratio formalis *sub quâ*: sed, etsi deficeret possibilitas formicæ, non idèò deficeret potentia Divinæ ratio for-

malis *sub quâ*, nempe ratio entis ut sic: ergo &c. *Resp.* In primis potentia Divinæ non correspondet à parte rei ulla ratio formalis præcisa, vel abstracta, cum nulla talis detur, aut dari possit à parte rei: nec aliter Omnipotentia tendit sub ratione entis, nisi quatenus essentialiter habet extendi posse ad omne individuum, de quo verificatur esse ens, inclusâ etiam formicâ. Si autem formica fieret impossibilis, jam Omnipotentia non posset extendi, ut nunc, adèòque non esset eadem, quæ nunc. Deinde potentia Dei tam est intrinsecè productiva formicæ secundum rationem specificam, vel individualem, quam secundum rationem entis: ergo tam deficeret ex defectu possibilitatis unius, quam alterius. Denique, ne in vocibus hæreamus, omisâ *Maj.*, *neg. Min.*: quia ratio formalis *sub quâ* Omnipotentia, non est ratio entis utriusque, sed ratio entis ut contrahibilis ad omnia inferiora nunc possibilis, nullo excepto: quæ ratio in eâ hypothesi non maneret eadem, ut patet.

## CAP. II.

### CONTRARIA ARGUMENTA diluuntur.

**U**T objectiones ferè omnes instentur, præ oculis habendum est 1. quòd Deus connectitur cum earum impossibilitate chymerarum, de quibus *cap. præc. n. 10.*, ut fatentur Adversarij passim; neque ulla ra-

tionem negari potest, ut efficaciter ostendit P. Peynado *cit. disp. 3. n. 35. & seq.* Quis dubitet, quin Deus ex suis præcisè prædicatis intrinsecis excludat eventum, in quo ipse non esset essentialiter unus, aut sanctus? Talis autem esset eventus, in quo non repugnaret alter Deus, aut peccatum divinum. 2., quòd Deus etiam connectitur cum his veritatibus objectivis: *Possibilitas hominis, si daretur, non esset impossibilitas: Possibilitas rerum potius, quam impossibilitas, si detur, denominat Deum absolutè potentem: Homo, si fuerit possibilis, erit producibilis à Deo, & si chymera fuerit, improducibilis.* Constat hoc ex Adversariorum doctrinâ *cap. præc. relatâ. 3.*, quòd similiter Deus connectitur vagè cum possibilitate, vel impossibilitate rerum, seu cum hac veritate objectivâ: *Creatura vel sunt possibles, vel sunt impossibles:* ab hac enim pendet juxta Adversarios, quòd Deus sit, vel non sit absolutè potens operari ad extrâ: & repugnat, Deum existerè, quin sit vel absolutè potens, vel non absolutè potens.

2 *objic. 1.*: ex connexionè Dei cū possibilibus plura sequuntur absurda: ergo rejicienda est talis connexio. *Prob. Antec. 1.*: quia sequitur contra Scripturam, & Patres, Deum dependere à creaturis, ipsique indigere, siquidem sine illis ut possibilibus nequit existere. Et hinc Deus non erit sibi sufficiens, cum ad suam existentiam, atque ad suam felicitatem indigeat possibi-

litate creaturarum. 2.: quia Deo inerit ordo, seu relatio transcendentis ad possibilia: unde Deus ex se ordinabitur ad creaturas. 3.: quia Deus à creatoris specificabitur. 4.: quia veritas hæc, *Formica est possibilis*, non minùs erit necessaria, quam illa, *Deus existit*, siquidem ista deficeret, illà deficientem; quòd est contra communem sensum, & contra doctrinam D. Thomæ dicentis, *Ea sunt maximè necessaria, quæ sunt maximè entia.* 5.: quia Deus connectitur etiam cum possibilitate peccati à creatura parabilis, critque proinde necessariò alligatus termino, quem odio prosequitur. 6.: quia Beati, videntes Omnipotentiam, in eâ videbunt cuncta possibilia, atque adèò comprehendent Omnipotentiam. *Confirmat:* Omnipotentia inconnexa perfectior est, & Deo dignior. Tum quia magis est independens à creatoris, scilicet non solum à creaturis ut existentibus, sed etiam ut possibilibus. Tum quia magis est indefectibilis, cum etiam pro eventus impossibilitatis creaturarum deficere non possit. Tum quia majorem habet virtutis amplitudinem, cum & ex se possit producere chymeras, & possit etiam ex se producere creaturas, tametsi fierent impossibiles.

3 *Ad objic. neg. Antec.* Ad 1. *prob.* Deus in primis non dependet à creaturis ut existentibus: deinde nec ab earum possibilitate dependet, tamquam à causâ, vel complemento sibi proprio,



& intrinsicis: & hanc solam independentiam Deo attribuunt Scriptura & Patres. Solum ergo Deus connectitur cum creaturis ut possibilibus, tamquam cum termino extrinseco, quem essentialiter infert, non ut ab ipso perfectionem accipiat, sed ut ipsi perfectionem impertiat, cum voluerit. An autem connexio, sic intellecta, vocari possit *dependentia*, vel *indigentia*, quæ sit de non in. Plures teripulum continent, dummodò conuenit locutionis sensus. Alij tamen (& me iudice, rectius) *dependentia*, & *indigentia* vocabulum respiciunt: quia non omnis connexio, etiam metaphysica, recurrit cum dependentia, vel indigentia, ut cernere est in essentiali connexionione Personarum Divinæ Trinitatis inter se, quæ tamen non invicem dependent, nec propriè indigent: quod item patet in essentiali connexionione Dei cum impossibilitatibus, & veritatibus objectivis, notatis n. 1., à quibus non pendet Deus; vel, si pendet, cur à creaturarum possibilitate pendere nequeat? Itaque unum non posse existere sine alio, non est propriè dependere, nec indigere, nisi quando illud aliud requiritur ut causa, vel complementum intrinsicè perfectivum, vel saltem ut terminus distinctæ naturæ acti existens; quod in præfenti non accidit.

4 Nec ex connexionione sequitur, quòd Deus non sit sibi sufficiens: nam possibilitas creaturæ non requiritur ad existentiam,

aut felicitatem Dei, per modum termini veræ indigentia, id est, per modum causaantis, vel intrinsicè constituentis Deum in ratione existentis, aut felicitis; sed unice per modum ext infeci connotati, seu termini purè extrinseci, quem ipse Deus infert ut à se perfectibilem. Quare Deus habet à se & in se, quidquid est formaliter sua existentia, inque felicitas (nam hæc tota consistit in perfectionibus Divinis); & aliunde ex se eriam, & ab intrinsicè intere, abique alterius iuvamine, quòdquid ad eam necessarium est per modum parti connotati extrinseci. Quænam autem major insufficiencia? Multò apparentius ex inconnexione resultat Deus dependens, indigus, & sibi insufficientis; cum expectet aliunde possibilitatem rerum sibi non debitam, ut sit absolute Omnipotens, liber, potens dominari, &c.

5 Dices: Deus argueretur indigus, & dependens, si connecteretur cum creaturâ ut existente: ergo pariter, si connectatur cum creaturâ ut possibili. Neg. Consequ.: nam idèd verum est Antecedens, quia connexio illa vel redderet Deum contingentem, utpotè connexum cum termino contingente; vel redderet creaturam indefectibilem, utpotè illatam à connexionione indefectibili, proindeque non liberè productam à Deo: & utrumque argueret Deum imperfectum, atque adeò incapacem dependentia, & indigentia. At nihil simile in connexionione, quam ponimus; cum nec Deum reddat

connexum cum termino contingente, neque ullam creaturam necessariò productam, aut existentem. Insistes: possibilitas creaturæ non distinguitur ab eius existentia: ergo, si Deus connectitur cum possibilitate, connectitur cum existentia. Verum hoc est confundere sensum quæstionis, quem satis in limine explicavimus. Pariter enim ex eodem principio argui poterit sic: Deus scit possibles esse mille Mundos, ergo scit mille Mundos existere: item, scientia visionis, quæ noscit creaturas existentes, est contingens, ergo & contingens est scientia simplicis intelligentia, quæ possibles noscit. Itaque possibilitas non sumitur nunc absolute prout est aliquid actu, sed conditionatè prout esset aliquid actu verum, & non repugnans, si exerceretur; quo sensu non est quid contingens, ut omnes supponunt, & in Metaphysicâ explicabitur: quod si existentiam accipias eodem sensu, pariter erit necessaria, & terminans connexionem Dei. In forma, transmissio. Antec., dist. Conseq.: connectitur cum existentia, ut absolute exercita, neg.; ut verè, seu non repugnanter exercenda, si poneretur, cons. Vel sic: cum existentia, prout verificante scientiam Dei necessariam, cons.; prout verificante scientiam Dei contingentem, neg. Consequ. Et in eodem sensu concedo, vel nego, Deum connecti cum possibilitate, si hæc ab existentia non distinguitur.

6 Hinc frivolum est, quòd

aliqui objiciunt sic: Possibilitas rerum ab aeterno est nihil: ergo Deus cum nihilo connectitur ab aeterno. Similiter enim infertur, quòd Deus ab aeterno, quatenus scivit creaturas esse possibles, nihil scivit; & quòd modò circa creaturas non existentes nihil scit. Ne tamen impliceris, dist. Antec.: est nihil, sumpto ly est per statum, cons.; sumpto per ampliationem, & prout reddit sensum æquivalenter conditionatum, neg. Antec. Tum dist. Consequ.: cum nihilo connectitur, quòd nihil sit absolute, cons.; quòd nihil sit conditionatè, seu quòd non foret aliquid verum & reale, si poneretur, neg. Consequ. In summâ, quidquid sit de constitutivo possibilitatis, nostræ sententia sufficit, quòd Deus essentialiter inferat in intellectu suo hanc veram notitiam, Creaturæ, si existent, non implicarent contradictionem; ita ut, si notitia hæc per impossibile falsificaretur, aut impediretur, necessariò deficeret Omnipotentia, libertas Dei, &c..

7 Jam ad 2. prob. n. 2.: satis communiter admittitur in Deo relatio transcendentalis ad creaturas possibles; nec talis relatio censetur dedecere Deum, si non sit ordo ad aliud, tamquam ad causam, vel complementam intrinsecum, vel tamquam ad finem propriè talem; sed unice tamquam ad purum terminum extrinsecum, eamque, non ut existentem, sed ut possibilem. Alij tamen, præsertim Thomistæ, hujusmodi relatio-



nem in Deo negant; quibus favet saepe D. Thomas apud Prado cit. q. 21. §. 2., & P. Suar. d. 47. Met. l. 15. n. 15.. Et ratio esse potest, quod relatio, vel ordo transcendentalis ex communi apprehensione non est qualibet connexio, etiam metaphysica, sed ea tantummodo, quæ respicit causam, vel complementum, vel terminum ejusdem ordinis, vel saltem terminum, qui, si existeret, aliquid commodi, vel incommodi afferret fundamento relato. Nullo autem ex his modis respicit connexio Dei creaturas posibles. Lis est vocalis; in qua videntur Adversarij quid sibi dicendam ad instantias n. 1.. Ad 3. prob.: Deus non specificatur à creatoris formaliter, & intrinsecè, sed tantum extrinsecè, & argutive, quatenus ex possibilitate infinitarum creaturarum colligimus perfectionem Dei; quæ non est absolutitas, sed certa veritas, etiam in creaturis existentibus, ut docet Apostolus Rom. 1. 20..

8 Ad 4.: veritates illæ non sunt æquæ necessariae quoad absolutam existentiam subiecti: nam prima nullam importat existentiam absolutam; secunda verò importat existentiam Dei necessario exercitam. Et in hoc stat, quod solus Deus sit simpliciter ens necessarium: cum enim nulla res dicatur actu & simpliciter ens, nisi quando absolute existit, id solum simpliciter dicitur ens summe necessarium, quod summa necessitate existit absolute: hoc autè de solo Deo ve-

rificatur; nam creaturarum possibilitas nullam habet necessitatem absolute existendi. Et hinc, quæ sunt maxime entia, sunt maxime necessaria, scilicet necessitate existentia. Solum igitur veritates illæ dici possunt æquæ necessariae quoad verificationem, vel exclusionem falsitatis in lineâ diversâ, nempe altera in lineâ conditionatâ, altera in absolutâ: quia tam impossibile est non verificari scientiam Dei sic enuntiantem, *Si fornicia existeret, non implicaret contradictionem*, quam scientiam Dei sic dicentem, *Deus existit*. Nec Adversarij dissentient, si premantur instantijs n. 1.. Si fortè inferas: ergo hæc veritas, *Deus est*, non est omnium maxima. *Dist. Consequ.*: non est omnium maxima quoad dignitatem & excellentiam objecti, vel subiecti, *neg.*; quoad præcisam exclusionem falsitatis, *subdist.*: non est maxima omnium absolutarum, *neg.*; omnium, etiam conditionatarum, *conc. Consequ.*: & iterum instantias appello.

9 Ad 5.: Deus etiam connectitur cum possibilitate peccati creatura: quia, repugnante peccato, non staret potentia permissiva, punitiva, & condonativa peccati, quæ est vera & intrinseca Dei perfectio. Nec peccati possibilitas odio habetur à Deo prout terminat Divinam connexionem, scilicet prout est objectum scientiæ simplicis intelligentiæ; quia, prout sic, nullam actualiter continet malitiam, aut offensam Dei, sed tantum contineret, si existeret. Sed

*Alces.* Si Deus cum peccati possibilitate connectitur, illam amabit; & quoniam illa identificatur cum malitiâ peccati, hanc etiam amabit Deus. *Prob. Sequel. 1.*: quia Deus amat suam potentiam cum eâ possibilitate necessario connexam, & ut connexam: ergo amat terminum connexionis 2.: quia Deus amare debet quicquid est necessarium ut ipse existat: sic autem necessaria est illa possibilitas, positâ connexionem. 3.: quia debet etiam Deus amare quod sibi melius est: melior autem Deo est peccati possibilitas, quam impossibilitas, nam, si hæc daretur, deficeret Deus, ut contendimus. *Resp.* Hoc etiam subest prædictis instantijs: nam Deus connectitur saltem vagè cum possibilitate, vel impossibilitate peccati: ergo vagè amabit utramlibet. Connectitur item cum eo, quod peccati possibilitas, si detur, non sit impossibilitas: ergo amabit possibilitatem sub conditione quod detur.

10 Quare *neg. sequel.*, quin obstent probationes. *Ad 1. neg. Consequ.*: nam qui amat rem ut connexam, & connexionem ut talem, etiam antecedentem, non debet amare terminum, qui præcisè inferitur ut possibilis, non verò ut existens, aut exiturus: talis quippe connexionis amor ex se relinquit terminum in statu, in quo sit purum nihil, nullum que bonum actualiter habeat. Sic Deus amat libertatem creatam ad observanda præcepta, cum sit Author illius; & tamen non ideo amat peccatum ut

possibile, quo cum certè connectitur ea libertas, saltem ut proxima, & expedita. Id quod maxime verum est, quando amor connexionis non est liber, nec practicus, ut accidit in casu nostro, & accidit etiam in amore, quo Deus amat infallibilitatem Scientiæ suæ de peccato possibili. Solum ergo amor connexionis censetur, interpretative saltem, amor termini, quando amor est liber, & practicus, & aliunde connexio est simpliciter antecedens (ex defectu illius conditionis Deus non amat peccatum, licet amet infallibilitatem suæ scientiæ visionis de peccato existente, vel etiam connexionem actus fidei cum peccato Antichristi futuro), & insuper infert terminum ut existentem, aut exiturum: tunc enim connexionis amator censetur liberè determinare terminum ad existendum, adeoque illi procurare quicquid boni per identitatem habere potest; quod absdubiò indicium amoris est, siquidem amare, ut ajunt, est velle bonum. Et hac ratione Nostri contra Thomistas arguunt, quod si Deus prædeterminaret ad materiale peccati, cum malitiâ necessario connexam, Author malitiæ foret, & illam amaret. Non ita res habet in casu nostro. Unde, licet concedatur, amari à Deo suam connexionem, prout ex se infert possibilitatem peccati, & prout est forma denominans peccatum extrinsecè possibile, non sequitur extensio amoris ad possibilitatem intrinsecam peccati, sed totus amor sistit in extrinsecâ formâ de-



nominante; non aliter, ac amor, quo Deus amat se scire peccatum possibile, vel etiam existens, dum committitur, vel quo suam scientiam amat ut denominantem peccatum cognitam.

11 Ad 2.: possibilitas peccati non est necessaria ad existentiam Dei per modum causæ, vel prærequisiti, vel complementi Deum perficientis, aut intrinsicè afficientis; sed tantum purè extrinsecè, & consequenter, scilicet per modum termini necessariò illati à Divinâ existentia. Talis autem terminus non debet à Deo amari; sicuti non amatur, quamvis eodem sensu necessariò sit ad existentiam libertatis creatæ, quam Deus amat. Ad 3.: peccati possibilitas, sicut non est Deo bona formaliter, aut causaliter, sed arguitivè tantum, & præsuppositivè; ita non est formaliter, aut causaliter Deo melior, quam impossibilitas, sed præsuppositivè, & arguitivè duntaxat, quatenus est terminus præsupponens, & quasi à posteriori arguens, in Deo dari potentiam permittendi, puniendi, & condonandi, quæ melior Deo est ipsa, quam non ipsa: nec alio sensu impossibilitas peccati foret Deo mala, vel noxia, si daretur. Quod autem hoc tantum sensu melius Deo est, non debet amari à Deo; præsertim cum nullo sit periculum, ne fortè deficiat ille terminus, arguatque Divinæ potentia ruinam, nisi Deus amore sollicito curam habeat illius conservandi: tale namque periculum Deus ipse removet essentia-

liter, præsciendo ab amore. 12 Ad 6. prob. n. 2.: plures Theologi negant, ex visione omnium possibilem in Deo inferri comprehensionem Omnipotentia. Quidquid de hoc sit, non sequitur, omnia possiblem videri, vel distinctè cognosci à beatis, quamvis clarè videatur omnipotentia, cum illis connexa metaphysicè; quia non necessariò videtur sub omni expressione, quâ visibilis est, & quâ comparari potest ad hæc vel illa possiblem. Sic videns oculis albedinem, licet clarè, & intuitivè videat rem essentialiter cum Deo connexam, & ab eo essentialiter dependentem, non idè Deum videt, neque ullatenus attingit per illum actum; quia talis intuitio non est comparativa, nec albedinem videt sub expressione *dependentis à Deo*. Et instatur ex n. 1. in connexionem vagam cum possibilitate vel impossibilitate rerum.

13 Ad confirm. negatur assumptum; cujus probationes non urgent. Non prima: tum quia jam supra negavimus, connexionem Dei esse dependentiam: tum quia, licet aliquo sensu talis esset, illa major independentia, quæ resultat apparenter ex inconnexione, non est vera perfectio Dei, sed chymérica, utpotè incompossibilis cum perfectionibus alijs vere Divinis, eujusmodi sunt potentia inimpedibilis ab extrinsecò, potestas dominativa, libertas, &c. Sic major independentia, quæ apparet in Deo in connexo cum impossibilitate alterius Dei, mendacij divini, &c., non

non est vera perfectio, nec Deo digna; quia infert ruinam Divinæ unitatis, veracitatis, &c. Non secunda: quia similiter illa major indefectibilitas, non vera, sed chymérica est: tum quia infert defectum perfectionum Divinarum, de quibus modò: tum quia similis est illi, quâ Deus fingatur indefectibilis pro eventu possibilitatis alterius Dei, vel aliarum chymèrarum iujusmodi: tum etiam, quia nostra sententia nullam in Deo agnoscit indefectibilitatem, nisi purè chymericam, videlicet non nisi pro eventu impossibilitatis creaturarum, chymérico ex parte Dei, & chymérico ex parte creaturæ: agnoscit ergo indefectibilitatem omnimodam, quâ major cogitari non potest, si cogitetur verè talis; quid enim magis indefectibile, quam id., cujus defectus undequaque implicat contradictionem? Non tertia: quia pariter chymérica est major illa virtutis amplitudo, cum destruat virtutem activam Deo dignam, & sit instar illius, quæ Deo assignatur ad plures Deos producendos, vel ad producendas chymèras omnes ut tales, sive in sensu composito impossibilitatis.

14 Objic. 2.: Divinus intellectus non infert essentialiter scibilitatem objecti determinati, licet essentialiter exigat scire quidquid fuerit scibile: ergo pariter de Divinâ potentia in ordine ad possibilitatem termini discurrendum Confirm.: Divina voluntas nulli objecto extra se adhæret essentialiter adhesionem affectivam, cum nihil extra se necessariò amet: ergo nec Divi-

na potentia essentialiter adhæret per connexionem creaturæ possiblem. Ad object. diss. Antec.: si sermo sit de objecto scientiæ contingentis, conc.; si de objecto scientiæ necessariæ, quæ dicitur simplicis intelligentiæ, neg. Antec., & Consequ.. Divinus enim intellectus essentialiter determinatus est, ut sciat determinatè quidquid essentialiter infertur ex alijs attributis Dei, atque adè ut sciat, possiblem esse omnes creaturas, & impossiblem esse chymèras omnes. Cur autem aliter accidat in objecto scientiæ contingentis, rationem dedimus cap. præced. Ad confirm. diss. Antec.: adhesionem affectivam in actu secundo, quæ consistat in amore actuali objecti extra se, admitto Antec.; adhesionem affectivam in actu primo, quæ consistat in potentia illud amandi, & inferat essentialiter illius amabilitatem ut possibilem, neg. Antec.. Tum diss. Conseq.: non essentialiter adhæret per connexionem productionis actualis, conc.; per connexionem virtutis productivæ in actu primo, neg. Consequ..

15 Objic. 3.: Omnipotentia est virtus ex se potens plusquam ad possiblem: ergo ex se verè potens est etiam ad impossiblem: ergo, & posset ex se verè potens esse ad ea, quæ modò possiblem sunt, licet impossiblem fierent. Prob. Antec.: Omnipotentia non est virtus purè sufficiens ad creaturas possiblem, sed est virtus plusquam sufficiens, & superabundans, cum infinitè excedat perfectionem omniū



possibilem, etiam considerata in ratione potentiae, & prout est attributum formaliter distinctum à cæteris: atqui virtus plusquam sufficiens, & superabundans ad aliquem terminum, ex se potens est ad alia præter illum: ergo &c. *Arg. Antec. Ad prob. dist. Maj.:* non est virtus purè sufficiens, sed plusquam sufficiens, respectu possibilem omnium singularim, vel etiam respectu cujusvis collectionis non includentis omnia possiblea, *conc.;* respectu collectionis omnium possibilem, *neg. Maj.;* & concessa *Minore, neg. Consequ.* Et instatur manifeste: nam Omnipotentia, quantumcumque ab Adversarijs amplificetur, non est virtus plusquam ad possiblea, & impossibilea, si possiblea fierent: sed tamen istorum omnium perfectionem infinite excedit, & excederet Omnipotentia, ut est certum (nisi forte inter impossibilea, quæ Deus potest, absurde numeres Deum alterum): adhuc ergo erit virtus plusquam sufficiens, & superabundans. Dic igitur, ad quid aliud extenditur?

16 Itaque Omnipotentia, quatenus formaliter & præcisè productiva est ad extrâ, respectu collectionis omnium possibilem virtus est purè sufficiens; quia nulla virtus inferior sufficiens est, & quia nihil aliud producere potest. Cum hoc tamen rectè cohæret, quod Omnipotentia, etiam formaliter sumpta, sit virtus perfectione superior, & excellentior, adeo ut omnium possibilem perfec-

tionem, ad illius perfectionem comparata, quasi nihilum reputetur: non enim est purè sufficiens per modum virtutis univocæ, sed per modum æquivocæ, & eminentialis. Nec idèd tota hæc eminentia perfectionis de materiali se habet ad possiblea producenda: passim quippe accidit, etiam in creatis, ut effectus exigat, & per se præsupponat virtutem se nobiliorem, ita ut à minore virtute produci nequeat. Sic naturalis intellectiva virtus Angeli (maximè si cum ejus substantiâ identificetur, ut sentiunt Adversarij passim), prout virtus naturalis est, perfectione superat omnes cognitiones à se naturaliter producibiles; à quibus tamen tota per se exigitur: nec illa virtus ex eo perfectionis excessu dici potest naturaliter sufficiens ad alios effectus. Hinc negandum est, quod in Omnipotentia ut tali possit aliquis perfectionis excessus ratione præscindi à virtute purè sufficiente, idèd, satis, solaque sufficiente ad omnia possiblea, & nihil ultra. Si enim concipitur Omnipotentia ut verè sufficiens ad omnia possiblea, nequit non concipi ut *virtus simpliciter infinita* (quæ est veluti definitio potentiae ad possiblea omnia sufficientis), & hoc ipso concipitur ut perfectione supereminens possiblea omnia.

17 *Replia.:* Omnipotentia excedit possiblea in perfectione: ergo etiam in ratione virtutis activæ, quæ ab ejus perfectione formaliter indistincta est: ergo est virtus plusquam adæquata possibleibus.

bus. Sed redit instantia n. 15. in omnipotentia inconnexa, & ea, quam nuper dedimus in virtute Angelicâ naturali. Et præterea illud in ratione virtutis activæ æquivocum est: potest eniam sumi, vel purè subjective, vel etiam terminative, quatenus scilicet significat de obliquo terminum à virtute producibilem. In primo sensu *conc. 1. consequ.*, sed nego in secundo; quia Divina virtus, ut talis, non dicit de obliquo terminum excedentem possiblea omnia. Sic dicimus passim, quod potentia obedientialis animæ nostræ, activa, & passiva, in esse entis est naturalis, & in ratione potentiae non est naturalis; quia scilicet illud in ratione potentiae sumitur terminative. Ad 2. *consequ.* dico, Omnipotentiam esse virtutem plusquam adæquatam in essendo, non in agendo. Si dicas, stare non posse subjectivam excessum sine terminativo, nec excessum in essendo sine excessu in agendo; rotundè nego, donec probes. Moneo tamen, Omnipotentiam esse virtutem plusquam sufficientem ad omnia possiblea, si hæc spectentur præcisè quoad substantiam, vel quatenus producibilia semel, & juxta propriam cujusque naturam: potest enim Deus eadem possiblea infinities producere, & reproducere, variando actiones, modos, & circumstantias, contra, vel supra merita ipsorum.

18 *Obje. 4.:* si Petrus fieret impossibile, non deficeret Omnipotentia: ergo hæc non connec-

titur cum possibilitate Petri. *Prob. Antec. 1.:* quia solum inde sequeretur, quod Deus non posset absolute producere Petrum: ex hoc autem non deficeret Omnipotentia; Petrus enim tunc se haberet, sicut modò chymera; modo autem non deficit Omnipotentia ex eo; quod non possit absolute producere chymeras. 2. : quia maneret adhuc in eâ hypothesei *virtus potens producere quidquid non repugnat*, qui est conceptus essentialis Omnipotentiae: maneret item virtus simpliciter infinita; quia manerent infinita alia possiblea, quæ producere posset. *Confirm. 1. :* quod unum possibile reddatur impossibile, passim accidit, quin idèd deficiat Omnipotentia: nam hæc veritas, *Petrus non occurrit* (idem puta de similibus alijs), possibile est, antequam Petrus currat;posito tamen cursu, redditur impossibile sit, cum omnino impossibile sit, quod præteritum non fuerit, ut ostendit D. Thomas 1. p. q. 25. ar. 4. ; ubi ad 2. docet, quod, dum aliqua, olim possiblea, deficiant à ratione possibilem, Omnipotentia manet immutabilis, & quidquid Deus potuit, potest, quantum in se est; sed tamen dicitur *Deus ea non posse, quia ea non possunt fieri.* Cur, ergo non idem dicatur pro hypothesei repugnantiae cujuslibet creaturæ in particulari? *Confirm. 2. :* si supponere defectum unius possibilem, est supponere defectum Omnipotentiae, pariter dubitare de aliquo possibili, erit dubitare de Om-



Omnipotentia: ergo quoties disputatur, an hoc, vel illud sit possibile, toties disputabitur de existentia Omnipotentia; quod est plusquam absurdum.

19 *Ad object. dist. Antec.:* non deficeret Omnipotentia formaliter per defectum possibilitatis Petri, *conc.*; nam defectus formalis est immediata carentia totius entitatis, vel alicujus intrinseci constitutivi; possibilitas autem intrinseca creaturæ distinguitur a tota entitate Omnipotentia: non deficeret arguitivè, *neg. Antec.*, & *Conseq.*; tunc enim argueretur defectus alicujus veræ potentia, & continentia eminentialis, quam secum identificat Omnipotentia: unde jam hæc non foret eadem, quæ modò est. *Ad 1. prob.:* ex eâ hypothesi sequeretur, quòd Deus amitteret veram potentiam intrinsecam, quam nunc habet, producendi Petrum. Nec Petrus se haberet tunc, sicut modò chymera, saltem extrinsecè: foret enim chymericus contra jus, falsque Divinum, & resisteret essentiali connexioni Dei cum ejus possibilitate; quòd non habent chymera, quæ modò tales sunt. Imò etiam intrinsecè dici posset chymera specialis indolis; quia intrinsecè haberet esse terminum violentem, & frustrantem jus Divinum. Et instatur *ex n. 1.:* pariter enim dici poterit, quòd Deus non deficeret, si possibile fieret divinum mendacium; hoc enim tunc se haberet, sicut modò se habent possibilia. Item in attributo sanctitatis, quo ro-

pugnante Deus non deficeret juxta doctrinam objectionis; tunc enim sanctitas se haberet, sicut modò qualibet perfectio chymericæ; Deus autem non deficit ex eo, quòd non habeat perfectiones chymericas. Item in æterno Patre, qui similiter dici posset non defecturus, licet repugnaret Filius, quem generat; sicut modò non deficit eo quòd repugnet Filius alter.

20 *Ad 2. redeunt instantia:* nam similiter Deus in dictis hypothésibus, eliciendo mendacium, non eliceret quidquam sibi repugnans; & carendo sanctitate, non ceteret perfectione verâ & possibili, sed adhuc maneret *cumulus omnium perfectionum possibilium*, qui est velut essentialis conceptus Dei: maneret item simpliciter infinitus; quia retineret infinitas alias perfectiones. Dicendum igitur, quòd de conceptu essentiali Omnipotentia est posse producere quidquid non repugnat modò, & in hypothesi verâ, consequenterque posse producere Petrum, & quolibet aliud individuum modò possibile; qui conceptus non maneret idem, repugnante Petro. Quamvis autem nos, qui pleraque possibilia non cognoscimus, utamur illâ expressione confusâ, *quidquid non repugnat*; Divina tamen potentia distinctè determinat in particulari possibilia omnia. Dicendum item, quòd, repugnante Petro, non maneret Omnipotentia simpliciter infinita, sed nulla, seu chymericæ; nec maneret potens ad cetera possibilia, quia cetera quoque

repugnarent consequenter ex Omnipotentia mutatione; quemadmodum ex repugnantia sanctitatis repugnaret etiam consequenter cetera Divina perfectiones. Hinc hypothesi ista, *Si solus Petrus repugnaret*, in ordine ad inferendam non repugnantiam ceterorum, vel Omnipotentia, reverà implicat in adjecto, vel infert utrumque contradictorium, saltem per mediatas consequentias: infert enim, Petram repugnare solum & non solum, ceteraque repugnare simul & non repugnare. Quod iterum patet exemplo illius, *Si sola Dei sanctitas repugnaret.*

21 *Ad 1. confirm.:* illa veritas, & quævis alia similis, non redditur in possibilis per se, & intrinsecè, sed solum per accidens, nimirum ex suppositione quòd cursus extiterit; quæ suppositio, & impossibilitas inde resultans, Deo libera est, seu liberè impediibilis. Est quidem per se impossibile, quòd præteritum sub ratione præteriti non fuerit; quia hoc perinde est, ac fuisse & non fuisse; in quo manifesta est contradictio, sicut in esse & non esse; unde nunquam fuit possibile, nec Deus ad illud potentiam habuit. Ceterum, ut explicat D. Thomas *cit. ar. 4. ad 1.*, res ipsa, quæ præterijt, specificativè sumpta, nempe cursus Petri (idem intellige de illâ veritate, *Petrus non currit*), non fit impossibile nisi per accidens, & impossibilitate consequenti, Deo liberâ. Quæ autem hoc modo sunt impossibilia, vere retinent

possibilitatem intrinsecam, & simpliciter talem; ut patet in ijs, quæ Deus decrevit nunquam producere; sunt enim impossibilia ex suppositione decreti; sed quia ista est impossibilitas consequens, Deo libera, & respectu ipsorum per accidens, idcirco manent intrinsecè possibilia, Deusque simpliciter potest ea producere. Idem patet in ommissione amoris pro instanti, quo quis liberè amat; imò in quolibet re contingente pro instanti, quo existit; est enim simpliciter contingens, & potens non esse pro illo instanti; & tamen *Omne, quod est, ex suppositione quòd sit, necesse est esse.* Hoc sensu dixit D. Thomas, quòd aliqua *deficiunt à ratione possibilium* (scilicet per meritam impossibilitatem consequentem, & per accidens); & quòd Deus, *quidquid potuit, potest* (scilicet potentia antecedente, simpliciter tali): dum autem addit, quòd *Deus dicitur ea non posse, quia ea non possunt fieri*, soluta innuit congruentem modum loquendi, de quo postea n. 25.

22 *Ad 2. confirm. dist. Antec.:* si dubicaretur, an aliquod objectum fiat de possibili impossibile, *conc.*; si solum dubicaretur, an sit modò possibile, *neg. Antec.*, & *Consequ.* Et instatur objectio illa sic: Supponere defectum unius perfectionis Divina, est supponere defectum Dei: ergo dubitare de al qua perfectione Divina, erit dubitare de existentia Dei: ergo tu, qui dubitas de connexionione cum possibilibus, quam ego ad-



ro esse perfectionem Divinam, dubitas de existentia Dei; & quicumque de connexionem disputat, de Dei existentia disputabit. Si dicas, te non dubitare, nec disputare de perfectione, quam satis constet esse Divinam; sed dubitare duntaxat, an connexio sit una ex perfectionibus verè Divinis: ex quo non sequitur dubium de existentia Dei; quia semper supponitur, Deum habere perfectiones omnes verè Divinas, & connexionem etiam, si verè talis est. Id ipsum tibi dictum habe. Nemo enim dubitat, nec disputat de ullo possibili, quod satis constet esse possibile; sed tantum dubitatur sæpe, an hoc, vel illud objectum sit unum ex verè possibilibus, supponendo semper, Deum habere potentiam ad omnia possible verè talia. Aliud esset, si quis dubitaret, an omnia objecta, vel omnia entia finita, sint possible: tunc enim non posset supponere, Deum habere potentiam ad possible omnia, cum nihil relinqueret certò possibile. Simile quid accideret, si quis dubitaret de omnibus perfectionibus in abstracto, an in Deo existerent.

23 *Objic. 5*: Deus non connequitur cum impossibilitate chymerarum: ergo nec cum possibilitate possible. *Prob. Antec. 1.*: quia, si chymera fierent possible, forent producibiles à Deo: ergo in eà hypothesi daretur Deus, adeòque non deficeret. 2.: quia chymera se haberent in illa hypothesi, sicut nunc creatura: ergo, sicut nunc Deus non deficit, ita

nec tunc. 3.: quia non verè dicitur, *Ideo chymera est impossibilis, quia Deus illam producere non potest*, sed potius è converso. Quod patet, tum ex D. Thomà 1. p. q. 25. ar. 3. docente, quòd objectum, in quo implicatur contradictio, *Omnipotentia non subicitur, non propter defectum divina potentia, sed quia non potest habere rationem factibilem, neque possibilem*. Et paulò inferius de impossibilibus inquit Angel. Doctor: *Unde convenientius dicitur, quòd ea non possunt fieri, quàm quòd Deus non possit facere*. Tam etiam, quia Deus nequit esse radix impossibilitatis: licet enim Deus sit, sicut omnis esse, non tamen ab eo venit non esse, seu repugnantia ad esse. Pone, quòd repugnet infinitum in actu: hæc repugnantia non oritur à Deo; non enim à causà infinita oriri potest impossibilitas effectus infiniti. *Confirm. ex D. Augustino lib. 3. contra Maxim. c. 12*, ubi rationem reddens, cur Filius Dei non genuerit, sicut Pater, Filium ad intra; sic ait: *Neque enim non potuit; sed non oportuit*: agnoscit igitur in Filio veram potentiam ad Filium alterum, qui tamen chymericus est. Pariter ergo vera potentia in Deo erit ad chymeras omnes.

24 *Ad object. neg. Antec.*; cuius probationes perspicue instantur in ijs chymereis, de quibus n. 1.; & præterea facile solvantur. *Ad 1. dist. Antec.*: forent producibiles à Deo nostro, *neg.*; à Deo alio, qui verè est impossibilis, & in eà hypothesi redderetur possible

lis,

lis, *conc. Antec.*; & similiter *dist. Consequ.* Profectò, qui fingit, chymeras fieri possible, debet consequenter fingere potentiam Divinam ad eas producendas; cumque potentia ista profus aliena sit à Deo verò, ut *cap. præc.* probatum est, affingi debet alteri Deo. Sic, qui fingit, divinum mendacium fieri possibile, fingere debet potentiam Dei ad mentiendum, quæ, cum repugnet verò Deo, propria erit alterius Dei cum nostro impossibile. Vel, si mavis, dic, in eà hypothesi fore, ut Deus deficeret & simul non deficeret, atque adeò chymericus esset: deficeret, quia mutaretur intinsecè, novam potentiam recipiendo, quæ modò non habet: non deficeret, quia posset ea tunc possible producere. Quod pariter Adversarijs dicendum pro hypothesi, quæ possibile fieret divinum mendacium. *Ad 2., vel neg. Antec.* propter dicta n. 19., quæ hic applicari possunt; *vel dist. Antec.*: chymera se haberent in ordine ad novum Deum, sicut nunc creaturæ in ordine ad Deum verum, *conc.*; se haberent in ordine ad verum Deum, sicut nunc creaturæ, *neg. Antec.*, & *Consequ.*

25 *Ad 3.*: causalis illa, sano sensu intellecta, vera est, & quasi à priori, quatenus in Deo exclusio potentia ad chymeram, assumi potest veluti radix inferens impossibilitatem illius. Notandum tamen, quòd hæc voces, *impotentia, defectus potentia, quia non potest*, & similes aliæ, nisi explicentur, communi usu negant potentiam ali-

quam, quæ, secundum se spectata, vera potentia sit, veraque perfectio: quo sensu dicimus, cæcum non videre, vel hominem non producere Angelum, ex impotentia, ex defectu potentia, quia non potest. Idcirco SS. Augustinus, Thomas, & alij, meritò renuunt voces illas indistinctè usurpare circa Deum, cui nulla potentia deest verè talis. Si tamen illæ voces præcisè negent, & excludant potentiam, quæ secundum se chymericæ est, & quæ, si daretur, non esset perfectio, sed imperfectio maxima; possunt utique in Deo verificari; sicut verificatur impotentia mentiendi, peccandi, deficiendi. Atque ita sumuntur à nobis in præsentia: non enim per illas Deo negamus nisi potentiam ad chymeras, quam in se spectatam putamus chymericam, quippe quæ foret potentia operativa, simulque non foret, cum nullum ipsi respondeat operabile. Hinc, sicut D. Thomas *cit. q. 25. ar. 3. ad 2.* ait, quòd *posse peccare est posse deficere in agendo, quòd repugnat omnipotentia*: & *propter hoc Deus peccare non potest, quia est omnipotens*; ita dici potest, quòd posse producere chymeram est posse deficere in agendo, quia est posse conari ad agendum, & nihil agere: quare Deus ideò chymeram producere non potest, quia est omnipotens.

26 Jam ergo patet, quo sensu intelligendum sit illud D. Thomæ, *non propter defectum divina potentia*: item illud, *convenientius dicitur* &c.; ubi non approbatur



ea locutio ut unice vera, sed ut congruentior, si scilicet *ly non possit*, sine explicatione dicta proferratur. Eodem sensu intelligi potest S. Augustini dictum, in *Confirm.* allegatum: de quo insuper videndus D. Thomas 1. p. q. 41. ar. 6. ad 2., & q. 42. ar. 6. ad 3., ubi sic illud explicat, ut nihil nobis obfit. Certè ab omni Theologo explicari debet: cum enim juxta omnes alter Filius divinus sit chymericus, profecto, quod non sit genitus à vero Filio, non provenit ex mera congruentia, prout sonare videtur illud, *non oportuit*. Intelligendum ergo juxta subjectam materiam; quatenus in necessarijs, cujusmodi sunt divina processiones, idem est non oportere, ac non esse possibile. Jam verò, quod Deus non sit radix impossibilitatis, verum est de radice activa; falsum tamen de radice pure illativa, seu determinativa: sic enim etiam Deus est radix omnis *non esse* contingentis creaturarum pure possibilium; quæ ideo non sunt, quia Deus eas esse non vult. Sic etiam juxta Adversarios Deus est radix impossibilitatis chymerarum n. 1.. Quod item dictum esto de infinito in actu, si chymera est: nec Deus, eo quod inferat impossibilitatem effectus chymericè infiniti, desinit esse causa infinita, cum sit potens producere plures & plures effectus sine fine.

27 Sed adhuc *replie.*: aliqua chymera est, cujus impossibilitate deficiente, non deficeret Deus. *Prob.*: per nos chymera est, quod sententia inconnexiois sit vera.

Fiat ergo possibilis chymera ista: numquid ideo deficeret Deus? minime: quia possibilitas hujus chymera foret veritas sententiæ inconnexiois; & hæc veritas in eo stat, quod pro casu possibilitatis chymera Deus non deficeret, sed permaneret idem, qui modò est: Deus autem certè non deficeret ex eo, quod verum fiat, ipsum non deficere, sed eundem permanere; qui nunc. Idem argumentum fieri potest circaabilia sic: per nos unum ex possibilibus est veritas sententiæ nostræ de connexione, quæ veritas in eo stat, quod Deus deficeret, quolibet possibili deficiente: & tamen, si deficeret ista veritas, non deficeret Deus; alioquin deficeret ex eo, quod falsum sit, ipsum deficere. Verum hoc sophisma instatur manifestè: si Deus connectitur cum veritate sententiæ affirmantis connexioem Dei cum chymera, n. 1. indicatis, v. g. cum suo mendacio ut impossibili: ergo Deus connectitur simul & cum impossibilitate sui mendacij, & cum veritate ista, *Deus deficeret facto possibili mendacio de vino*: ergo deficeret Deus pro casu, quo deficeret ista veritas, & simul daretur possibilitas mendacij sui: ergo deficeret Deus pro casu, quod falsum esset, ipsum deficere. Præterea objectio implicat in terminis, vel infert utrumque contradictorium: supponit enim veram esse nostram sententiam (alioquin nullam vim habet, ut est evidens), ad idque supponit, unam ex perfectionibus Deo intrinsicis esse connexioem cum possibilibus & chymera: aliunde fingit hypotheseum, in quâ perfectio ista Deo deficiat: dum ergo inde infert, Deum non deficere, sed eundem manere, qui modò est, vult eundem manere sine perfectionibus istis, quas nunc habet; quod est manere eundem, & non eundem. Dicendum igitur, quod Deus in utràque hypothese objecta clariùs deficeret ex eo ipso, quod non deficeret deficiente perfectione ipsius intrinsicæ: fieret enim eo ipso chymera manifestior, siquidem foret simul deficiens & non deficiens, idem & non idem, connexus & inconnexus.

28 Denique advertet 1., quod etiam verè dicitur, *Idè non potest Deus producere chymeram, quia chymera in se non est factibilis*, dummodò solum denotetur, ut communiter solet, causalitas, vel prioritas intentionalis, & quod nos; qui, cum non cognoscamus Divinam potentiã in se, movemur ad negandũ in Deo potentiã ad aliquod objectũ ex eo, quod prius cognoscimus, illud in se ipso implicare contradictionem. De cætero, dum ex possibilitate, vel impossibilitate terminorum, inferimus, Deum posse, vel non posse, illatio est à posteriori, vel à signo: dum verò procedimus contrario modo, illatio est à priori, vel tamquam à radice. Ne tamen putes, posse concipi Omnipotentiam ut talem in aliquo priori signo naturæ cum omnimodâ præcisione à possibilibus, vel cum præcisione indifferentiæ: non enim habet priorita-

tem in quo, sed pure à quo, nec præcisionem admittit, nisi puræ non inclusionis, seu distinctionis adæquatæ. Adverte 2., quod connexio Dei cum possibilibus vocari non debet *appetitus innatus*: non enim ita vocatur quævis connexio, etiam essentialis, sed ea tantummodò, quæ respicit terminum ut connaturalem appetenti, id est, terminum, quo appetens intrinsicè perficiatur juxta propriam naturam, vel saltem, quo actualiter existente melius & commodius se habeat, ac proinde cujus existentiam intendat aliquomodò.

29 Adverte 3., frivolum esse, quod aliqui objiciunt sic: Vera est hæc disjunctiva, *Vel Deus existit, vel Petrus est possibilis*: ergo ex negatione possibilitatis Petri rectè infertur, Deum existere. Patet *Consequ.*: nam, positã veritate disjunctivã, ex negatione unius extremi rectè infertur affirmatio alterius. Frivolum, inquam: eadem namque formã probatur oppositum, sic nimirum: vera est hæc disjunctiva, *Vel Petrus est possibilis, vel Deus deficit*: cum ergo ex negatione unius extremi sequatur affirmatio alterius, ex negatione possibilitatis Petri sequitur, Deum deficere. Similiter probari poterunt absurda quam plurima; v. g. quod existeret Filius Divinus, si non existeret Pater; quod Deus periret, non existente Mundo; quod hircocervus esset possibilis, non existente Petro: veræ quippe sunt hæc disjunctivæ: *Vel existit Pater æternus,*



vel existit Filius; vel Mundus existit, vel Deus perit; vel Petrus existit, vel hircocervus est possibilis. Itaque (ut in Summâlis advertimus circa Syllogismum disjunctivum) negatio unius extremi disjunctionis infert quidem positionem alterius, quando non destruit, sed illâsam relinquit veritatem propositionis disjunctivæ: minimè verò, quando veritatem illam destruit; ut accidit 1. quando disjunctiva propositio vera non est, nec esse potest, nisi ratione illius extremi, quod postea negatur, illa v. g. *Vel Mundus existit, vel Deus perit*; 2. quando extrema sunt invicem necessariò connexa, & propositio vera est ratione utriusque (quod non esse contra rationem veritatis disjunctivæ, supponit objectio), quo in eventu negatio unius secum trahit negationem alterius, ut in illâ, *Vel existit Pater aternus, vel existit Filius*, & in illâ pariter, quæ nobis objicitur.

## CAP. III.

## ALIAS ASSERTIONIBUS ABSOLVITUR Disputatio.

**E**X hucusque dictis facile colligi potest, quid sit asserendum super connexionione, tum possibilium cum Omnipotentia, tum causarum creatarum cum suis effectibus ut possibilibus, & è converso. *Assero* itaque 1.: possibilia connectuntur essentialiter cum Deo. Ita communis ferè omnium sententia. Ratio est: tum quia quævis crea-

tura possibilis est intrinsecè producibilis à Deo, tamquam à primâ causâ; hæc autem producibilis Deo deficiente repugnet: tum etiâ, quia creatura omnis est essentialiter *ens ab alio*, ac proinde supponit essentialiter *ens à se*, quod sit primum principium omnium entium ab alio. *Dices*: Petrus nunc existens nequit deficere, nisi volente Deo: ergo non deficeret, deficiente Deo; tunc enim Deus velle non posset defectum Petri. Verum hoc probat, creaturas ut existentes non connecti cum Deo, quod est evidenter falsum, & à nemine dictum. Quare *dist. Antec.*: nequit deficere &c. defectu nunc & absolute possibili, *conc.*; nequit deficere, nec posset deficere defectu solum possibili sub hypothesi chymericâ defectus Dei, *neg. Antec.* & *Consequ.*: nam Petrus in eâ hypothesi redderetur incapax existentia, atque adeò deficeret tum ab existentia, tum à possibilitate.

2. *Dices* iterum: deficiente Deo, chymera maneret impossibilis: ergo & Petrus maneret possibilis. *Neg. Consequ.*: quia chymera non fieret verè producibilis, eò quod deficeret Deus; nihil enim hic defectus eonderet, ut hircocervus produceretur: at Petrus fieret tunc verè improducibilis, cum à nullâ potentia produci posset. Unde *inferes*, connexionem Dei cum possibilibus esse mutuâ, & reciprocam; secus verò connexionem Dei cum chymeris ut repugnantibus: quia, licet existentia Dei sit sufficiens caput, & radix

dix illativa repugnantia chymerarum; non tamen est caput unicum; nam conceptus ipse objecti chimerici, scilicet *contradictio predicatorum*, producibilitatem excludit pro omni eventu, nec eam ullâ ratione acquireret ex defectu Dei. Quin etiâ carentia ipsa Dei non foret tunc possibilis præcisè, sed possibilis simul & impossibilis, adeoque novo titulo chymericæ; nequit enim aliter concipi, vel fingi carentia entis necessarij. *Distinctio* quoque Petri à chymerâ, sicut & indistinctio, chymericæ tunc esset: imò in hoc stare impossibilitas Petri, quod simul esset distinctus & indistinctus à chymerâ. Si inferas: ergo impossibilitas chymeræ magis est necessaria, quàm existentia Dei, siquidem illa persisteret, etiam deficiente Deo. *Neg. Consequ.*: nam existentia Dei excludit contingentiam pro omni eventu possibili, quæ est summa necessitas; ea enim, quæ consideratur pro eventibus etiam chymericis, non est vera necessitas, utpote non nisi chymericè exercenda.

3. *Asse. o 2.*: omnis causa creata connectitur essentialiter cum possibilitate suorum effectuum. Ita quoque sententia communis, etiam eorum, qui connexionem in Deo negant, paucis exceptis cum P. Oviedo: eaque procedit, non solum de connexionione mediata, quatenus omnis causa cum Deo connectitur, & Deus cum omni possibili; sed etiam de connexionione immediata. *Prob.*:

tum quia omnis causa secum identificate vim productivam suorum effectuum, quæ vis repugnet, si effectus fierent impossibiles, cum repugnet vis producendi effectum chymericum. Tum quia quævis causa essentialiter infert distinctionem suorum effectuum à chymeris, cum sit essentialiter potens dare esse veris entibus potius, quàm chymericis, & verè contineat virtualiter perfectionem potius eorum, quàm chymerarum. Probatio ista connexionem evincit, non solum cum effectibus in communi, seu cum ratione formali *sub qua*, quæ potentiam specificare dicitur, sed etiam cum singulis effectibus in particulari, quidquid dicant aliqui Thomistæ. Vide supra cap. 1. ad finem. Eadem probatio valet in causis inadæquatis; quibus connexionem immeritò negant aliqui cum P. Quiros. Valet item in causis purè obedientialibus relatur ad effectus supernaturales; quos per elevationem producere possunt, quidquid dissentiat P. Ripalda: nam ejusmodi causæ pariter inferunt distinctionem suorum effectuum à chymeris, atque adeò possibilitatem eorum.

4. Sed contra hoc ultimum *dices* 1.: ergo effectus supernaturales non erunt supra exigentiam naturæ. *Dist. Consequ.*: supra exigentiam naturæ, quæ petat illos producere, *neg.*; quæ petat illos posse producere potentia instrumentali, & inchoatâ, *conc.* *Consequ.* Vel aliter: non erunt supra exigentiam naturæ, quæ inferat, illos



illos actu existere, neg.; quæ inferat, illos non repugnare, si existant, seu non implicare contradictionem, *concl. conseq.*; in quâ nihil absurdi. *Dices 2.*: ergo Angelus, comprehensus hominem, cognosceret distinctè, & evidenter omnes, & singulos effectus, quos homo potest obedientialiter producere; nam entitas essentialiter connexa, si comprehensivè noscatur, est medium sufficiens ad cognoscendum evidenter terminum connexionis: Angelus ergo naturali lumine cognosceret distinctè, & evidenter plurima entia supernaturalia, imò ferè omnia, si potest homo elevari ad quodlibet. *Responsio* pendet ex conceptu *comprehensionis*, cujus examen non est hujus loci. Pro præsentis rogandus est arguens, an velit de ratione comprehensionis esse distinctè cognoscere terminos omnes, quibuscum connectitur objectum? Si neget; negabimus, & nos sequelam objectionis. Si asserat; negabimus suppositum Consequentis, scilicet Angelum comprehendere posse naturaliter hominem, saltem comprehensione perfectissimâ, & strictissimâ.

5 *Affero 3.*: quilibet effectus connectitur essentialiter cum possibilitate suarum omnium causarum. *Ratio*: quia quilibet secum identificat veram capacitatem ut causetur ab omnibus, & singulis suis causis, tam adæquatis, quàm inadæquatis, tam naturalibus, quàm obedientialibus; ab his, inquam, omnibus potius, quàm à causis chymericis; implicat enim vera capacitas accipiendi esse à causâ chymericâ: infert

ergo distinctionem earum omnium à chymericis, quod est inferre possibilitatem ipsarum. *Affero 4.*: quodlibet possibile connectitur mediatè cū quolibet possibili, & cū chymericâ quolibet ut impossibili. *Ratio*: quia quodlibet possibile connectitur immediatè cum Deo, & Deus immediatè connectitur cum quolibet possibili, & cum chymericâ quâvis: quod autem connectitur cum B. connexo cum C., connectitur mediate cum C.. *Affero 5.*: quodlibet possibile connectitur etiam immediatè cum ferè omnibus possibilibus. *Ratio*: quia quodlibet potentiam habet obedientialem ad producendum quodlibet, & ut producat à quolibet, ut vidimus *disp. præc. c. 5. S. 4.*: hæc autem potentia connexionem importat, ex dictis in *Affert. 2. & 3.*

6 Sed contra 4. *Affert. objicis 1.*: Si quodvis possibile connectitur cum chymericâ quâvis ut impossibili, sequitur, quod, si vel una chymera fieret possibilis, nihil esset possibile, sed omnia implicarent contradictionem, siue omnia simul essent, & non essent: ergo inutilis erit ad aliquid probandum argumentatio sub hypothese impossibili, siquidem sub eâ simul erit, & non erit quod intenditur, atque adeò simul inferetur, & non inferetur. *Neg. Conseq.* absolute: nam, licet hypothesis impossibilis sit inutilis ad probandum, aliquid esse possibile; utilis tamen est ad probandum aliquid tandem esse impossibile, seu repugnare. Atque ita frequenter usurpatur: cum enim dicitur v. g.,

*Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab ipso, jam ex parte conditionati ponitur indistinctio impossibilis: dum que sic pergitur, sed distinguitur à Filio, ergo procedit ab ipso; conclusio illa sensu æquipollet huic, ergo impossibile est quod non procedat ab ipso.*

7 Et in hoc etiam sensu usum est ejusmodi hypothese cap. 1. ut scilicet probaremus, impossibile esse quod Deus non connectatur cum possibilibus, vel indifferentiam Dei ad eventum, in quo nihil ad extra posset, esse Deo indignam, atque adeò chymericam; quamquam, & ibi licebat insuper quasi ad hominem usus talium hypotheseon, eò quod Adversarij, connexionem negantes, illum improbare non possent. Fateor, sub hypothese impossibili conditionatum involvere simul esse, & non esse; aliâs non esset impossibile: unde ex hypothese, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, tam sequitur, quod distingueretur, quam quod non distingueretur ab ipso; vel potius sequitur utrumque simul (quod ab omnibus fatendum est, cum certè processio, & distinctio in Spiritu Sancto identificentur, adeoque nequeat altera sine altera contradictionem involvere); sed nihilo minus rectè deducitur negatio distinctiois, scilicet verè talis, propriaque Personæ verè existentis; quia distingui simul, & nō distingui, non est verè distingui more Personæ realis.

8 Prædictis adde, quod sepe hypothesis impossibilis assumitur contra adversarium, qui non putat

eam impossibilem, ut accidit in dictâ hypothese de Spiritu Sancto contra Græcos assumptâ: tunc autem non est inutilis argumentatio. Interdum etiam præscinditur à connexionem generali objectorum inter se; solumque consideratur, aut inquiritur, an hoc objectum peculiari titulo inferat, aut destruat illud aliud? quem ad finem utiliter assumitur hypothesis impossibilis.

9 *Objic. 2.*: Petrus, nunc existens, non connectitur cum possibilitate suæ carentiæ: ergo non connectitur cum quovis possibili. *Prob. Antee.*: si carentia Petri fieret impossibilis; Petrus non deficeret; implicat enim deficere id, cujus carentia, vel defectus est impossibilis: atqui deficeret Petrus in eâ hypothese, si connectitur cum possibilitate suæ carentiæ: ergo &c. *Confirm.*: si Petrus ita connectitur, recta est hæc argumentatio, *Petrus existit, ergo potest deficere*: cum igitur ab opposito consequentis valeat illatio ad oppositum antecedentis, valebit sic, *Petrus non potest deficere, ergo deficit, seu non existit*; quæ tantæ illatio ex terminis videtur spuria. *Neg. Antecedens*, ab omnibus negandum; quia Petrus, & creatura quævis, est essentialiter ens contingens, ac proinde potens non existere; quod non haberet, si carentia ejus fieret impossibilis. Ad *prob. neg. Maj.*: tunc enim Petrus desineret esse ens contingens, adeoque verâ amitteret essentiam entis creati; quare necessariò deficeret; sicuti deficeret Deus, si desinerec esse ens necessarium. *Probatio* adjecta distingu-



tur sic: implicat deficere id, cuius defectus est impossibilis nunc, & in suppositione verâ, conc.; cuius defectus est, vel esset impossibilis in hypothese chymica, *subliff.*: implicat deficere quod id existentiam veram, & contingentem, quam nunc habet, *neg.*; quoad aliam essentialiter diversam, quam tunc haberet, *transfess.* Ad *confirm.*: utraque illatio recta est ratione materiæ, loquendo de existentia Petri verâ, & contingenti; hæc enim necessariò deficeret, seu fieret chymica, si non esset contingens, vel, quod idem est, si non posset deficere.


10 *Objic.* 3.: si Petrus, & ejus carentia connectantur cum Deo, sequitur, duo contradictoria formalia, nempe Deum, & carentiam Dei, esse inter se connexa quoad existentiam. *Prob.* absurda sequela: quia rectus erit hic discursus: *Si datur carentia Dei, datur carentia Petri* ( qui certe non existeret deficiente Deo ): *sed, si datur carentia Petri, datur Deus* ( siquidem carentia Petri cum Deo connectitur ):

*ergo, si datur carentia Dei, datur Deus.* Ea, ut ex carentia Dei tandem inferretur dari Deum; quod est, Deum, & carentiam Dei inter se connecti quoad existentiam. Omnia solutione P. Peynado, *neg. sequel.*: & in *probatione dist. Maj.* illius discursus: Si datur carentia Dei, datur carentia Petri contingens, quæ sola nunc est possibilis, *neg.*; datur carentia Petri necessaria, quæ nunc est chymica, *conc. Maj.*, positi enim carentia Dei, Petrus fieret impossibilis, ac proinde carentia Petri fieret necessaria, diversaque essentialiter ab eâ, quæ nunc est possibilis, & cum Deo connexa. Tum *dist. Min.* ejusdem discursus: Si datur carentia Petri contingens, & verè possibilis, datur Deus, *conc.* ( sola quippe talis carentia Petri connectitur cum Deo ); si datur carentia Petri necessaria, quæ modò est chymica, datur Deus, *neg. Min.* ( non enim chymicæ invicem connectantur cum Deo, ex n. 2. ); & tandem *neg. Consequ.*

**Disp. VIII. De Causa prima, quatenus concurrat cum secundâ.** 321  
facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitus. Consonat sensus totius ferè generis humani; ut enim inquit Mag. Augustinus tract. 106. in Joan. *Hæc est vis vera Divinitatis, ut creatura rationali jam ratione utenti non omnino aut penitus possit abscondi: ex partibus enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum, Deum Mundi hujus fatetur Authorem.* Soli reclamant Athei, idest, homines sine Deo, pauca, & infœcunda monstra, quæ delirium suum, fatuitatemque nulli unquam hominum pago universim persuadere potuerunt: contra quos Philosophi, & Theologi multis ac varijs demonstrationibus evidentè ostendunt existentiam veri Dei, hoc nomine intelligentes *Ens summè necessarium, incausatum, supremum, & unum in esse talis, à quo cetera omnia trahunt originem*; vel, quod in idem recidit, *Ens summè perfectum, omni carens imperfectione, & omni præditum perfectione possibili vel formaliter, vel eminenter.*

Quos ultimos terminos addimus, quia ex perfectionibus possibilibus aliæ vocantur *simpliciter simplices*, quæ scilicet in suo conceptu non involvunt imperfectionem, nec repugnantiam cum aliâ perfectione superiori, vel æquali; idèoque *meliores sunt ipsæ, quam non ipsæ*, idest, quam aliæ ipsis repugnantes; cujusmodi sunt *vivere, sapere, sanctum esse, veracem, omnipotentem* &c.: & omnes perfectiones hujusmodi continet Deus *formaliter*, idest, ita ut sub proprijs conceptibus de Deo affirmetur. Aliæ verò dicuntur perfectiones *secundum quid*, seu *non simpliciter*, quæ scilicet conditiones non habent modò dictas, ut *esse rosam, adamantum, Solem* &c.: & has continet Deus *eminenter*, idest, ita ut habeat perfectionem superioris ordinis, vi cuius possit perfectiones istas causalitate communicare, seu extra se producere.

Ex demonstrationibus communiter adduci solitis unam hinc breviter indicabimus, quæ magis hujus loci propria esse videtur. Ea fit: Quidquid productum & factum est, ab alio factum est; repugnat enim naturæ lumini, quòd res ulla semetipsam quoad primum esse producat; ab alio, inquam, quòd ab effectu suo non sit productum, cum pariter repugnet mutua productio quoad primum esse. Vel ergo factum est ab alio, quòd sit etiam productum, & causatum? vel quòd sit incausatum, & non à se? Si hoc posterius eligas: jam ergo existit ens à nullo dependens in essendo; ex quâ independentiâ facile probantur cetera, quæ pertinet ad conceptum veri Dei, ut mox attingam. Si verò primum optes; procedam interrogando, à quonam alio sit factum? an ab ente causato? an ab incausato? & sic deinceps, donec ad causam à nullo factam perveniatur. Nec prodest recursus ad infinitam seriem causarum, in quâ nunquam perveniri possit ad primam. Nam infinita illa multitudo causarum, vel continet aliquam improductam; & habemus intentum: vel nullam continet, quæ non sit ab alio producta; & sic vel earum aliqua producit se, vel producit aliam,



## DISPUT. VIII.

### DE CAUSA PRIMA, QUATENUS CONCURRENTER cum secundis ad earum effectus.

**E**XISTENTIAM Dei, qui primus Auctor, & prima Causa est rerum omnium, tot linguæ clamant, quot in Universo creaturæ existunt, quæ toridem sunt specula Divinæ potentæ, sapientiæ, & bonitatis; *Invisibilia enim ipsius* ( inquit Apostolus ad Rom. I. per ea, quæ



à qui réciproquement produit ( quod utrumque repugnat ), vel quærendum est extra collectionem earum omnium aliquod ens, à quo tota illa series trahat originem.

*Dices*, hinc probari quidem ens incausatum, non tamen necessarium, nec unicum, nec summè perfectum. Sed *contra*: in primis ens incausatum nequit esse contingens: nam alioquin posset esse, & non esse, ac proinde causam haberet cur sit potius, quam non sit. Deinde nequit non esse unicum; tum quia ens essentialiter necessarium, est essentialiter existens, atque adeò essentialiter singulare, nam existentia, ut actu exercita, non nisi singularium est; tum propter dicenda paulò inferius. Denique nequit non esse summè perfectum; quia non est unde limitetur ejus perfectio: non ex parte dantis, aut causantis, cum à nullo accipiat: non ex parte sui; quia nullum est fundamentum, nulla ratio, cur ens à nullo pendens, à nullo accipiens, nulli debens, & tamen perfectionem aliquam habens, non habeat omnem; non enim est major difficultas habendi à se unam, quam aliam, neque ulla ratio discriminis. Accedit, quòd omnis perfectio possibilis debet habere in aliquo ente aseitatem, & necessitatem essendi formaliter, aut eminenter; aliàs à nullo ente posset primò produci, adeòque non esset possibilis. Vel aliter: omnis perfectio possibilis, vel est increata, vel creata, seu creabilis. Si est increata, existit in ente incausato: si creabilis, est producibilis ab eodem incausato ente; ergo vel formaliter, vel eminenter continetur in ipso, juxta illud per se notum, *Nemo dat, quod non habet*.

Hinc sequitur etiam unitas, seu immultiplicabilitas entis incausati: nam talis unitas vera perfectio est, adeòque debet cum cæteris in illo ente contineri. Est, inquam, vera perfectio: tum quia ex communi hominum sensu ad excellentiam maximè pertinet non habere aliud simile, nec æquale: tum etiam, quia opposita pluralitas imperfectio est, vel imperfectionem supponit, cum sit obnoxia confusione, discordiæ, & alijs incommodis. Unde Cyprianus lib. de idol. vanit., *Ad divinum imperium (inquit) etiam de terris mutuemur exemplum. Quomòdò unquam regni societas aut cum fide capit, aut sine cruore desijt?* Et Athanasius in orat. cont. idol., *Ubi princeps non est, ibi disturbatio nascitur: unde concluditur, quòd multitudo Deorum, nullitas est Deorum.* Id quod & Ethnici docuerunt: nam Aristoteles librum 12. Metaph. ita concludit: *Entia nolunt malè gubernari. Non est bonum pluralitas principatum.* Unus ergo princeps. Et ante ipsum Homerus: *Multos imperitare malum est, Rex unicus esto.* Quod postea imitatus est ille, qui cecinit:

*Nulla fides regni socijs, omni que potestas  
Impatiens consortis erit.*

Predicta poterunt confirmari sic: Non repugnat summa perfectio, quæ major cogitari non possit verè talis. Nã omne, quod non est summè per-

fectum est aliquatenus imperfectum: non est autem imperfectum ex defectu perfectionis secundum se chymericæ, ut per se patet: ergo ex defectu perfectionis secundum se possibilis. Sed est imperfectum ex defectu summæ perfectionis: hæc ergo secundum se possibilis est. Atqui summa perfectio includit necessitatem existendi; nam ex terminis melius est existere, quam non existere, meliusque est non posse deficere, quam esse obnoxium interitui: ergo summa perfectio necessario existit: & eadem ratione necessario est summè sapiens, summè potens, unica, illimitata, infinita, summo prædita dominio supra reliqua entia, & habens cætera omnia attributa, quæ in Deo agnoscimus; nam omnia pertinent ad conceptum summæ perfectionis. Sed jam ad ejus concursum cum causis secundis deveniamus.

## CAP. I.

**D E U S I M M E D I A T E**  
concurrit ad omnes effectus  
creaturarum.

**C**onclusio hæc ad eò recepta est inter Orthodoxos, ut eam plures existiment propè catholicum dogma, & contrariam, cujus præcipuus defensor est Durandus, erroris in Fide damnent; de quo videri potest P. Suar. d. 22. Met. s. 1. Sensus illius est, causas creatas à Deo pendere, non solum in essendo, sed etiam immediate in operando; ita ut Deus non modò sit causa mediata omnium effectuum, quatenus eorum causas producit, & conservat; verum etiam immediate influat in omnem entitatem positivam, à virtute creatâ procedentem: quæ actio, sive influxus Dei cum causâ secundâ concurrentis, concursus simultaneus appellatur. Probatur 1. testimonijs sacrae Paginæ: ut Isai. 26., *Domine.., omnia opera nostra operatus es nobis*: Joan. 1., *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est*

nihil; & cap. 5., *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*; & cap. 15., *Sine me nihil potestis facere*: 1. ad Corinth. 12., *Deus, qui operatur omnia in omnibus*: Act. 17., *Deus, qui fecit Mundum, & omnia, que in eo sunt... cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia... In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Mitto alia innumera, quibus planè docemur, Deum formare humana membra in utero matris, producere fanum, herbam, triticum, flores, fructus &c.: quæ omnia de immediatâ Dei operatione constanter accipiunt SS. Patres, quorum plura loca indicat P. Suar. l. c..

2. *Prob. 2. ratione*: Deus habere debet in causas secundas, & in earum effectus, dominium perfectissimum, quo majus cogitari non possit: ergo & causæ & effectus debent Deo subjici, & ab eo pendere, subjectione, ac dependentiâ summâ. Atqui subjectio, ac dependentiâ multò major & strictior erit; tum ex parte causarum; si subiciantur & pendeant, non solum in essendo, sed etiam in or-



rando; tum ex parte effectuum, si Deo immediatè debeant suum esse, & eidem subjiciantur ratione sui, ab ipsoque pendeant, non solum per causam secundam, sed etiam per se: ergo &c.. *Confirm. 1.*: omnis effectus essentialiter à Deo pendet in conservari: ergo & in fieri, seu primò produci. *Antecedens* Fide certum asserit Exim. Doctor d. 21. Met. s. 1., illudque probat testimonij Scripturæ, & Patrû, & ratione demonstrat; nec videtur id negare Durandus, alijsvè catholicus. *Consequentia* verò probatur: quia nulla ratio est, cur effectus in conservari pendeat essentialiter ab eo, à quo non pendet in fieri: non enim difficilius est, imò facilius ex terminis, aliquamdiù retinere præhabitam existentiam, quam illam primò accipere: quare, si agens creatum sine concursu Dei sufficit ad dandum esse in primò instanti, cur non & ad conservandum in secundo? maximè cum ferè semper applicatum maneat per aliquod tempus, vel aliquot instantia: & quamvis statim deficeret, substitui poterit aliud, univocum, vel æquivocum.

3. *Confirm. 2.*: ad dominium Dei pertinet posse quaslibet operationes & effectus immediatè impedire, vel existentes destruere, quin necessariò destruere debeat eorum causas secundas; nisi fortè causa aliqua probetur essentialiter cum operatione connexa. Sic de facto impedit Deus combustionem ignis Babilonici, & motum aquæ Jordanis, & Maris rubri,

quin ignem, aut aquæ gravitatem destrueret, vel aliquo requisito, seu comprincipio creato privaret: Certè absurdissimum est, quòd, si entitas A. mediatè pendeat à serie mille causarum, non possit Deus entitatem illam destruere, quin de medio tollat mille alias, adeò ut impotens sit earum aliquam conservare, si velit effectum ultimum auferre. Atqui Deus non aliter hoc potest, nisi quatenus potest negare vel suspendere concurrentium suum immediatum, quo indiget omnis entitas ut producat, aut conservetur: ergo &c.. Patet *Minor*: quia si operatio ignis v. gr. non indiget immediato Dei concursu, quomodo poterit Deus illam impedire, vel existentem destruere, nisi destruat ignem? Certè ignis non percipit Dei præceptum, nec, si perciperet, minus integram haberet potentiam agendi. Saltem operatio potentia libera cum solis comprincipijs creatis, nullo modo posset à Deo cohiberi.

4. Solum superest recursus ad quamdam sympathiam, vi cujus omnis entitas creata essentialiter habeat non posse existere, nisi volente Deo. Sed verò, si omnis operatio creata immediatè pendet à Deo volente, illumque præsupponit essentialiter, debet illum præsupponere ut causam verè influentem, & non ut meram conditionem: id enim, cui non deest continentia & proportio ad influendum, si aliunde determinatè & in individuo prærequiritur ad agendum ex essentia ipsa actionis ut talis,

lis, non est mera conditio, sed virtus influens, ut inductione constat: & alioquin nunquam possit causa influens à mera conditione discerni. Hoc maxime urget, si Omnipotentia non sit distincta formaliter à voluntate Divina: sed urget etiam satis cum solâ indistinctione reali.

5. *Confirm.* denique: repugnat, quòd agens irrationale, nullamque præhabens ideam operis, se solo ac proprio Marte line javamine rationalis agentis producat opus mirè perfectum, & exquisitæ proportionis, multòque majori subtilitate, æconomia, & ordine partium, quam quæ possunt efficere peritissimi artifices: hinc enim, si quis in sylvâ inveniat egregiè pictam imaginem rosæ, lilij, leonis, aut equi, vel rotatum horologium motu ordinatissimo præditum, statim erit, nisi credat opus illud ab artifice valde rationali cum ideâ factum. Quod à fortiori verum est, si non unum, aut alterum opus ejusmodi, sed multiplex, & uniformiter stans temporibus efficiatur. Atqui vera rosa, verumque lilium, verus item leo, vel equus vivus, multò majori perfectione, subtilitate, vigore, harmonia, & ordine partium constant, quam pictura, horologium, aut aliud quodlibet artefactum: nec producuntur semel, aut iterum, sed propagatione perpetuâ, & uniformi. Prorsus ergo naturæ lumini repugnat, quòd hujusmodi opera proveniant a solis causis irrationalibus sine concursu rationali

lis agentis, nempe Dei, rerum omnium ideæ præhabentis.

6. *Objc. 1.*: potest Deus creare causam secundam, quæ non egeat immediato Dei concursu ad agendum; talis enim creatura commendaret bonitatem Dei, qui liberaliter potentiam integram agendi largiretur; ergo non est cur non censeatur, tales esse de facto causas secundas. *Neg. Antec.*: quia nec Deus potest se spoliare supremo & perfectissimo dominio, nec creaturam à subjectione, ac dependentiâ summa dispensare, nec illi conferre potentiam ad effectus carentes essentia entis creati, quales essent, qui non immediatè & ratione sui à Deo penderent. Sicut ergo Deus producere nequit creaturam indestructibilem, aut conaturaliter videntem Deum, quævis harum perfectionum communicatio quamdam apparentem liberalitatem præferat; ita in casu nostro. *Replic.*: ad perfectionem artificis pertinet posse horologium fabricare, quod deinde per se moveatur sine immediato artificis concursu: ergo pariter &c.. Verum hoc absurde probat, posse creaturas sine influxu Dei conservari per secula, sicut sine artifice conservantur templa, demus, & alia. *Quare neg. Consequ.*: quia illa perfectio humani artificis non est perfectio simpliciter simplex, sed tantum prout in tali subjecto, in quo supponit imperfectionem, nempe quòd non perfecte sibi substat artefactum, ita ut hujusmodi forma debeat essentialiter ab eo



pendere. Non ergo in Deum transféranda est illa perfectio, utpote repugnans perfectioni supremi dominij simpliciter simplici.

7 *Objic. 2.*: causa creata sæpe est æqualis, vel superior effectu; ergo poterit illum sine concursu primæ causæ producere. *Neg. Consequ.*: quia, sicut æqualitas, aut superioritas perfectionis non efficit, ut ignis v. g. producere possit aliam ignem, vel calorem, sine immediatâ dependentiâ à causâ materiali sustentativâ; ita non efficit, ut illum producere valeat sine immediato concursu causæ primæ; maximè cum æqualitas, aut superioritas se solâ non arguat virtutem operativam effectus; alioquin Angelus Angelum, vel Sol Solem, vel equus murem producere posset. Ut summum ergo sufficit æqualitas, aut superioritas, simul cum experienciâ activitatis, ut causa creata dicatur adæquata in suo genere, scilicet in genere causæ secundæ.

8 *Objic. 3.*: causæ, materialis, & formalis, ut in suo genere causent, non pendent immediate à Deo: ergo nec causa efficiens, ut operetur in genere causæ efficientis. *Disp. Antec.*: non pendent immediate à Deo, ut exercente munus subjecti, aut formæ, *consequ.* ut efficiente causalitatem ipsam materialem, & formalem, *neg. Antec.*, & *Consequ.* Itaque non solum materia, & forma, sed etiam causalitas ipsa materialis, & formalis, immediate producitur, ac pendet à Deo; non tamen ab illo

pendet tamquam à subjecto, vel formâ, seu non ita, ut Deum denominet materialiter aut formaliter causantem, quia munus, & denominatio ista imperfectione præferebat. At munus & denominatio *efficientis* nullam arguit imperfectionem, nisi addas *per modum agentis secundi, vel subordinati.*

9 *Objic. 4.*: si Deus immediate concurrat cum causis secundis, erit causa partialis; quod est contra dignitatem agentis perfectissimi. *Resp.*: Deus, dum concurrat cum causâ secundâ, licet sit causa totalis in suo ordine, videlicet primæ causæ; tamen in genere efficientis ut sic, causa partialis est, non in actu primo, sed in actu secundo, partialitate scilicet attemperationis, & dignationis, non verò partialitate indigentis, vel insufficientis virtutis; est enim Divina virtus ex se sufficientissima ut se solâ producat quosvis effectus, nec aliter suum concursum in actu secundo minuit, nisi ex dignatione, ut locum relinquat activitati creaturarum. Difficultas autem de actionibus causæ secundæ, quæ nequeunt oriri à solo Deo, soluta manet *disp. 2. cap. ult. n. 25. & sequ.*; nec ad præsens attinet; nam sive Deus concurrat cum causâ secundâ, sive secus, actio creaturæ essentialiter oritur ab ipsâ. Nè tamen intelligas, Deum non esse causam totalem totalitate effectus; totum enim producit, sicut etiam creaturam totum. Solum ergo non est totalis totalitate causæ actu *agentis*; quia ita influit hinc & nunc,

*Disp. VIII. De Causa prima, quatenus concurrat cum secundâ.* 527  
ut simul requiratur influxus causæ creatæ.

10 Ex dictis inferes, cum Deus dicitur plura operari *per causas secundas, vel medijs creaturis,* non significari, quòd Deus sit tunc causa purè mediata, & remota; sed solum quòd sæpe utitur creatoris tamquam causis sibi subordinatis, & ad ipsius nuncum operantibus, ut hæc quam à Deo acceperunt virtutem ostendant ad gloriam Conditoris. Hoc tamen non tollit, quòd simul in operando debeant ostendere subjectionem, ac dependentiam creaturæ propriam. Restat præcipua difficultas de concursu Dei ad actus liberos creaturæ, præsertim peccaminosos. Sed priusquam enodetur, stabilienda est sequens conclusio.

CAP. II.

CAUSÆ SECUNDÆ, ET  
causæ primæ cum ea concurrentis,  
eadem est actio.

1. I TA communiter Auctores nostri cum P. Suarez *cit. disp. 22. s. 3.*, & sæpe alijs. Contrarium docent Thomistæ frequenter (licet non omnes), apud quos Deus concurrat per actionem secum identificatâ, & in actu Divinæ voluntatis consistentem (non enim consistere potest, ut vult Mâlo, in actione identificata cū omnipotentia, prout formaliter distinctâ ab intellectu & voluntate, nisi difficultas de actibus Dei liberis, transteratur ad alia attributa sine causâ); quæ actio, prout terminatur ad effectum creaturæ, est concursus simultaneus; & prout ter-

minatur ad actionem creaturæ ipsius, est concursus prævius; quamquam aliunde concursum prævium esse volunt physicam prædeterminationem (de quâ post), & eam se habere dicunt per modum actionis Dei terminatæ ad actionem creaturæ. Sed conclusio nostra *probat*: actio creaturæ essentialiter pendet à Deo ut à causâ immediatâ: sed non pendet à Deo per aliâ actionem realiter distinctam: ergo pendet per se ipsam, tam *ut quod*, quam *ut quo*, ac proinde ipsa est actio Dei, per ipsamque oritur effectus à Deo: ergo non opus est aliâ actione superadditâ solius Dei. Utraque *consequentia* legitima est, etiam apud Adversarios; & *Major* indubitata; quia, cum actio creaturæ sit aliqua vera entitas, in eâ militant argumenta nuper allata contra Durandum; nec SS. Patres docent tantummodò, Deum esse causam omnis effectus, sed etiam omnis actionis, & operationis creaturarum.

2 *Minor* ergo *probat* 1. quia repugnat, saltem naturaliter: actio actionis, ut passim supponunt Philosophi cum Aristotele *5. Physic.*; & meritò quidem, cum actio ex conceptu suo sit effluxus & egressio sui, & termini, à virtute causæ. Nec ad rem est exemplum, quod Palancus opponit in externis actionibus humanis, quæ per aliam actionem pendent à voluntate: non enim actus voluntatis est physica productio deambulationis v. g. (alioqui voluntas esset potentia immediate influens physi-



æ in motum externum; quod nullus Thomista concedet), sed est tantum imperium & applicatio potentiaæ executivæ: hoc autem sensu nemo negat, actionem externam creaturæ, & Dei, oriri ab actu Divinæ voluntatis. 2.: quia superflua omnino est illa actio quasi reflexa; cum optimè possit eadem actio procedere indivisim à duobus agentibus, maximè quando alterum alteri subordinatur: quod patet in Intellectu & specie, nec non in Voluntate & habitu adquisito: quodque nominatim de Deo & creaturâ docet expressè D. Thomas 1. p. q. 105. ar. 5. ad 2. dicens: *Una actio non procedit à duobus agentibus (intellige totalibus) unius ordinis: sed nihil prohibet, quin una & eadem actio procedat à primo & secundo agente.*

3. 3.: quia sequitur, sufficere concursum prævium, & superfluum esse simultaneum; quod tamen vel Thomistis absurdum est. *Prob.*: quia Deus per illam actionem actionis, quæ est concursus purè prævius, immediatè causat actionem creaturæ: ergo per eandem immediatè causat effectum: nam sicut mediatio unius actionis non tollit immediationem causæ respectu effectus, ita nec mediatio duarum, cum neutra sit propriè medium. Superfluit igitur alia in super actio Dei, realiter, vel formaliter distincta, quæ terminetur ad effectum, & in quâ Thomistæ collocant concursum simultaneum. 4.: quia, si actio, quâ Deus causat actionem creaturæ, est physica præ-

determinatio, ut passim Thomistæ significant, Deus non immediatè causabit actionem creaturæ; sed mediâ qualitate creatâ; nam physica prædeterminatio passim à Thomistis vocatur qualitas, licet transiens: hoc autem est incidere in Duranditimum; non aliter, ac si diceretur, Deum non causare calefactionem, nisi medio calore. Quod si physica prædeterminatio ponatur pura actio modalis, jam admittitur actio Dei transiens, realiter à Deo distincta; quoposito, nihil jam prohibet Deum agere per actionem ipsam creaturæ. Si propterea dicas, Deum causare actionem creaturæ, non solum per physicam prædeterminationem, sed etiam per aliam actionem secum identificatam; prorsus inutiliter; & contra mentem Thomistarum admittes duplicem concursum prævium, utrumque immediatum, & utrumque prædeterminantem.

4. 5.: quia, si Deus actionem creaturæ causat per actionem præviam, Deus in actu secundo producat actionem creaturæ prius, quàm creatura ipsa: hoc autem cum libertate nostrâ non cohæret: quomodo enim liberi erimus ad actionem, quæ supponitur à Deo producta priusquam à nobis elicatur? 6.: quia illa actio actionis nec potest esse creatio, nec eductio. Non creatio: quia sequeretur, creationem admisceri semper in operibus naturæ, & artis, contra expressam doctrinam D. Thomæ 1. p. q. 45. ar. 8.: & certè, terminus illius actionis, v. g. calefactio,

non fit ex nihilo. Non eductio; quia hæc est actio pendens à subiecto præsupposito, in eo recepta, & realiter identificata cum passione: quæ omnia convenire non possunt actioni à Deo indistinctæ.

5. 7., & à priori: quia actio est propria illius virtutis, à quâ præsuppositâ pendet essentialiter, & immediatè inmediate ut *quo*, ita ut inter ipsam, & virtutem nihil mediet etiam modaliter distinctum (vel cedo, quàmnam aliâ ratione calefactio est propria actio caloris?): sed actio creaturæ pendet essentialiter à virtute Dei præsuppositâ, & ita immediatè, ut inter ipsam, & virtutem Dei nihil mediet etiam modaliter distinctum; aliâs medieret alia externa actio, à Deo distincta, contra doctrinam Adversariorum: ergo actio creaturæ est etiam actio propria Divinæ virtutis. Nec dicas, mediare aliam actionem, solum formaliter, aut virtualiter à Deo distinctam. Tum quia similiter dici poterit, virtutem creatam secum identificare quamdam actionem, quæ virtualiter aut formaliter mediet inter ipsam, & actionem transeuntem. Tum etiam, quia saltem in sensu reali nihil mediat inter virtutem Dei, & actionem creaturæ: ergo hæc in sensu reali est immediata, & propria actio Dei.

#### Objectiones soluta.

6. *Obje.* 1.: actiones specificantur à causis: ergo à diversis causis nequeunt non actiones diversæ provenire. 2.: actio creaturæ dependet à concursu Dei, & est

illo posterior: item concursus Dei est perfectior, & universalior, quàm concursus creaturæ: hoc autem sine distinctione reali inter utrumque stare nequit. Accedit, quòd Deus & creatura agunt sub diversâ ratione formali. 3.: Deus à creaturâ pendeat in operando; non enim potest operari per actionem creaturæ sine creaturâ. 4.: Deus nequit agere per actionem à se realiter distinctam. Tum quia Deus est agens infinitum in linea agendi, & infinitum in ea lineâ, in quâ infinitum est, identificat secum ultimam actualitatem, quæ actualitas ultima in lineâ agendi est actio: sic Deus nequit vivere per actionem vitalem à se distinctam, quia est infinitus in ratione viventis. Tum quia agens perficitur per suam actionem; Deus autem perfici nequit per actionem à se distinctam. 5.: quilibet effectus per se ipsum pendet à Deo; non enim est indifferens ut sit, vel non sit à Deo, si semel existat: ergo quilibet effectus est productio sui à Deo. Sed non est productio sui à causâ creatâ: ergo non eadem actione producitur à Deo & creaturâ.

7. *Resp. ad 1.*: actiones specificantur à causis, quando aliunde supponuntur realiter distinctæ; non verò, si realis actionum distinctio non supponatur; ut patet in actione procedente ab intellectu & specie, vel à voluntate & habitu. Sic etiam potentiaæ specificantur ab actibus; & tamen ab eadem potentia oriri possunt actus specie diversi, ut à voluntate amor &



odium, vel actus boni, & mali. Ad 2.: actio creaturæ posterior est, imperfectior, ac dependens à concursu Dei, sumpto in actu primo, idest, à Divino decreto Omnipotentiam applicante ad concurrendum; secus verò, à concursu Dei externo, sive in actu secundo; cum hoc enim identificatur actio creaturæ, ac proinde non est realiter illo posterior, &c.. Dico *realiter*: quia, si concursus Dei consideretur in sensu formali, seu prout ratione distinctus, saltem pro explicito, ab actione creaturæ; sic utique ex genere suo prior est prioritate logica, sive in substituendi consequentiâ, & in eodem sensu actio creaturæ ab illo dependet, quatenus rectè arguitur, *Existit actio creaturæ, ergo existit actio Dei*, non è converso: similiter in hoc sensu formali, ac præcisivo concursus Dei est universalior; quia sub nomine *conkursus Dei*, vel *operatio Dei*, extendi potest ad omnes actiones possibles: est item perfectior, saltem potestativè; quia contrahi potest ad perfectiores species actionum.

8 *Dices*: hæc ut summum vera sunt de concursu Dei ut sic, non verò de concursu Dei determinato, & individuo; in quo tamen salvari debet prioritas, majorque perfectio, & universalitas; quia Deus ad quilibet effectum individuum concurrat, & quidem in sensu reali, ut primum agens, & ut causa perfectior, & universalis, sibi que subordinans causam creatam. *Resp.*: concursus Dei determinatus

potest adhuc præscindi ab actione creaturæ, saltem præcisione non inclusionis pro explicito, nempe secundum talem respectum ad primam causam; & ita spectatus, est perfectior, universalior, & prior *præsuppositivè*, & *argutivè*; quia præsupponit & arguit virtutem perfectiorem, universaliorem, & prior rem virtute creatam. Sed, quidquid sit de præcisione istâ, ut Deus in sensu reali concurrat ut primum agens, & ut causa perfectior, & universalis, sibi que subordinans causam creatam, sufficit quòd agat per virtutem à nullo causatam, infinite perfectam, & universa continentem, sine cujus voluntate & influxu nec existere, nec agere potest causa creata. Hæc verò perfectiones resplendent etiam in concursu ipso actuali pro modulo ipsius, quatenus ipse per se & essentialiter præsupponit perfectiones illas in Deo. Hinc Deus, etiam *ut concurrans in actu secundo*, est agens primum, universale, subordinans &c.: tum quia in eâ denominatione non solum reduplicatur externa actio, sed etiam virtus, ipsa: tum etiam, quia, licet sola reduplicaretur actio, hæc per se & essentialiter est actio talis agentis, cui proinde tribuit denominationem *concurrentis* per modum *primi, universalis*, &c.. Sic substantia animæ, *ut actu influens* (saltem *ut quod*) in cognitionem, est causa substantialis, & tamen influxus ipse non est substantialis, nisi quatenus per se supponit substantiam. Sic etiam Sol, *ut actu concurrans* cum cor-

po:

pore sublunari, est causa universalis; & tamen actualis concursus ad determinatam effectum, abs dubio particularis est, nec aliter universalis, nisi quatenus per se supponit virtutem Solis.

9 Denique data doctrina explicari potest, tum exemplo intellectus concurrentis cum specie ad intellectionem: nam concursus intellectus passim dicitur perfectior & universalior, quam concursus hujus aut illius speciei impressæ; idè que dici solet, concursus intellectus determinari & coarctari per speciem: & tamen, si termino sit de concursu determinato ad cognitionem A., realiter sumpto, locutio ista non aliter vera est, nisi quatenus actio per se supponit perfectiorem & universaliorem virtutem in intellectu, quam in specie. Tum exemplo causarum efficientis & materialis: nam causalitas efficientis perfectior est, quam materialis; idè que ista dedecet Deum, illa non dedecet: & tamen utraque causalitas, nempe actio & passio, realiter eadem est, etiam apud Thomistas communiter: oportet ergo recurrere ad sensum formalem, vel ad vim præstandi diversas denominationes juxta diversam indolem causarum, quas per se supponit illa causalitas.

10 Et hoc exemplo solves quòd aliqui objiciunt: quòd scilicet, si eadem est actio Dei & creaturæ, dum producitur actus vitalis, eadem actio erit transiens & immanens, vitalis & non vitalis; nam respectu animæ erit vitalis &

immanens, cum tamen respectu Dei sit transiens & non vitalis. Concedimus sequelam respectu diversorum, in quâ non major absurditas, quam in eo quòd eadem causalitas respectu diversorum sit actio & non actio, passio & non passio; vel in eo quòd eadem actio sit vitalis & immanens respectu intellectus, & non vitalis nec immanens respectu speciei, quæ certè nõ vivit per eam actionem, nec eam recipit. Non tamen concedimus, quòd illa actio sit non immanens, aut non vitalis *absolutè*; quia negatio absoluta denotat, istam actionem nulli suo principio immanere, nullumque reddere vivens: solum id concedimus *relativè*, seu respectu alienius principij. Eodem exemplo actionis & passionis explicare poteris, quomodo actio realiter eadem tribuat Deo denominationem agentis per modum primæ causæ, creaturæ verò denominationem agentis per modum causæ secundæ & subordinatæ, quin denominationes istæ confundi, vel inverti possint.

11 Ex dictis colliges, quòd sensu dicatur Deus agere sub ratione entis, creatura verò non ita. Hoc non sic intelligas, ut sola ratio entis producat a Deo; producit enim Deus citra dubium prædicata omnia positiva: nec sic, ut ratio entis, identificata cum effectu, non producat a causâ secundâ; nam alias hæc ageret nihil, seu nullum ens. Totus ergo effectus producit a causâ primâ, & totus à secundâ, totalitate effectus, licet



non totalitate causæ. Sed dicitur Deus agere sub ratione entis, quia agit per virtutem ex se potentem agere quidquid est ens (intellige participatum); illa enim formalitas, quæ invenitur in omni effectu producibili ab aliqua potentia, & præterea in nullo, dicitur illius potentia ratio formalis *sub quæ*. Quodsi loquamur de actuali concursu, vel actione Dei, hæc etiam quandoque dicitur tendere sub ratione entis universali; sed tunc accipitur actio Dei *ut sit*, sive in communi: ceterum si sermo sit de actione terminatâ ad individuum effectum, ista non respicit rationem entis universalem, nisi præsuppositivè, quatenus per se oritur à virtute respiciente rationem ejusmodi.

12 Ad 3. *object. n. 6. neg. sequel.* absolute, etiam si loquatur de operando per actionem creaturæ: quia non propriè dicitur pendere in operando ab alio, qui non potest utcumque operari sine alio, sed qui non potest sine alio sibi non subdito in operando. Sic non propriè dicitur quis pendere à calamano in scribendo, si calamano habet ad manum cum potestate utendi pro libitu. Deus autem sibi subditas habet in operando creaturas omnes, etiam liberas. Quodsi dependentiâ impropriè voces illam necessitatem adhibendi causam creatam, posito quod Deus velit agere tali actione, & non aliâ, *distinguo* sic: Deus pendebit &c., dependentiâ se tenente ex parte Divinæ virtutis, *ut g.*; dependentiâ unicè se tenente

ex parte talis actionis exteæræ, *transseat*: hoc enim sensu dicere quoque poteris, quod Deus in educendo calorem, dependet essentialiter à materia; & in producendo unionem, dependet ab existentia extremorum. Nec objectio ista magis contra nos est, quam contra omnes: nam, sive Deus producat actionem creaturæ per actionem distinctam, sive non, certum est quod illam producere non potest sine causâ creatâ: semper ergo à creaturâ pendeat in operando talem actionem.

13 Ad 4. *neg. assumptum*, negandam etiam à Thomistis, qui communiter supponunt, Deum posse operari se solo per actionem eductivam; idèoque frequenter asserunt, Gratiam, & alias qualitates supernaturales, à solo Deo productas, educi verè & propriè, ut videre est apud Collegium S. Th. Complut. *lib. 1. P. phys. q. 4.* Et alioquin concursus Dei simultaneus, qui juxta Adversarios est actio solius Dei, foret actio creativa, contra D. Thomam supra citatum *n. 4.* Atqui actio eductiva nequit esse à Deo realiter indistincta, propter dicta *cod. n. 4.*; & alioquin passio Gratia in animâ non distingueretur à Deo: ergo Deus per actionem à se distinctam agere valet. Si dicas, identificari cum passione solam productionem passivam Gratia. *Contra*: productio passiva, vel est vera actio, vel non. Si est: ergo est actio alicujus, cui tribuit denominationem agentis; cujus autem, nisi Dei? Si non est:

ergo falsum est, quod actio & passio identificentur, contra quod Thomistæ communiter docent.

14 Nec obstant illius assumpti probationes. Non enim actio transiens, sed sola immanens, est actualitas, aut perfectio agentis; nam actio transiens, cum non sit in agente, sed in passio, vel termino, solum passum, aut terminum intrinsicè actualitè, ac perficit. Et, licet aliquomodo dici possit perfectio respectu agentis creati, quod innatè appetit explicare virtutem suam, & ex effectu haurire potest commodum aliquod; non ita respectu Dei, cui non melius est actu agere ad extrâ, quam non agere. Quare Deus, licet non secum identificet actionem transeuntem, tamen identificat omnem operationem, quâ perfici potest, nempe immanentem: identificat etiam ultimam actualitatem, seu perfectionem de lineâ virtutis activæ, nempe infinitam & actualissimam sufficientiam ad agendum, nec non applicationem liberam. Non tamen secum identificare debet actualitates pertinentes ad effectum; alioquin ipsam etiam effectus existentiam secum identificaret. Et hinc infatur exemplum de lineâ vivendi: nam Deus identificat secum non solum operationem, sed terminum, aut quasi terminum vitalem, v. g. amorem sui: ergo pariter secum identificabit terminum virtutis activæ, qui est creatura. Disparitas igitur in eo est, quod lineâ vivendi, est lineâ operandi immanentem: at lineâ agendi ad

extrâ, est lineâ operandi transeuntem. Quodsi adhuc velis actionem transeuntem vocare actualitatem causæ, quia illam denominat actualiter agentem in actu secundo, dicam, esse actualitatem mere extrinsecam, & nullatenus perfectiorem Deum, sed purè denominantem; quemadmodum nullatenus Deum perficit nostra cognitio, licet sit actualitas Deum denominans actualiter cognitum. Talera autem actualitatem non debet secum identificare Deus titulo infinitudinis in lineâ agendi; sicut non identificat actualitatem, quâ redditur cognitus à nobis, quamvis sit infinitus in lineâ cognoscens & cognoscibilis.

15 Ad 5.: quilibet effectus essentialiter à Deo pendet *ut quod*; quia essentialiter exigit esse terminum actionis Dei; non tamen pendet per se ipsum *ut quo*, seu per modum emanationis actualis à Deo; quia ex se indifferens est, ut à Deo pendeat per varias actiones, vel naturales, vel supernaturales, vel ortas à Deo solo, vel etiam à creaturâ, & sæpe etiam vel eductivas, vel creativas. Nec objectio ista prodest Thomistis: tum quia aquè probat, quod actio creaturæ est productio sui à Deo, atque adeo est actio Dei: tum etiam, quia probat, actionem Dei non identificari cum Deo, sed cum effectu. Solet etiam contra nos argui ex actione creativâ, in cujus distinctioe à Deo peculiaris difficultas est, commodius solvenda *tract. sequ.* Modò sufficit nobis, quod actio, quâ



quæ Deus concurrat cum causis secundis, & quæ nunquam creatio est, saltem quoad primum esse, sit à Deo distincta, & eadem cum actione creaturæ.

16 Nunc tamen observa sequentia. 1.: decretum, quo Deus applicat Omnipotentiam suam ad concurrendum cum causâ secundâ, sæpe vocatur, præsertim apud antiquos, actio Dei, etiam ad extrinsecum quia est operatio immanens Divinæ voluntatis respiciens effectum externum: tum etiam, quia, dum vult concurrere cum causis non liberis, efficaciam habet, & connexionem inextricabilem cum effectu, in quâ convenit cum actione externâ. Et de hac actione Dei internâ loquitur D. Thomas varijs in locis, ut cum ait, actiones secundorum agentium fundari super actione Dei; item magis esse operata quædam, quam operationes, & similia. Hoc tamen non tollit, quod externa actio sit etiam verè ac propriè actio Dei: quemadmodum non sola volitio, quâ homo se applicat ad opus externum, sed ipsa quoque externa operatio, est actio animæ verè, ac propriè. Quare distinguenda in Deo est circa creaturas duplex actio, interna, & externa, sive immanens, & transiens; sic tamen, ut interna respectu effectus magis propriè dicatur principium, vel applicatio principij, vel concursus in actu primò, quàm actio, vel concursus in actu secundo.

17 2.: concursus Dei in actu secundo interdum dicitur con-

curfus divinus, & actio divina, non quidem formaliter, aut intrinsecivè, sed præsuppositivè, possessivè, & egressivè; quemadmodum verba Christi D., imò & omnia, quæ dicunt Scriptores canonici, vocantur *verba divina*, & *sermo divinus*, quamvis in se sint quid creatum. Cur autem non ita vocetur quilibet effectus, vix alia ratio est, quàm consuetudo loquendi; quæ potuit aliter institui, si vellet usus, quo modo *regia* vocantur, non solum actiones Regis, sed quæcumque specialiter ad Regem pertinent, ut equi regij, regia palatia, regie naves &c. 3.: concursus Dei externus dici potest *imperfectus*, & *actio imperfecta*, non moraliter respectu Dei, propter dicenda in sequentibus; nec item physicè privativè, quasi careat aliqua perfectione, quàm juxta ordinem Divinæ voluntatis habere debet; sed physicè negativè, quatenus est quid finitum, ac limitatum, sicut omnis entitas creata. Sic *Deuteron.* 32. dicitur, *Dei perfecta sunt opera*: & tamen non est dubium, quin Dei opera, seu effectus, imperfectionem habeant creaturæ propriam.


18 4.: cum Deus se solo conservat effectus à causâ secundâ productos, ut plerumque accidit, non eos conservat eadem actione, quâ primò produxit: nam, cum prima productio sit actio, non solum Dei, sed etiam creaturæ, cessare debet, creaturâ cessante ab influendo. Deus ergo conservat eos effectus ut causa totalis in actu

secundo, adeoque novam actionem se solo adhibet æquivalentem ei, quæ primò prodijt à Deo simul & causâ secundâ. Nec obstat 1., quod conservatio dicatur continuata productio. Nam hoc verum est, tum physicè, quando causa totalis conservans non distinguitur à primò producente: tum moraliter, quando alia causa, vel actio, sive interruptione succedit loco prioris, idemque præstat opus, aut munus, quod illa præstaret, si permaneret. Nec obstat 2., quod illa nova actio non transferat effectum de non esse ad esse. Nam hoc est per accidens respectu actionis, quod effectum inveniat jam existentem in instanti præcedenti, atque ita dicatur, non tam illum producere, quàm tenere in esse, vel conservare: de se enim ita dat esse effectui pro hoc instanti, ut pariter illud daret, si non extitisset in præcedenti. 5. demum: dum concursus Dei dicitur *simultaneus* cum actione creaturæ, non significatur simultas conjunctionis duarum actionum, sed tantum similtas identitatis inter actionem Dei & creaturæ, necnon simultas applicationis utriusque virtutis ad concurrendum in eodem

reali naturæ

signo.

(o)



### CAP. III.

#### DE SIMULTANEO CONCURSU Dei ad actus liberos creaturæ, præsertim peccaminosos.

I. Argumenta cap. 1. adducta, & omnium

Scholarum consensus, evincunt immediatum Dei concursum ad actus creaturæ liberos, nec solum ad honestos, quod nefas est negare, verum etiam ad peccaminosos, v. g. ad odium Dei, ad volitionem furandi, &c. Difficultas tamen est, & ardua quidem, in explicando qualiter concursus immediatus nec Deum faciat Authorem peccati, nec destruat creaturæ libertatem; quod maxime pendet ex indole, seu tendentiâ decreti, quo Deus Omnipotentiam suam applicat (nimirum applicatione intentionali) ad concurrendum cum causis liberis, quod decretum vocatur *concurfus in actu primo*. In causis necessarijs nulla est difficultas: illis enim applicatur Omnipotentia per decretum efficaciter volens actionem determinatam hinc & nunc, cujus actionis Deus Author est, & causa per se. Ut res tota explicetur, prius dicemus de concursu Dei ad actum peccati, ac deinde quomodo libertas nostra servetur illæsa: quamquam materia ista magis ad Theologos pertinet, ideoque breviter in præsentem percurrere erit.

Rejicitur doctrina Thomistica.

2. Doctrina Thomistarum cit.



est, Deum idè non esse causam, aut Authorem peccati, quia, licèt concurrat (& quidem ex vi decreti efficacis, ac prædeterminantis) ad entitatem actus pravi, sit que istius entitatis causa per se; tamen nullo modo concurrat ad malitiam actus ut talem. Nam, si omnis peccati malitia (quæ vocatur etiam *formale peccati*, & *peccatum pro formali*, vel *pro expresso*) consistit in privativo, nempe in carentiâ rectitudinis debite, ut fert sententia in utrâque Scholâ communis; jam malitia in se non terminat actionem Dei; nec aliunde resultat ex entitate actus prout à Deo productâ, sed tantùm ex eâ ut positâ à voluntate creatâ, de se in defectum pronâ, seu defectibili. Quare soli creaturæ imputatur malitia; Deo autem sola tribuitur entitas actus, quæ vocari solet *materiale peccati*, *fundamentum*, & *substractum malitiæ*: non aliter ac, dum claudus claudicat, solus motus tribuitur animæ; claudicatio autem, quatenus defectus est, soli tribuitur tibie curvæ. Si verò, ut fert sententia valde probabilis in utrâque Scholâ, malitia peccati commissionis consistit in positivo, idèst, in ipsâ positivâ tendentiâ odij Dei v.g., de se contrariâ rectæ rationi, & transgressivâ Divinæ legis; tunc Deus producit & causat in actu odij rationem entis, vitalitatem, & alia prædicata merè physica; malitiam tamen ut talem non producit etiâ physicè, nec actione suâ physicè attingit formalitatem malitiæ, li-

cèt realiter identificatam cum actu odij.

3 Verùm doctrina hæc à totâ Scholâ nostrâ rejicitur, tum ut contraria libertati propter decretum prædeterminans, de quo infra cap. 5; tum ut non benè consona sanctitati Dei, èd quòd non satis salvare videatur, Deum non esse Authorem peccati, si verè est Author, & causa per se actus pravi quoad entitatem. Hoc multis & urgentissimis persuadere nituntur Theologi nostri. Nunc aliqua tantùm indicabimus. *Arguitur* ergo 1.: quia,posito maniam consistere in positivo, seu realiter identificari cum actu, malitia realiter à Deo producitur, sicut entitas actus (entitas hæc à Deo producitur determinata, & individua, citra dubium); si ergo Deus ita producit entitatem, ut sit Author illius, pariter & malitiam. *Prob. Antec.* hoc syllogismo expositorio: *Hæc entitas odij realiter à Deo producitur, sed malitia odij est hæc entitas odij, ergo malitia odij realiter à Deo producitur:* ubi utraque præmissa est innegabilis in suppositione datâ, & consequentia legitime inferitur.

4 Nec recurras ad præcisiones intellectus: nam hæc nihil conferunt ad id, quod peragitur physicè, & à parte rei; & nefas est dicere, Deum esse malitiæ Authorem in sensu reali. Certè *Fieri pertinet ad ipsam rem, secundum quod in se est*, ut ait D. Thomas 3.p. q. 24. ar. 1. ad 2.. Unde, cum Adversarij dicunt, ipsam quoque

malitiam à Deo produci, in quantum entitas physica est, non in quantum malitia; in primis implicat in terminis, si nolint à Deo physicè produci malitiam, tamquam rationem quæ. Quid enim est produci physicè id, quod consistit in entitate physica, nisi produci physicè in quantum est physica entitas? Vel quid est verè produci hominem, nisi à productione determinari, ut suam entitatem & existentiam habeat? Deinde, vel illa reduplicatio, in quantum malitia, solum alludit ad modum agendi ex parte causæ non determinantis ex se talem actionem; vel denotat formalitatem objectivam, quæ, licèt realiter identificata cum actu, tamen realiter non producatur à Deo. Si primum dicas; verissimum est, quòd malitia, in quantum malitia, non producitur à Deo, etiam realiter, ut dicemus cap. sequ.; sed hic sensus procul est à mente Thomistarum. Si secundum; urget syllogismus expositivus, nuper adductus.

5 Superest, ut confugas ad distinctionem virtuales intrinsecam, vi cujus verificari possint de malitiâ & entitate, licèt realiter idem sint, prædicata contradictoria *produci & non produci à Deo*. Sed in primis respondere tenetis argumentis omnibus, quibus distinctionem hujusmodi rejecimus in Logicâ cum pluribus Thomistis, præsertim Recentioribus. Deinde ponis distinctionem virtuales, quæ non habet exemplum in creatis, nempe vi cujus

verificetur de eadem re produci & non produci realiter à certâ causâ: propterea querendum erit exemplum in Divinis, & ad rem vilissimam transferenda mysterij Trinitatis arduitas naturaliter incognoscibilis, ubi à Patre Filiatio producitur, Essentia non producitur. Denique nec in Divinis exemplum habes: nam ex tuâ doctrinâ sequitur, posse realiter existere entitatem actus, quin existat malitia, quam secum realiter identificat, adeòque posse realiter idem simul esse & non esse, contra principium per se notum. *Prob.*: poterit contingere, ut positâ actione Dei circa entitatem actus (loquor de actu determinato, secum identificante malitiam), & positâ simul actione creaturæ prout à Deo volitâ, nulla detur ulterior malitiæ productio: sed tunc existet entitas talis actus, utpotè à suis causis producta, & non existet malitia, utpotè à nullo producta: ergo &c.. Constat *Major*: quia, juxta Thomistas, entitas, seu materiale peccati, quatenus à Deo productum, non connectitur cum malitiâ; & ob eandem rationem nec cum malitiâ connectitur actio creaturæ prout à Deo volita. Cur ergo tunc suspendi non posset ulterior productio malitiæ?

6 *Confirm.*: in sententiâ collocante malitiam in positivo, malitia formalis consistit in specificâ differentiâ odij Dei v.g., nempe in tendentiâ averisivâ in Deum (suppono libertatem, quæ actibus intrinseca est, juxta Thomis-



tas communiter); nam ratione istius tendentiæ ille actus formaliter opponitur Divinæ legi: sed Deus non producit entitatem actus sine differentiâ specificâ; alioquin solum prodaceret actum ut sic, & hic, quatenus à Deo productus, foret quoddam universale à parte rei: ergo Deus non producit actum præcisum à malitiâ. *Urgetur*: ens transcendit formaliter differentias, juxta Adversarios: ergo malitia, quæ est differentia specifica actus, est formaliter ens. Sed quidquid est formaliter ens, à Deo producit: ergo &c.. Et quidem mirissimum erit, quòd actio physica omninò præcindat rationem entis à differentijs, quas transcendit, cum tamen juxta Adversarios id facere nequeat Intellectus, quantumvis præcisivus. *Urgetur* iterum: malitia est formalitas positiva, ut nunc supponitur: ergo est formalitas positivè existens à parte rei, adeòque positivè producta, saltem à creaturâ. Sed quidquid positivè producit à creaturâ, producit simul à Deo, nisi negetur cum Durando concursus simultaneus: ergo &c.. Si dicas, malitiam non esse quid positivum *pro formali*, seu *pro expresso*: Rogo, vel hæ voces denotant objectum non positivum à parte rei, & priori ad præcisiones nostras? Vel non? Si denotant: ergo à parte rei malitia non stat in mero positivo, contra suppositionem. Si non denotant: ergo malitia, ut posita à parte rei, est quid penitus

& undique positivum; & urget argumentum.

7 *Arg. 2.*: etiamsi malitia consistat in privatione, si Deus ita producit actum, ut sit illius causa per se, nequit non esse causa malitiæ eo modo, quo ista causari potest. Nam privatio, cum in se terminare non valeat actionem physicam, non aliter causari potest imputabiliter, nisi quatenus per se intenditur & ponitur actus cum prævisione malitiæ resultaturæ: nec aliter malitia causatur à creaturâ; ut est certum. Sed Deus, juxta Adversarios, ut Author, & causa per se ponit actum, seu materiale peccati, prævidens fore, ut ex eo necessariò resultet malitia; loquimur enim de actu, vel intrinsecè libero, vel saltem posito in circumstantijs humanæ libertatis in actu primo cum advertentiâ ad legem prohibentem, in quibus metaphysicè repugnat actum existere sine malitiâ. Deus ergo malitiam causabit modo, quo illa causari potest, ipsa que Deo ut Authori attribuetur.

8 Nec obstat, quòd Deus non intendat malitiam, nec ex eâ moveatur ad producendum actum. Nam nec illam creatura directè intendit, nec ex eâ movetur, juxta illud, *Nemo intendens in malum operatur*, & juxta D. Thomam id ex professo probantem *q. 1. de mal. ar. 3.*; sed movetur creatura solum ex delectabilitate actus, aut objecti, quam si posset à malitiâ discernere, plerumque discerneret libentissimè: & tamen, quia ponit

actum prævidens resultantiam malitiæ, censetur hanc virtualiter aut indirectè velle, quantum factum est, ut malitia ipsi tribuatur, & imputetur. De hujusmodi voluntate indirectâ, & intentione interpretativâ, quæ ad imputationem sufficiens est, loquitur D. Thomas in *2. Physic. lect. 8.*, dum ait: *Quod semper, vel ut frequenter conjungitur effectui, cadit sub eadem intentione: stultum est enim dicere, quòd aliquis intendat aliquid, & non velit illud, quòd ut frequenter, vel semper adjungitur.* Id ipsum magis ex professo docet Angel. Doctor *q. 1. de mal. ar. 3.*, ubi, cum dixisset in corp., quòd malum semper est effectus per accidens, & præter intensionem agentis, postea ad *15.* sic ait: *Quando accidens comitatur effectum principaliter intentum semper, vel ut in pluribus, tunc accidens non separatur ab intentione agentis.* Unde inferitur, quòd si semper, vel ut in pluribus adjungatur malum bono, quòd per se intendit voluntas, non excusatur à peccato, licet illud malum non per se intendat. *Delectationi autem, quæ est in adulterio, semper conjungitur malum, scilicet privatio ordinis justitiæ: unde non excusatur à peccato &c..* En regulam generalem, cui contradicere censet stultum D. Thomas: Quando agens vult, aut per se intendit effectum, cui semper conjungitur malitia ex resultantia inevitabili, vult & intendit malitiam modo aliquo ad imputationem sufficientem.

9 Nec item obstat, quòd Deus non teneatur legibus, nec peccet per illum actum. Non enim hoc inferimus ex doctrinâ contrariâ, sed quòd Deus sit causa cur creatura peccet, seu quòd illam peccare faciat, ita ut malitia Deo tribuatur, non ut per illam peccanti, sed ut Authori, & causæ cur illa insit creaturæ; quòd si concederetur, ingens blasphemia esset. Sic Deus non vivit per actum peccati; & tamen, si vitalitatem illius actus per se causat, verè facit creaturam vivere per illum, & est Author, & causa cur vivat. Rem declarat hic syllogismus: Qui facit alterum facere id, quòd facere non potest nisi peccando, facit alterum peccare; ut videtur notum ex terminis, & inductione perpetuâ, sed Deus concurrens ad materiale peccati ex propriâ determinatione, sive ut causa per se, facit hominem facere id, quòd facere non potest nisi peccando; certum quippe est, quòd homo in his circumstantijs non nisi peccando facere potest materiale peccati: Deus ergo, tali modo concurrens, facit hominem peccare.

10 *Dicunt*, Deum producere & velle materiale peccati materialiter sumptum, & præcisè ut est entitas physica, non verò prout formaliter fundans malitiam, vel sub ratione fundamenti cum eâ connexi, vel eam inferentis. Sed *contrà*; non querimus, an ratio fundantis malitiam sit ratio formalis sub qua Deus agit, hæc enim sola est ratio entis ut sic; sed an il-



la ratio fundamenti realiter producat a Deo ut ratio quæ, sicut producitur a creaturâ, quamvis non sit ratio *sub qua* respectu illius, vel sicut a Deo producitur ratio vitalitatis, licet respectu Dei non sit ratio formalis *sub qua*; proindeque, an Deus sit illius Author, sicut est Author vitalitatis. Quod autem ita realiter producat a Deo, *probat* 1.: quia illa ratio fundamenti, vel est a parte rei formalitas privativa, vel positiva. Primum dici non potest; quia malitia peccati commissionis juxta omnes vel consistit in positivo, vel saltem in positivo fundatur: & insuper, quia si ratio fundamenti fiat in privativo, fundari debet in alio positivo, de quo idem argumentum fiet. Secundum si dicatur, illa formalitas, utpotè realiter identificata cum actu, debet realiter produci a Deo propter dicta in argumento primo: Præterea, cætera prædicata actus summè connectuntur cum eâ formalitate; nam quæ major connexio, quam realis identitas? ergo Deus, producendo cætera prædicata, producit aliquid summè connexum cum fundamento malitiæ ut tali, & consequenter cum resultantia malitiæ. Rursus, illa formalitas vel producitur physicè a creaturâ, vel non. Si non: ergo realiter existit extra Deum positiva formalitas a nullo producta: item, ergo materiale peccati, ut physicè productum a creaturâ, non fundat, nec infert malitiam, quæ proinde non tribueretur creaturæ, sicut ob eam-

dem rationem non tribuitur Deo juxta Adversarios. Si producitur: ergo actio creaturæ physicè extenditur ad aliquid positivum, ad quod non extenditur actio prima causæ: ergo creatura physicè producit positivum aliquid sine concursu Dei simultaneo.

11. 2.: quia fundamentum malitiæ in peccato commissionis est ipsa differentia specifica actus, v. g. tendentia aversiva in Deum; nam hæc liberè positâ, implicat non resultare malitiam: sed Deus physicè producit actum secundum differentiam ejus specificam, ut arguebamus n. 6: ergo physicè producit illum secundum rationem fundamenti malitiæ. 3.: quia implicat intelligi physicam & individuum entitatem blasphemæ in actu secundo cum libertate in actu primo, & advertentiâ ad legem prohibentem, quin intelligatur vel malitia formalis, vel saltem immediatum fundamentum ejus; nam quid aliud fundat malitiam blasphemæ? Sed Deus physicè producit libertatem in actu primo cum advertentiâ ad legem, & in sensu composito illius producit etiam physicam & individuum entitatem blasphemæ: producit ergo immediatum fundamentum malitiæ. 4.: vel Deus in sensu composito legis prohibentis odium sui, potest præcipere entitatem illius odij, quatenus realiter a creaturâ productam cum concursu Dei, vel non potest. Si potest: ergo poterit præcipere tendentiam aversivam in Deum, prohibendo odium Dei; quod

quod est præcipere definitionem, prohibendo definitum. Si non potest; cur quæso, nisi quia talis entitas, quatenus a creatura producitur cum concursu Dei, fundat, & infert metaphysicè malitiam? nam, si cum malitiâ non connectitur, non opponitur etiam fundamentaliter legi prohibenti; cumque insuper digna sit amore Dei efficaci juxta Adversarios, cur non erit digna præcepto?

*Prænotantur quedam ad nostram sententiam stabilendam.*

12. Ut doctrinam nobis tenendam explicem, nonnulla prænoto. 1.: nulla entitas produci potest, non solum sine concursu physico, verum etiam sine voluntate Dei, liberrimè præconceptâ, & immediatè versante circa entitatem ipsam producendam. Hoc & sacra Litteræ, Patresque testantur innumeris in locis; & ratio convincit: nequit enim agens supremum, & a nullo dependens, agere nisi volens, & se ipsum liberè applicans ad agendum. 2. (quod hinc sequitur): nulla causa creata habet completam & proximam facultatem agendi, nisi intelligatur illa Dei voluntas, seu decretum applicans Omnipotentiam ad concurrendum, quod decretum vocatur *conarsus Divinus in actu primo*: cum enim creatura agere nequeat sine concursu Dei, nequit intelligi plenè potens agere, nisi Omnipotentia parata sit concurrere; & parata non est, nisi applicetur per voluntatem Divinam, sine quâ repugnat Omnipotentiam

agere. Unde, licet creatura dicatur proximè potens agere, quando nulla ipsi virtus aut conditio creata deest, hoc intelligitur de potentia proxima *secundum quid*; nempe secundum principia creata, non verò de potentia proxima *simpliciter*, donec intelligatur applicatio Divinæ virtutis: id enim commune est omni causæ impotenti agere sine alterius juvamine. Hinc unum ex constitutivis libertatis creatæ in actu primo simpliciter proximo, & expedito, est decretum applicativum Omnipotentia: nam eo præciso, licet cætera omnia existere intelligantur, non intelligitur libertas plena, & expedita.

13. 3.: duplex est Dei voluntas, quoad præsens attinet; altera *approbativa*, seu *beneplaciti*; quæ suum objectum approbat, sive in eo complacet; altera *purè permissiva*, quæ vult non impedire terminum, ab alio determinandum, sed illum non intendit, nec approbat: & hæc tantum voluntate permissivâ Deus operatur malæ opera nostra. Unde, cum dicitur, nihil fieri sine Dei voluntate, sermo est de voluntate ut præscindente ab approbativâ, & permissivâ, juxta scitum illud Magni Augustini, *Nihil fit, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo*. Sed hic diligenter observandum, quod licet pura permissio ex terminis non importet concursum physicum, illum tamen importat, seu respicit ut non subtrahendum, pura permissio



si causa primæ propria, Ratio est; quia nemo permittit id, quod impedit; sed permissio causæ primæ, si subtraheret concursum physicum ad aliquod opus, illud impediret, & impedimento quidem essentiali, cum omne opus sit essentialiter impotens existere sine concursu physico primæ causæ: ergo permissio causæ primæ propria debet non subtrahere concursum physicum.

14 4.: cum permissione operis pravi bene cohæret quod Deus serîo nolit illud existere, illudque sincero prosequatur odio; non quidem nolitione, aut odio simpliciter efficaci; sic enim tolleretur à creaturâ potestatem operis efficiendi; sed tantum inefficaci, aut efficaci quantum est ex parte Dei, salva libertate creatæ, quatenus à Deo excludit omnem affectum approbationis erga tale opus, & insuper media sufficientia infert ad illud liberè vitandum, propositis etiam præceptis, hortationibus, minis, &c.. Nulla enim contradictio est in eo, quod velit quis alteri permittere opus non ponendo ex se impedimentum efficace, quo libertas ejus præpediatur; & simul alijs medijs serîo procurerit alterum à tali opere retrahere. Sic Sacerdos, licet paratus Eucharistiam dare peccatori occulto publice petenti, proind. que paratus permittere communionem sacrilegam, non sine concursu physico ipsius Sacerdotis exequendam; potest nihilominus illam serîo nolle, & peccatorem occultè

hortari ut illam omittat, proposito Dei præcepto, metu damnationis, &c..

15 5.: licet decretum, quo Deus applicat Omnipotentiam ad concurrendum cum causis naturalibus, seu non liberis, sit metaphysicè connexum cum effectu determinato, quia ibi connexio illa nihil habet incommodi; attamen, juxta nostra principia, non ita connexum esse potest decretum applicans Omnipotentiam ad concurrendum cum causis liberis: cum enim tale decretum constituat libertatem creatam in actu primo, ex dictis in prænot. 2.; si connecteretur cum extremo determinato, destrueret indifferentiam creaturæ ad agendum & non agendum, sive ad agendum bonè & malè, quæ indifferentia est de conceptu libertatis in actu primo simpliciter proximo: destrueret ergo id ipsum, quod constituit. Debet ergo tale decretum esse indifferenter conjungibile cum utrolibet libertatis extremo, & ita Omnipotentiam applicare, ut voluntati creatæ relinquat determinationem sui actus, atque adeò externi concursus Omnipotentis sive ad actum bonum, sive ad malum. Idcirco decretum hoc appellatur *indifferens, attemperativum, relictiuum*, aut *commissivum*: quia se attemperando naturæ & indoli voluntatis creatæ, reddit Omnipotentiam indifferenter applicatam ad quodvis extremum libertatis, & voluntati creatæ relinquit, seu committit determinationem exter-

terni concursus Omnipotentis ad alterum præ altero.

16 Si quæras, quam tendentiam habere possit decretum hujusmodi; per me, quam volueris, dummodò nuper dictas condiciones habeat. Ex communi tamen sensu Nostrorum, quoad præsens attinet, potest hæc designari: *Volo efficaciter libertatem creaturæ proximè expeditam ad bonam & malam operationem (vel etiam ad obedientiam & transgressionem legis), ut bonam, quam unice intendo & procuro, liberè & meritorie ponat; idèdque nolo ex propria determinatione impedire malam, quam tamen non approbo, sed serîo detestor, ac prohibitam manere volo.* Ex hac tendentiâ (quæ in Deo simplicissima est, licet eam explicare nequeat tarditas nostra sine plurium circuitu verborum), inferitur 1., decretum illud esse efficace quantum ad applicationem Omnipotentis indifferentem in actu primo, seu relativam determinationis in actu secundo: est enim efficace quantum ad libertatem creaturæ proximè expeditam, & hæc per talem applicationem Omnipotentis constituitur. Inferitur 2., non esse efficace quantum ad inferendam infalibilibiter operationem bonam; aliàs sibi contradiceret, cum vellet eam à creaturâ poni liberè, & aliunde connexionem haberet cum libertate pugnante. Quare hoc sensu dicitur volitio & intètio inefficax. Non tamen est mera velleitas, aut simplex complacentia, sed voli-

tio serîa, & verè efficace, tum quoad excludendum nolitionem Dei efficacem de existentia talis operationis, tum quoad inferendum media necessaria & sufficientia ut liberè existat.

17 Inferitur 3., nullatenus esse volitionem intentivam, nec approbativam operationis malæ, sed potius detestativam; esse tamen permissivam ejus, quatenus non vult eam impedire ex propria determinatione Dei: permissivam, inquam, permissione facti, non juris; non enim eam operationem reddit licitam, nec in prohibitione dispensat; sed reddit tantum proximè factibilem physicè à creaturâ, & hoc non aliâ intentione, nisi ut illam creatura liberè & meritorie omittat, & bonam eliciat. Alio sensu accipi solet permissio peccati pro denegatione auxilij efficaci, & collatione inefficaci, quæ logicè connectitur cum existentia peccati: sed nunc tantum loquimur de permissione, quæ liberam determinationem creaturæ non impedit per subtractionem concursus physici. Inferitur 4., nec esse decretum proprie, seu affectivè conditionatum, aut disjunctivum, licet interdum ita vocetur cum addito *quasi*. Non enim sic tendit, *Volo concurrere cum voluntate creatæ, sub conditione quod ipsa se determinet, vel ad actum bonum, vel ad prævium*: tum quia illa conditio determinationis voluntatis creatæ non distinguitur à conditionato, nempe ab externo concursu Dei: tum etiam, quia



sequeretur, Deum velle positivè, a: quædè approbare existentiam actus pravi, saltem conditionatè, aut disjunctivè; quod summam Dei sanctitatem dedecet. Solum ergo dici potest conditionatum, aut disjunctivum æquivalenter effectivè, seu illativè, quatenus in ordine ad efficiendum physicè, vel inferendum extrema libertatis, perinde se habet, ac si in ea tenderet conditionatè, vel disjunctivè.

18 Inferitur 5., pravam operationem, dum ponitur, verè poni præter, imò contrà beneplacitum, & intentionem Dei, etiam formaliter inclusam in decreto applicativo. Tum quia decretum hocce non dat creaturæ libertatem ad actum pravam, nisi cum intentione ut ea libertate non utatur ad talem actum, sed utatur potius ad illum meritorie omittendum, juxta illud *Eccli 31., Beatus vir., qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit:* dum ergo creatura utitur, vel abicitur libertate ad actum pravam, facit contra intentionem Dei Omnipotentiam applicantis. Tum etiam, quia decretum illud vult actum pravam manere prohibitum, & ejus existentiam detestatur. Ne tamen hinc inferas, actum peccati esse Deo casualem. Quamvis enim accidat præter intentionem Dei, non accidit præter ejus præscientiam infallibilem: non est autem casuale, nisi quod inopinato accidit, id est, præter opinionem, sive præscientiam. Sic juxta omnes malitia formalis præter intentionem

nem Dei est; nec tamen est Deo casualis.

19 Inferitur 6., quodnam sit objectum decreti applicativi. Nam 1. objectum illius, quatenus omnino efficacis, est libertas creata ut plene constituta ad obediendum legi, sive ad operationem bonam & malam. *Dices:* ergo decretum illud se ipsum habet pro objecto, siquidem per ipsum plenè constituitur libertas creata. *Resp.:* omnis Divina volitio se ipsam expressè vult, sicut omnis Divina cognitio se ipsam expressè cognoscit: & quamvis volitio libera nequeat esse intransitive ac purè reflexa, quasi præcisè dicat, *Volo me ipsam;* potest tamen esse reflexa transitive, volendo scilicet se ipsam in ordine ad aliquem effectum formalem, distinctum realiter aut formaliter à merà denominatione volentis; quemadmodum volitio condonandi debitum, vult debitorem esse liberum ab obligatione solvendi, & debitum esse remissum, aut condonatum, qui est effectus formalis ab eà ipsa volitione prælitus. Decretum ergo applicativum, efficaciter vult Omnipotentiam esse applicatam, & actum primum creaturæ libertatis esse ultimum completum, & expeditum; quas denominationes, seu formales effectus, decretum ipsum exercite præstat in genere causæ formalis. Adde, quod alia simul objecta directè respicit, licet non efficaciter. Nam 2. objectum illius decreti, quatenus intentivi (tertiò quidem, sed ineffaciter in sensu

ex.

explicato n. 16.), est obedientia legis, seu operatio bona. 3. objectum ejusdem, quatenus improbantis, & simul purè permittentis, est existentia operationis pravae, atque adeò externi concursus Dei ad illam. Jam autem n. 14. vidimus, posse, idem improbari simul, & permitti.

20 *Dices:* si Deus improbat existentiam illius concursus, habet nolitionem ejus: ergo non vult talem concursam: ergo non vult taliter concurrere. Sed per nolitionem concurrenti non applicatur Omnipotentia: ergo &c. *Dist. Antec.:* habet nolitionem simpliciter efficacem, neg.; inefficacem *subdist.:* quâ velit, talem concursam à creatura liberè omitti, *conc.;* quâ velit omitti non liberè, *neg. Antec. Similiter dist. Consequ. utrumque,* concedendo solum de nolitione inefficaci, quâ Deus velit, talem concursam, & tale concurrere suum, liberè omitti, seu non determinari à creaturâ. Tum *dist. Min. subsumpt.:* per nolitionem concurrenti, quâ Deus velit concursam suam à creaturâ liberè vitari, *neg.;* quâ velit vitari non liberè, *conc. Min., & neg. Consequ. Itaque nolitio illa seriò vult, à creaturâ vitari concursam Omnipotentia ad actum pravam, non utcumque, sed liberè: cumque non possit liberè vitari, nisi creatura potestatem proximam habeat ad positionem illius, quæ potestas non datur sine applicatione Omnipotentia; sit, ut hæc applicatio sit medium necessarium ad illum concursam evitan-*

dum eo modo, quo Deus vult. Talis ergo nolitio infert, aut secum affert applicationem Omnipotentia: nam, licet sit inefficax quoad inferendum vitationem concursus, est efficax quoad inferendum media necessaria, ex n. 14.

21 *Dices* insuper: decretum applicativum, præcisè ut permissivum, non importat odium, aut nolitionem actus pravi; nam permittere præcisè sonat non impedire: sed illud decretum, præcisè ut permissivum, immediatè versatur circa existentiam actus pravi, alioquin hæc non penderet immediatè à voluntate Divinâ, & Deus circa illam nihil immediatè disponderet, aut provideret: ergo decretum illud, quatenus præcindens ab odio, & nolitione, immediatè versatur circa existentiam actus pravi: ergo versatur per modum volitionis. *Resp. Inprimis negari poterat Major:* quia permissio Dei propria videtur impræcindibilis ab odio, & nolitione seriò operis pravi, & ab intentione omissionis ejus, aut boni operis. Deinde, transmis sis cæteris, *dist. ultim. consequ.:* per modum volitionis approbativa, quæ solet etiam dici positiva, *neg.;* per modum volitionis permissiva, quæ solet etiam vocari negativa, *conc. consequ. Sicut non omnis nolitio est improbatio, seu odium (alioquin Deus odisset incarnationem æterni Patris, cujus nolitionem habet), ita non omnis volitio est approbatio, seu amor; datur enim medium inter improbare, & approbare, nec-*

Zzz

non



non inter nolle, & velle positive, nimirum velle permissivè, quod est velle objectum præcisè ut non impediendum à permittente. Huiusmodi est volitio Dei, quæ de loquimur, præcisè quatenus permissiva: respicit enim immediatè existentiam actus pravi; non tamen illam denominat *positivè volitam*, aut *nolitam*, sed tantum *permissam*, aut *volitam permissivè*, aut etiam *non impeditam à Deo per subtractionem concursus*: & hoc est, quod circa ipsam disponit, aut providet, nempe ut libera maneat ab impedimento istius subtractionis. Loquimur tantum de volitione applicativa omnipotentis, non de alijs, quibus Deus multa providet circa peccatum, jam existentiam ejus impediendo per auxilium efficacem, jam illud extrinsecè ordinando in bonum, aut pœnam decernendo.

22 Sed *replie.*: Deus positive vult non impeditioem, vel non subtractionem concursus ad actum pravum: sed non impeditio, vel non subtractio, est positio ipsius concursus: hanc ergo positionem Deus positive vult. *Resp.*: non subtractio, seu non impeditio, quam Deus positive vult, non est formalis, & absoluta non subtractio concursus externi (hæc sola est positio ipsa externi concursus, & hanc vult Deus permissivè tantum), sed est formalis non subtractio concursus interni, sive in actu primo, consistens in non suspensione applicationis Omnipotentis: Deus enim positive vult non subtrahere suam concursum in actu primo,

seu, quod idem est, non relinquere Omnipotentiam inapplicatam, vel non suspendere decretum indifferenter applicativum. Hæc autem non suspensio decreti simul est non subtractio, seu non impeditio concursus externi; non quidem formalis, & absoluta, quasi reddat illum formaliter positum, seu absolute non impeditum; sed vialis permissiva, & cum hoc addito, *quantum est ex parte Dei, seu ex determinatione Dei*: quæ non impeditio haudquaquam est positio externi concursus, nec illam infert; quia potest adhuc à creatura impedi concursus iste, licet non impediatur ex determinatione Dei. Quod si inferas, decretum applicativum velle se ipsum, cum ipsum sit non suspensio applicationis, & non subtractio concursus in actu primo: concedo illationem in sensu explicato n. 19., ita scilicet, ut decretum non sistat in se, sed quasi transeat ad præstandum varios effectus formales, quorum unus est denominare existentiam peccati *non impeditam ex parte Dei*, proindeque *permissam à Deo*.

23 Ubi notandum, quod ea locutio, *Decretum permissivum vult existentiam peccati præcisè ut non impeditam à Deo*, non denotat, decretum immediatè terminari ad solam non impeditioem, ad ipsam verò existentiam peccati pure mediate; sed tantum significat, decretum nihil aliud velle positive seu approbative circa existentiam peccati, nisi ablationem impedimenti ex

ex parte Dei; ceteram eo ipso immediatè ad existentiam illam terminatur per modum volitionis permissivæ; quia idem formaliter, & impræscindibiliter est in eo decreto approbare ablationem impedimenti ex parte Dei, ac immediatè velle permissivè existentiam peccati; præsertim cum ipsummet decretum sit ablatio impedimenti, à quâ immediatè denominatur existentia peccati, *non impedita ex parte Dei*. Certe, sicut hæc cognitio, *Existentia peccati non impeditur à Deo*, immediatè attingit existentiam peccati, licet non affirmet, illam absolute dari, sed tantum non impedi à Deo; ita hoc decretum, *Existentia peccati non impediatur ex parte Dei*, immediatè attingit existentiam illam, licet non approbet, eam absolute poni, sed solum ex parte Dei non impedi: hunc autem attingendi modum vocamus volitionem permissivam.

*Doctrina Scholæ nostræ proponitur, & probatur.*

24 His prænotatis, doctrinam Scholæ nostræ, quæ genuina est D. Thomæ, ut probabitur, duplici assertione proponam. *Affero 1.*: *Deus Omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis applicat per decretum indifferens: unde concursus Dei simultaneus non lædit libertatem creaturæ.* Quod ex decreto indifferenti si detur, bene inferatur, concursus Dei simultaneus non lædere libertatem creaturæ, certum videtur, & ostenditur facile. Nam vel concursus iste su-

mitur in actu primo, vel in actu secundo. Si sumitur in actu primo, est ipsum decretum indifferens, quod, cum sit conjungibile cum utrolibet libertatis extremo, & voluntati create relinquat determinationem sui actus, & externi concursus Dei ad utrumlibet (ex dictis n. 15.), nullo modo lædit illam indifferentiam, quæ est de conceptu libertatis; illam scilicet, quæ positis omnibus prærequisitis, possit agere & non agere, si est libertas contradictionis, vel possit agere quemlibet ex actibus oppositis, si est libertas contrarietatis. Si verò sumitur concursus in actu secundo, non aliter libertatem lædere potest, nisi quatenus supponit in actu primo aliquid libertati contrarium: nihil autem huiusmodi supponit, siquidem concursus in actu primo libertati non officit. Adde, quod concursus in actu secundo est realiter actio ipsa creaturæ liberè posita; quæ certè libertatem non lædit.

25 Quod autem Deus Omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis liberis applicet per decretum indifferens, *probat* 1. ex Sacra Pagina, ubi *Eccli 15.* sic habetur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua... Apposuit tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita & mors: bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hic planè significatur homo simpliciter liber, ac proxime potens eligere, proindeque supponitur, vel importatur



decretum applicativum Omnipotentia, quo sublato, vel præciso, non intelligitur in homine libertas, nec potestas proxima: ergo decretum applicativum tale est, ut relinquat hominem in manu consilij sui, vel, quod perinde est, ut illum relinquat potentem pro arbitrio & ex propria determinatione indifferenter eligere quodlibet e libertatis extremis, quæ significantur per ignem & aquam, vitam & mortem &c.: tale autem non esset, si ex se determinaret, & inferret infallibiliter unum extremum præ alio, ut per se clarum videtur. Et en decretum *indifferens*, ac *relictivum*, quod intendimus.

26 *Confirm.* ex D. Hieronymo in cap. 49. *Isai.* dicente: *Deus potentiam suam nostro arbitrio dereliquit, ut justè voluntas premium consequatur.* Item ex D. Thomà q. 3. de pot. ar. 7. ad 12., ubi explicans citatum locum *Ecclesiast.*, sic ait: *Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilij sui, quin in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis.* Illud, non obligata, non excludit obligationem juris (hæc enim absdubiò datur, urgente præcepto), sed obligationem facti, quâ voluntas à Deo determinetur ad unam partem præ alterâ. Unde *ibidem* ad 13. subdit Angelic. Doctor: *Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate* (ac proinde non ita decernit age-

re), *ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam* (idest, causam naturalem, seu non liberam): *& idèò determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.* Habet ergo Deus decretum agendi *relictivum*, quod supra descripsimus. Id quod iterùm testatur idem D. Thomas 1. *cont. Gent.* cap. 68. his verbis: *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel nolle, excludit determinationem virtutis ad unum.* Atqui dominium istud non excludit decretum applicativum Omnipotentia; tum quia sine hoc non est in potestate voluntatis velle vel nolle; tum quia S. Doctor *ibidem* ita subjungit, *Non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse & operari; & sic remanet causalitas in causa primæ, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis.* Causalitas ergo & influentia primæ causæ præstatur per decretum non importans determinationem virtutis ad unum, atque adèò per decretum *indifferens*.

27 *Probat.* 2. ratione: Deus Omnipotentiam applicat per decretum cohærens cum libertate creatæ; ut est certum: sed decretum importans determinationem unius extremi præ alio, sive infallibiliter cum eo connexum, & inconjungibile cum utrolibet, non cohæret cum libertate creatæ: ergo decretum, quo Deus Omnipotentiam applicat pro causis liberis, non habet ejusmodi conditiones, & consequenter est decretum indifferens. *Prob. min:* determinatio & connexio eam uno

extremo, inconjungibilis cum altero, si se teneat ex parte actus primi, destruit libertatem; ut patet ex conceptu libertatis indifferentia; utque vel Thomistæ non dubitant, qui propterea physicam suâ prædeterminationem (de quâ infra) non collocant ex parte actus primi: sed decretum applicans Omnipotentiam, se tenet ex parte actus primi libertatis creatæ: si ergo importat determinationem &c., non cohæret cum libertate, sed eam destruit: Cætera constant; & *Minor* probata est n. 12. nec videtur negari posse, nisi ponatur expedita potestas agendi cohærens cum eo, quod Deus nolit concurrere, ac proinde potestas expedita simul, & inhibita, seu ligata.

28 *Confirm.*: Deus in applicando suam Omnipotentiam, attemperatur conditioni causæ creatæ: sed, licet conditio causæ naturalis exigat à Deo determinari ad unum, conditio tamen causæ liberæ exigit sibi relinqui determinationem sui actus: ergo Deus huic conditioni attemperatur, suam Omnipotentiam applicando ita indifferenter, ut voluntati creatæ relinquat determinationem sui actus. *Consequentia* recta est: *Majorem* autem, ac *Minorem*, res ipsa per se suadet, penetratis terminis. Sed præterea totius syllogismi doctrinam aperte docet D. Thomas pluribus in locis. Audiatur in specimen in 2. *dist.* 25. q. 1. ar. 1. ad 3., ubi sic loquitur: *Deus operatur in omnibus; ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem.* Si

ita operatur, ita decernit operari, seu ita suam Omnipotentiam applicat ad operandum: & en decretum *attemperatum*, assertum in *Majore* nostri syllogismi; cujus *Minorem* supponit, & *Conclusionem* infert S. Doctor, continuo sic pergens: *Unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem.* In *libero* autem arbitrio hoc modo agit, ut *virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat: sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituitur: unde remanet sibi dominium sui actus; licet non ita sicut primo agenti.* Hoc ultimum addit; quia dominium primi agentis in actus nobis liberos, non est dominium immediatæ determinationis, sed alterius generis, de quo in *seq. cap.*

29 *Asser.* 2.: *Deus ita physice concurrat ad actum peccati, seu ad materiale peccati, ut non sit illius Author & causa per se; quia concurrat cum voluntate pure permissiva, sine alio approbationis affectu, vel intentione de existentia talis actus: unde non est Author peccati.* Assertio supponit decretum indifferens, in *præced.* *Assert.* probatum: & quatenus infert, Deum non esse Authorem peccati ex eo, quod non sit Author illius actus, in quo stat materiale peccati, non indiget probatione; quia nemo est Author peccati ex actu resultantis, vel identificati cum actu, nisi sit Author, aut causa per se illius ac-



rus: Solum ergo probanda est, quatenus asserit, Deum non esse istius actus Authorem & causam per se, simulque hoc fundat in voluntate pure permissivâ, non approbante, nec intendente talem actum. *Probat* 1. ex Tridentino *sess. 6. can. 6.* sic definiente: *Si quis dixerit, mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè, & per se, ad id ut sit proprium ejus opus non minus prohibitio Jude, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Ubi Concilium plane supponit, Deum operari mala opera per concursum physicum simultaneum; definit tamen, Deum ea operari non ita ut bona, seu non propriè, & per se, sicut operatur bona; quia mala operetur permissivè solum, seu cum voluntate pure permissivâ, quæ de se non approbat, nec adoptat opus ut proprium.

30 *Dices* protinus, Concilium loqui de malis operibus *pro formali, non pro materiali.* Sed *contra:* Concilium loquitur de prodicione Judæ, quatenus eâ Deus operatur aliquo modo: sed Deus nullo modo operatur illam pro formali; nam malitia formalis, si est mera privatio, est incapax terminandi operationem; & si est quid positivum, nullatenus attingitur ab operatione Dei, juxta Thomistas: ergo, juxta Concilium, prodicionem pro materiali operatur Deus permissivè solum. *Dices* iterum: permissio & operatio non referuntur ad idem, sed operatio refertur ad materiale, permissio ad formale. Sed *contra* iterum: cum Deus operatur aliquid

approbativè, propriè, ac per se, approbatio, proprietas, ac perfectitas referuntur ad idem, ad quod refertur operatio: ergo, cum Deus operatur aliquid permissivè, permissio refertur ad idem, ad quod operatio: tam enim adverbium permissivè, quam approbativè, significat modum tendendi voluntatis in terminum operationis. *Urgetur*: juxta Adversarios, in opere malo nihil Deus operatur, quod non operetur propriè, & per se; solum quippe operatur materiale peccati, ut ens est, & hoc propriè, & per se, ut ipsi volunt: sed Deus non operatur mere permissivè concretum, in quo, quidquid operatur Deus, operatur propriè, & per se: ergo &c. *Urgetur* iterum: voluntas creata non operatur per se malitiam, sed eam respicit permissivè solum; nam malum ut tale non habet causam per se, ut probat D. Thomas q. 1. de mal. art. 3.; & eadem est ratio de actu reduplicativè ut fundante malitiam, cum sub hac reduplicacione non sit per se appetibilis: & tamen voluntas creata propriè & per se operatur opus malum, quia propriè & per se operatur actum physicum, prævidens resultantiam malitiæ: si ergo Deus eundem actum operatur propriè & per se, malitiæ resultantiam utique prævidens, licet eam respiciat permissivè, operabitur malum opus propriè & per se.

31 *Probat* 2. ex Patribus: Et in primis ex D. Augustino, sæpe negante, quod malæ voluntates à Deo sint. *Sicut enim* (inquit lib. 5.

de Civit. c. 9. de Deo loquens) *omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum: male quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Et lib. de spir. & litter. cap. 31. sic ait: *Nusquam legitur, Non est voluntas, nisi à Deo: & rectè scriptum non est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum, quod absit, Author est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo.* Similiter loquitur lib. 12. *Concess. cap. 11.* Atqui non negat Augustinus; voluntates omnes (id est, actus potentiae volitiva) esse à Deo physicè concurrente, ut constat ex alijs locis, utque Thomistæ non dubitant: solum ergo negat esse à Deo ut Authore, & causâ per se, ita ut Deus dicatur simpliciter dator earum, seu ita ut omnis voluntas sit proprium ejus opus, juxta phrasim Tridentini. Rationem autem dat sæpe alias ipse S. Doctor ex eo, quod Deus voluntates malas tantum vult fieri, sinendo ut fiant.

32 Nec loquitur Augustinus de voluntate peccaminosâ reduplicativè ut malâ. Tum quia utitur nudo termino voluntas, in quo nulla est reduplicacio malitiæ, sed potius significacio entitatis physicæ, ac positivæ; cujus si Deus Author esset, falsa & absurda foret propositio Augustini, *Non omnis voluntas est à Deo;* quemadmodum falso & absurdè diceretur, *Non omnis homo est à Deo;* quia licet à Deo non sit homo peccator, quatenus peccator, à Deo tamen est omnis homo specificativè sumptus, &

quoad entitatem. Tum etiam, quia non est idem reddere pro ratione malitiam (ut reddit Augustinus per illud quoniam & alioquin), ac illam reduplicare. Sic qui diceret, *Pictura hæc non est ab Appelle, quoniam deformis est; & alioquin Apelles Author esset deformium operum;* non reduplicaret deformitatem, nec eam tantum negaret eum ab Appelles sed rationem redderet, cur Apelles non esset picturæ Author quoad physicam positionem linearum, colorum, &c. Sic etiam qui diceret, *Deus non precipit odium sui, quoniam contra naturam est,* rationem redderet cur Deus non precipiat odium sui etiam specificativè sumptum.

33 Deinde D. Bernardus *De grat. & liber. arbit.* prope medium sic loquitur: *Soli inter animalia datum est homini posse peccare ob prerogativam libertatis arbitrii: datum est autem, non ut proinde peccaret, sed ut glori fieri appareret, si non peccaret cum peccare posset... Neq̄ tamen (quod homo peccet) fuit culpa dantis, sed abudentis, quæ ipsam videlicet facultatem converterat in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi.* Et graphicè expressam tendentiam decreti, quam descripsimus n. 16.: Deus igitur, cum dat homini posse peccare (in quo posse includitur decretum applicativum Omnipotentis), dat illud non solum sine intentione usus peccandi, sed cum intentione non usus; & idcirco non est culpa dantis, seu non Deo ut Authori attribuitur quod homo pec-



peccet. Nec Bernardus loquitur de peccato solum pro formali. Tum quia homo non aliter potest vitare peccatum commissionis, aut habere gloriam non peccandi, nisi vitando actum quoad entitatem: si ergo Deus non dat posse, nisi ex intentione istius gloriæ, non dat illud, nisi ex intentione ut vitetur actus quoad entitatem. Tum etiã, quia homo facultatem illam convertit in usum peccandi, non quidem amando peccatum pro formali (quod, in quantum huiusmodi non potest esse intentum, nec aliquo modo volitum, nec desideratum, ut ait D. Thomas q. 1. de mal. ar. 3.), sed amando bonum delectabile sub cognitione legis prohibentis: ergo usus peccandi, quem Deus non intendit, est amor talis boni sub tali cognitione, qui amor proculdubio est entitas physica.

34 Præterea D. Anselmus lib. de casu diaboli cap. 28. & ult. ex professo discutit, quomodo fuerit à Deo illud velle, quo diabolus à iustitiâ recessit: & postquam illud consideravit, quatenus est aliquid, physice bonum, & simile Deo, statuit, illud velle à Deo fuisse, à quo est omne, quod aliquid est. Sed, ut explicet, etiam sic à Deo fuisse, non ut Authore, sed ut physice concurrente cum voluntate pure permissiva, subdit, à Deo fuisse non sponte dante, sed ut rapiatur permittente. Nam sic generaliter ait; Non solum hoc habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat, sed etiam quod injuste rapit

Deo permittente. Et sicut dicitur Deus facere quod permittit fieri, ita dicitur dare quod permittit rapi. Hæc sanè interpretatione non egent. Solum nota, quod illud, non sponte, intelligitur de spontaneitate beneplaciti erga concursum externum. De cætero voluntas ipsa permissiva Deo utique spontanea est, & liberrima: Deus enim non utique nolens finit, sed volens, ut ait Augustinus in Enchyrid. cap. 100..

35 Denique, ut alios omit- tam, ex doctrinâ D. Thomæ effica- citer comprobatur Assertio nostra. Nam 1. : actus malus non intenditur, nec approbatur à Deo, secundum quod inordinatus est, & secundum quod à Deo non ordinatur intrinsecè, & antecedenter, sed tantum extrinsecè, & consequenter ad sui existentiam: sed actus malus, secundum id, quod est ab agente, inordinatus est, & tantum ordinatur à Deo per penam advenientem, vel per aliquod bonum, quod ex eo elicitur: ergo actus malus, secundum id, quod est ab agente, atque adeò secundum entitatem physicam, non intenditur, nec approbatur à Deo, à quo proinde non per se causatur. Consequentiã est legitima: Major est evidens: & Minor est D. Thomæ in 1. dist. 47. ar. 3. ad 3.. Urgetur: nequit Deus per se intendere, nec amare secundum esse physicum eos actus, qui mali sunt etiam secundum speciem in genere naturæ, & sunt deordinati à fine secundum esse suum, nec sunt capaces ordinationis in

in fine bonum: sed tales actus sunt odium Dei, desperatio de eo, & huiusmodi: ergo &c. Minor, quæ sola verti posset in dubium, est D. Thomæ cit. dist. 47. ar. 4. dicentis de actibus hæc: Constat, huiusmodi actus etiam secundum speciem in genere naturæ malos esse: unde ab eis talis inordinatio auferri non potest: non enim posset auferri ex eo, quod ordinarentur in finem, cum secundum suum esse sint deordinati à fine; contrigeret enim aliquid esse simul ordinatum, & inordinatum: unde huiusmodi nunquam subjaceat divino præcepto. Et ob eandem rationem planè inferitur, nunquam subjacere beneplacito, & intentioni Dei. Id ipsum censendum de alijs actibus non usque adeò essentialiter malis, quamdiu non tollitur lex, quæ prohibentur; ut ibidem explicat Angelic. Doctor; qui non aliter salvat, voluntatem Abraham de occidendo filio fuisse à Deo volitam, nisi quia Deus dispensavit tunc contra præceptum non occidendi innocentem, & occisioni addidit novum ordinem, quem antea non habebat.

36 3. : Voluntas hominis quodammodo discordat à Dei voluntate, in quantum scilicet vult aliquid, quod Deus non vult eam velle, ut cum vult peccare; ut ait D. Thomas q. 6. de mal. ar. 1. ad 5.. Quod autem loquatur S. Doctor de velle humano, non præcisè quoad malitiam, sed etiam quoad physicam entitatem, constat: quia ibidem addit, Et quamvis hoc

modo discordet voluntas hominis à Dei voluntate quantum ad motum voluntatis, nunquam tamen potest discordare quantum ad exitum, vel eventum; quia semper voluntas hominis hunc eventum sortitur, quod Deus de homine suam voluntatem implet, scilicet puniendo peccatorem, vel convertendo ad penitentiam &c.: est igitur discordantia illa quantum ad motum voluntatis, qui certè physica entitas est: nec aliter in eo motu impletur voluntas Dei, nisi quantum ad exitum, vel eventum; quod certe verum non esset, si voluntas beneplaciti Dei impleretur etiam in ipsa positione motus quoad entitatem. Unde colliges, quod Angelicus Doctor loquitur etiam de actu malo quoad entitatem in 1. dist. 47. ar. 2., ubi docet, aliquid fieri præter omnem Dei voluntatem beneplaciti, tum antecedentem, tum consequentem; imò respectu voluntatis antecedentis, & præter eam, & contra eam fieri posse: sed tamen præter permissionem nihil posse fieri, nec contra eam; quia permissio respicit potentiam causæ ad utrumque oppositum se habentem: unde neutrum oppositorum contra permissionem est, sed utrumque secundum eam. Loquitur, inquam, de actu malo etiam quoad entitatem: tum propter modo dicta: tum quia in actu sic accepto verificatur aliquid fieri præter, & contra beneplacitum Dei; malitia quippe ut talis non fit, sed resultat: tum etiam, quia utrumque oppositorum, v. g. mentiri, & non



mentiri, non est secundum beneplacitum, sed solum secundum permissionem; mendacium autem, etiam quoad entitatem, oppositum est omissioni sui, quæ Deo placet.

37 *Probatur* 3. nostra Assertio ratione. Deus ita concurrat physicè ad actum peccati, ut ipsi nequeat imputari malicia, quasi Deus ipse velit nos peccare: sed, si Deus ad actum peccati quoad entitatem concurrat ut Author, & ex intentione, seu cum voluntate plusquam permissivâ, sequitur, Deum velle ut homo peccet, & hoc ipsi Deo imputari: ergo &c. Major est Fide certa; & Minor colligitur ex dictis contra Thomistas supra à n. 3.. Nam vel malicia identificatur cum actu; & ita implicat practicè velle, procurare, & producere existentiam actus comprehensive præcogniti, & non similiter velle quidquid realiter est actus ipse: vel malicia ex actu resultat consequenter inevitabiliter, & ita pariter implicat eo modo velle positionem actus, & non velle maliciam quantum fat est ad imputationem, juxta illud, *Qui vult antecedens, vult consequens*; quod saltem intelligitur de prævidente inevitabilem resultantiam consequentis, & nihilominus volente practicè, & procurative positionem antecedentis. Idem dictum puta de fundamento malitiæ ut tali, vel de formalitate fundantis maliciam, quæ formalitas vel identificatur cum materiali peccati, vel ex eo resultat consequenter inevitabiliter.

38 *Confirm. 1.*: Ex hoc ali-

quis vituperatur; & culpabilis red- ditur, quod inordinatam actionem voluntariè operatur; ut ait D. Thomas p. 1. de mal. ar. 4.: si ergo Deus operatur voluntariè (scilicet voluntarietate approbationis) actionem inordinatam creaturæ, in Deum ipsum refundetur culpa, & vituperium. Repones illicò, Deum non operari, nec velle talem actionem, in quantum est inordinata. Sed non effugies: nam juxta D. Thomam *ibidem* ad 2., etiam à creaturâ ipse actus non est volitus, in quantum est inordinatus, sed secundum aliquid aliud, quod dum voluntas quarit, in prædictam inordinationem incurrit. Quamvis ergo Deus non velit actum, prout inordinatum, sed secundum aliquid aliud, nempe secundum bonitatem physicam, si tamen illum hoc sensu querit, in prædictam inordinationem incurrit imputabiliter. Nec dicas, creaturam velle saltem fundamentum malitiæ, ut tale. Nam de hoc eadem est ratio, ac de malitiâ; cum malitiæ fundamentum in ratione talis non sit amabile, nisi propter malitiam. Quisnam erit peccator, qui rogatus, cur velit superbire, mentiri, furari, &c., respondeat, *Quis hic actus fundat malitiam peccati?*

39 *Confirm. 2.*: nequit Deus voluntate beneplaciti velle, ut actio creaturæ vitalis, & libera, qualis est v. g. volitio mentien- di, existat quoad entitatem, quin simul velit eam à creaturâ produci, ac libere determinari, ut est evidens: sed illa actio, dum adest

cog-

cognitio legis in actu primo, nequit à creaturâ produci, ac libere determinari quoad entitatem, nisi peccando: si ergo Deus vult existentiam illius actionis quoad entitatem, dum præit cognitio legis, vult eam à creaturâ produci peccando; non enim vult eam produci modo chymico: vult ergo creaturam peccare. Utraque *Consequentia* videtur legitima, & Minor innegabilis; alioquin posset creatura libere ponere sine peccato entitatem volitionis mendacij cum cognitione legis mendacium prohibentis; unde, & posset illam ponere ex intentione præstandi obsequium Deo, & ejus beneplacito se conformandi: quæ foret mirabilis, & compendiola via delectationes omnes quantumvis prohibitas atsequendi, non solum sine peccato, sed cum merito: illæ quippe delectant quoad entitatem, & non aliter.

40 *Confirm. 3.*: creatura non aliam libertatem habet ad malitiam peccati commissionis, quam ad entitatem physicam actus; non enim, posito actu quoad entitatem, superest ulla indifferentia ad malitiam, nec voluntas illam omittere ullo modo potest; ut modò supponitur; & alioquin posset contingere absurdum, de quo nuper: idem ergo est libertatem exerceri circa entitatem actus, ac exerceri circa malitiam. Sed Deus nequit approbare quod entitas volitionis mendacij existat intrinsecè libera, vel in circumstantijs libertatis, quin approbet, quod creatura liberta-

tem exerceat circa illam entitatem: ergo, & quin approbet exercitium libertatis circa malitiam. *Urgetur*: Deus physicè producit ipsam liberam determinationem creaturæ ad materiale peccati: ergo, si Deus amat quidquid physicè producit, ut Adversarij volunt, amat etiam illam determinationem. Sed libera determinatio creaturæ ad materiale peccati cum cognitione legis, est inseparabiliter, & impræscindibiliter libera determinatio ad peccandum: sequitur ergo, Deum amare liberam creaturæ determinationem ad peccandum, adeò que velle ut creatura peccet.

41 Ubi notandum, quod, licet Adversarij obtendant reductiones illas, *actus peccati, ut actus est, vel ut entitas est, vel secundum esse physicum*, ut ita salvent, actum, quatenus à Deo productum, & volitum, non dicere malitiam, nec eam inferre; tamen negare non possunt, à Deo produci (& consequenter amari, juxta ipsos) actum, non solum genericè sumptum, sed etiam in specie, & in individuo, & quidem ut creaturæ liberum. Hinc autem sumuntur argumenta nostra. Quamvis enim *esse physicum* actus non importet malitiam formalem, si non sit liberum; importat tamen, si libere ponatur. Quamvis item illa reduplicatio, *ut actus, vel ut entitas*, à bonitate, & malitia morali præcindat, si solum reduplicet rationem genericam *actus, & entis*, in qua sola bonitas transcendentalis apparet; tamen, si reduplicet



actum, & entitatem in specie, & individuo: sic enim jam habet vel identicè, vel inseparabiliter rationem mali moralis: quæ est doctrina D. Thomæ q. 2. de mal. ar. 4..

42 Jam verò, quòd Deus non sit Author, & causa per se talis actus quoad entitatem, si concurrat ad illum sine intentione, & sine ullo approbationis affectu, non videntur Adversarij negare, constat que ex dictis disp. 2. c. 1. n. 10., ubi ad causam per se requisivimus, quòd influat cum aliquâ inclinatione, innatâ, vel elicita. Id quod expressè docet D. Thomas in 2. Physic. lect. 8. dicens; *Sicut effectus per se cause naturalis est, quod consequitur secundum exigentiam suæ formæ, ita effectus cause agentis à proposito est illud, quod accidit ex intentione agentis.* Similiter q. 1. de mal. ar. 3. generaliter ait: *Quod provenit præter intentionem agentis, non est effectus per se, sed per accidens.* Id ipsum colligitur ex Aristotele 2. Physic. text. 67., ubi non aliam dat notionem causæ per se, nisi ut sit illa, per quam respondetur ad quæstionem, *Propter quid? seu cur sit effectus?* Causa autem præter intentionem, & inclinationem influens, non est effectui causa cur sit; cum hæc locutio ex terminis innuat causam determinantem, aut intendentem, ut sit effectus. Præterea id, quod quis à Deo injustè rapit, seu id, quod est à Deo, non spontè dante, sed ut rapiatur permittente, certè non est à Deo ut Authore, & causâ cur sit: sed non aliter à Deo est ac-

tus malus, etiam quoad entitatem, juxta D. Anselmum supra citatum n. 34.: ergo &c..

43 Porro Deus ita permittit existentiam actus pravi, ut simul illam seridè prohibeat: quare actus pravus à Deo est secundum voluntatem permissivam, & simul contra voluntatem prohibitivam (quam D. Thomas in 1. q. 47. ar. 2. vocat voluntatem antecedentem); ac proinde non solum est præter intentionem, sed positivè contra intentionem, & voluntatem Dei, rationabiliter inviti: Hoc unum significant Authores nostri, dum ajunt, quòd Deus ad actum peccati concurrat nolens, & quasi invitatus, & quasi coactus: non quidem nolens efficaciter (sic enim impediretur concursus), sed tamen seridè nolens, id est, improbens, & prohibens concursum suum externum ut à creaturâ determinandum: nec item simpliciter invitatus, & multò minus simpliciter coactus (non enim concurreret, nisi sponte ac liberrimè vellent permittere concursum externum, suam omnipotentiam indifferenter applicando), sed cum addito quasi, diminvente, & alienante, quatenus scilicet ille concursus verè ponitur contra voluntatem Dei prohibitivam. *Magna sunt opera Dei* (inquit Augustinus in Enchirid. cap. 100.) *exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam fit contra ejus voluntatem: quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens finit, & volens.*

44 Actus ergo peccati est à Deo, non solum sine intentione, sed etiam seridè nolente, ac prohibente: quod certè procul à Deo removet perfectam attributionis, & imputationis. Nec obstat còcursus, physicus & immediatus. Nam, cum Apostolus Ad Rom. 7. v. 20. ait, *Si autè quod nolo, id facio, jam nõ ego operor illud,* supponit utique se physicè facere; sed tamen negat se operari, scilicet propriè, & per se, vel imputativè. Item physicè concurrat ad communionem sacrilegam sacerdos, qui peccatori occulto publicè petenti porrigit Eucharistiam, & tamen non imputativè concurrat si detestans, & improbens porrigat. Huc facit exèplum hominis, cujus manu contra voluntatem ejus uteretur alius. Nam, ut ait D. Thomas q. 2. de mal. ar. 2. ad 6., *Illius cujus manu aliquis uteretur ad occidendum, esset quidem actus inordinatus; sed non haberet rationem culpæ, nisi per comparisonem ad illum, qui utitur alterius manu: & similiter actus exterior membri habet deformitatem, sed nõ habet rationem culpæ, nisi per hoc, quod est à voluntate unde si essent due persone voluntas, & manus, manus nõ peccaret; sed voluntas peccaret, non solum per actum proprium, qui est velle, sed etiam per actum manus, qua utitur.* Adducimus exempla ista, ut constet, stare posse còcursum physicum immediatum alicujus causæ sine imputatione; non verò, ut teneant in omnibus, quod attinet ad rem præsentem. Scimus enim, disparitatem esse 1., quia voluntas creata præsupponit in Deo decretum liberrimum permittendi

concursum externum: 2., quia voluntas nostra nihil præviè agit in Omnipotentia, nec eam ullo impulsu, vel imperio movet: 3., quia Omnipotentia physicè efficit determinationem ipsam, quâ creatura liberè utitur concursu externo Dei. Hæc autem omnia oppositò modo se habent in exemplis adductis, ut patebit consideranti.

45 Dices: Omnipotentia saltem erit causa per se purè physica respectu actus peccati; quia nequit illum physicè producere sine inclinatione saltem innatâ. Sed nego assertum cum ratione subjunctâ: non enim Divina virtus habet appetitum innatum operandi ad extrâ. Tum quia, ut ex D. Thomâ diximus tract. 1. d. 3. c. 1., appetitus innatus non est nisi ad bonum: appetenti connaturale, seu conveniens secundum naturam, ita ut natura rei appetentis vel tali bono indigeat, vel saltem melius, & commodius se habeat cum illo, quam sine illo: Deus autem nec indiget operatione ad extrâ, nec melius aut commodius se habet cum illâ, quam cum ejus carentiâ. Tum quia *Nihil est aliud appetitus naturalis, quàm ordinatio aliquorum secundum propriam naturam in finem suum,* ut ait D. Thomas in 1. Physic. lect. 15.: Deus autem certè non ordinatur secundum propriam naturam ad operandum ad extrâ, & multò minus tamquam ad finem suum. Unde falso dicunt aliqui Thomistæ, quòd generatim omnis virtus activa est inclinatio innata in effectum: hoc enim sol-



lum est verum de virtute creatâ refpectu effectus conformis fini causâ. De extero, cum virtus activa animæ nostræ extendatur ad plures actus fini suo contrarios, nequit esse innatus appetitus eorum. Unde D. Thomas in 1. d. 39. q. 2. ar. 1. & 2., item 1. 2. q. 94. ar. 3., & saepe alias, solum agnoscit in animâ rationali inclinationem innatam ad actus honestos, rationi, & virtuti conformes.

46 Sed hic vigilanter observandum, quod *causa per accidens* accipitur multifariam. Nam 1. accipitur pro causâ, quæ nullo modo influit, sed per accidens ad jungitur causâ influenti, qualis est musica in ædificante: vel etiam pro causâ pure occasionali, cujus ex proprio effecta resultat occasionaliter effectus alius, contingenter tamen, & præter ejus intentionem; quo sensu ædicator domi dicitur causa licitæ, aut discordiæ, super eâ domo resultantis. 2. pro causâ non immediate influente: nam causa remota dici solet causa per accidens. 3. pro causâ, immediate quidem influente, sed non ita necessariâ, ut sit causa *sine qua non*; quia sine illâ existeret effectus: sic, dum plures adfunt parati ac volentes occidere Petrum, dicitur per accidens esse quod Petrus ab uno potius, quam ab alio occidatur; nec occisio à tali causâ per se pendet perfectiæ indigentia, vel dependentiæ necessariæ. 4. pro causâ effectus casualis, idest, fortuito, & inopinato positi, seu præter omnem prævisionem agentis; ut si quis occidat hominem, putans esse feram. 5., & frequentissimè, pro causâ præter in-

intentionem agente (in causis pure physicis loco intentionis est exigentia, vel inclinatio innata, ut docet D. Thomas in 2. d. 38. q. 1. ar. 3. ad 2.); talis enim causa nunquam est per se perfectiæ attributionis, & imputationis effectus seu perfectiæ causæ *cur sit*, vel causæ *propter quâ*; ut constat ex dictis n. 43.; hæc autem perfectiæ est, quam importat antonomastice *Causa per se*, & nomē *Authoris* proprie & simpliciter.

47 Unde colliges, posse totidem modis accipi causam per se, ut contrapositâ causâ per accidens. Sed nihilominus, licet causa aliqua perfectiæ habeat oppositas quatuor prioribus modis, si desit omnis intentio, & inclinatio, non erit absolute, & simpliciter causa per se, nec Author effectus, eò quod illi desit perfectiæ attributionis, & causæ *cur*. Hoc patet exemplo Sacerdotis (de quo n. 42.), qui licet Eucharistiam per se potrigat perfectiæ actionis physicæ, & immediatæ, sicut etiam perfectiæ causæ *sine qua non* & perfectiæ prævisionis, non est absolute causa per se communionis sacrilegæ. Patet etiam exemplo hominis, qui mortem injustam fugiens, aliter inevitabilem, proterit puerum in viâ unicâ, & angustâ jacentem: illi quippe, licet habeat cæteras perfectiæ nunc enumeratas, tamen non attribuitur mors pueri, nec ab eo causatur per se absolute, sed per accidens, quia præter intentionem causatur. Quare semper tenet principium illud D. Thomæ q. 1. de mal. ar. 3.: *Quod per se causam habet, est intentum à sua causa: quæ enim*

pro-

provenit præter intentionem agentis, non est effectus per se, sed per accidens. Adde, quod juxta Thomistam Divina majestas gravificat offensâ peccati, & simpliciter infinitâ constituit in genere causæ formalis, cujus causalitas intimior est, & immediatior, quàm efficientis: & tamen, licet sit causa immediatâ, & *sine qua non*, & infinite prævidens, non est absolute causa per se gravitatis, & offensæ peccati ut infinitâ (aliàs Deo ut Authori tribueretur quod gravitas offensæ talis ac tanta esset), quia hunc effectum causat præter propriam determinationem, & intentionem.

48 Cum ergo negamus, Deum esse causam per se actus pravi quoad entitatem, non excludimus quatuor priores modos per se causandi, & non per accidens: sed potius omnino supponimus influxum physicum, & immediatum cum prævisione, & cum perfectiæ causæ *sine qua non*, quæ est perfectiæ indigentia ac dependentiæ essentialis ex parte effectus, dependentiæ, inquam, non qualiscumque, sed fundatæ in ratione, seu titulo *entis*, adeoque respicientis Deum ut causam universalem. Solâ excludimus perfectiæ intentionis, & attributionis. Quare propositio hæc, *Deus non est causa per accidens actus pravi quoad entitatem*, semper est distinguenda sic: quatenus *per accidens* excludit solam perfectiæ attributionis, & causæ *cur*, nego; in alio sensu, concedo. Rectius dicitur Deus illius actus *causa pure permissiva*, scilicet permissivæ causæ primæ propriæ,

quæ importat non subtractionem concursus physici, & immediati, & supponit prævisionem, & perfectiæ causæ *sine qua non* per modum agentis universalis.

49 Denique ex hucusque dictis facile deducitur, Deum esse Authorem, & causam per se actus boni creaturæ liberi: quia licet illi non immediate determinet, illum tamen vult, & intendit, tum per cõsilia, & præcepta, tum per decretam cõferens cætera principia, & auxilia creata, tum per ipsum decretum applicans Omnipotentiam ad concurrendum, ut supra vidimus.

## CAP. IV.

## OPPOSITÆ DIFFICULTATES enodantur.

Plures objectiones præoccupavimus cap. præc., tum in prænotatis, tum inter explicandum sententiam nostram. Alias, quæ pro physica prædeterminatione directe militant, solvemus cap. ultim. Nunc.

## Contra primam Assertionem.

1 *Obje.*: Deo repugnat decretum indifferens applicativum Omnipotentia: non ergo per illud salvari potest coherencia libertatis creatæ cum concursu Dei simultaneo. *Prob. Antea*: quia ex tali decreto plura sequuntur absurda. Sequitur 1., quod Deus subjicit, ac donat nobis Omnipotentia siquidem relinquendo nobis determinationem sui concursus, dat nobis potestatem ut edicti prohiberi virtute Divina, & eam determinandi, sive ad bonum sive



five ad malū actum producendum; non aliter, ac, qui manum suam alteri tradit, ut per eam quas voluerit litteras efformet, manum alteri subijcit. Sequela autem censuram incurrit Innocentij XI., duas illas propositiones damnantis: *Deus donat nobis suam Omnipotentiam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri librum, aut villam: & Deus subijcit nobis suam Omnipotentiam.* Sequitur 2., Deum in actu secundo concurrere cæcè, ignoranter, & casualiter; ut patet illo eodem exemplo manum tradentis alteri. Sequitur 3., Deo non posse laudi verti quòd bene operemur, sicut vituperio nò vertitur quòd operemur male: neutrum quippe determinat Deus, sed utrumque arbitrio nostro relinquit eligendum.

2 Sequitur 4., Deum à se abdicare dominium sui còkursus, & nostrorum actuum, illudque in nos transferre; quia se privat potestate agendi ex propria determinatione, seque constituit in necessitate operandi quidquid nobis libuerit. Sequitur 5., Deum concurrere ut causam subordinatam, & dependentem; quia talis est causa non concurrens nisi ad nutum alterius, & ex determinatione illius. Et hinc sequitur 6., Deum non concurrere ad nostram determinationem; quia illam expectat ad concurrendum, nec concurrat nisi sub conditione quòd voluntas nostra se determinet. Sequitur 7. voluntatem nostram aliquid præviè agere in Omnipentiâ; hoc enim est proprium causæ determinantis alteram ad agendum. Sequitur 8.,

Omnipotentiam aliquid exequi citra imperium Divinæ voluntatis; illud enim decretum non est imperiū: sequela autem est contra D. Thomam 1. p. q. 25. ar. 1. ad 4. dicentem, quòd in Deo *Potentia imperat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat.* Et hinc Omnipotentia Dei erit potentia executiva respectu voluntatis creatæ, sicut potentia locutiva, locomotiva &c.,

3 *Resp. neg. Antec.*; & in probatione *neg.* sequelas omnes. Quarum prima male probatur ex eo, quòd tale decretum relinquat nobis determinationem externi concursus ad actum bonum, aut prævum. Illa enim subjectio, & donatio absurdissima est: hæc autem relictio determinationis negari nequit salvâ nozione libertatis, & auctoritate Patrum, præsertim D. Thomæ, ut vidimus *cap. præced.* Eam mihi locis asserit D. Thomas: sed nunc audiatur in 2. *dist. 28. q. 1. ar. 1.* ubi: *Non esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio iudicio eligeret hoc, vel illud.* Si autem homo determinat suum opus, determinat etiam concursum Dei ad illud præ opposito. *Dice:* non negant Thomistæ, creaturæ relinqui determinationem sui operis, sed volunt eam esse posteriorem decreto Dei, nò indifferente, sed prædeterminate. Sed verò decretū prædeterminas (quidquid sit de illius existentia, de qua *sequ. cap.*) nequit esse applicativum Omnipotentia: quia decretum applicativum se tenet ex parte actus primi libertatis, & per-

tinet ad posse: quod licet recentes aliqui negare videantur, docent communiter Thomistæ graviores, v.g. Albelda disp. 97. sect. 3., & Godoy disp. 67. de prædestinat. n. 90.: satis etiam constat ex dictis *cap. præc.*, & forsan magis probabitur *cap. seq.* Nihil autem pertinens ad actum primum, sive ad posse liberum, prædeterminationem importat, ut etiam Thomistis in confesso est. Decretum ergo applicativum necessario debet esse indifferens, ut nunc intendimus.

4 Porro ex hac relictione sequitur quidem, Deum nobis subijcere concursum suum (subjectio duntaxat proximæ determinabilitatis), non internum, sive in actu secundo, cumque non omnem, sed aliquem duntaxat, illum scilicet, qui cum actione creaturæ liberæ identificatur: quæ subjectio, suppositâ identitate concursus Dei, & creaturæ (quæ satis probata manet *cap. 2.*, & à multis Thomistis conceditur), innegabilis est, nisi negetur libertati creatæ dominium suorum actuum. Certè operatio naturæ liberæ subijcitur ejus dominio: sed ipsa operatio natura est etiam operatio virtutis Divinæ, ut ait D. Thomas q. 3. de pot. ar. 7. ad 3.: ergo talis operatio virtutis Divinæ subijcitur dominio creaturæ liberæ. At non ideò sequitur subjectio Omnipotentia (multò minus donatio, qualis absurdè asseritur in propositione damnatâ). Nam primam operatio ista solam nobis subijcitur subjectioe determinabilitatis ad existendum, & non existen-

dum; qualis certè non refunditur in omnipotentiam.

5 Deinde, subjectio talis operationis oritur ex concessione liberæ Dei, qui non ex necessitate, sed ex dignatione concedit creaturæ dominium illius, non qualecumque, sed revocabile ad nutum, nec adæquatè distinctum à voluntate ipsa Dei, sed per eam intrinsecè constitutum: concedit, inquam, non quasi manumittendo, aut emancipando voluntatem creatam, sed ita ut eam, & operationem ipsius retineat subjectam ac dependentem in esse, & conservari, & in agere, vel agi, tum ab omnipotentia ut influente per modum causæ universalis, tum à voluntate Divinâ, quæ per solam suspensionem decreti liberi potest dominum creaturæ tollere, & operationem impedire: dependentem item, ac subjectam, tum dominio jurisdictionis, quo Deus possit operationem præcipere, vel prohibere; tum dominio proprietatis; quo valeat Deus uti operatione pro libitu, vel de eâ facere quidquid voluerit sine injuriâ alterius, eam præmiando, vel puniendo, vel ordinando ad fines, quos elegerit; quò etiam spectat subjectio ad providentiam auxiliatricem, seu ad potestatem flectendi voluntatem nostram infallibiliter ad bonum per auxilia congrua, vel permittendi peccatum collato auxilio merè sufficienti. Atqui subjectio cuiusdam operationis Omnipotentia ad dominium creaturæ, liberæ & revocabiliter à Deo concessum, per-



voluntatem ipsam Dei constitutum, & tot præterea titulis actu dependens, ac subiectam dominio, & potestati Dei, ab Omnipotentia ipsa impræscindibili, non est subiectio Omnipotentia, ut per se patet: ergo &c..

6 Hinc nihil Adversarij prodest exemplum donationis, aut voluntariæ subiectionis in humanis, quæ licet sit liberè concessa, & exercitium libertatis importet, nihilominus vera subiectio, & donatio est. Nihil, inquam, prodest: nam, ut alias disparitates omittam, in casu nostro non solum datur libera concessio, sed pro libitu revocabilis, & quæ insuper potestatem ipsam, quam creaturæ concedit, retinet perpetuo dependentem à potestate concedentis, & ejus dominio jurisdictionis & proprietatis perpetuo subiectam. Cum his autem conditionibus nec subiectio in humanis personam subiceret, nec donatio dominium auferret à donante. Nihil item prodest exemplum tradentis manum alteri ad scribendum: tum quia traditio illa est ad modum agendi fervilem & instrumentarium, scilicet per impulsum prævium alterius, impressum manus; qui modus agendi procul est ab Omnipotentia: tum etiã, quia nec manus efficit alterius liberam determinationem, nec eam sibi subiectam, ac dependentem retinet, sicut Omnipotentia potestatem, ac determinationem creaturæ.

7 Quodsi adhuc inferas, Deum, quamvis liberè, & ex dignatione, & cum conditionibus qu-

per expositis, verè tamén se, suamque Omnipotentiam per decretum indifferens obligare ad exhibendum famulatum creaturæ. *Neg. Consequ.*: quia famulatus sonat ministerium, aut actionem propriam famuli, vel communem famulo; non autem actionem propriam solius Principis ut talis. Unde, si Princeps ex dignatione se obliget ad constituendum subditum Comitem, aut Ducem, quando subditus ipse voluerit, non idè se obligabit ad exhibendum subdito famulatum; quia constituere Comitem, aut Ducem, non est actio famuli, sed solius Principis, ut Princeps est. Sic autem res habet in casu nostro: nam concurrere ad actus nostros titulo entis, & sub ratione entis, ita est proprium solius Dei, ut primæ Causæ, & supremi Principis, ut nulli creaturæ commune sit.

8 Sed adhuc *replicab.*: saltem operatio Dei subicitur creaturæ, ut concedimus: ergo Deus creaturæ subicitur in operando, sive ut operans, aut in esse operantis. Hoc autem solum intendebant Authores propositionis damnatæ, quibus in mentem venire non potuit quòd Deus in essendo subiceretur nobis. Concesso *Antec.* de subiectione determinabilitatis, ac de operatione; non omni, sed restricta ad actus nobis liberos (quod nec Thomistæ negare possunt nisi contra D. Thomam, ut vidimus n. 4.), nec non de subiectione orta ex libera dignatione Dei, *neg. Consequ.*, etiam de Deo ut per talem operationem operante. Quia reduplicatio juxta com-

communem usum denotat, prædicatum verè convenire subiecto specificativè sumpto, licet non ratione sui, sed ratione formæ, quæ reduplicatur; ut cum dicimus, *Homo, ut habens Gratiam, est amicus Dei; vel ut videns Deum, est beatus; vel, ut peccans, est pena dignus.* Non autem quidquid convenit operationi, vel formæ, potest verificari de causâ, vel subiecto, etiam sub reduplicatione: alioquin verè diceretur, Anima ut operans, vel in operando, est entitas modalis: & cum operatio nostra sit etiam operatio Divinæ virtutis juxta D. Thomam, Divina virtus ut operans, & in operando, esset modalis, accidentalis, & malitiæ substans: item Deus, ut offensus, esset odio dignus; & ut à nobis cognitus, & amatus, esset imperfectus, & finitus, adeòque non esset Deus. Item, cum supernaturalis cognitio, & affectio, quæ Deus nos prævenit, sit vocatio, & inspiratio Dei, Deus ut vocans, & inspirans, physicè produceretur à nobis, & alias imperfectiones haberet eorum actuum proprias.

9 Omnipotentia igitur est incapax suscipiendi ab externâ operatione suâ denominationem *subiectæ*, vel *subordinatæ*, vel *dependentis in operando*: quia denominatio ista supponit causam, quæ vel ab alio virtutem accipit, vel alterius impulsu aut imperio applicatur, vel suapte naturâ destinatur ut instrumentum alterius, vel saltem alterius còcursu indiget ex incompletione & limitatione virtutis: quorû nihil convenit Omnipoten-

tia. Operari autè ex determinatione alterius, ex terminis non arguit subiectionem, aut subordinationem operantis: nam passum pro varietate dispositionis determinat agens, species objecti determinat Intellectum, voluntas determinat habitum charitatis, & generatim causa particularis, & inferior determinat influxum causæ superioris, & universalis, ut sæpe docet D. Thomas, nominatim de actione, & in sententiâ primæ Causæ 3. *cont. Gent. c. 66.*, & q. 1. *de pot. ar. 4. ad 3.*, & q. 5. *de verit. ar. 9. ad 10.*: nec tamen in his intervenit subordinatione. Quod à fortiori verum est, etiam in Deo, quando necessitas operandi aliquoties ex determinatione alterius, provenit à suppositione ipsi operanti liberâ, & pro libitu auferibili. Sic Deus, positâ qualitate physicè prædeterminante, jam non potest suspendere còcursum simultaneum, juxta Thomistas: & juxta eisdem, positâ malitiâ peccati, quæ certè non nisi ex determinatione creaturæ ponitur, necessitatur Deus ad non conservandam in tali creaturâ gratiam habitualementem, item ad gravificandam offensam in genere causæ formalis, item in præsentia providentiâ ad irrogandam pœnam æternam, si peccatum fuerit finale: sic etiam, præsuppositâ promissione Gloriæ, jam ex liberâ determinatione creaturæ merentis tenetur Deus Gloriam conferre: sic demum, ut alia omittam, suppositâ generali potestate patrandi miracula, humanitati Christi concessa, jam Omnipoten-



tentia parata est ad efficiendum miraculum quodlibet ex nutu seu determinatione humanitatis. In his tamen nulla datur subjectio Dei, vel Omnipotentiae, nec ad qualitatem praedeterminantem, nec ad malitiam, aut meritum creaturae, nec ad humanitatem Christi Domini. Quare in his exemplis, praeculis habendis, tota infatur objectio.

10 *Secunda sequela* jocularis est; cum Adversarij probe norint, decretum indifferens juxta nostros Authores praesupponere certissimam praescientiam electionis creaturae, si talis ipsi libertas conferatur, sive illa praescientia sit Scientia media, sive Scientia innixa decreto conditionali, quod nihil nostra interest ad praesens. Quare ab Adversarijs, an Deus, conferens justo libertatem peccandi, caecae, & casualiter se exponat eventui positionis malitiae (quae certe a sola creatura determinatur), quo in eventu denominetur offensus, & metaphysice teneatur non conservare gratiam habitualem, & offensam gravificare? *Tertia* non magis feria esse potest; cum pariter notum sit, Deum in nostris principijs ex intentione boni operis nostri conferre nobis totam libertatem, applicare Omnipotentiam, nosque praecipis, consilijs, illustrationibus, alijs que varijs, ac miris modis dirigere, & inclinare; praeteraque, quoties bene operamur, hoc ipsum nobis donari specialiter a Deo, qui in signo libertatis suae de industria seligit auxilia, quae novit

efficacia, bonum opus etiam efficaciter praedefiniendo, ut tenent plerique Nostrorum. Hoc autem plenissime sufficit, ut Deus sit Author boni operis nostri, & in eo laudabilis; non quidem laude immediate determinantis actum nobis liberum (haec enim laus in nostra sententia Deo repugnat non minus, quam laus merentis, obedientis, humilis &c., per actus nostros); sed laude per se intenditis, producentis ac donatis actu modo dicto, quae sola Dei propria est. Victoria militum laudi vertitur Duci solum dirigenti, imperanti, hortanti. Quid, si Dux insuper ex intentione victoriae conferret militibus vires, & arma, & cum singulis immediate concurreret ad actionem pugnandi?

11 *Quarta sequela* immerito infert abdicationem dominij Divini; quae multo apparentius inferri potest contra Adversarios ex eo, quod Deus, creaturae conferens posse peccare, se privat potestate conservandi ex propria determinatione Gratiam habitualem, seque constituit in necessitate illam destruendi pro mero libitu creaturae. Quare abs te, an Deus, dum nobis confert potestatem vivendi, amandi, merendi per nostrum actum, potestatem istam a se abdicet? Negabis illico; quia Deus talem potestatem nunquam habuit formaliter in se, aut sibi; sed habet solum virtualiter eminenter, quatenus illam producere potest, & creaturae donare. Idem ergo tibi dictum puta. Potestatem, seu dominium immediate determinationis ad actum

nobis liberam, sive in sensu composito nostrae libertatis, Deus nunquam habuit formaliter in se, vel sibi: quia tale dominium proprium est liberi arbitrij creati ut talis, & ut defectibilis, aut potentis mereri, ac demereri, proindeque imperfectum est, & Deo repugnans, sicut potestas amandi, & merendi per illum actum. Non ergo tale dominium a se abdicat Deus, quando illud ex virtuali, & eminentiali continentia producit, & nobis donat. Dominium igitur quod Deus habet supra nostros actus, & supra suum ad illos concursum externum, est dominium jurisdictionis & proprietatis, de quo n. 5. : est item potestas infallibiliter inducendi per auxilia congrua bonum actum, aut malum permittendi: est praeterea potestas vel necessitandi (seu, quod apud nos idem est, immediate determinandi) voluntatem nostram ad actum determinatum, vel sinendi ut voluntas ipsa liberè determinet (Deo tamen retinente semper libertatem cessandi a concursu per solam subtractionem decreti indifferents) ita ut necessitare, & finire sint duo extrema, vel exercitia opposita ejusdem dominij, & potestatis.

12 Nullum ex his dominij a se Deus abdicat, nec in nos transfert: nam dominium immediate determinandi, seu necessitandi (de ceteris non est dubium in praesentiarum), Deus non abdicat, sed tantum exercere non vult, eligendo potius extremum oppositum illi necessitati, nempe relinquere

nobis liberam determinationem. Sic Deus non abdicat a se dominium annihilandi Angelum, dum illum conservare decernit; sed tantum non vult exercere tale dominium, eligendo potius relinquere Angelum in statu existentiae. Quare ipsum relinquere nobis liberam determinationem, seu ipsum concedere dominium nostrum, est exercitium Divini dominij non abdicati; sicut ipsum relinquere Angelum in statu existentiae, Divini dominij exercitium est. Deus igitur nullam se privat potestate agendi ex propria determinatione immediata: nam potestatem agendi hoc modo actus humanos in sensu composito nostrae libertatis, Deus non habebat; nec habere poterat: potestatem autem eos actus agendi tali modo, nostram auferendo libertatem, Deus utique retinet, licet ea uti nolit. Quod autem eo ipso se constituat in necessitate operandi actum, qui nobis libuerit, est necessitas, quam Deus ipse sibi liberè imponit per decretum indifferens; nec magis absurda, quam necessitas non annihilandi Angelum, orta ex decreto conservandi, vel necessitas conferendi praemium, aut poenam, orta ex decreto premiandi, aut puniendi sub conditione quod creatura libeat mereri, vel peccare: multo etiam facilius est, quam necessitas, ab Adversarijs asserta, destruendi Gratiam habitualem, & offensam gravificandi, ex suppositione malitiae peccati, ad quam Deus nullatenus determinat.

13 *Ex dictis colliges, quod*



modò creaturæ dominium supra suos actus cohæreat cum dominio Dei supra eosdem. Scilicet dominium immediatæ determinationis, quod solum creaturæ convenit, & fiat in potestate immediatè ponendi, & omittendi actum, vel unum præ altero eligendi, nullatenus destruitur per Dei dominium jurisdictionis, & proprietatis, ut est manifestum; nec per potestatem flectendi corda hominum quocumque voluerit, ut ostendunt Theologi nostri: nec item destruitur per dominium necessitandi voluntatem creatam, vel ipsi relinquendi determinationem; quia dominium hocce non exercetur per primum extremum, sed per secundum, ita ut hoc exercitium supponatur in ipso actu primo libertatis creatæ: & etiam quatenus illud dominium respicit extremum necessitandi, non amittitur, sed præcisè non exercetur, quia Deus non vult. Unde consequenter colliges, quomodò nostra actio, & determinatio libera, quæ simul est concursus, & actio Dei, ita nobis subjecta sit, ut simul & magis subjecta maneat potestati ac dominio Dei, licet aliis generis, aut ordinis altioris.

14 Quinta sequela jam supra evanuit; propositio autem illa, *Causa non concurrens nisi ad nutum alterius*, & ex determinatione alterius, est causa subordinata, & dependens, distinguenda est sic: si se ita gerat semper, conc.; si solum aliquando; subdist.: si hoc habeat ex propria naturâ, vel indigentia transeat; si

solum ex liberâ dignatione, simulque retinendo superioritatem ac dominium supra potestatem, nutum, ac determinationem alterius, neg.. Ratio distinctionum constat ex dictis. Sexta æquivocatione laborat. Aliud est Deum concurrere ex determinatione nostrâ; aliud verò, non efficere determinationem istam, sed illam præsupponere ante concursum. Hoc posterius, falsum, & absurdum est, & à nullo Authore Scholæ nostræ dictum: illud verò prius, tantum denotat, actionem voluntatis creatæ, quæ simul est actio Dei, non esse determinationem respectu Dei, sed respectu creatæ voluntatis, id est, non denominare Deum determinantem, sed hanc denominationem tribuere soli creaturæ, sicut denominationem formaliter viventis, amantis, merentis per talem actionem. Ratio est; quia denominatio determinantis convenit illi soli principio, quod in signo priori libertatis supponitur proximè potens omittere actionem, vel elicere oppositam; non autem principio illi, quod, licet verè influat, tamen vel non est capax talis potestatis (cujusmodi est Habitus acquisitus, aut infusus), vel in eo priori signo intelligitur nolens uti potestate illâ, sed potius volens se attemperare principio alteri; quo modo se habet Deus in signo priori nostræ libertatis vi decreti indifferentis. Ex hac principiorum diversâ indole, vel præparatione, oritur etiam, quòd eadem utriusque actio tribuat alteri præ altero denominationem viventis, merentis &c.; sicut etiam in physicis, quod eadem

causalitas, quæ realiter est actio, & passio, unum sui principium reddat ac denominet agens, alterum patientis.

15 Ut ergo habitus non concurrat ad amorem liberum nisi ex determinatione voluntatis, quæ tamen determinatio ab habitu efficitur, & ipsum denominat agentem, licet non determinantem, nec amantem &c.; sic in Omnipotentia, prout applicatâ per decretum indifferens, discurrendum. Concedimus itaque libentissimè illud D. Thomæ 1. p. q. 105. ar. 1. ad 3., *Hoc ipsum, quòd causa secunda determinatur ad determinatos effectus, est illis à Deo*; negamus tamen, in causis liberis esse à Deo determinante: sicut hoc ipsum, quòd meremur, est nobis à Deo; & tamen non est à Deo merente. Quòd ergo causa libera determinetur, est illi à Deo agente, & insuper, si determinatio bona est, à Deo intendente, auxiliante, & in signo libertatis suæ prædefiniente. Hinc ineptè objiciunt aliqui, quòd si Deus efficit in voluntate nostrâ determinationem, voluntatem determinat; sicut qui efficit albedinem in subjecto, dealbat subjectum. Ineptè, inquam; cum inde pariter inferatur, quòd habitus determinat voluntatem. Denominatio dealbantis, cum sit absoluta, solam requirit effectiorem: at denominatio determinantis respectiva est, & præter effectiorem requirit certam indolem, aut præparationem principij efficientis. Unde propositio ista, *Efficere in voluntate determinationem, est determinare voluntatem*, disti-

guenda sic: efficere utcumque, neg.; efficere per modum principij, quòd in signo priori libertatis creatæ nec à se, nec ab alio impediatur omittere actionem, vel elicere oppositam, conc.

16 Quapropter, si quando dicitur, quòd Deus ad concurrendum expectat determinationem creaturæ, locutio est abusiva, nec admittenda, nisi præcisè significet attemperationem Dei ad creaturam in signo priori libertatis. Illa verò locutio, *Deus non concurrat, nisi se determinet creatura*, vel *Deus concurrat, si creatura se determinet*, vel, *quia se determinat*; non est proprie conditionalis, cum conditio non distinguatur à conditionato; nec proprie causalis, ob eandem rationem; nec veram prioritatem indicat; sed meram significat attemperationem in actu primo, diversamque indolem ac præviam præparationem principiorum per eandem actionem coagentium: quòd manifestè patet in habitu, sive acquisito, sive infuso, in quo similiter loquimur respectu voluntatis. Sic etiam passim dicitur, *Voluntas creata potest peccare, si velit*; vel, *potest amare Deum, si velit*; imò *potest se determinare, si velit, & se determinat quia vult*; & juxta Tridentinum, *potest dissentire gratia, si velit*, aut *consentire, si velit*: ubi perspicuum est, quòd conditio, *si velit*, non est prior conditionato, nec ab eo distinguitur; sicut nec illa ratio, *quia vult*.

17 Septima sequela sine fundamento deducitur. Quòd enim



pravie agit voluntas in habitu charitatis, quem determinat ad agendum? Solum ergo requiritur actio illa pravie pro causa, quæ determinatur per modum instrumenti mechanici, vel etiam quæ ab aliâ impellitur, aut movetur ad actionem distinctam à determinatione ipsâ. *Ostava* non melius infertur: nam decretum indifferens verè est *imperium* eo sensu, quo nomen hoc dicitur de voluntate Dei respectu Omnipotentia, sensu scilicet non stricto, sed lato, quatenus sonat actum liberum applicativum Omnipotentia ad agendum, vel ad concurrendum juxta indolem, & conditionem causarum secundarum, ita ut sit applicatio determinativa pro causis necessarijs, & relictiva pro liberis. Certè, cum Deus sit sua Omnipotentia, nequit huic propriè imperare, nisi propriè imperet sibi; quod repugnat. Nec sequitur, quod Omnipotentia respectu voluntatis creatæ sit potentia executiva: nam ad id opus erat natura suâ subijci voluntati nostræ, & ab eâ pendere in operando; quod in nostris principijs procul abest ab Omnipotentia.

18 Denique nota 1., quod voluntas creata non applicat Omnipotentiam ad concurrendum: quia applicatio pertinet ad actum primam, & est conditio se tenens ex parte causæ, ut patet in igne applicato ad comburendum, & in objecto applicato per intellectum ad finalizandum. Non ergo applicatur Omnipotentia nisi per suum decretum indifferens. Nota 2., quod nec

voluntas creata proprie utitur Omnipotentia: quia *Usus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem*, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 16. ar. 1.: cum ergo voluntas creata non applicet Omnipotentiam ad operandum, consequenter nec eâ utitur. Nota 3., quod hæc locutio, *Deus à creatura determinatur ad concurrendum*, vel, *concurrit determinatus à creatura*, licet admitti soleat, non necessariò sequitur ex eo, quod à creaturâ determinetur concursus Dei externus; quia, ut supra ostendimus; non quidquid convenit operationi, convenit etiam causæ: quare vel respicienda est, vel distinguenda sic: Deus concurrit determinatus à creaturâ, determinatione potentia in actu primo, *neg.*; determinatione concursus in actu secundo, *subdist.* determinatione præsupponente dignationem, & attemperationem liberam Dei, *conc.*; aliter, *neg.*.

*Contra secundam Assertionem.*  
19 *Obje.* 1: si Deus physicè concurrit ad actum peccati, talem actum amat, & existere vult, juxta illud Sap. 11., *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*; & illud D. Thomæ q. 1. de pot. ar. 6., *Deus non potest facere, quod non potest velle*, & 1. p. q. 19. ar. 12. ad 2. *Dei Operatio semper est eadem cum voluntate beneplacitis*, cui consonat S. Augustinus in *Enchirid. cap. 102.* dicens, quod Deus *non nisi volens quidquam facit*. Atqui Deus est Author, & causa per se illius effectus, quem cum inclinatione, & amore producit: ergo

*Disp. VIII. De Causa prima, quatenus concurr. cum secund.* 569  
&c. *Confirm.*: actus peccati, in quantum est ens, bonus est, nam ens & bonum convertuntur: sed Deus est Author omnis boni: ergo est Author illius actus, in quantum est ens. Hinc S. Augustinus lib. 83. qq. q. 21., *Deus, inquit omnium, quæ sunt, Author est, quæ in quantum sunt, bona sunt*. Accedit, quod bonum, ut tale, est intrinsecè amabile; & quod omnis creata bonitas est similitudo, & participatio Divinæ bonitatis, quam similitudinem, & participationem Deus vult, & amat, ut docet D. Thomas 1. cont. Gent. cap. 96. & 1. p. q. 20. ar. 2., inde probans, quod Deus omnia existentia amat, & nullam rem odit, quia unicuique rei vult bonum, scilicet similitudinem suæ bonitatis; velle autem bonum, est amare.

20 *Ad object.* negatur assumptum, quod inefficaciter probatur autoritate subjuncta. Nam textus Sap. loquitur de rebus, quas Deus fecit ut Author, & quæ propriè dici possunt opera Dei, omnia scilicet, quæ Deus se solo facit, & quæ simultaneè concurrendo facit ex intentione. Illa verò opera, quæ Deus physicè operatur, non propriè & per se, sed permissive solum, sicut non sunt propria Dei opera juxta Tridentinum, ita non propriè dicantur à Deo fieri, nec de illis propriè & simpliciter verificatur illud, *quæ fecisti*. Propterea Magn. Augustinus cap. præced. citatus agebat, quod Deus non est *author omnium voluntatum*: & quod non verè dicitur, *Non est voluntas, nisi à Deo*, scilicet tanquam Au-

thor: & ib. 12. *Confess. cap. 1.* sic loquitur, *Dixisti mihi, Domine, voce forti in aurem interiore, quod omnes naturas, atque substantias, quæ non sunt quod tu es, & tamen sunt, tu fecisti: & hoc solum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te, qui es, ad id, quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est*. En ab illo verbo, *tu fecisti*, excipit Augustinus non solum id, quod non est, sed insuper motum voluntatis pravum: ubi loquitur de motu quoad entitatem; nam quoad privationem rectitudinis jam illum comprehenderat in hoc, *quod non est*. Huc faciunt cetera, quibus secundam Assertionem probavimus cap. præced.

21 *Dices*: nostrâ expositione propositio Scripturæ redditur identica, & nugatoria: nam idem est, Deum diligere omnia, quæ fecit ut Author, ac diligere omnia, quæ diligendo fecit; liquidem per nos facere ut Authorem, est facere diligendo. Verum hoc nihil est dictum nam, sicut hæc propositio: *Quid quid facis ut homo, facis ut animal rationale*, non est identica, quia, licet homo & animal rationale idem sint quoad rem, non sunt idem quoad expressionem, cum differant ut definitio & definitum; ita in re nostrâ contingit, ubi quodammodo definitur nomen Authoris, cum dicitur Deus facere diligendo, seu ex intentione. Adde, quod ille textus exponi potest de rebus subsistentibus, seu de substantijs, à Deo factis. Tum quia sic exponitur à D. Thomæ 1. cont. Gent. cap. 96.



ubi, cum probasset, quod Deus res omnes à se productas amat, & nullam rem odit, cum ipse sit omnium causa, idque confirmasset ex eodem textu Sap. 11. nobis objecto; tamen, ut objectioni occurreret ex Zachar. 8., ubi dicitur, Deum odisse cogitationem pravam, & iuramentum mendax, subdidit S. Doctor: *Hæc autem non sunt effectus ut res subsistentes, quorum proprium est odium, vel amor.* Tum etiam, quia similiter exponi videtur à D. Augustino in loco nuper excerpto verbis illis, *Omnes naturas, atque substantias... tu fecisti.* Amat quidem Deus etiam accidentia, & actus vitales: at, quia non omnes, idcirco non de illis indistinctè & sine exceptione profertur illud, *Deus diligit omnia, quæ sunt, vel Deus Author est omnium existentium, aut quid simile: alioquin, si-cue indistinctè verum est, Non est substantia nisi à Deo, verum pariter esset, Non est voluntas nisi à Deo, vel, Non est motus voluntatis nisi à Deo;* quod tamen expressè negat Augustinus.

22 Quæ verò obiciebantur ex D. Thomæ, parum urgent. Locus ex 1. de pot. intelligendus est, vel de *ficere* simpliciter, & per modum Authoris (quo sensu dixit S. Doctor in 1. d. 47. q. 1. ar. 2., *Multi sunt, quæ Deus non operatur*), vel de *velle* ut præscindente à voluntate permissivâ & approbativâ; quo etiam sensu intelligendum est verbum, *volens*, ex S. Augustino allegatum, juxta illud ejusdem Augustini in Enchirid. cap. 95., *Non ergo*

*fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo;* & cap. 100., *Non fit præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus sit voluntatem: quia non fieret, si non sineret: nec utique volens sinit, sed volens.* In alio autem D. Thomæ loco ex 1. p., sumitur operatio pro voluntate operandi directæ & p. r. se, prout distinguitur à permissione, idest, à voluntate non impediendi operationem; ut explicat ipse D. Thomas in illo art. 12. corp.

23 Ad Confirm. dist. Major: actus peccati bonus est, bonitate purè transcendentali contrariâ bono rationis, & inseparabiliter infectâ per malum simpliciter tale, conc.; alio genere bonitatis, quo mereatur dici simpliciter bonus, neg. maj. Tum conc. Minor eo sensu, quo profertur à Patribus, intellecta scilicet de omni bono, quod simpliciter bonum dici meretur: & neg. Consequ. itaque actus peccati habet quidem bonitatem illam transcendentalem, quæ consistit in entitate positivâ prout aliquatenus appetibili: sed, quia bonitas hæc opponitur bono rationis, idest, appetibili secundum rectam rationem, & inde per malum culpæ (quod est malum simpliciter) inseparabiliter infecta est, vel intrinsicè & ratione sui, si actus sit prohibitus quia malus, vel saltem ut liberè posita sub cognitione legis, prohibentis; idcirco talis bonitas velut absorbetur à prævalenti malo, nec sufficit ut actus dicatur bonus simpliciter, cum potius dici debeat

beat simpliciter malus, non solum reduplicativè ut habens malitiam, sed etiam specificativè sumptus quoad entitatem; nam etiam sic malitiam per se fundat, & inseparabiliter annexam habet: in quo multum differt ab homine peccante, qui, licet sit malus in quantum peccans, simpliciter bonus est in quantum homo.

24 Vide D. Thomam in 2. dist. 40. q. 1. art. 1. per totum, ubi probat, quod bonum & malum sunt differentiarum essentialium & specificarum humanorum actuum, & explicat se loqui de malo prout significante positivam entitatem actus. *Malum* (inquit ibi ad 2.), *prout dicitur privationem tantum, non potest dici essentialis differentia: sed secundum quod fundatur in aliquo sine debito, qui tamen finis non omnino bonitate caret. Unde sic malum est contrarium bono, & non privatio.* Ea, ut actus pravus, etiam quatenus non omnino bonitate caret, & quantum ad hoc, quod est ibi aliquid de entitate, & non ratione privationis abstracta (ut item ait D. Thomas ibi ad 3.) dicitur absolute malus, & contrarius bono, & à bono differens essentialiter. Quis autem dicat, Deum esse Authorem actus peccati eo sensu, quo talis actus est contrarius bono morali, & ei essentialiter contraponitur? Cum ergo dicitur, quod Deus omnis boni est Author, sermo est tum de bono morali, tum de bono physico non per se contrarius bonis moribus, nec illis essentialiter contraponito: hæc enim sunt, quæ possunt

dici bona simpliciter. Quare non comprehenditur eâ locutione transcendentalis bonitas actuum furandi, adulterandi, blasphemandi &c. hanc enim qui amat, non tam dicitur velle bonum, quam malum simpliciter: ideoque Judæi, crucifigentes Christum D., *per se loquendo volebant simpliciter malum estimatum bonum, in quantum satisfaciebant iræ suæ, vel invidia,* ut loquitur D. Thomas in 1. d. 48. q. 1. art. 2. ad 4.; ubi plane loquitur de malo, sumpto pro bono transcendentali operis pravi, non verò pro mera privatione, quæ nec est estimatum bonum, nec satisfacit iræ, nec est per se volita, ut sæpe alias docet D. Thomas, v. g. q. 1. de mal. art. 3.. Similiter hujusmodi actus excipiendi sunt ab illâ S. Augustini generali assertionem, *Deus omnium, quæ sunt Author est &c.*, ut ex ipso Augustino vidimus n. 30..

25 Quod omne bonum sit amabile, seu appetibile, solum probat, appeti posse ab eo, cui est bonum: actus autem peccati non est bonus Deo, sed appetitui sensuali; quod genus bonitatis, est malum secundum rationem, ideoque non est amabile à Deo, nec prudenter à voluntate nostra rationali. *Est duplex appetitus* (inquit D. Thomas q. 3. de pot. ar. 6. ad 5.), *scilicet rationalis, & sensualis: & id, quod est bonum secundum unum appetitum, est malum secundum alterum: si ut prosequi delectabilis est bonum secundum appetitum sensibilem, qui sensualitas dicitur, quamvis sit malum secundum appetitum*



*rationis.* Quia tamen hoc malum sæpe respectu rationis est bonum apparens, vel existimatum, potest etiam appeti à voluntate nostrâ, sed non nisi per actum malum; ut sæpe docet D. Thomas, v.g. in 2. d. 38. q. 1. art. 5. ad 3. Invenitur quidem in actu peccati similitudo aliqua Divinæ bonitatis, *puta corporalis delectatio, vel aliquid hujusmodi à summo bono exemplatum*; ut docet D. Thomas in 2. d. 37. q. 1. ar. 2. ad 4.: unde talis actus est à Deo physice iussuente. Non tamen hinc sequitur, quòd sit à Deo ipsum intendente, vel amante; quia similitudo illa solum est participatio Divinæ bonitatis *secundum obscuram resonantiam*, ut ibidem ait ex D. Dionysio D. Thomas, eo scilicet, quòd destituatur lumine rectæ rationis, & contraria sit meliori alteri participationi, ad quam Deus per se ordinat liberum arbitrium creaturæ. Certè, si Deus intendit & amat talem suæ bonitatis similitudinem, vult ut illa ponatur & ametur à creaturâ, cum non aliter existere possit: quis autem dicat, Deum velle, ut creata voluntas, stante prohibitione, amet delectationem adulterij, ebrietatis, &c., quatenus delectatio est, & quatenus in eâ obscurissime resonat Divina bonitas?

26 Dum ergo D. Thom. docet generatim, quòd Deus amat omnia existentia, & omni rei vult bonum, volendo participationem & similitudinem suæ bonitatis, loquitur de rebus subsistentibus cum D. Augustino, ut n. 21. vidimus: & quàm

vis eadem doctrina per consequentiam extendatur ad ea, quæ non tam sunt res, aut entia, quàm entis entia, dummodò non sint contraria bono rationis; non tamen ad ea, quæ tali bono contraria sunt; quia hæc potius discordant à voluntate Divina, suntque contra ordinem ab eâ prælitum voluntati nostræ. Ut enim ait D. Thomas in 1. d. 48. q. 1. art. 2., *Ex hoc actus voluntatis humana conformatur voluntati Divinæ, quòd tendit in bonum, sicut voluntas Divina... Et hæc est conformitas secundum causam efficientem, quia Deus unamquamque voluntatem in bonum ordinavit. Et hoc vult Deus nos velle, in quantum voluntas nostra ordinata est. Sed hæc conformitas includit conformitatem finis, &c.* Antea dist. 46. q. 1. art. 4. in eo, quòd malum fiat, nolum bonum assignatur à D. Thomâ, quòd possit esse volitum à Deo, nisi bonum antecedens, scilicet conditio voluntatis potentis deficere, & bonum consequens, scilicet ordinatio mali jam facti ad pœnam. Cur omittit bonum similitudinis & participationis Divinæ bonitatis, quòd est in actu peccati? Numquid illud non vidit Angelicus Doctor?

27 *Objic. 2.*: Deus actum peccati producit propter se ipsum, ut finem ultimum, juxta illud Proverb. 16., *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus, & juxta D. Thomam in 2. d. 38. q. 1. art. 1.*, ubi probat, quòd, sicut datur unum primum principium omnibus commune, ita & unus ultimus finis communis omnibus: sed, quòd Deus

Deus producit propter finem, producit ex intentione, ac proinde ut Author: ergo &c. *Dist. Maj.*: *ly propter* significante finem decreti permittentis productionem illius actus, *conc.* (Deus enim ex fine suæ gloriæ permittit illum actum produci); significante finem ipsius productionis externæ, *subdist.*: finem, ad quem ordinetur intrinsecè productio talis actus, *neg.*; ad quem ordinetur extrinsecè, *conc. Maj.* Tum *dist. Min.*: quòd Deus producit propter finem, ad quem intrinsecè ordinatur productio, *conc.*; ad quem productio non ordinatur intrinsecè, *neg. Min.*, vel *subdist.*: producit ex intentione talis effectus, vel aliquatenus inclinante ad existentiam ejus, *neg.*; ex intentione pure permittente talem effectum, & sub conditione quòd existat, volente finem alium, *conc. Min.*, & *neg. Conseq.*

28 Quòd de peccato pro formali dicunt omnes, videlicet Deum illud permittere ex fine seu motivo gloriæ suæ, illudque, licèt intrinsecè non ordinatum ad Deum ipsum, si tamen à creaturâ determinetur, extrinsecè & consequenter ordinare velle, sive ad bonum pœnæ, ac justitiæ vindicativæ, sive ad bonum pœnitentiæ, sive ad aliud, unde resultet gloria Dei, qui proinde sit ultimus finis: id ipsum dicimus de peccato pro materiali, seu de productione actus pravi quoad entitatem. Quòd enim actus pravi, etiam ut entitas, aut res quædam est, ex se non ordinatur ad Deum ut finem ultimum, docet ex-

preste D. Thomas in 2. d. 37. q. 1. art. 1. ad 5. dicens: *Impossibile est aliquam rem esse, quæ omni ordine destituatur. Unde & in ipso actu peccati, ut res quædam est, remanet ordo aliquis, & ad agentem, & ad finem aliquem intentum ab agente, quòd est estimatum bonum, quàmvis privetur ordo à fine debito; quæ etiam inordinationem Deus inordinatam non relinquit, sed per pœnam ordinat.*

29 Et in 1. d. 47. q. 1. ar. 3. ad 4., *Actus malus*, inquit Angel. Doctor, *secundum quòd est ab agente, inordinatus est: sed tantum ordinatur à Deo per pœnam advenientem, vel per aliquid bonum, quòd ex eo elicitur.* Ibi art. 4. docet, aliquos esse actus, qui *secundum speciem in genere natura* pro omni eventu sunt incapaces exire inordinationem. Verba retulimus *cap. præd.* Hinc bene cohæret, quòd Deus concurrat ad actum pravam præter intentionem, scilicet ipsius actus, & simul cum intentione, saltem conditionatâ, imbibitâ in ipso decreto permissivo, extrinsecè ordinante pravam actum in finem bonum. Quòd pulchrè notavit D. Thomas cit. dist. 47. ar. 3. ad 4. dicens: *Quàmvis malum sit præter intentionem Dei, tamen ordinatio mali est intenta à Deo; & huic intentioni operans malum præter intentionem obsequitur, faciens id, quòd est præter Dei intentionem, scilicet peccatum.* Hinc etiam patet, quo sensu D. Thomas in objectione citatus, dixerit, unum esse ultimum finem communem omnibus,



nimirum per ordinationem ad ipsum vel intrinsecam, vel extrinsecam. Unde ibidem docet, quod secundum fines proximos, quos intendit voluntas creata per actus suos, potest servari, & non servari debita relatio ad finem ultimam, & quod non servatur, nisi cum voluntas tendit in finem charitatis, vel beatitudinis.

30 Locus Proverb. intelligendus est de universis, quæ Deus operatur, non permissivè solum, sed etiam proprie, & per se, ut terminis utar Tridentini; vel potius ita ut *ly propter* denotet finem decreti applicativi Omnipotentia, tum quatenus amat operationem bonam, tum quatenus permittit malam, & extrinsecè ordinat ad bonum. Dices: omnis actus intrinsecè pendet à Deo ut à primo principio: ergo, & intrinsecè refertur ad Deum ut ad finem ultimum: nam Deus æquè essentialiter est finis ultimus, ac primum principium. Neg. Consequ. ; cujus probatio instatur sic: Deus æquè essentialiter est potens præcipere, ac potens agere: sed omnem actum potest agere: ergo, & omnem actum potest præcipere: quod tamen expressè negat D. Thomas cit. d. 47. ar. 4. Non ergo est idem ex terminis æquè essentialiter, ac æquè universaliter: & licet in presenti sit idem, non tamen eodem modo ex parte effectuum; quia Deus eatenus est essentialiter ultimus finis omnium, quatenus ad ipsum omnia referri debent vi ordinationis vel intrinsecæ, vel extrinsecæ.

31 Objio. 3.: Deus erga pec-

cati actum non purè permissivè se gerit. Prob. 1.: quia pura permissio non importat influxum physicum. 2.: quia Deus purè permissivè se gerit erga malitiam, seu peccatum ut tale: sed longe aliter se gerit erga peccati actum, ut entitas est, quam erga malitiam: ergo. Prob. Min.: quia Deus nullo modo potest dici causa malitiæ ut talis, nec fas est dicere, quod peccatum sit à Deo: & tamen peccati actus, in quantum actus, & in quantum ens, apud SS. Patres dicitur esse à Deo, & causari à Deo: quod ex professo probat D. Thomas multis in locis, præsertim in 2. d. 37. q. 2. ar. 2., & q. 3. de mal. ar. 2. & 1. 2. q. 79. ar. 2.; quibus in locis simul omninò removel deformitatem, & malitiam à causalitate Dei: unde inferitur, quod malitia, licet in positivo consistat, nullatenus à Deo physicè producitur.

32 Resp. neg. assumptum. Ad 1. prob.: pura permissio Causæ primæ propria respectu effectus positivi necessariò importat non subtractionem influxus physici, ut ostendimus cap. præced. ad 2.: Deus aliter se gerit erga entitatem actus, quam erga malitiam, si hæc in privatione consistat; quia entitatem physicè producitur, non verò malitiam, utpote improducibilem secundum se. Et hanc sententiam supponit D. Thomas in locis omnibus contra nos allegatis: unde non mirum, si dicat, entitatem à Deo physicè causari, non malitiam. Si autem malitia supponatur in positivo consistens, non aliter se gerit

Deus

Deus erga entitatem, quam erga malitiam specificativè sumptam; quia totum illud opus quoad omnia prædicata positiva Deus physicè producit præter intentionem, seu purè permissivè; alioquin existeret in rebus aliquid positivum, cujus Deus non esset primum principium, darentur que duo prima principia, alterum realitatis bonæ, alterum realitatis malæ; quod saperet Manichæismum. Nec tamen ideò potest Deo attribui malitia; sicut nec Deo attribuitur juxta nos entitas actus pravi: quia neutram producit Deus ut Author, sive ut causa determinans, aut intendens. Creaturæ verò malitia tribuitur ob rationem oppositam; non solum si stet in positivo, sed etiam si mera sit privatio: quia privatio ista, licet sit præter intentionem directam creaturæ, & hoc sensu dicatur ab eâ causari per accidens, & permissivè; tamen, cum resultet ex actu per se intento à creaturâ, sub intentionem ejus cadit indirectè, quantum sufficit ad imputationem. Vide cap. præced. n. 8..

33 Si ergo malitia stat in privativo (quam sententiam semper aut plerumque supponant Patres), Deus, & entitatem actus, & malitiam respicit, aut despicit eodem modo quoad intentionem, cum neutram intendat; non tamen in utramque præstat influxum physicum: unde malitia nec est à Deo per influxum, nec per imputationem, quia solum imputatur ei, qui actum determinat, aut intendit. Cæterum, si stat in positivo, sic uti-

que malitia specificativè sumpta (id est, secundum totum suum esse realiter productum) à Deo est aliquomodo, scilicet non per se, sed per accidens: quod expressè concedit D. Thomas q. 3. de pot. ar. 6. ad 13. dicens: *Non intelligitur contra malum esse bonum, sicut unum primum principium contra aliud principium primum, sed sicut duo provenientia ex uno primo principio, quorum unum per se provenit, & aliud per accidens.* Non tamen nullo modo est à Deo malitia formaliter sumpta, seu reduplicativè ut talis; sic enim denotat, non merum influxum physicum, sed influxum ut imputabilem, respicit que causam determinantem, aut intendentem, quæ non est Deus, sed creatura. Contra verò, quia actus pravus sub hac reduplicatione, in quantum actus, aut in quantum ens, non alludit ad causam determinantem, sed præcisè explicat indigentiam influxus physici, rectè sub eâ reduplicatione dicitur esse à Deo, & in Deum reduci sicut in causam.

34 In summâ, locutiones illæ, *Actus peccati, in quantum actus, non solum est à creatura, sed etiam à Deo, & in quantum deformis, aut malus, non est à Deo, sed à creatura*, non indicant duo positiva prædicata operis, quorum alterum producatur à Deo, alterum non; sed tantum alludunt ad modum agendi ex parte causarum simul concurrentium: altera enim alludit ad causam physicè influentem præscindendo à determinatione, & intentione; altera verò ad causam determinantem,

vel



vel antecedentem, quæ est causa cur sit. Et, quia nomen peccati, malitia, deformitatis, adulterij, homicidij, &c., etiã cum simpliciter ac sine reduplicatione profertur, juxta communem sensum importat respectum, aut allusionem illam ad causam cur sit; idcirco semper absolute negandum est, quod peccatum, malitia &c. sit à Deo, vel causetur à Deo. etiam in sensu reali; Deus enim, licet realiter producat totum id, quod est malitia ( si hæc stat in positivo ), non tamen est in sensu reali causa cur sit, cum in sensu reali non determinet, nec intendat illud opus. Unde D. Thom. in 2. d. 37. q. 2., ar. 2. Non potest ( inquit ) dici absolute, quod peccatum sit à Deo, ut homicidium, aut aliquid hujusmodi, nisi cum hac additione, in quantum est actus, & in quantum est ens: id est, in quantum explicat indigentiam influxus physici, & in quantum alludit ad causam physicè influentem, non verò sub nomine alludente ad causam, cui imputatur.

35 Videatur omnino D. Thomas in 2. d. 39. q. 1. ar. 1., ubi totam rationem, cur voluntati creatæ imputetur peccatum, ex eo desumit, quod actus peccati est à voluntate tam secundum substantiæ actus, quam secundum determinationem agentis ad actum, & quod voluntas ita se determinat, ut ab alio non determinetur. Nunquam ( quod sciam ) invenitur in D. Thoma, quod loquendo signanter de actu peccati, etiam in quantum est actus, aut ens, dicat, illum à Deo determinari, vel intendi, vel

amari, vel eligi; sed tantum causari. E contrario, ut malitia tribuatur creaturæ, pro ratione assignat, quod creatura determinat actum, quod illum per se intendit, vult, & eligit; ut videre est in loco nuper allegato, & ibi art. 2. corp., & q. 1. de mal. ar. 3. ad 15., & q. 3. de mal. ar. 2. ad 1., & sæpe aliàs. Hinc intelliges, cur D. Thomas in 2. d. 37. q. 2. ar. 2. ad 5., ad objectionem, quod actus peccati nequit esse à Deo, dum est à deformitate inseparabilis, nisi deformitas etiam à Deo sit, solum respondet, quod Deus hoc, quod est actionis, facit; & quod deformitatis, non facit: et si enim in aliquo effectu pura inseparabiliter conjuncta sint, non oportet, ut quidquid est causæ ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum.

36 Hæc responsio, nisi ad mentem D. Thomæ capiatur, videbitur frigida petitio principij: hoc enim ipsum queritur, quomodo quidquid causat effectum, non causet id, quod ex eo resultat inseparabiliter? maxime cum ipse D. Thomas, ut vidimus cap. præced. n. 8. statuat pro regulâ generali, cui stultum sit dissentire, Quod qui vult effectum, vult etiam id, quod effectui adjungitur frequenter, vel ut in pluribus. Verum responsio optima est juxta mentem, & principia D. Thomæ: nam regulam illam generalem non tradit S. Doctor pro eo, qui causat utcumque, sed pro eo, qui vult, aut per se intendit effectum: nunc verò loquitur de eo, qui est causa,

sci

scilicet physicè influens, præsciendando à determinatione, & intentione: quo sensu optime negat, quod Deus, causando actionem, causet deformitatem inseparabilem; quia hæc, si est mera privatio, non est causabilis physicè; & in quocumque consistat, non dicitur causari nisi ab eo, à quo causatur actus imputabiliter; & ex præciso munere physicè influendi non sequitur imputabilitas, nisi adsit determinatio, vel intentio. Hinc etiam intelliges, quam opportunum sit exemplum claudicationis, quo toties utitur D. Thomas, necnon exemplum cæcitatæ, quo utitur loc. cit.: quia enim anima, seu virtus motiva, de se non inclinatur nisi in motum rectum, nec ad obliquum determinatur nisi à curvitate tibiarum: quia item animalis natura de se non radicat nisi oculos visivos, nec aliquid positivum intendit, ex quo resultat cæcitas, sed hæc aliunde provenit contra inclinationem ejus: idcirco nec animæ tribuitur obliquitas motus, nec naturæ cæcitas oculorum. Pariter ergo nequit Deo attribui deformitas actus, quia Deus non inclinatur nisi ad actum bonum, nec intendit entitatem actus, ex quo resultat deformitas, sed talis entitas à solâ creaturâ determinatur contra voluntatem Dei. Unde exempla illa nostram sententiam planè confirmant.

37 Hinc demum intelliges, cur peccatum dicatur esse à voluntate creatâ, eique imputari, quia voluntas est causa deficiens, aut potens deficere, & quia est ex nihi-

lo; & è contrâ, non esse à Deo, quia Deus est ens à se, & impotens deficere. Nimirum, cum sermo est de peccato, causa potens deficere, nihil est aliud, quam causa potens eligere, seu determinare contra legem Dei: unde peccatum esse à creaturâ, ut à causâ deficiente, significat esse ab illâ, ut à causâ eligente, seu determinante id, quod lex Divina prohibet; quæ causa eo ipso sapit nihilum, ex quo facta est; quia potestas sic determinandi, licet à Deo conferatur ( ex intentione scilicet, ut creatura gloriam habeat non peccandi, cum peccare possit ), soli convenit voluntari finitæ, & ex nihilo factæ, respicit que exercitium, quod in Deum ut Authorem refundi non potest. De cætero, potestas peccandi, seu conditio nature potens deficere, quam Deus in tali conditione instituit, est quid bonum, & à Deo volitum, ut docet D. Thomas in 1. d. 46. q. 1. ar. 4.; nec dubium, quin Deus liberi arbitrij sit Author; Liberum autem arbitrium nominat potentiam eligentem bonum, & malum, ut ait S. Doctor in 2. d. 39. q. 2. ar. 2. ad 3..

38 Obje. 4.: Deus non influit in actum peccati ut causa per accidens: ergo influit ut causa per se. Prob. Antec.: quia Deus nunquam influit, nisi ut primū principium, sive ut causa prima, & principalissima, respectu cujus instrumentaria est omnis virtus creata: ideoque semper Deus magis influit, quam causa secunda. Impossibile autem est, quod aliquid sit per accidens respectu cause pri-



ma, & per se respectu secundæ, ut ait D. Thomas q. 3. de verit. ar. 2.. Et alioquin prior esset causa secunda, quam prima; quia, ut inquit ibi D. Thomas, *Quod est per se, prius est eo, quod est per accidens.* Unde sequeretur, quod respectu alicujus actionis creatura esset primum principium: quod inconueniens deducit etiam D. Thomas in 2. d. 37. q. 2. ar. 2. dicens. *Si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus actor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principij haberet.* Si respondeas, quod voluntas humana non habet esse à se, sed ab alio, contra instat D. Thomas: *Quamvis per hanc responsonem evitaretur, quod non esset primum simpliciter; non tamen posset vitari, quin esset primum agens, si ejus actio in aliquid prius agens non reduceretur sicut in casum.*

39 *Resp. dist. Artec.*: ly *per accidens* excludente perfectatem causæ cur sit, idest, perfectatem determinationis, & intentionis, *neg.*: excludente alias perfectates (de quibus cap. preced. ad finem), *con.* *Artec.*, & sub ead. *distinc.* *Consequ.* Ad prob. concedo libenter, quod Deus nunquam influit, nisi ut primum principium: sed de ratione primi principij, abstrahendo ab effectuum conditione variâ, solum est, quod per virtutem improdustam, & a se ipso libere applicatam, agit sub ratione generalis imâ entis, ita ut ejus influxu sit necessarius ad omnem effectum titulo entis, ac proinde titulo æque mili-

tante in omni creato esse, posse, & agere. Totum hoc habet Deus respectu ætus peccati, quamvis illum non determinet, nec intendat, atque adeo quamvis non sit illius causa per se perfectate attributionis. Quare perfectitas ista non convertitur generatim cum ratione primi principij, sed tantum cum ratione primi principij se solo operantis, & etiam concurrentis cum causâ secundâ ad effectus à Deo ipso non prohibitos, repugnat enim Deum determinate, vel intendere illud ipsum, quod serîo prohibet. Concedo pariter, quod Deus semper agit ut causa principalissima (principalitate dicente rationem primi principij nunc expositam), & quod creatura non agit nisi ut instrumentum Dei, quatenus ab eo virtutem habet, & est impotens agere sine illius influxu, & voluntate præviâ: cum hoc tamen cohæret, quod creata voluntas sit instrumentum rationale, liberum, & electivum, cui comperit dominium suorum actuum ex dignatione Dei, & cui proinde comperit perfectitas attributionis, interdum tanquam unicæ causæ cur sit effectus, scilicet quando talis perfectitas dedecet Deum.

40 Concedo tandem, quod semper Deus magis influit, quam creatura, ly *magis* significante prærogativam primi principij non tamen significante semper plus intentionis, aut determinationis quoad talem influxum: nam, licet *causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur*, ut inquit D.

D. Thomas q. 1. de pot. ar. 4. ad 3.. Dum autem negat D. Thomas, posse aliquid esse per accidens respectu causæ primæ, & per se respectu secundæ, loquitur de *per accidens* excludente perfectatem immediatæ dependentiæ à virtute, scientiâ, & voluntate primæ causæ; non tamen de excludente determinationem, & intentionem propriè talem: quamvis enim ibi de *intentione* loquatur, sumit hoc nomen in sensu lato, quatenus significat voluntatem, præcipientem à permissivâ, & approbativâ, de producendo effectu in individuo, cû perfectâ cognitione, & prævisione illius; ut constabit attentè legenti. Similiter, Quod est per se, prius est eo, quod est per accidens, si hoc *per accidens* excludat dictam perfectatem dependentiæ; secus vero, si cohæreat cum eo, quod effectus essentialiter immediatè dependeat à causâ, cui est per accidens, & ab eâ sit præcognitus, & prævolitus permissivè, priusquam oriatur à causâ per se perfectate attributionis.

41 Potrò ex hac nostrâ doctrinâ perperâ inferitur, creaturam esse primam principium alicujus actionis: quamvis enim sola creatura perfectatem attributionis habeat respectu actionis præviæ, non idè induit rationem primi principij explicatam n. 39.. Magis apparentius pluralitas primorum principiorum sequitur, si Deus nullo modo influit in realitatem malitiæ positivæ, vel fundamenti privationis, ut jam n. 32. indicavimus. Nec D. Thomas absurdam illud infert ex nos-

trâ sententiâ, sed ex eâ, quæ à dæmone peccati nullo modo à Deo esse dicebat: quam ibi rejicit, *Quis ex ea videtur sequi, quod sint plura prima principia: hoc enim est de ratione primi principij, ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus.* Unde, si voluntas humana &c., ut suprâ n. 38.. Et addit, quod saltem erit *primum agens*, si ejus actio in aliquam priorem causam non reducatur. Nihil ergo ad nos attinet sequela ista, cum negemus creaturam agere posse actum peccati sine auxilio, & influentiâ prioris agentis, & quin ejus actio reducatur in Deum (non ut in Authorem, sed ut in primam fontem omnis esse, & causam universalissimam *sine qua non*), qui prior est non solum in essendo, sed etiam in concurrente, ut explicuimus cap. 2.

42 Concedimus itaque quidquid ibi afferit D. Thomas, & nominatim quod Deus actionis peccati est *actor*, quæ vox idem sonat, ac *agens*, vel ad summum ad lit, quod sit agens ex officio seu munere causæ primæ. In summâ dicimus cum D. Thomâ *ibid. ad 2.*, quod *Deus actionis illius causa est, in qua malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse, & agere, & quidquid perfectionis in agente est: hoc enim totum stat sine perfectate determinationis, aut intentionis.* *Dices*: saltem creatura erit prima causa per se illius actionis, cum non supponat aliam causam per se. *Dist.* perfectate dependentiæ actionis, *neg.*; perfectate determinationis, aut imputationis, *subdist.*: ita ut hæc



perfectas significet causam deficientem (juxta dicta n. 37.), *conc.*; ita ut aliud significet, *neg.* Quod creatura sit causa prima negativè, idest, unica, in genere deficienti, seu determinandi contra legem Dei, certum est, & à Thomistis assertum in sensu duriore, quod scilicet malitia positiva, vel positiva ratio fundamenti, nullatenus à Deo sit, sed unicè à creaturâ.

*Quadam alia propositiones breviter explicantur.*

43 Dices adhuc 1.: Deus amat concursum suum ad actum peccati. *Dist.*: concursum in actu primo, *conc.*; concursum in actu secundo, seu externum, *neg.*: talis enim concursus externus est malus, non quidem Deo, nec respectu Dei, sed creaturæ, & respectu creaturæ. Instabis: saltem respectu Dei concursus ille externus bonus est. *Dist.*: bonus est formaliter, & ratione sui, *neg.*; præsuppositivè, seu ratione voluntatis permissivæ, quam præsupponit, *conc.*, juxta illud Magni Augustini Enchirid. c. 96, *Nec dubitandum est, Deum facere bene, etiam sinendo fieri quacumque sunt male.* Unde absolutè verum est, Deum bene, & sanctè concurrere ad actum peccati: quia ly *benè*, & *sanctè*, significat modum concurrendi se tenentem ex parte Divinæ voluntatis. Eodem sensu concedenda est hæc propositio, *Deum concurrere in actu secundo ad actionem peccati bonum est*: ita scilicet, ut solum significet bonitatem modi se tenentis formaliter ex parte voluntatis Divinæ, quam præsupponit

concursum in actu secundo. Hæc autem, *Deus potest sanctè velle, quod sanctè facit*, concedenda est de velle permissivo, neganda de approbativo; vel distinguenda sic: si sanctitas faciendi consistat in eo, quod faciat, non approbando, sed pure sinendo, *neg.*; si in alio consistat, *conc.* Instabis iterum: Omnipotentia non minus sancta est, quam Divina voluntas: si ergo Omnipotentia physicè attingit actum peccati, poterit, & voluntas illum attingere affectivè. *Concedo* totum: nam etiam Divina voluntas illum actum attingit affectu permissivo, & averfivo. Si tamen loquaris de affectu approbativo, *neg.* *Consequ.*; quia talis attingentia Deum redderet Authorem peccati, secus autem attingentia, vel actio physica Omnipotentis. Et insto sic: æquè sancta est scientia Dei, ac voluntas approbativa; sed scientia attingit malitiam peccati; ergo, & voluntas. Vel sic: æquè sancta est Omnipotentia, ac voluntas præceptiva: si ergo Omnipotentia physicè producit actum odij Dei, poterit, & Divina voluntas illum præcipere.

44 Instas aliter: Deus amat se influere in actum peccati, dum creatura concurrat: nam pro hoc eventu ita necessarius est influxus Dei, ut, si creatura concurreret non influente Deo, deficeret Omnipotentia. *Nego* assertum; & rationem adjunctam insto sic: dum creatura se determinat contra legem Dei, ita necessaria est resultantia malitia, ut eâ tunc non resultantem deficeret in Deo potestas obligandi, nec non

potentia permittendi, & puniendi peccata: ergo Deus amat malitiam resultare, dum creatura se determinat. Itaque Deus antecedenter amat se non influere in actum peccati, simul amando creaturam non concurrere: ex suppositione tamen, quod creatura concurrat (quæ suppositio jam importat influxum Dei), non amat se non influere; quia hoc esset amare chimeram, velle scilicet, ut influxus non sit ex suppositione quod sit. Nec ideo amat Deus hoc ipsum influere ex suppositione quod influat, licet sit, metaphysicè necessarium: quia hæc est necessitas irribibita in ipsâ possibilitate peccati, quam Deus non amat, tamen si cum eâ connectatur, ut vidimus disp. 7. c. 2.: nec ex connexionem Dei cum possibilibus desumi potest ullum argumentum circa actum peccati, quod non militet circa malitiam. Instas demum: Deus amat adimplerionem maneris Cause primæ. *Dist.*: adimplerionem stantem in applicatione Omnipotentis ad concurrendum, *conc.*; stantem in externo concursu, *subdist.*: si talis adimplerio determinetur per causam secundam contra legem Dei, *neg.*; si non ita determinetur, *conc.*

45 Dices 2.: Deus ultrò offert concursum suum ad actum peccati. *Dist.*: offert pure permittendo, *conc.*; offert suadendo, vel invitando, *neg.* Offert tamen ultrò; quia ipsum permittere suum Deus liberè vult, & à nullo coactus; ideo que verè concurrat *volens*, & *quia vult*. Vide supra n. 22. Nihil omni-

nus simul concurrat seriò *volens*, non quidem volens permittere (in quo multum differt ab homine, qui metu, vel alio impulsu, cui non audeat resistere, vult aliquid facere reluctans, & invitatus), sed volens concursum externum, quem simul vult non impedire. Dices 3.: voluntas nostra vincit omnipotentiam, & ex determinatione nostrâ Deus facit quod non vult, & non facit quod vult. Insto: ergo voluntas nostra vincit voluntatem Dei, faciendo peccatum, quod Deus non vult, & non faciendo bonam opus, quod Deus vult. Negabis *consequ.*; tum quia voluntas nostra nihil facit contra voluntatem Dei efficacem, sed solum contra inefficacem, licet feriam, cui utique resistit (ut definitum est in Bullâ *Unigenitus* contra propositionem 13. Quesnelli); tum quia hæc ipsa resistantia supponit liberrimam Dei voluntatem permissivam; nec facere potest quia Deus de creaturâ peccante faciat quod voluerit. Idem ergo tibi dictum habe.

46 Dices 4.: potentia subordinata nequit agere eo præcisè, quod non impediatur à subordinante. *Dist.*: si potentia subordinata non sit electiva, *conc.*; si sit electiva, & dominativa sui actus, *subdist.*: eo præcisè, quod non impediatur impedimento positivo, *conc.*; quod non impediatur impedimento negativo subtractionis concursus, *neg.* Dices 5.: Deus habet ideam actus peccati, ut non semel indicat Deo Thomas: sed idea est forma, quantum opus imitatur ex intentione agentis;



tis, juxta D. Thomam q. 3. de verit. ar. 1.: ergo. *Diſt. Min.*: ex intentione ſufficiente ut opus non ſit caſuale, *conc.*; ex aliâ intentione proprie tali, *neg.*, quantum eſt ex conceptu ideæ. Potest *intentio* accipi in ſenſu lato, ut notavimus n. 40.: atque ita ſumitur, cum definiatur idea, vel exemplar; quia ſic ſumpta ſufficit, ut quod ſit cum ideâ, non fiat cæcè, & caſualiter; prout intendit ibi D. Thomas. Ad excludendam autem caſualitatem non requiritur intentio proprie ſumpta pro voluntate approbante, & procurante. Sed de his jam ſatis.

## CAP. V.

**UTRUM DETUR CONCURSUS Dei prævius phyſicè prædeterminans cauſas ſecundas ad operandum?**

**P**Ræter concurſum Dei ſimultaneum, de quo hætenus, quaeritur, an ſit agnoſcendus concurſus prævius, qui, & qualis aſſeritur, & acriter defenditur à Thomiſtis? Hic appellatur *phyſica prædeterminatio*, eſt que quædam quædam, motio, vel impuſſio, à ſolo Deo proveniens, & phyſicè impreſſa voluntati humanæ v. g., pro priori ad actionem ejus; ſic tamen, ut non ſit virtus activa, nec pertineat ad actum primum libertatis, ſive ad poſſe liberum (alioquin libertatem everteret), ſed ita ut actum primum ſupponat proxime & integre conſtitutum, conſequenter que ſe teneat in quodam actû vel ſigno medio inter poſſe & agere

creaturæ, ſitque applicatio actus primi ad ſecundum. Præmotio iſta ponitur 1. eſſentialiter prærequiſita ad omnem actionem cauſæ ſecundæ, ſeu liberæ, ſeu neceſſariæ, adeò ut chymericum ſit ſine illâ exiſtere actionem ullam, naturalem aut ſupernaturalem, bonam aut pravam. Ponitur 2. eſſentialiter inſeparabilis ab actione, quam præit, adeò ut chymericum etiam ſit creaturam eâ præmotione poſſe non operari: unde, quia ceſſat actione creaturæ ceſſante, dicitur motio tranſiens, aut fluens, vel per modum fluxus. Ponitur 3. unice pendens à mero arbitrio Dei, adeò ut hujus præmotionis adquiſitio, vel impeditio, ſit prorsus extra poteſtatem creaturæ, etiam liberæ. Cum his attributis, quæ recentioribus Thomiſtis communiter placent, phyſica prædeterminatio eſt veluti character præcipuus hodiernæ Scholæ Thomiſticæ.

2. Ipa tamen conſtanter rejicitur, & fortiter impugnatur ab univerſâ Scholâ nouâ, necnon à Scholâ Scotiſtarum, & ab alijs quàm plurimis & graviffimis Authoribus, tum ante, tum poſt exortam inter PP. Dominicanos & Noſtros celebrem de Auxilijs Divinæ gratiæ controverſiam: quorum Authorum cenſum videre licet apud R. P. Thyſum tom. 4. ſelect. diſp. 4. à n. 194.. Inter eos non pauci, nec ignobiles numerantur ex clariffimo ipſo Prædicatorum Ordine: nominatum R. P. Fr. Joſephus de Vita, qui in egregio *Opere de proprio & per ſe principio &c.*, a præſtantibus

ejuſdem Ordinis viris approbato, & autoritate Magiſtri Generalis edito an. 1665., non obiter, ſed tractatâ integro contra phyſicam prædeterminationem, ut à mente D. Thomæ alienam, ejusque principijs adverſam, & humanæ libertatis inimicam, fortiſſimè pugnat. Porro, quia Thomiſtæ prædeterminationem iſtam requirunt etiam ad materiale peccati, & quia in eâ collocant efficaciam Divinæ gratiæ ad actus ſalutares, controverſia hæc Theologiſci juris facta eſt, & à Theologiſci ſuſſimè diſceptari ſolet. Nunc, omiſſis Theologiſci argumentis, & quidem prævalidis, ex Scripturâ, Concilijs, & Patribus, necnon ijs, quæ ſumuntur ex capite Divinæ ſanctitatis, ſive ex eo quòd phyſica prædeterminatio Deû redderet Authorem peccati (quâ de re ſatis egimus ſuprà cap. 3.); breviter illam impugnabimus in cauſis libertatis ex capite libertatis, prout hæc à Philoſophis cognoscibilis eſt, præciudèdo ab ordine ſupernaturali. In cauſis neceſſarijs rejici ſolet ex capite ſupernaturalitatis; quia ſcilicet nullo titulo neceſſaria eſt, ut ignis v. g. determinetur ad agendum cum perfectâ ſubordinatione ad primam Cauſam: quod ſatis ex dicendis colligi poterit.

*Rejicitur phyſica prædeterminatio, ut creature libertati contraria.*

3. Præ oculis habenda ſunt attributa prædeterminationis notata, n. 1.: nimirum quòd ſit eſſentialiter prærequiſita ad actum, & cum eo eſſentialiter connexa; & quòd ita pendeat à ſolo arbitrio Dei, ut ejus

exiſtentia, vel carentia nullatenus ſit libera creaturæ. Hinc ſtatim patet ingès difficultas prædeterminationem cum libertate conciliandi. Si enim mihi nullatenus liberum eſt id, ſine quo nequit actus exiſtere, & quo poſito nequit actus omitti, quomodo mihi liberum erit quòd actus exiſtat, vel omittatur? Sed, ut res clarior fiat, *Arguitur* ſic: Voluntas à Deo phyſicè prædeterminata ad amorem v. g., non operatur amorem liberè: ergo phyſica prædeterminatio libertatem evertit. *Prob. Antec.*: voluntas non operatur liberè (loquor de libertate in differentia, quam, ultra libertatem à coactione, Fides docet), niſi operetur cum expedita poteſtate non operandi; ut eſt certum: ſed voluntas phyſicè prædeterminata ad amorem, non operatur cum expedita poteſtate non operandi, ſeu omittendi amorem: ergo non operatur liberè. *Prob. Min.*: voluntas habens metaphyſicam connexionem cum exiſtentia amoris, ſibi non liberam, ſed proſus inevitabilem, & antecedentem omne exercitium ſuæ libertatis, non eſt expedite potens omittere amorem (quid enim magis impeditum?): ſed voluntas, ad amorem prædeterminata, connexionem habet iſtiusmodi, ut conſtat ex attributis prædeterminationis: ergo &c.

4. Urgetur 1.: voluntas, quæ non habet actum, nec in poteſtate requiſitum aliquod, ſine quo chymericum eſt amorem omitti, non eſt expedite potens ad omiſſionem amoris. Hoc videtur omnino per ſe



notam, etiam de requisitis naturaliter necessarijs. Sic, qui non habet actu, nec in potestate alas ad volandum, lucem ad legendum, carentiam compedum necessariam ad ambulandum, non est expeditus ad volatum, lectionem, ambulationem. Atqui voluntas in instanti, quo prædeterminatur ad amorem, non habet actu, nec in potestate carentiam hujus prædeterminationis, quæ carentia ita requiritur ad omissionem amoris, ut amorem sine illâ omitti chymericum sit: ergo voluntas in eo instanti non est expeditè potens amorem omittere. Similiter voluntas in instanti, quo non prædeterminatur ad amorem, non erit liberè potens amorem elicere, cum non habeat actu, nec in potestate requisitum, sine quo amorem elici chymericum est. Certè potentia libera importat sufficientiam, vi cuius in laudem aut vituperium imputetur ipsi, quòd amorem eliciat, aut omittat: quomodò autem imputatio istiusmodi locum habere poterit, si potentia destituitur requisito essentiali ad utrumlibet, cuius adquisitio nec est, nec fuit unquam in ejus potestate?

5 Urgetur 2.: prædeterminationis ad amorem est impedimentum insuperabile omissionis amoris, siquidem omnino repugnat hanc omissionem cum eâ prædeterminatione componi: est item impedimentum à libertate creatâ prorsus inevitabile, & inaufiribile, siquidem a solâ Dei libertate pender. Tum sic: voluntas in instanti, in quo subest impedimento omissionis

amoris, sibi non libero, sed prorsus inevitabili, & inaufiribili, non est expedita, sed impedita ad omissionem amoris: ut videtur clarum ex terminis, & inductione perpetuâ. Cur enim alioquin humanitas Christi D. non erit ad peccandum expedita, quâvis subit unioni hypostaticæ, & visioni beatificæ? Vel cur ferreis catenis vinctus, & carcere detentus, non censetur expeditus ad fugiendum? vel quid significat me esse *impeditum*, nisi me pati necessariò, seu citrà omnem meam libertatem, impedimentum insuperabile? Cum ergo voluntas in instanti, in quo prædeterminatur ad amorem, impedimento subit istiusmodi, non erit ad omissionem amoris expedita, proindeque nec libera. Eadem ratione voluntas non erit expedita ad amandum, dum caret prædeterminatione ad amorem; quia subest impedimento insuperabili, sibi non libero, nempe carentiæ prædeterminationis.

6 Urgetur 3.: qui sine libertate ponitur in statu, in quo necesse est agere, verè necessitatur ad agendum, seu agit necessariò, ac sine libertate. Quid clarius? Sed qui prædeterminatur ad actum, sine libertate ponitur in statu *prædeterminati* (hic enim status nullatenus ipsi liber est), in quo, seu quo posito, necesse est agere, siquidem impossibile est non agere; idèque propositio hæc, *Qui prædeterminatur ad actum, agit est æternæ veritatis*, & objectam scientiæ simplicis intelligentiæ, juxta Thomistas: ergo &c. Aliter: qui sine libertate patitur ne-

cessitatem metaphysicam agendi, sine libertate agit. Quid manifestius? Vel quid aliud est necessitari ad agendum? Sed qui patitur prædeterminationem, sine libertate patitur necessitatem metaphysicam agendi: ergo &c. Constat *Minor*: quia prædeterminatio, quam homo sine libertate patitur, est metaphysica necessitas agendi: tum quia est connexio metaphysica cum agere: tum quia est impossibilitas metaphysica non agendi, siquidem eâ stante metaphysicè impossibile est non agere. Certè libertas indifferentiæ est libertas à necessitate, ut nemo nescit: quomodò autem habet libertatem à necessitate, qui sine libertate patitur necessitatem agendi? seu qui nullam habet libertatem, ut necessitatem agendi evitet, aut à se excutat?

7 Hujus argumenti vim ut capias, scito, quòd duplex est necessitas, quoad præsens attingit: alia dicitur *antecedens*; & hæc juxta omnes destruit libertatem: alia *consequens*; & hæc cum libertate coheret. Utriusque discrimen sumitur à Theologis ex D. Anselmo, tum *lib. 2. Cur Deus homo cap. 18.*, tum *lib. de Concordiâ. cap.*, seu *tit. 1.*: quibus ex locis habetur, quòd necessitas antecedens illa est, quæ præcedit omnem usum libertatis, & nullatenus caveri potest priusquam sit; sicut necessitas ut cælum moveatur, vel ut Sol oriatur crâs: consequens verò est, quæ aliquomodò descendit à libera voluntate, vel ejus exercitium (saltem in statu conditionato) supponit, idèque caveri po-

test antequam sit; ut cum dicitur, *Necesse est me loqui, si loquor*, vel ex suppositione quòd loquar. Hi sunt utriusque necessitatis characteres, ut patebit Anselmum legenti. Confer nunc eos cum physica prædeterminatione, quæ citrà dubium est aliqua necessitas agendi; & planè comperies, ei convenire quidquid est de conceptu necessitatis antecedentis; minime verò, quòd est de conceptu necessitatis consequentis. Eùdem sensum habet apud D. Thomam distinctio necessitatis in *absolutam*, & *ex suppositione*, vel in *necessitatem consequentis*, & *consequentis*: quarum prima, non secunda, libertati opponitur. Et ad eandem normam explicantur potentia, vel impotentia antecedens, potentia, vel impotentia consequens: nam ille est antecedenter potens ad aliquid, qui caret necessitate antecedenti ad oppositum; si verò tali necessitate non careat, dicitur antecedenter impotens ad illud. Idem puta de potentia, vel impotentia consequenti ratione consequentis necessitatis. Unde inferes, quòd prædeterminatus ad agendum, est antecedenter impotens non agere; quæ impotentia juxta omnes cum libertate pugnat.

8 Urgetur 4.: qui nullo genere potentia liberæ impedire potest antecedens metaphysicè connexam cū consequenti, nullo genere potentia liberæ potest vitare consequens. Hoc etiam videtur per se notum: & alioquin, posito antecedenti, superesset adhuc ulterior aliqua evitabilitas, adeoque ulterior contin-



gentia, vel incertitudo aliqua cōsequentiſ, contra conceptum connexionis metaphyſicæ, & contra principium dialecticum, *Ex vero non ſequitur niſi verum*: ſi enim conſequens eſt magis contingens, quàm antecedens, fieri poterit, ut poſito antecedenti deficiat conſequens, ac proinde ut ex vero ſequatur falſum. Atqui Petrus nullo genere potentia liberæ vitare poteſt prædeterminationem, quæ metaphyſicè connectitur cum amore, & illum infert antecedenter, ſeu à priori: ergo amorem nullo genere potentia liberæ vitare poteſt. Vel aliter: Petrus non poteſt liberè impedire hoc antecedens, *Petrus prædeterminatur ad amorem*: ergo nec poteſt liberè vitare hoc conſequens, *Petrus amat*, quod inde per connexionem metaphyſicam ſequitur à priori. *Prob. Conſequ.*: quia, ſi poteſt vitare hoc conſequens, poteſt facere ut detur oppoſitum ejus: qui autem facere poteſt ut detur oppoſitum, conſequentiſ, poteſt facere ut detur oppoſitum antecedentiſ; quod eſt impedire antecedens.

9 Vel etiam aliter: in hoc ſyllogiſmo, *Omnis prædeterminatus ad amorem amat; Petrus eſt prædeterminatus ad amorem; ergo Petrus amat*; utraque præmiſſa eſt nec. ſſaria Petro neceſſitate antecedentiſ, ſeu, quod idem eſt, omninò independens ab ejus libertate; *Major*, quia eſt æternæ veritatis; *Minor*, quia ſic fert doctrina Contrariorum: ergo & conſuſio, *Petrus amat*, eſt æquè neceſſaria Petro: repugnat enim, ut cui ſunt neceſſa-

riæ præmiſſæ, unde conſuſio ſequitur evidenter, non ſit pariter neceſſaria conſuſio. Quod patet, tum in ſyllogiſmiſ eadē formâ conſtructiſ in quâviſ aliâ materiâ, in hoc v.g., *Omnis beatus Deum amat, Petrus eſt beatus; ergo Deum amat*: tum ex inconcuſſo principio dialectico, *Ex neceſſario non ſequitur niſi neceſſarium*; vel, ut ait Ariſtoteles I. Poſter. t. 17., *Cum medium eſt neceſſarium, conſuſio quoque neceſſaria eſt, quemadmodum & ex veris infertur ſemper: conſuſio vera... & fieri requirit, ut cum conſuſio non eſt neceſſaria, medium neceſſarij ſubeat rationem*: quam regulam demonſtrat Ariſtoteles, & cum eo D. Thomas ibi lect. 13.. Idem ſyllogiſmus fieri poterit conditionaliſ, ſi loco illiſ Majoriſ, *Omnis prædeterminatus, &c.*, ponatur hæc, *ſi Petrus prædeterminatur ad amorem, amat*: & tunc pariter ex præmiſſiſ Petro neceſſarijſ, ſequitur legitime conſuſio juxta regulas ſyllogiſmi conditionaliſ. Accedit ratio: quia, dum mihi neceſſariuſ eſt amor ſub conditione aliquâ, ſi aliunde purificatio conditioniſ ſit mihi neceſſaria, mihi neceſſariuſ ſit amor abſolutè. Sic, quia mihi neceſſarium eſt mori, ſi bibam toxicum, ſi aliunde toxicum bibere ſit mihi neceſſarium, mihi redditur abſolutè neceſſaria mors, & nullatenus libera manet. Sic etiam in alijs inductione perpetua.

10 Urgetur 5.: potentia libera eſt, que poſitiſ omnibuſ prærequiſitiſ ad operandum poteſt operari & non operari, ut fert definitio ab

om.

omnibuſ approbata: ergo 1., ſi prædeterminatio eſt unam ex prærequiſitiſ, donec ea ponatur, non intelligitur potentia libera, conſequenterque prædeterminatio pertinet ad actum primum, ſive ad poſſe: ergo 2., poſitâ prædeterminatione ad operandum, poteſt voluntas non operari, vel, ſi non poteſt, non manet libera; conſequenterque vel prædeterminatio non connectitur eſſentialiter cum operatione, vel tollit libertatem. *Dices*: poſitâ prædeterminatione, manet poteſtas ad omiſſionem, non ut componendam cum prædeterminatione, ſed ut ponendam in ſenſu diſiſo. Sed, præter infra dicenda contra 1. reſponſionem Thomiſtarum, nunc infero: ergo, poſitâ prædeterminatione, non manet poteſtas ad omiſſionem in ſenſu compoſito illiſ: ergo abſolutè falſum eſt, quod voluntas, poſitâ prædeterminatione, poteſt omittere actum; ſicut falſum eſt abſolutè, quod homo, poſitâ cæcitate, poteſt videre; quod humanitas, poſita unione hypoſtaticâ, poteſt peccare; imò etiam, quod, poſito amore, poteſt non amare: viſ enim illiſ ablativi abſoluti plane importat ſenſum compoſitum. Falſa ergo, vel inepta erit definitio potentia liberæ. Præterea, ſenſus definitioniſ erit, quod potentia libera, poſito prærequiſito ad operandum, poteſt non operari pro evento, in quo careat tali prærequiſito. At hoc pariter convenit cauſæ neceſſariæ, v.g. igni, poſitâ applicatione. Adde, quod homo vere peccat ponendo actum pravum in

ſenſu compoſito prædeterminationiſ ad ipſum, vel omittendo actum præceptum in ſenſu compoſito carentia prædeterminationiſ ad actum iſtum: ſed in eo ſenſu, in quo peccat, tenetur vitare; &, ſi tenetur, vitare poteſt, cum non teneatur ad impoſſibile: ergo &c..

II Urgetur 6.: voluntas non agit liberè, niſi ſe ipſam ad agendum determinet; non enim eſſet homo liberi arbitrij, niſi ad eū determinatio ſui operiſ pertineret, ut ait D. Thomas in 2.d.28.q. 1. ar. 1., & nemo dubitat. At voluntas humana, ſi prædeterminatur à Deo, in nullo ſigno ſe liberè determinat: non pro priori ad prædeterminationem, ut eſt evidens: non deinde concomitanter; quia ſic Deus non prædeterminaret, ſed condeſterminaret: non denique pro poſteriori; quia poſt prædeterminationem nulla jam ſuper eſt indifferentia voluntatiſ, nulla que poteſtas non agendi, quæ non ſupponatur ita ligata, & præpedita, ut jam ſit impoſſibile non agere, & non ſequi determinationem Dei. Quomodo autem locus erit liberæ determinationiſ voluntatiſ in ſigno, in quo jam impoſſibile eſt non ſequi determinationem alienam, ſibi non liberam? Cerrè, ſe liberè determinare ad agendum non eſt præciſè efficere actum; alioquin voluntas beati ſe liberè determinaret ad amorem Dei: eſt ergo actum efficere ſine præviâ alligatione, ſeu cum poteſtate omittendi non præpeditâ, ratione cujuſ voluntatiſ imputetur quod non omittat. At quomodo voluntatiſ imputabitur quod



non omittat actum furti v.g. in instanti, in quo ad illud prædeterminatur? In quo signo illum omittet? An in signo præcedente, vel comitante prædeterminationem? Omnino repugnat. An in signo prædeterminationem subsequente? At hoc signum jam supponit prædeterminationem, qua supposita nec Deus facere potest ut omittatur actus.

12 Denique urgetur: physica prædeterminatio supponit in Deo decretum prædeterminativum metaphysicè connexum cum operatione determinatâ, quod juxta Adversarios non coheret cum decreto indifferenti, de quo supra cap. 3: quare decretum ipsum prædeterminans, vel aliud similiter connexum, debet esse applicativum Omnipotentia (quæ certè non applicatur nisi liberè) ad concurrendum simultaneè, proindeque debet constituere actum primum proximum voluntatis creatæ. Sed nihil metaphysicè connexum cum operatione determinatâ constituit actum primum, quin tollat libertatem, ut Adversarij supponunt in præsentibus ergo, &c. Dicunt Recentiores Thomistæ, actum primum creatæ libertatis constitui per sola principia creatæ, non verò per Omnipotentiam, vel decretum applicativum. Sed hoc difficillimum est. Nam actus primus libertatis creatæ juxta omnes est vera & expedita potestas agendi & non agendi, cui possit imponi præceptum agendi, & cui vertatur in culpam quod non agat. At, nisi Deus intelligatur paratus concurrere, nequit intelli-

gitalis potestas in causâ creatâ: hæc enim est essentialiter impotens agere sine Dei concursu; & causa de se impotens agere sine alterius juvamine, non est proximè & expeditè potens, donec altera sit parata juvare; ut patet ex terminis, & exemplo pueri, qui ad levandum pondus indiget juvamine viri robusti.

13 Nec refert, quòd causa creata dicatur totalis in suo ordine. Tum quia ratio cur una causa partialis non sit proximè potens sine applicatione alterius, est indigentia cooperationis illius: magis autem indiget concursu Dei omnis causa creata, quàm Intellectus specie, voluntas habitu elevante ad supernaturaliter agendum, & sic de alijs. Tum quia etiam voluntas est causa totalis in suo ordine causæ efficientis; & tamen non est proximè potens agere, donec sit applicata causa finalis: similiter agens, & passum sunt causæ totales in suo ordine activo, & passivo; nec tamen aut agens sine præparatione passivi, aut passum sine applicatione agentis, intelligitur proximè potens causare. Idem patet in instrumento, quod, licet in suo ordine causæ instrumentalis totalitatem habeat, tamen non est proximè potens operari, donec eum velit causa principalis: creaturæ autem comparatione Dei sunt causæ instrumentales, ut Thomistæ inculcant, maximè in præsentibus. Et verò, licet in his exemplis salvetur utrumque potentia physica, nequit certè salvari potentia imputabilitatis: quis enim imputet voluntati quòd non amet finem nondum cog-

nitum, aut igni quòd non statim comburat adamantem, aut malleo quòd non operetur præfrindendo à voluntate artificis? Adde, quòd juxta doctrinam istam stare poterit totus actus primus libertatis humanæ, licet Deus efficaciter nolit concurrere, cum hæc nolitio dari possit stantibus omnibus principijs creatis, adeòque stantibus omnibus constitutivis illius actus primi: poterit ergo stare potestas libera hominis ad amorem, & consequenter præceptum amandi, cum Deus absque ullâ attemperatione ad usum libertatis humanæ decernit efficaciter non concurrere ad amorem, quod est decernere ne amor existat: tunc ergo erit homo culpabilis, & pænâ dignus, quòd non producat amorem, quem Deus efficaciter vult non existerè, negando concursum quo essentialiter indiget amor. Finge Deum tunc inarepantem, & hominem excusantem; & videbis uter rationabilius se gerat.

14 Hinc insurgit validissimum contra prædeterminationem argumentum. Nam quoties homo peccat omittendo actum præceptum, datur Dei decretum, homini profusus inevitabile, negandi prædeterminationem ad illum actum; quod reverà est decretum negandi concursum simultaneum ad eundem actum, cum iste concursus essentialiter supponat prædeterminationem, juxta Thomistas: homo igitur peccat omittendo actum, ad quem Deus decernit non concurrere, decreto inevitabili ab homine. Deus ergo damnabit hominem, eo quòd

non fecerit insignem chimeram, cujuscumodi est operari actum sine concursu Dei, vel Deo concurrere nolente. Ego certè damnationem hæc ex causâ non timeo.

15 Mitto alia quàm plurima; quæ omnia revocari possunt ad hæc duo principia. 1. : *Qui sine libertate caret requisito essentiali ad actum, non est liber ad actum.* 2. : *Qui sine libertate patitur impedimentum essentiali omissionis actus, non est liber ad omissionem actus.* Quorum primum verificatur in homine non prædeterminato, secundum in prædeterminato ad agendum. Et utrumque perpetuò verum, & inconcussum agnoscitur ab omnibus præter solos Prædeterminatores, imò, & ab ipsis extra rem præsentem. Ea verò adeò clara sunt, & urgentia ex terminis, ut apud me nihil magis probeat subtilia PP. Dominicanorù ingenia, quàm quòd poterint nihilominus physicam prædeterminationem reddere probabilem.

*Responsiones adversa confutantur.*

16 Respondent 1. Adversarij, hominem in instanti, quo prædeterminatur ad amorem, habere potentiam liberam ad omittendum, non quidem ad omittendum in sensu composito prædeterminationis, sed in sensu diviso; quamvis potentia ipsa verè existat in sensu composito, idest, simul cum prædeterminatione; datur enim, ut ajunt, similitas potestatis ad amorem, & omissionem, licet non detur potestas simultatis, quâ scilicet simul ponantur amor, & ejus



omissio. Sic, qui liberè amat, simul habet potestatem ad omissionem, vel ad odium, non tamen ad odium, ut componendum simul cum amore: sic etiam, qui liberè sedet, simul est potens ambulare, non tamen est potens ambulationem componere cum sessione. Quòd autem supposità prædeterminatione homo sit impotens ad extremum oppositum, nihil obstat; quia hæc est impotentia consequens, benè coherens cum potentia antecedenti, quemadmodum impotentia ad odium ex suppositione amoris, & impotentia ad ambulandum ex suppositione sessionis.

17 Sed, præter dicta n. 10. *contra 1.*: quia argumenta nostra non in eo præcisè nituntur, quòd prædeterminatio ad amorem sit incompossibilis cum omissione, vel odio, sed simul in eo, quòd existentia vel carentia prædeterminationis nullo modo sit libera homini: unde planè sequitur, quòd necessitas amandi, & impotentia omitteendi, quam inducit, non est consequens, sed antecedens. Quid enim est necessitas antecedens (idem quæro de impotentia antecedenti), nisi necessitas, quam quis patitur sine libertate, necessitas inevitabilis, necessitas, quæ cavèri non potest antequam sit, necessitas præcedens omnem usum libertatis? Hinc retorquentur exempla responsionis: nam si amor, & sessio ita existerent, ut contra existentia præcavèri non posset, absdubio inducerent necessitatem antecedentem amandi, & sedendi, pariterque impotentiam

antecedentem ad non amandum, & ad ambulandum: idèò autem non inducunt nisi consequentem, quia possunt ab homine liberè vitari, atquequam fiat.

18 *Contra 2.*: potentia ad omittendum in sensu diviso alicujus impedimenti, non est potentia libera, nisi possit facere sensum divinum, idèst, nisi possit à se dividere, seu amovere impedimentum, vel antequam sit, vel postquam est. Hoc patet, tum iisdem exemplis amoris, & sessionis: tum ratione perspicua. Si enim sensus divinus, seu amotio impedimenti, solum est factibilis ab alio sine ulla Petri libertate, potentia Petri ad omittendum in sensu diviso impedimenti, solum est potentia ad omittendum sub conditione, cujus purificatione pendet unice ab alio, & nullatenus à libertate Petri: talis autem potentia non est proxima, qualis ad libertatem requiritur, sed est purè se nota, qualis convenit causæ necessariæ, v. g. igni Salmantino ad comburendam Romæ sub conditione, quòd eò transferatur, & applicetur. Et alioquin dabitur in humanitate Christi D. vera libertas ad peccandū in sensu diviso unionis hypostaticæ, & in beato ad omittendum amorem Dei in sensu diviso visionis beatæ, & in homine catenato ad fugiendum in sensu diviso vinculorum. Atqui voluntas humana nullatenus facere potest sensum divinum prædeterminationis, nec antequam sit, nec postquam est, cum ejus amotio, vel impeditio unice pendeat à libertate Dei.

ergo

ergo &c.. Hinc in sensu composito prædeterminationis non datur in homine simultas potestatis proximæ ad utrumlibet, sed tantum proximæ ad amorem, & remotæ ac prædicitæ ad omissionem; quæ simultas ad libertatem non sufficit, ut exempla nupera demonstrant.

19 Respondent 2., in homine prædeterminato ad amorem dari potentiam ad odium in sensu diviso, non positivo, sed præcivo, idèst, potentiam ad odium secundum se, & secundum prædicata essentialia, præsciendendo ab eo quòd sit vel non sit positive divinum à prædeterminatione contrariâ; quèadmodum, licet meus amor nequeat existere, nisi vel coexistens, vel nos coexistens amori tuo, mea tamen potestas amandi præcindit ab eo, quòd tu in eodè intenti ames, aut non ames. Sed *contra 1.*: ergo datur in homine vera libertas, ac proinde proxima potestas ad odium producendum, sive detur, sive non detur prædeterminatio; vel (quòd perinde est, ut vidimus n. 14.) sive Deus velit, sive nolit concurrere; quemadmodum in me datur potestas amandi, sive detur, sive non detur tuus amor. *Contra 2.*: ergo similiter in humanitate Christi, in beato, in catenato, dabitur vera libertas ad peccandum, ad non amandum, ad fugiendum, in sensu diviso præcivo. *Contra 3.*: potentia libera est potestas faciendi, ut odium existat non chymericè: sed odium, nisi existat positive divinum à prædeterminatione contrariâ, existet chymericè: ergo &c..

20 *Contra 4.*: potentia ad odium secundum ejus prædicata essentialia, est potentia ad odium ut positive componendum cum prædeterminatione ad ipsum: ergo etiam ut positive dividendum à prædeterminatione contrariâ. *Consequentia* est evidens. *Prob. Antec.*: nullum prædicatum magis essentialè odii, quàm quòd positive pendeat à prædeterminatione sibi coexistente, siquidem juxta Adversarios non aliter pendere potest à Deo ut primo agente, & primo libero: imò hoc prædicatum, non minùs quàm ratio entis, incimè transcendit cætera omnia prædicata positiva odii, & cujusvis effectus, quæ non possunt ab eo præcindi: ergo idem est posse producere odium secundum ejus prædicata essentialia, ac posse producere odium ut positive pendens à prædeterminatione sibi coexistente, atque adèò ut positive compositum cum prædeterminatione ad ipsum. *Contra* denique: libertati non sufficit potentia præcisè inferens, odium secundum se esse possibile, seu in se non repugnans; hæc enim potentia datur in humanitate Christi, & in voluntate beati: debet ergo esse expedita potestas faciendi, ut odium secundum se realiter existat. At, quòd hæc potestas non cohercat cum prædeterminatione ad amorem, nec cum carentia prædeterminationis ad odium, probant argumenta nostra, ut ea relegenti constabit.

21 Respondent 3., idèò attributa prædeterminationis non of-



ficere libertati, quia nec prædeterminatione, nec ejus carentia pertinet ad actum primum voluntatis humanæ, nec requiritur ad posse, sed ad agere. *Contra 1.*: saltem decretum prædeterminans, utpotè applicativum Omnipotentis ad concurrentem simultaneè, constituit actum primum, ex *n. 12.*: in eo autem æque militant argumenta nostra. *Contra 2.*: id, sine quo non intelligitur posse liberum, pertinet ad actum primum: sed siæ existentia prærequisiti essentialis ad agendum, non liberè assequibilis, & sine carentia impedimenti essentialis ad omitendam, non liberè evitabilis, non intelligitur posse liberum, ut probant argumenta supra posita: si ergo datur prædeterminatio, cum sit prærequisitum, & impedimentum istiusmodi, tam ipsa, quam ejus carentia pertinet ad actum primum; qui proinde chymericus erit. *Contra 3.*: applicatio causæ ad cauandum pertinet ad actum primum proximum, ut patet in applicatione ignis, in applicatione intentionali finis, & in actu voluntatis applicante intellectum ad assentiendum objecto fidei, vel ad assensum aut dissensum objecti probabilis, vel etiam applicante potentiam externam, v. g. ad loquendum: sed prædeterminatio juxta Adversarios est applicatio voluntatis ad agendum: ergo &c.. *Contra 4.*: prædeterminatio non intelligitur pro posteriori naturæ ad actum primum voluntatis humanæ: ergo intelligitur in signo ipsius actus primi. Patet *Antec.*: quia nihil intelligitur pro postero-

ri ad actum primum, nisi quod ab eo provenit, & ab eo causatur aliquomodo; ut constat ex conceptu prioritatis naturæ. *Contra* demum: quidquid sit de attinentia ad actum primum, quisquis non habet actu, nec in potestate requisitam essentialè ad amorem, non est liber ad amorem; ut patet in eo, qui non habet actu nec in potestate actionem productivam amoris, quamvis actio non attineat ad posse; atque etiam in eo, qui non habet actu, nec in potestate carentiam odij, que tamen non attinet ad actum primum libertatis ad amandum.

22 Respondent 4., prædeterminationem non officere libertati, quia non requiritur ex parte causæ secundæ, sed ex parte Dei. *Contra*: quid est requiritum solum ex parte Dei? An quoddam prædeterminatio non constituat actum primum libertatis creatæ? At hoc non differt à responsione 3., nunc impugnata. An quoddam à solo Deo produci debeat? At hoc etiam haberet prædeterminatio posita ex parte actus primi; & tamen tolleretur libertatem: hoc etiam habet lumen gloriæ; quod tamen nullam reliquit libertatem, aut indifferentiam ad visionem beatam: hoc item habet unio hypostatica, & haberet gratia sanctificans inamissibilis; que tamen tolleretur libertatem peccandi. *Dicen*: prædeterminatio est à Deo ut primo libero, & ut eminenter continente libertatem creatam, eamque sibi subordinante. *Contra*: ergo nec visio beata, nec prædeterminatio posita ex parte actus primi, tollit liber-

bertatem, dummodo sit à Deo ut primo libero &c.. Repones, conditionem repugnare; quia Deus, ut primum liberum eminenter continens libertatem creatam, non agit per formam ex se necessitantem, sed solum per formam, quæ fovetur libertas creatæ. Optimè: ergo, ut sciatur, an Deus agat ut primum liberum &c., prius inspicienda est indoles formæ, per quam agit, an scilicet illa forma ex se sit necessitans, aut fovens libertatem creatam. Sed prædeterminatio Thomistica, in se inspecta, est forma, non libertatem fovens, sed necessitans, ut probatum est: ergo non est forma idonea, ut per eam Deus agat ut primum liberum &c.. Consequenter nec est forma idonea, per quam Deus sibi subordinet causam liberam ut talem; quia subordinatio ista nihil importare debet, quod ex se pugnet cum conceptu veræ libertatis.

23 Hinc frustra dicunt Thomistæ, Deum Prædeterminantem velle efficaciter non solum substantiã actus, sed etiam modum libertatis, velle scilicet, ut amor fiat, & libere fiat. Certum est autem, non solum omnia fieri, quæ Deus vult, sed fieri eo modo, quo vult. Hoc ultimum ultrò concedimus. Sed numquid, rogo, potest Deus velle, ut amor liberè fiat mediâ visione beatâ, vel prædeterminatione attinente ad actum primum? Negabis, opinor: quia Deus nequit velle contradictoria, volendo scilicet libertatem amoris per medium necessitans, & libertati repugnans.

Idem ergo tibi dictum puta de prædeterminatione posita in signo medio, cum nihilominus vere sit prærequisitum essentialè ad actum, & impedimentum essentialè ad omissionem, creaturæ non liberum. Omnia igitur fiunt modo, quo Deus vult, & in ejus voluntatem originariè referri debet substantia, & modus effectuum, ut docet D. Thomas 1. p. q. 19. ar. 8.: sed quare? quia, ut ibi explicat S. Doctor, Divina voluntas aptat causas proportionatas indoli effectuum, necessarias pro necessarijs, contingentes pro contingentibus, aut liberis. Quapropter, nisi prius probes, physicam prædeterminationem esse causam idoneam pro effectu libero, frustra recurris ad voluntatem Dei.

24 Hinc etiam rejicitur alia evasio Thomistica, quod scilicet prædeterminatio est necessitas consequens, quia sequitur usum libertatis creatæ ut eminenter contentæ in libertate Divinâ. Rejicitur, inquam, 1.: quia id ipsum dici poterit de visione beatâ, de prædeterminatione posita in actu primo, de gratiâ inamissibili, de Jansenianâ delectatione viatrice. Quod si dicas, non posse has formas oriri à Deo ut eminenter continente libertatem creatam, redarguo ut supra *n. 22.* Rejicitur 2.: quia libertas creatæ, ut eminenter contenta in Divinâ, non est creatura, sed Deus: ergo necessitas, quæ solum est consequens respectu libertatis creatæ ut eminenter in Divinâ contentæ, reipsâ solum est consequens respectu



tu Dei, non respectu creaturæ ut in se ipsâ existentis, ac proinde respectu creaturæ est necessitas antecedens. Nulla autem excogitabilis est in creatis necessitas, quæ hoc non habeat. 3. : cui convenit libertas merendi, ac demerendi, convenit libertas à necessitate, ut definitum est contra Jansenium: sed voluntati humanæ convenit libertas merendi, ac demerendi, non ut eminenter in Deo cõtentæ, sed ut formaliter in se ipsâ existenti, ut est evidens: ergo eidem sic acceptæ cõvenit libertas à necessitate, ac proinde carentia necessitatis, quæ non sit consequens respectu ipsius.

25 Respondent 5. aliqui ex Adversarijs, voluntatem humanam non posse necessitati, stante iudicio indifferenti: unde, cum prædeterminatione non tollat iudicium indifferens, non destruit libertatem. Verum hæc responsio communiter deseritur à modernis Thomistis, & merito quidem 1. : quia multum derogat dominio Dei; qui non poterit impedire omne exercitium liberæ creatæ voluntatis, nisi destruat iudicium indifferens; nam saltem omisio omnis operationis erit libera homini, quantumcumque Deus nolit. 2. : quia D. Thomas q. 22. de verit. ar. 8. , sine recursum ad ablationem iudicij indifferentis, docet, posse Deum ita immutare voluntatem humanam, ut eam necessitet. 3. ; quia, stante iudicio indifferenti, potest absudbio Deus nolle concurrere simultane: tunc autem nequit manere in creaturâ libertas, ut supra vidi-

mus. 4. : quia si iudicium indifferens pro omni eventu servat illæsam libertatem, hæc stare poterit cum prædeterminatione ex parte actus primi, imò, & cum gratiâ Calvinianâ, vel Jansenianâ, quæ certè non ita ponitur à suis Authoribus, ut excludat iudicium indifferens: poterit item stare libertas ad peccandum cum unione hyposthaticâ, vel cum habitu charitatis inamissibili.

26 Denique plures Thomistæ, argumentorum pondere pressi, quæ vident aliter solvi non posse, respondent. 6. , physicam prædeterminationem, saltem ad actum peccati, esse impedibilem à libertate creatâ, vi alicujus præviæ dispositionis liberæ, seu positivæ, seu negativæ, saltem beneficio mutæ prioritatis, quam explicant satis variè, & confuse. Receptior explicatio esse videtur, quod prædeterminatione præcedit actum in genere causæ efficientis, ab eo tamen præceditur in genere dispositionis: quare, si voluntas humana non se præviè disponat, prædeterminationem impediet. Sed (ut omittam repugnantiam mutæ prioritatis physicæ, satis offensam supra disp. 4. c. 2. ), quomodolibet explicetur mutua prioritas, aut impedibilitas prædeterminationis, debet poni pariter à creaturâ impedibilis prædeterminatio ad actum bonum; alioquin homo prædeterminatus ad actum præceptum, patietur impedimentum inevitabile ad omisionem ejus, & ad actum prævum, habebit que sine libertate connexio-

nem metaphysicâ cum actu bono; ac proinde non liberè, nec merito præceptum implebit, ut probant argumenta nostra. Debet item poni à creaturâ liberè adquiribilis utraque prædeterminatio, & ad actum bonum, & ad prævum; alioquin homo non prædeterminatus, non habebit actu, nec in potestate prærequisitum essentialitè ad actum, patieturque inevitabile impedimentum agendi, nempe carentiam prædeterminationis; unde perstabit integra, & insoluta difficultas.

27 His autem concessis, fuit tota moles physicæ prædeterminationis, omnia que ipsius fundamenta disparent, ut cuius mediocriter hujus controversiæ gnarò liquidum erit. Jam enim prædeterminatio ista erit inutilis, ut Deus sit primum liberum, & primum determinans, ut discernat bene operantem à malè operante, ut possit flectere corda hominum quocumque voluerit, &c. Jam item innegabilis erit Scientia media, cum non alia via Deo supersit præsciendi infallibiliter, aut voluntas humana sit, vel non sit impeditura, vel adquisitura prædeterminationem. Unde totum dissidium inter Scholam nostram, & Thomisticam, in eo stabit, quod Nostri ponant entitatem auxilij efficacis impedibilem in operando; Thomistæ verò impedibilem in existendo, quod difficilior est: vel etiam in eo, quod juxta Nostros erit immediatè libera homini sua actio; juxta Thomistas verò, non nisi mediate, quatenus homini libera est existentia præde-

terminationis. Hoc autem certè non est, pro quo tantopere pugnatum fuit, & adhuc pugnatur.

28 Hinc colliges, parum nobis obesse, quoad præsens attinet, sententiam M. Manso, qui physicam prædeterminationem adstruit dependentem à quodam prævio consensu negativo creaturæ libero: quam sententiam, olim assertam à M. Cabrera, latè impugnat P. Suarez in opusc. lib. 1. de concursu Dei cap. 9. n. 6. , & lib. 3. de Auxil. c. 13. , & de ver. intellig. auxil. effic. toto cap. 18. Nec in eâ, quidquid dicat Manso, vitari potest scientia media, ut agnoscat etiam hujus Academiæ Salmanticæ docti Thomistæ, quibus ille modus opinandi vehementer displicet.

## CAP. VI.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA

contraria: & D. Thomam pro nobis stare, probatur.

I **O**mittam Theologicas objectiones, sicut probationes omisi: & Philosophicis breviter me expediam; præsertim cum earum præcipuas, quæ contra decretum indifferens fieri solent, satis jam dissolverim supra cap. 4. *Obje. 1.*: si Deus non præviè agit, & prædeterminat nostros actus liberos, non erit primum agens, primum movens, primum liberum, & primum determinans: nec creata voluntas erit causa subordinata, & instrumentalis respectu Dei. *Neg. sequel.*: nam, ut Deus sit primum agens, sufficit, quod



quod per virtutem incausatam influat sub ratione entis, id est, sub ratione comprehendente pariter omne creaturarum esse, posse, & agere: non enim hic agendi modus convenit ulli agenti secundo. Quare influere determinando, non est de conceptu primi agentis quoad omnes effectus, sed tantum quoad eos, quos Deus non vult esse liberos creaturæ: nec item influere in actionem nostram prius, quam nos prioritare influxus realiter distincti, sed tantum prioritare dignitatis, independentiæ, & universalitatis. Vide supra cap. 2. n. 7. & seqq. Eodem sensu Deus est *primum movens*: nam movere, & agere in idem recidunt.

2 Est autem Deus *primum liberum*, quia libertatem habet increatam, à quâ pendet omnis creatura libertas, & quia libertatem propriam prius exercet per sua decreta, quàm ulla creata libertas per actiones suas exerceatur: prius inquam, per sua decreta versantia, non solum circa libertatem creatam in actu primo, sed etiam immediatè circa ipsas actiones nobis liberas: non quidem eas efficaciter determinando (saltem physice, & immediatè, vel sine attemperatione ad libertatem creaturæ), sed intendendo bonam, & permitrendo malam: id quod præstat Deus, tum per decretum collativum auxiliorum, tum per decretum applicativum omnipotentis. Hoc etiam sensu Deus est *primum determinans*: quia scilicet pro priori ad omnem determinationem creatam se liberè

determinat, vel ad permitrendum actionem pravam, vel ad donandum bonam; quæ donatio in eo stat, quòd Deus cum prævisione, & intentione illius actionis conferat vires congruas, & concursum etiam simultaneum. Hæc autem omnia salvantur, quàmvis Deus actiones nostras non immediatè determinet, seu prædeterminet in sensu Thomistico. Denique, ut creata voluntas propriè sit causa Deo subiecta, propriè que subordinata, & etiam instrumentalis in sensu lato, sufficit, quòd à Deo accipiat esse, & totas vires agendi, quòd ejus dominio subsit in agendo, nec possit agere, nisi Deo prius volente, & simul concurrente. Quæ de re plura diximus supra cap. 4.

3 *Repl. 1.*: Deus per solum concursum simultaneum non agit actionem nostram ut causa independentens; quia tam non potest Deus simultaneè concurrere sine creaturâ, quàm creatura sine Deo: ergo, si non agit concursu pravo, non agit independenter. *Resp.*: hæc objectio soluta manet supra cap. 2. n. 12. Certè omnes contra Durandum exigunt concursum Dei simultaneum titulo causæ primæ, & supremi dominij: ergo Deus in ipso concursu simultaneo servat, & ostendit jura causæ primæ, & supremi Domini, quo nihil independentius. *Repl. 2.*: si Deus non determinat actionem liberam, ad eam concurrat determinatus à creaturâ: ergo non concurrat liberè, sed à creaturâ necessitatus; sicut per nos, si creata voluntas determinatur à Deo, non agit

agit liberè, sed à Deo necessitata: ergo creatura tollet libertatem Dei. *Resp.* Negari potest, quòd Deus à creaturâ determinetur, ut notavimus cap. 4. n. 18. Sed, hæc locutione permittit, *dist. Antec.*: concurrat determinatus à creaturâ, determinatione supponente ex parte actus primi decretum Dei liberum, *conc.*; aliter, *neg. Antec.*, & *utramq. Conf. q.*

4 Jam supra vidimus cap. 3. & 4. actum primum proximè libertatis creata constitui per decretum applicativum liberè relinquens voluntati creata determinationem externi concursus Omnipotentis. Unde voluntas nostra in ratione potentis determinare Deum, constituitur per decretum Deo liberrimum. Si autem Deus hoc modo se haberet respectu nostri, non utique nos necessitaret, nec libertatem nostram tolleretur. Vide exempla posita cit. cap. 4. n. 9. in quibus hæc objectio instatur. Hinc Deus verè concurrat liberè ad actionem nobis liberam (quæ simul est concursus Dei externus); & hæc actio est Deo immediatè libera, immediatione propriæ actionis externæ (actio enim nobis interna, Deo est externa), quæ immediatione in eo stat, quòd actio externa immediatè supponat actum liberum voluntatis, sive imperativum, aut determinativum, sive permissivum, aut relictivum, cujus subtractione immediatè impediri possit talis actio.

5 *Repl. 3.*: ergo Deus pro signo priori nostræ libertatis intelligitur ut causa libera. *Dist.*: ut

causa libera libertate exercenda per actionem nostram tamquam Deo internam, *neg.*; libertate exercita per suum decretum & exercenda per actionem nostram tamquam Deo externam, & nobis liberè relictam, *conc. Repl. 4.*: determinabilitas dicit potentialitatem, & imperfectionem. *Dist.*: determinabilitas orta ex indigentia, vel in ordine ad aliquam mutationem intrinsecam, *conc.*; orta ex liberâ dignatione, & in ordine ad actionem externam, quæ nullam Deo perfectionem affert, *neg.*: & in istis exemplis cap. 4. n. 9. *Repl. 5.*: concurrere determinando perfectior est concurrendi modus, quàm sequendo determinationem alterius. *Insto*: ergo etiam concurrere necessitando, nec relinquendo alteri veram determinationem, verum que dominium effectus: *Insto* quoque in istis exemplis cap. 4. n. 9. Non nè Deus in auferendo gratiam habitualement, & in gravificando offensam, sequitur determinationem peccantis, juxta Thomisticam? Deinde pro casu nostro illud *sequendo* &c. supponit falsum, si denotet subsecutionem realem concursus Dei ad determinationem creaturæ, nec admittendum, nisi præcise denotet attemperacionem Dei in actu primo, juxta dicta cap. 4. n. 14. & seqq. In hoc sensu *dist.* assumptum *repl.*: perfectior est concurrendi modus, quàm sequendo &c., ex necessitate, vel indigentia, *conc.*; ex liberâ dignatione se attemperandi ad exigentiam alterius, qui nequit aliter manere liber; *neg.*



6 Unde negandum etiam, quod juxta nos causa necessaria magis subordinetur Deo, quam libera, ut quidam obijciunt. Nam utraque subordinatur quantum Deus vult, & quantum velle potest, nisi velit chymeram, qualis esset, ut opinamur, causa physice prædeterminata simulque libera manens. Quare ab Adversarijs, an creatura, ut potens peccare, minus subiecta sit Deo, quam ut potens bene operari? Quod si adhuc velint, majorem illam subordinationem sequi ex nostra sententia, *distingue* sic: si patret sequatur ex eo, quod causa libera præ necessaria retineat dominium sui actus, *transfert*, vel *omittit*; si ex eo non sequatur, *neg.* Similiter negandum, quod creata voluntas sit absolute primum determinans; supponit enim essentialiter aliud prius determinans, ex n. 2. Quod autem sit primum (vel potius unicum) determinans secundum quid, id est, respectu sui actus liberi ut immediate determinabilis, non magis est absurdum, quam quod formaliter per suum actum sit primum vivens, primum volens, primum merens; quas denominationes certe non suscipit Deus ab actu creaturæ. Ratio: quia utrobique datur imperfectio, solius creatura propria.

7 *Replia 6.*: Deus non esset primum agens, nisi omnes effectus immediate ageret: ergo non erit primum determinans, nisi omnes effectus immediate determinet. *Neg. Consequ.*: quia sine immediato influxu non salvatur perfectissimum

dominium Dei, ut vidimus cap. 1.; salvatur autem sine immediata determinatione, ut ostendimus cap. 4. Et *in isto*: Deus non esset primum cognoscens, nisi cognosceret etiam malitiam peccati: ergo non erit primum determinans, nisi malitiam determinet; nec primum agens, nisi agat malitiam in positivo stantem. *Replia 7.*: si nostra voluntas non determinaret ipsi actum, non haberet dominium ejus: ergo nec Deus habebit dominium illius, nisi illum determinet. *Neg. Consequ.*: quia voluntati nostræ, si determinatio subtrahatur, nullus remanet titulus dominij; remanet autem Deo titulus multiplex, seclusa determinatione, ut explicuimus cap. 4.

8 *Obje. 2.* proloquium illud, *Ab indifferenti ut indifferenti nihil determinatum oriri potest*; vel, ut ait ex Commentatore D. Thomas in 2. Physic. lect. 8., *Nihil, quod est ad utrumlibet, exit in actum, nisi per aliquod determinetur ad unum* & rationem reddit S. Doctor, quia quod est ad utrumlibet, est sicut ens in potentia; non est autem principium agendi, nisi actus, vel ens in actu. Cum ergo creata libertas in actu primo sit indifferens ad utrumlibet, nequit exire in actum determinatum, nisi prius à Deo determinetur. *Confirm.* ex illo alio proloquio, *Omne, quod movetur, ab alio movetur*: nequit ergo moveri voluntas operando, nisi prius à Deo moveatur. Huc facit auctoritas D. Thomæ sæpe docentis, quod *Deus movet, & applicat causas se-*

eundas ad operandum. Nam 1. p. q. 105. ar. 5., explicans ex professo, quot modis operetur Deus in omni operante, *Primum agens*, inquit, *movet secundum ad agentium*. & *secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei*. Item, *Deus movet res ad operandum, quasi applicando formas & virtutes rerum ad operationem, sicut etiam artifex applicat securim ad sciendum*. Et ibi ad 3. summam referens modos omnes, *Deus*, inquit, *non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, & applicat eas ad agendum, & est finis omnium actionum*.

9 Id ipsum latius explicat S. Doctor q. 3. de pot. ar. 7., ubi docet, quod Deus est causa omnis actionis, 1. in quantum dat virtutem, 2. in quantum eam conservat, 3. in quantum applicat, nam *Deus* (inquit) *est causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens & applicans virtutem ad agendum*: sed ulterius addit quartum modum in quantum scilicet causa secunda agit in virtute Dei, sicut instrumentum in virtute causæ principalis: quid autem importet quartus hic modus, explicat D. Thomas ibi ad 7. dicens. *Id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agit, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis*: & paulo inferius, quod est in re naturali *vis, qua agit ad esse ut instrumentum primæ causæ*. In his vident Thomæ clarissime, ut ipsi putant, physicam prædeterminationem.

10 *Resp. ad object.*: istud proloquium, *Ab indifferenti, &c.*, indigeste sumptum, probat 1., voluntatem debere à Deo prædeterminari ad malitiam, seu formale peccati. Probat 2., nullum actum oriri à voluntate ut liberam, siquidem nullus oritur ab eâ ut indifferenti: nam de conceptu libertatis est indifferentia, sicut rationalitas de conceptu hominis: quare, sicut non est ab homine ut homine, quod non est ab eo ut rationali, ita, &c. Probat 3., in voluntate nostrâ priori ad prædeterminationem Dei non dari verum posse, veramque potentiam ad ullum actum determinatum, siquidem nihil determinatum potest inde oriri: unde, cum prædeterminatio juxta Adversarios non augeat posse, nec ante, nec post illam dabitur vera potestas exeundi in actum. Probat 4., voluntatem non prædeterminatam ad actum præceptum, non posse culpam quod illum omittat: sic enim Deo respondere poterit, Domine, ad talem actum nihil habui præter libertatem in actu primo merè indifferentem; quomodo autem violarem proloquium illud, *Ab indifferenti ut indifferenti, &c.*?

11 Quapropter proloquium istud ab omnibus explicandum est cum Ferrariensi in 1. cont. Gent. c. 82., ut loquatur de indifferentia passivâ, vel etiam de activâ consistente in defectu alicujus principij, vel prærequisiti ad agendum non libere adquiribilis. Si autem loqueretur de indifferentia activâ, electivâ, & dominantivâ, quæ pro-



pria est potentia libera in actu primo proximo constituta, proloquium esset falsum, & contra conceptum libertatis. Idem puta de illo alio; *Nihil, quod est ad utrumlibet* &c.; quod certe in hoc posteriore sensu non approbat D. Thomas, ut qui constantiter exigit ad rationem causae liberae, quod non ab alio determinetur ad unum; ut mox patebit. Haec explicatio sumitur ex illa ratione à D. Thomâ subiecta: quia scilicet res indifferens in priore sensu, est parè in potentia, cum non contineat actum nec formaliter, nec virtualiter, saltem completè & proximè: at res in posteriore sensu indifferens, jam continet actum eminenter, aut virtualiter; unde jam est ens in actu, non solum quatenus est res existens (quod etiam convenit potentiae passivae), sed etiam quatenus illum actum, ad quem est indifferens, virtualiter continet; ideoque dicitur esse in actu virtuali, & in potentia formali, sive ad actum formalem. Dices: D. Thomas proloquium illud intelligit etiam de voluntate. Fateor: at non de voluntate jam in actu primo proximo constituta, sed adhuc expectante consilium rationis, vel cognitionem finis, aut objecti, in quod tendere possit. Unde q. 3. de mal. art. 3. ad 5. objecto sibi proloquio isto, respondet, *Quod voluntas, cum sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis; nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum.* Et q. 1. de virtut. ar. 9., *Quia, in-*

quit, *vis appetitiva se habet ad utrumlibet, non transit in unum, nisi secundum quod à ratione determinatur in illud.* Quodnam hinc vestigium physicae praedeterminationis ab omni actu vitali distinctae, & à solo Deo productae?

12. Praeterea, in 2. d. 25. q. 1. art. 1. sic habet: *Nihil agit, nisi secundum quod est in actu; & inde est, quod oportet, omni agens esse determinatum ad alteram partem: quod enim ad utrumlibet est, aequaliter se habens, est quodam modo potentia respectu utriusque; & inde est, ut dicit Commentator in 2. Physic., quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi determinetur.* En occasionem optimam statuendi physicam praedeterminationem Thomisticam, si D. Thomas illam agnovisset: & eam sine dubio expeſtabit quilibet Thomista modernus, his verbis auditis. Sed pro dolor alia est mens D. Thomae; nam continuo pergit in haec verba: *Determinatione autem agentis ad aliquam actionem, oportet quod sit ab aliqua cognitione praestituente finem illi actioni.* Et subdit, hoc esse verum in omnibus agentibus, seu necessarijs, seu liberis, cum hoc discrimine, quod in necessarijs praestitutio finis est ab Authore naturae; in liberis autem potest ab ipsiſis esse, vel certe talis est, ut in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem, vel illam; unde & dominium sui actus habere dicuntur. Et concludit, non dari liberum arbitrium in illis, quorum actiones non determinantur ab ip-

*Disp. VIII. De Causa prima, quatenus concurr. cum secund.* 606  
 ipsiſis agentibus, sed à quibusdam alijs causis prioribus.

13. Ad confirm., praeter dicta supra d. 3. c. 5., respondeo, proloquium illud, si non de causis mere corporeis, sed generatione de omnibus intelligatur, verum esse 1., sumpto moveri pro eodem, ac produci, ut sensus sit, *Quidquid producit, ab alio producitur*: 2. quatenus significat, nullam causam, capace[m] motus, aut mutationis, moveri sine auxilio alterius efficientis aut coefficientis eundem motum. Utroque sensu proloquium est utile ad demonstrandum existentiam primae causae; sed neutro probat praemotionem Thomisticam, ut quisque videt. Dices: nihil potest movere se ipsum, nisi ut praemotum ab alio: nam alioquin simul esset movens & motum secundum idem, adeoque simul in actu & in potentia, simul dans & recipiens motum. Resp.: quidquid sit de praemotione ab alio, *Manifestum est, quod voluntas movetur à se ipsa*, ut ait D. Thomas q. 6. de mal. ar. unico; qui rursus 1. 2. q. 9. ar. 3. ex professo probat, quod *voluntas movet se ipsam*: negari ergo non potest, quod voluntas vere sit movens & mota per eundem motum. Quomodo autem non secundum idem, explicat D. Thomas eod. ar. 3. ad 1. dicens: *Voluntas non secundum idem movet, & movetur: unde nec secundum idem est in actu, & in potentia: sed in quantum actu vult finem, reducit se de potentia in actum respectu eorum, quae sunt ad*

finem, ut scilicet actu ea velit. Unde ut summum sequitur, quod voluntas praemoveri debet ad primum actum volendi finem, scilicet teleicitatis in communi, vel in confuso, ut mox dicam. Quia tamen volitio ista non determinat voluntatem quoad exercitium ceterorum actuum juxta D. Thomam infra citandum, adhuc manet voluntas respectu ceterorum indifferens ad utrumlibet, adeoque aliquomodo in potentia; cumque aliunde certum sit, realiter identificari potentiam voluntatis activam & passivam suorum motuum, & activam esse in actu, passivam in potentia; negari à nemine potest, quod voluntas aliquomodo secundum idem sit movens, & mota, sic in actu, & in potentia, sit dans, & recipiens motum. Ab omnibus ergo admittenda est explicatio, quae dedimus disp. 3. c. 5. n. 1. 2. & 3.

D. Thomas physica praedeterminationi non favet.

14. Jam verò, quidquid allegatur ex D. Thomâ, ultrò concedimus: sed simul negamus, quod *motio & applicatio, asserta à S. Doctore, sit aliquid distinctum & à concursu simultaneo, & à toto actu primo causae creatae, insuperque aliquid à solo Deo pendens, & essentialiter connexum cum actione creaturae.* Donec attributa ista praedeterminationis ostendas in Div. Thomâ, quod numquam praestabis, frustra S. Doctoris tribunal appellas. Itaque omnia agunt in virtute Dei, quia agunt per virtutem à Deo acceptam, & conserva-



tam, Deo subordinatam, & impotentem agere sine concursu Dei simultaneo. Hæc explicatio planè colligitur ex D. Thomà 3. cont. Gent. cap. 66. 67. & 70.. Vel certè, si aliquid ulterius additur causis secundis, ut agant in virtute Dei, illud est nova virtus, & pertinet ad actum primum: nam, ut ait Div. Thomas in eo cap. 66. n. 4., *Complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi*: imò debet esse præcipua virtus; quia per illud causa secunda redditur potens ad producendum esse, ut ibi docet S. Doctor. Nequit ergo esse prædeterminatio Thomistica.

15 Pro cæteris locutionibus notandum 1., quòd D. Thomas nomine *motio*nis primæ causæ interdum intelligit naturalem inclinationem rebus inditam ab Authore naturæ, & à rebus ipsis indistinctam. *Necessitas naturalis* (inquit 1. p. q. 103. ar. 1. ad 3.), *inherens rebus, quæ determinantur ad unum, est impressio quadam Dei dirigentis in finem; sicut necessitas, qua sagitta agit, ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis, & non sagittæ: sed in hoc differt, quòd id, quòd creatura à Deo recipiunt, est earum natura*. Quòd autem hæc impressio dicatur *motio*, constat ex 1. 2. q. 1. ar. 2. ibi: *illa, quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem a se ipsis*. Ratione istius inclinationis innata dicuntur à Deo *agi* causas secundas, etiam rationales. Unde D. Thomas 1. p. q. 69. ar. 1. inquit:

*Omnia, quæ sunt in toto mundo, aguntur ab aliquo, præter primum, agens, quòd ita agit, quòd nullo modo ab alio agitur... Et idè non est inconveniens, si Angelus agatur, in quantum inclinatio naturalis est sibi indita ab Authore suæ naturæ*. Imò ratione ejusdem inclinationis dicuntur *determinari ad unum* causas rationales, determinatione scilicet propensionis, non alligationis, aut connexionis infrustrabilis. Sic D. Thomas in 2. d. 39. q. 2. ar. 2. ad 5.; loquens de innatâ inclinatione voluntatis in bonum, ibi: *Voluntas est secundum hoc determinata in unum naturaliter tendens, ita quòd in alterum naturaliter non tendit: non tamen in illud, in quòd naturaliter tendit, de necessitate, sed voluntariè tenit: unde, & potest illud non eligere*.

16 Notandum 2., quòd cum D. Thom. ait, causas secundas à Deo *moveri* & *applicari* ad agendum, intelligit etiam interdum applicationem illam, quæ indiget omnis causa secunda, ut sit in actu primo proximè potens agere, & quæ in causis physicis, v. g. in igne, ferè semper fit per motum localem agentis, aut passivi; in rationalibus autem per aliquem motum intentionale cognitionis, aut volitionis. Et quia motus hujusmodi semper est à Deo vel unico, vel primo, & principaliter, idè verè dicitur Deus *movere*, & *applicare* virtutes creatas ad agendum. Sic in terminis D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 67. n. 4. ibi: *Omnis applicatio virtutis ad operationem est prin-*

*Dispositio VI. De Causa prima, quatenus concurr. cum secund. 603*  
cipaliter, & primò a Deo. *Applicatur enim virtutes operative ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel anime. Primiti autè principii utriusque motus est Deus*.

17 Hinc 3. Doctor sæpe docet, voluntatem nihil posse liberè velle, nisi prius à Deo naturaliter moveatur ad primum consilium, seu primam cognitionem objecti, & ad primam volitionem felicitatis, seu boni in communi. Ita q. 6. de mal. ar. unic., Quodlib. 1. ar. 7., 1. 2. q. 9. ar. 4. & 6., & aliàs sæpissime. Sed audiatur in 4. d. 49. q. 1. ar. 3. ad 2. *quæst.* ibi: *Operatio causa secunda semper fundatur super operatione cause primæ, & presupponit eam: & idè oportet, quòd omnis operatio anime procedat ex suppositione ejus, quòd inlicitum est anime ex impressione primi agentis, Dei scilicet*. Et statim explicat, illud ex cuius suppositione operatur anima, esse primam cognitionem, & primam volitionem boni, seu beatitudinis. Unde patet, hunc locum ineptè contra nos allegari; cum operatio causæ primæ, quam presupponit semper operatio secundæ, sit in causâ physicâ productio, & cõservatio inclinatio innatæ, & in animâ sit productio primæ cognitionis, & volitionis.

18 Monet autem D. Thomas, quòd consilium rationis, vel cognitio finis, non ita determinat voluntatem, ut non relinquat eam indifferentem quoad exercitium actus, imò sæpe etiam quoad specificationem. Ita q. 6. de mal. ar. unic., 1. 2. q. 10. ar. 2., & sæpe aliàs. Unde *determinatio* rationis, de quâ

D. Thomas supra citatus n. 11. & 12., solum significat *propensionem*, vel *designationem objecti*. Monet similiter, quòd nec illa prima volitio boni, seu beatitudinis, ad quam Deus movet, seu determinat, tollit indifferentiam voluntatis ad bona particularia. Ita in 2. d. 39. q. 2. ar. 1., & sæpe alibi, nominatim 1. 2. q. 9. ar. 6. ad 3. ibi: *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quòd est bonum: & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle* (nota illud, *non potest*, ut videas, hanc motionem spectare ad posse). *Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quòd est verè bonum, vel apparens bonum*. Addit ibi continuo: *Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quòd est bonum; sicut in his, quos movet per gratiam*. Ubi certè non loquitur de motione Thomistica, quam rejicimus; nam hæc non datur *interdum*, & *aliquibus*, sed omnibus semper ac aliquid agunt: loquitur ergo de gratiâ excitante, & alliciente ad bonum, *determinatè* quidem, sed non *determinative*; sicut qui à te librû petat, te movet ad aliquid determinatè volendû, sed non te determinat.

19 Notandum 3., quòd etiam concursus simultaneus venit apud D. Thomam nomine *motio*nis, & *applicationis*. Ita expressè Cajetanus in 1. p. q. 14. ar. 13., & q. 19. ar. 8.. Imò ipsè D. Thomas in locis objectis n. 8. & 9., cum accurate recenscat modos omnes,



quibus Deus est causa omnis operationis, non meminit concursus simultanei sub alijs terminis, quam motionis, & applicationis: unde, si sub his non illum comprehendit, absurdè sequitur, quòd illum vel ignoravit, vel consultiò tacuit ut non necessarium. Certè nomine motus comprehenditur largè omnis operatio causæ creatæ (nam *in omnibus rebus creatis est... aliquid ad motum pertinens, ut sub motu etiam operationem comprehendamus*, ut loquitur D. Thomas I. p. q. 103. ar. 1. ad 2., & alibi sæpe): unde, cùm omnis causa creata verè motum suum accipiat à Deo ut primà causã simul concurrente, verè à Deo movetur, & agit ut mota, seu, quòd perinde est, ut adjuncta à primo Motore. Congruenter autem operatio creaturæ, quatenus est actio Dei, vocatur *motio* activè; quia respectum dicit ad causã superiorem, subordinantem, & subjicientè sibi causas creatas: proprium est autem moveris subjicere sibi mobile. Vocari quoque potest *promotio*; tũ si accipiatur radicaliter, aut in actu primo, pro decreto applicante omnipotentiam; tũ etiam accepta in actu secundo, propter illas prioritates rationis, & præsuppositionis, de quibus c. 2. n. 7. & seqq.

20. De hac *promotione* in actu primo (sumptã pro decreto applicativo quòd etiam dicitur actio & operatio Dei ad extrã, ut notavimus cap. 2. n. 16.), sine quã non salvatur in creaturã posse completum, & proximum, intelligi potest illud D. Thomæ 1. 2. q. 109. ar.

1., *Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis, ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo: & ibi ar. 6. ad 2., Nihil homo potest facere, nisi à Deo moveatur*; unde infert, quòd ipsum facere est in potestate hominis, secundum quòd est motus à Deo. Nota bene testimonio ista pro ijs, quæ diximus cap. præced. n. 12. & seqq., & n. 21. Unde, cùm D. Thomas q. 3. de pot. ar. 7. ad 3. ait, *Quòd in operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura*; planè loquitur de operatione sumptã pro decreto dicto: tum quia continuo subdit, *Sed ipsa natura operatio est etiam operatio virtutis Divinæ*; quibus verbis agnoscit, operationem Dei externam esse indistinctam ab actione creaturæ: tum maxime, quia ibid. ad 9. docet; quòd sicut operatio naturæ præcedit operationem artis, ita voluntas Dei, que est origo omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ: unde *Et ejus operatio in omni operatione natura requiritur*. Vides hic evidenter, quznam sit *promotio*, & *præp. ratio*, in quã non operatur natura, nempe *voluntas Dei, que est origo omnis naturalis motus*. Ex his etiam explicari potest, applicatus ad rem præsentem, locus D. Thomæ in 2. d. 4. q. 1. ar. 4. ad 4.

21. Eãdem ratione per concursum simultaneum verificatur quòd Deus applicat causas secundas ad agendum: tum propriè, & in actu primo, quatenus decretum applicans omnipotentiam ad si-

multaneè concurrendum, simul est applicatio causæ secundæ; quoties enim causæ subordinatæ nihil deest ut sit proximè potens, præter applicationem causæ principalis, applicatio ista simul applicatam reddit causam inferiorem, cum eam reddat ultimò expeditam magis, quam localis applicatio ignis v. g.: tum etiam minùs propriè, & in actu secundo, quatenus *applicare* sonat *conjugere*, quo sensu actio ipsa creaturæ dici potest applicatio virtutis ad effectum; cumque talis actio verè sit à Deo, imò sit actio Dei, verè per illam Deus applicat & conjugit virtutem creatam cum effectu. Hæc tamen acceptio *applicationis* impropria est; idèòque D. Thomas in objectione citatus dixit *quasi applicando*.

22. Ex his prænotatis facillime intelliges sine recurso ad physicam prædeterminationem, quidquid D. Thomas ubilibet docet circa motionem & applicationem causæ secundæ à primã. Nullus enim est locus, qui non sponte referatur, vel ad inclinationem innatam, de quã n. 15; vel ad applicationem ex parte actus primi, de quã n. 16; vel ad specialem motionem ad actus bonos, de quã *ibidem*; vel ad concursum simultaneum, sive in actu primo, sive in actu secundo, de quo n. 19. & 21. Exemplum autem motionis instrumenti in mechanici, ab artifice moti, non adducitur à D. Thomã, ut teneat in omnibus; idèòque S. Doctor q. 24. de verit. ar. 1. ad 5. docet, quòd voluntas non est propriè inf-

trumentum Dei, sicut ferra carpentarij, sed in sensu lato, ita ut sit in ipsa principium sui motus, & se ipsã moveat. Adducitur ergo ad explicandam perfectam dependentiam, & subordinationem in agendo, quam habet omnis creatura respectu Dei, vel etiam indigentiam motionis, & applicationis præviæ, quam explicuimus. Et retorquetur in Adversarios: nam impulsus, quo artifex movet ferram, absdubio est nova virtus in ferrã, se tenens ex parte actus primi ad motum ejus actuale: ergo idem dicendum erit de promotione Thomistã.

23. Superest explicandus quartus ille operandi modus, assignatus à D. Thomã in ar. 7. q. 3. de pot. Ille verò nihil faveat physicæ prædeterminationi. 1.: quia illud S. Doctor expressè distinguit ab eo, quo Deus movet, & applicat virtutem creatã ad agendum: Thomistæ autem in eo, quòd est *movere*, & *applicare*, prædeterminationem suam intelligunt; idèòque, ubicumque talia verba legunt apud D. Thomam, statim exultant tamquam expresso Doctoris Angelici suffragio. 2.: quia S. Doctor modum illum, sive concursum requirit ad supplendam insufficientiam virtutis creatæ; ut evidens erit legenti. Hoc enim utitur discursu: Ipsum esse est effectus solius Dei secundum virtutem propriam: sed causa secunda non potest in effectum causæ primæ per virtutem propriam: ergo causa secunda non potest dare esse effectui, nisi præter virtutem propriam participet in parte virtutem Dei,



Dei, sicut instrumentum participat virtutem artis. In hoc autem discursu planè statuitur, quòd virtus causa secundæ insufficientis, & impotens est ad dandum esse sine illà participatione Divinæ virtutis, quæ proinde participatio ad actum primum pertinet sine dubio; ut etiam patet in virtute artis, quæ instrumentum redditur proximè potens operari. Atqui physica prædeterminationio juxta suos Authores nec pertinet ad actum primum, nec requiritur ex insufficientiâ, vel impotentiâ voluntatis creatæ ergo &c.

24 Obscura quidem est quidditas illius participationis, seu nova illa creaturæ *vis, quæ agit ad esse*, ut satis patet ex verbis D. Thomæ in resp. ad 7., allegatis n. 9.: nec satis apparet necessitas illius asserendæ. Unde P. Suarez existimat, D. Thomam tacitè sententiam illam retractasse in Libris cont. Gent., & in loc. cit. l. p., ubi distinctè tractans, & enumerans modos omnes, quibus Deus operatur in omni operante, quartum illum modum omninò tacuit. Nusquam tamen dixit P. Suar., alijsvè Societatis Author, quòd illa participatio ex mente D. Thomæ consistit in physicâ prædeterminatione. Quare frustra laborat M. Prado hic q. 14. §. 3. in allegandis Authoribus nostris, ingenuè fatentibus, illum D. Thomæ locum difficilem explicatu esse. Hoc nec Thomistæ negabunt, si pariter ingenuè loquantur. Sed optimè coheret, quòd ille locus non faveat physica prædeterminationi (tum propter dicta nuper, tum quia con-

trarius alioquin foret doctrinæ aliàs sapissimè traditæ à D. Thomæ), & quòd simul non facile percipiatur quidnam aliud significet. Quid prohibet me cognoscere, metalium mihi oblatum non esse ferrum, & simul nescire quidnam aliud sit metalli genus? Qui tamen valde probabilem explicationem videre volet, adeat P. Ripald. d. 104. de ent. supernat. sect. 8., quæ non satis impugnat M. Prado loc. cit. §. 4. Nobis nunc sufficit, quòd illa participatio, si datur, se teneat ex parte actus primi, seu liberi, seu necessarij, cum sit nova virtus, seu complementum virtutis, potentia, & sufficientiâ ad agendum; ac proinde quòd nequeat esse physica prædeterminationio.

25 Objici præterea solet illud D. Thomæ 1. p. q. 19. ar. 3. ad 5., *Causa, quæ est ex se contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*. Sed respondetur, hoc absolute verum esse in causis non liberis: verum item esse in liberis, dummodo sermo sit de *aliquo exteriori* se habente per modum finis, aut objecti; alioquin propositio ista contradicet alteri, quam ex D. Thomæ retulimus n. 111... Potest etiam intelligi de contingentia voluntatis remota, quæ debet à Deo determinari ad primam volitionem boni in communi: atque ita explicatur à D. Thomæ 1. 2. q. 9. ar. 4. & 6.. Solet etiam objici D. Thomas 1. p. q. 105. ar. 1. ad 3. dicens: *Hoc ipsum, quòd causa secunda determinatur ad determinatos effectus, est illi à*

Deo.

Deo. Sed hunc locum explicemus supra cap. 4. n. 15.. Demum objicitur, quòd apud D. Thomam interdum, licet rarò admodum, invenitur, Deum *determinare*, vel etiam *prædeterminare* omnes effectus. Sed verò nusquam apud D. Thomam invenitur, quòd Deus prædeterminet imprimendo creaturis aliquid prævium cum operatione connexum, & non pertinens ad actum primum. Dum ergo voce ista utitur lect. 3. in Dionys. de Divin. nom. cap. 5., & alibi ter, aut bis, sumit *prædeterminare* pro eodem, ac *prædestinare*, vel *prædesinare*, vel *certa*, & *infallibili providentia disponere*, ut legenti liquidum erit. Nostra autem Schola beneficio Scientiæ mediæ componit optimè cum libertate certitudinem Divinæ providentiæ circa effectus liberos, & prædefinitionem circa bonos, citra medium creatum cum eis physicè connexum, ut Theologis notum est.

*Qualiter Deus determinet effectus omnes quoad individuationem.*

26 Hic tamen observandum, quòd Authores nostri communiter agnoscunt, Deum pro solo arbitrio suo determinare quoad individuationem effectus omnes à causâ secundâ producendos, necessarios positivè, liberos negativè. Cum enim nulla creata virtus ex se limitetur ad unicum effectum individuum, sed plures contineat specificè similes, nec eos inter se discernat in statu possibilitatis, non est unde determinetur, nisi à Deo, ut producat intra eandem speciem potius A., quàm B.. Hæc autem

determinatio fit per decretum applicativum Omnipotentia, positivè quidem in causâ necessaria v. g. in igne applicato, per hanc, aut similem tendentiam, *Volo efficaciter concurrere cum tali igne ad calorem A. in tali passo*: quo decretoposito, seclusâ prædeterminatione Thomistica, manet ignis positivè determinatus ad producendum calorem A. præ cæteris, ejusdem speciei. Sed in causâ libera, non nisi negativè; ita ut, si libertas sit contrarictatis, v. g. ad amorem, & odium, Deus per decretum indifferens (de quo supra cap. 3.) solum præparet Omnipotentiam ad individuum A. in specie amoris, & ad B. in specie odij, non verò concurrum offerat ad cætera individua: si autem libertas sit contradictionis, v. g. ad amandum, & non amandum, indifferens illa præparatio solum sit ad unum designatum individuum in specie amoris negando concurrum ad cætera.

27 Ex vi talis decreti voluntas humana manet impotens ad alia individua odij, vel amoris; & hoc est determinari negativè: non tamen ideò manet determinata, sed indifferens, ut ponat re ipsâ talem actum à Deo designatum, cum possit illum libere omittere; & hoc est non determinari positivè. Non aliter, ac si mihi quatuor habenti calamos, tres subtrahas, me negativè determinas ad scribendum quarto; non tamen determinas positivè, quia non ideò teneor quarto calamo scribere, cum possim inscriptionem



penitus omittere. Quare hoc non tam est me determinari ad scribendum calamo superflite, quam ad non scribendum cæteris à te subtractis. Unde planè vides, determinationem hujusmodi non officere libertati amandi, & non amandi, vel odio habendi, cum plenam relinquat indifferentiam ad eligendum alterutrum. Vides etiam, determinationem istam dari quoque ad actum peccati, quin idè talis actus Deo imputetur: sicut in exemplo naperò non tibi imputabitur quòd ego scribam calamo superflite, si verè possum scriptionem omittere, nec tu illam suades, aut intendis.

*Auctoritas D. Thome contra physicam prædeterminationem.*

28 Jam vidimus, D. Thomam non suffragari Prædeterminatoribus. Nunc, quòd positivè refragetur, luculenter, ut nobis quidem videtur, ostendemus. Et imprimis ex quatuor testimonijs S. Doctoris, quæ retulimus supra cap. 3. n. 26. & 28., & quæ videntur clarissima contra Prædeterminatores, tum ex verbis ipsis, tum ex occasione tradendi doctrinam inibi expressam, ut patebit legenti, & expendenti contextum, unde sumuntur. Deinde ex dictis in hoc cap. à n. 11. inter explicandum verba nobis objecta. Præterea, in 2. d. 39. q. 1. ar. 1. sic ait Angel. Doctor: *Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quòd determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est*

*ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate. Sed in naturalibus, actus progreditur ab agente: sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit. Quid clarius pro nostrà sententià dixit unquam P. Suarez? Ubi notandum, quòd cum antea errore typographi legeretur non est ab alio determinatè, Parisiensis Editio an. 1659., correctà à R. P. Joan. Nicolay Dominicano, substituit determinante, ut manifestè poscebat contextus ipse, subjunctaque comparatio causæ necessariæ: nec prior lectio potest aliud significare, nisi reddat sensum evidentè falsum. Sed præterea effugiu omne præcludit S. Thomas ibidè ar. 2. corp. ubi explicās, quid sit habere dominium sui actus, ita loquitur: *Hoc autem (dominium) est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliud quod eorum determinatur nisi ex se ipsa; quòd tantum voluntati convenit. Hæc eadem est interminis nostrà conclusio: Voluntas ad aliud quod extremorum libertatis non determinatur nisi ex se ipsa.**

29 Idem S. Doctor. in 2. d. 25. q. 1. ar. 2.: *In omnibus, quæ sub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc solo determinationem habens, quòd felicitatem naturaliter appetit, & non determinatè in hoc, vel illo.* Nota illud in hoc solo: ex quo sæpe alias infert D. Thomas, quòd voluntas non est libera (saltem quoad specificacionem) in appetitu felicitatis, sive ultimi finis, quia scilicet ad illum de-

determinatur à Deo. Ita docet in 4. d. 49. q. 1. ar. 3. quæstionc. 2.: unde ibidem ad 1. sententiam nostram generatim tradit, & approbat his verbis. *Potentia rationalis se habet ad opposita in his, quæ ei subsunt; & hæc sunt illa, quæ per ipsam determinantur: non autem potest in opposita illorum, quæ sunt ei ab alio determinata: & idè voluntas non potest in oppositum ejus, quòd ex Divina impressione determinatur: & statim exemplò apponit in opposito finis ultimi. En, ut Divina impressio determinans tollit potentiam ad oppositum, quæ sine dubio est de concepta libertatis. Non video, qui possit tam expressum testimonium eludi, nisi fortè per recursum ad sensum compositum. Sed verò, quòd D. Thomas loquatur etiam in sensu diviso, patet ex verbis, quæ continuò subjungit ibi: *Potest autem in oppositam eorum, quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quæ ordinatur ad finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet.* Ubi manifestè sermo est de sensu diviso; nam in sensu composito voluntas certè non potest in oppositum ejus, quòd ipsa determinat.*

30 Rursus Doctor Angelicus, ut libertatem nostram cum Divina motione componat, sapissimè docet, quòd *Deus omnia movet secundum eorum modum vel secundum rationem, & conditionem mobilitatis.* Ex quo principio infert *Quodlib. 1. ar. 7. ad 2.*, quòd *sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quòd tamen potest huic motioni resistere.* Ex eodem infert q. 6.

*de mal. ar. unio.*, quòd *Deus voluntatem movet secundum ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminatè se habentem ad multa.* Ex eodem 1. 2. q. 10. ar. 4. sic colligit: *Quia igitur voluntas est activa principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius.* Quid clarius? In quocumque igitur consistat Divina motio, sive in aliquo prævio acta vitali, sive in decreto applicativo, sive in qualitate fluente purè physicà, sive in alio quovis, constans est doctrina D. Thomæ, quòd illa non determinat voluntatem ad unum, nec est motio irresistibilis; qualis certè foret, si nec esset impedibilis in existendo, nec in operando frustrabilis.

31 Fortassè dices, D. Thomam solum excludere determinationem necessitantem, ut patet ex illo, *non ex necessitate.* Sed frustra hoc dices 1.: quia S. Doctor ad tò ex necessitate contraponit tò *indeterminatè*: sentit ergo, quòd non evitatur necessitas, nisi per indeterminationem. 2.: quia in ijs locis intendit explicare D. Thomas, quomodò Divina motio non imponat necessitatem nostris actibus liberis: si ergo non omnem determinationem infrustrabilem putat esse necessitantem, sed aliquam tantum, & hanc solum excludit, ratio S. Doctoris hæc erit: Idè Deo necessitatem non imponit, quia



non determinat necessitando. Quæ sanè manifesta est petitio principij, non tribuenda tanto Doctori. 3.: quia D. Thomas in causâ libera determinationem excludit ei similem quam Deus tribuit causis naturalibus; illa quippe necessitans est citra dubium. At prædeterminationis Thomistica, sive in causâ liberâ, sive in naturali, nihil in se differt; cum utrobique non sit virtus, sed applicatio virtutis, nec pertineat ad actum primum, sed ad medium, & utrobique sit à creaturâ omnino independens in essendo, & essentialiter infrustrabilis in operando. Nec potest cogitari discrimen, nisi forsan ex parte intentionis Dei; quæ tamen intentio nihil prodest; alioquin posset Deus intendere libertatem illasam per medium quodlibet, v. g. per visionem beatam. Excludit igitur D. Thomas per illud, *non ex necessitate determinat*, omnem determinationem essentialiter connexam cum uno extremo; vultque, ut Deus voluntatem ita moveat, seu determinet, idest, inclinè, ut tamen hæc determinatio non sit infrustrabilis, sed voluntas possit huic motioni resistere, utique in sensu composito, sive in operando, siquidem non potest ejus existentia resistere; non enim alius superest resistendi modus.

32 Sed objectio: D. Thomas loquitur cit. 1. 2. in resp. ad 3. ait: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur*: ergo motio Dei est infrustrabilis. Resp. 1.:

loquitur hic D. Thomas de motione sumptâ pro concursu simultaneo in actu secundo; quo posito, impossibile est, quod voluntas non moveatur liberè, cum talis motio identifiètur cum ipsâ actione liberâ creaturæ. Idèd D. Thomas continuo addit ibidem: *non tamen est impossibile simpliciter: unde non sequitur, quod voluntas à Deo ex necessitate moveatur*. Quasi dicat: solum est impossibile ex suppositione motionis liberæ voluntati, quatenus omne, quod est, ex suppositione quod sit, necesse est esse; idèdque voluntas non ex necessitate movetur.

33 Resp. 2.: verum etiam est illud assertum de motione realiter præviâ, quæ sit efficax in actu primo, idest, quæ supponat decretum prædefinitivum regulatum per scientiam mediam de congruitate motionis: positâ enim illâ Dei voluntate efficaci, seu decreto prædefinitivo, voluntatem creatam non moveri per suum motum liberum, impossibile est, non eadem simpliciter, sed ex suppositione, seu impossibilitate consequente, seu impossibilitate consequenti: quia circa motus creaturæ liberæ voluntas Dei efficax (quæ à D. Thoma in 1. d. 47. q. unic. art. 1. appellatur *voluntas consequens*; unde ibidem ait S. Doctor, *Quidquid Deus vult voluntate consequente, totum fit*) est posterior posterioritate attemperationis ad usum creaturæ libertatis, quæ prævisum in statu conditionato supponit; idèdque voluntas consequens recipit conditionem creaturæ, ut loquitur D.

D. Thomas in 1. d. 46. q. 1. art. 4. ad 3., simul docens, quod mala non fieri (atque adèd bona fieri) non vult Deus voluntate consequente, nisi de illis, quos scit mala non velle facere: quibus in verbis apertissimè traditur scientia media.

34 Hæc ergo voluntas prædefinitiva, ex suppositione quod sit, non potest impediri, idest, non impleri, ut ait D. Thomas cit. d. 47.: sed, quia suppositio illa est objective impedibilis à creaturâ ratione scientiæ, quam præsupponit, idèd non reddit omissionem actus impossibilem simpliciter; nec efficit, ut voluntas ex necessitate moveatur. Eodem sensu intelligendus est D. Thomas, cum alibi docet, quod Deus movet voluntatem efficaciter, infallibiliter, aut immutabiliter, & quidem propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest, ut ait S. Doctor q. 6. de mal. art. unic. ad 3.: ex efficaciâ enim Divinæ virtutis provenit, quod numquam possint Deo deficere infinita media, quæ prævideat fore congrua, & conjungenda cum operatione, si dentur, licet ex se & intrinsecè non sint infrustrabilia; consequenterque infinita media, quibus Deus moveat immutabiliter, idest, certò, & infallibiliter, voluntatem creatam, eamque flectat quocumque voluerit.

35 Denique (ut alia plurima D. Thomæ loca prætermittam, quæ Theologi nostri nervosè ponderant) Doctor Angelicus q. 2. de verit. ar. 12. in eo discernit necessarium à contingenti, seu libero,

quod necessarium non potest impediri, quin sit, antequam fiat, eo quod causa ejus sunt immutabiliter ordinata ad ejus productionem. Et in 1. Periherm. lect. 14. sic ait: *Si potentia activa ita sit determinata ad unum, quod impediri non potest, consequens est, quod ex necessitate reducat in actum potentiam passivam eodem modo*. Cum ergo potentia voluntatis in instanti, quo physice prædeterminatur ad amorem, sit immutabiliter ordinata ad ejus productionem, & ita sit determinata ad unum, quod impediri non potest (siquidem prædeterminationem impedire non valet, nec in existendo, nec in operando), consequens est, quod non liberè, sed ex necessitate recipiat amorem, seu quod amor non sit ei liber, sed necessarius. Ipse D. Thomas ead. q. 2. de verit. ar. 12. ad 7. statuit & probat, quod ex antecedenti necessario sequitur consequens necessarium, quia, si sequeretur consequens contingens, posset stare cum antecedenti oppositum consequentis: Unde (subdit) *hoc accidere necesse est in qualibet conditionali, si vera sit, sive antecedens sit effectus, sive causa proxima, sive remota*. Ut planè videas, à D. Thoma pro inconcusis haberi, etiam in materiâ libertatis, de quâ ibi loquitur S. Doctor, principia illa, quibus prædeterminationem impugnavimus cap. præc. n. 8. & 9.. Conferat nunc æquus lector testimonia relata cum ijs, quæ nobis objiciuntur: & utri parti faveat Angelicus Doctor, synagoga pronuntiet.





# TRACTATUS III.

## IN SEX RELIQUOS PHYSICORUM LIBROS.

**P**ER sex reliquos Physicorum Libros agit Aristoteles de motu, actione, passione, loco, tempore, infinito, continuo, necnon de primo Motore. De his plura diximus in superioribus: alia dabimus in hujus Operis tertiâ parte: alia prætermitemus, quia Philosophiæ speculativæ, quam modò tradimus, Theologiam Scholasticam præcipuè spectantis, minùs propria videntur. Quædam tamen instituto præsentî congruentia quatuor nunc Disputationibus complectemur.



# DISPUT. I.

## DE MOTU, ACTIONE, ET PASSIONE.

### CAP. I.

#### DE MOTU.

**M**OTUS definitur ab Aristotele lib. 3. t. 6., *Actus entis in potentia prout in potentia*. Dicitur *actus*, idest, actio, seu exercitium potentia, eo sensu, quo exercitium cujusvis potentia, activæ vel passivæ, dicitur ejusdem *actus secundus*: unde motus non est forma absoluta sed modalis; accipiturque ut via, seu tendentia ad terminum, vel ut acquisitio alicujus formæ. Nomine *entis in potentia*, præcipuè significatur passum, seu ens in potentia passi-

vâ, quod vocatur *motum*, & *mobile*. Quamvis enim motus omnis importet etiam exercitium potentia activæ, (quæ vocatur *movens*, & *motor*, aut *motrix*), quia non datur motum sine movente, nec patiens sine agente; idèque motus includat actionem & passionem, & idcirco ab Aristotele eod. lib. 3. t. 23. iterum definiatur, *Actus ejus, quod agere, & pati potest, quæ ens tale est*: nihilominus nomen *motus* præcipuè denotat passionem, seu dicit ordinem ad potentiam passivam; proptereaque ab Aristot. lib. cit. t. 16. definitur etiam, *Actus mobilis, prout mobile est*.

*est*. Hinc pro eodem sumitur *moveri*, ac *pati*. Quid autem significet *prout in potentia*, pendet à motus acceptione varia.

2 Nam 1. accipitur motus latissimè pro qualibet operatione. Quo sensu motus erit *actus entis prout in potentia*, idest, prout tale ens transit de potentia passivâ in actum, sive potentia passiva sit physica, qualem habet subjectum jam productum ut recipiat formam; sive sit logica, qualem habet res possibilis ut actu existat; hæc enim potentia logica, cum sit passiva producibilitas, seu capacitas ad recipiendum esse, dici quoque poterit potentia passiva. In hac acceptione latissimâ, & valde impropria, comprehenditur etiam actio creativa nomine *actus*. Accipitur 2. magis propriè pro eductione qualibet, sive sit instantanea, sive successiva, sive spiritualis, sive corpora, sive supponat subjectum tempore præcedens, sive non. Quo sensu *prout in potentia*, idem sonat, ac prout subjectum primò reducitur in actum de potentia passivâ physicâ in signo priori præsuppositâ. Juxta hanc acceptionem, & a fortiori juxta sequentes, communiter, & verè dicitur, quòd creatio non est motus.

3 Accipitur 3. multò magis propriè pro solâ eductione cujuscumque indolis, quæ supponit subjectum formâ privatum; tale quippe subjectum est, quod propriè dicitur esse *in potentia*. Quare hoc sensu motus erit *actus entis prout in potentia*, idest, prout tran-

seantis de privatione ad formam. In hac acceptione intelligendum illud Aristotelis lib. 5. t. 9., *Motus omnis mutatio est quædam*: unde pro eodem accipi solet *motus*, & *mutatio*, ut etiam res *mobilis*, & *mutabilis*. Non tamen omnis mutatio est motus, ut patet in mutatione purè amissivâ, seu negativâ, v. g. cum aër desinit esse lucidus; necnon in mutatione formali, de quâ tr. 1. d. 1. c. 3.. Sola ergo mutatio causalis, seu vialis, quæ facit subjectum aliter se habere nunc, quàm antea, convertitur cum motu.

4 Præsius adhuc accipitur 4. pro solâ eductione successivâ formæ corporeæ, cujus partes continuâ temporis successione ponuntur, ut cum calor in manu continuo intenditur ab igne propinquo vel cum quis movetur de loco in locum. Atque ita explicatio definitionis erit, *Actus imperfectus sic actuans mobile, ut illud relinquat in potentia, ut magis ac magis actuatur per continuum ejusdem actus incrementum*. Est enim de ratione motus successivi, ut quamdiu est, partim sit acquisitus, partim aliquid ex eo supersit sine interruptione acquirendum; idèque dicitur cessare motus, cum pervenit ad terminum, vel cum successio interruptitur. Denique præsius accipitur 5. pro solâ eductione successivâ formæ corporeæ contrariam habentis, quod continuo expellitur. Atque ita explicatio definitionis eadem erit, quæ in 4. acceptione, addito solum quòd mobile sit *in potentia* ad adqui-



rendum novam formam, & amittendum contrariam. Hæc acceptionum varietas præ oculis habenda est, ut intelligantur variaz locutiones Aristotelis, & aliorum veterum, qui non semper eodem modo motum accipiunt.

5 Ex his verò acceptionibus quarta, & quinta magis intentæ sunt à Philosopho, & apud ipsum frequentiores. Secunda tamen, & tertia vilitiores hodie sunt in Scholis, ubi nomen *motus* extenditur ad omnem educationem, etiã supernaturalem, & spirituales, nominationem ad actus intelligendi, & volendi; quod approbat Philosophus 3. *de Anima* t. 28. Unde motus dividi solet in instantaneum, & successivum. Instantaneus est, qui in primo instanti temporis totus existit, ut generatio, seu educio formæ substantialis, illuminatio subita, productio intellectio- nis. Successivus est, qui tractu temporis indiget, qualem descripsimus in acceptione 4. Uterque habet terminos à quo, & ad quem. Terminus à quo est ille, à quo subjectum recedit vi motus: ille verò, ad quem accedit, seu quem motu adquirit, est terminus ad quem. Hinc in motu instantaneo terminus ad quem est forma demò producta, vel compositum ex eâ resultans: terminus à quo, juxta 3. acceptionem, est privatio ejusdem formæ, vel etiam alia forma positiva per novam expulsa, si motus sit converſus. Quod si motus non supponat subjectum formam privatum, juxta 2. acceptionem (ut intellectio, quam

elicuit Angelus in primo instanti suæ existentiz), tunc non habet proprie terminum à quo; improprie tamen sic appellari potest pura negatio formæ præcedens.

6 In motu successivo terminus à quo, est illa forma, privatio, vel remissio, quæ motus inceptio- ne deseritur; ut ubicatio, quam deserit corpus, dum incipit loco moveri; vel remissio caloris, vel intensio frigoris, quam deserit manus, dum incipit magis calefieri: terminus verò ad quem, est illa forma, vel pars formæ, in quâ sinit motus, & successio desinit; ut ultima ubicatio, in quâ sinit corpus, vel ultimus gradus caloris, in quo sinit intensio. Hoc intellige, dum sumitur motus successivus per modum unius continui: si enim considerentur singulæ partes ejus, unicuique respondet sua pars formæ tamquam intrinsecus terminus ad quem, & pars ultima respectu partium motus præcedentium solum est terminus extrinsecus.

7 Si quæras, an motus successivus differat essentialiter ab instantaneo? *Resp.* 1.: differat utique, si sumatur reduplicative prout habens successio- nem actualem, ut est evidens. *Resp.* 2.: differat etiam, si comparetur motus successivus in aptitudine cum motu essentialiter instantaneo: datur enim motus essentialiter exigens totus esse in instanti, nimirum productio formæ indubitabilis, quæ intendi non potest: datur item motus essentialiter aptus fieri successivè, ut intensio caloris. *Resp.* 3.: datur motus ex

se impotens fieri nisi successivè, nempe motus localis (fort. isæ non est aliud exemplum); & hic dicitur per se successivus, differtque essentialiter ab instantaneo. *Resp.* 4. datur motus actualiter successivus, qui ex se potest in instanti fieri, ac proinde est instantaneus aptitudine, nec ex se differt essentialiter ab omni instantaneo, v. g. intensio lucis, quæ fit in hoc spatio à lucernâ paulatim accedente: tota quippe fieret in instanti, si lucerna hic subito appareret. Unde hic motus dicitur successivus per accidens. Eiusdem indolis esse confetur intensio qualitatis contrarium habentis, v. g. caloris; quæ licet successivè fiat ob resistantiam frigoris paulatim debellandam, ex se fieri posset instantaneè, si subjectum adesset omnis frigoris expert. In hujusmodi tamen qualitibus successio non dicitur per accidens, quia juxta naturæ ordinem semper, aut ferè semper debellanda est contraria qualitas.

8 Ratione termini ad quem, dividitur motus à Philosopho in tria membra generalia. Quorum 1. est motus *accretionis*, quo adquiritur quantitas: 2. motus *alterationis*, quo adquiritur qualitas: 3. motus *latitudinis*, quo adquiritur ubi, quique motus localis appellatur. Addi solet motus *generationis* (maxime si non sit *generatio* prima, sed *aggeneratio*, vel *nutritio*, quæ fieri solet successivè), quo adquiritur substantia. Sed verò generationem à ratione motus excludit Philosophus *lib.* 5. cap. 1. & 2.; ubi docet, non dari

per se motum nisi ad tria Prædicamenta, nempe ad Quantitatem, Qualitatem, & Ubi. Quod qualiter sit intelligendum, explicant Conimbricenses ibi q. 1. ar. 3. Summa est, quòd Aristotel. ibi loquitur de motu pressissimè accepto, ut in 5. acceptione supra datâ; prout scilicet motus pro subjecto supponit totum compositum substantiale, versaturque inter contrarios terminos positivos: contrarios autem vocat, inter quos datur latitudo aliqua successivè percurrenda, vel gradualis, ut inter calidum, & frigidum, vel extensiva, ut inter quantitatem parvam, & magnam, vel spatij, ut inter loca distantia. Vid. Conimbric. q. cit. Si tamen sumatur motus, ut supra in acceptione 2. & 3., ratione termini ad quem totidè habet genera, & species, quot forma educibilis.

9 Undenam specificetur motus, constabit ex dicendis cap. sequ. circa specificativum actionis, & passionis; à quibus motum non distingui reipsa, communiter supponitur, & merito, quidquid alii dicant: nullum quippe munus tribuitur motui, quod non præstetur ab actione, vel passione, vel ab utraq; nulla item definitio motus, quæ non conveniat utrique, vel alteri, ut patet in triplici definitione Aristotelicâ relatâ n. 1. *Dices*: motus ad nullum prædicamentum pertinet, sed ab Aristotele ponitur in postprædicamenti; cum tamen actio, & passio sua sibi prædicamenta vendicent. *Resp.*: triplex in motu respectus consideratur: 1. ad causam activam, & sub hoc dicitur



adno: 1. ad mobile, seu subjectum, sic que vocatur *passio*: 3. ad terminum, & sub hoc respectu dicitur *via*, seu *fieri* termini. Quatenus ergo sumitur sub tertio respectu, non pertinet ad prædicamentum speciale, sed reducitur ad prædicamentum sui termini. Quæ res multum habet arbitrij; ad eamque sufficit distinctio rationis, vel penes modum significandi.

10 Circa distinctionem motus à termino, & à movente, & mobili, idem sentiendum, quod de distinctione actionis. Circa contrarietatem motuum solum hæc advertendum, motus dici contrarios ratione terminorum, ad quos tendant, quatenus ipsi termini sunt impossibiles respectu ejusdem mobilis, v. g. lationes ejusdem corporis sursum, & deorsum, vel intensiones frigoris, & caloris. Denique notandum, quod motui contraponitur *quies*; hæc autem interdum accipitur negativè tantum; atque ita est mera carentia actionis, quam motus importat, ut cum aer non illuminatur, vel cum visus à videndo cessat: interdum sumitur positive; atque ita est conservatio termini motu acquisiti sine ulteriore progressu. Hinc in motu instantaneo contingere potest, ut quies non differat à motu nisi penes connotatum negativum, quatenus *motus* connotat privationem formæ in instanti proxime præcedenti; *quies* verò, seu conservatio, connotat præexistentiam formæ. In motu lationis quies differt à motu quoad negationem ulterioris progressus, &

quoad numerum partium in motu præcedentium. In alijs motibus successivis, aptitudine simultaneis, quies potest importare, seu retinere quidquid positivum fuit in motu (v. g. dum aqua calida se paulatim restituit in frigiditatem connaturalem, & in eâ quiescit), tuncque solum à motu differet quoad simultatem partium, & negationem progressus ulterioris.

## CAP. II.

## DE ACTIONE, ET PASSIONE.

**A**ctio, sive productio in communi, est causalitas causæ efficientis propria, definiturque *Exercitium, quo virtus activa ut talis causat effectum*; vel alijs terminis, *Ultima formalis determinatio virtutis activæ ut causet effectum, & ipsius effectus ut à tali virtute oriatur*. Dividitur in creationem, & eductionem: quarum altera est *Productio entitatis ex nihilo*; altera, *Productio entitatis ex præsupposito subjecto*. Utriusque discrimen explicuimus tr. 1. d. 4. c. 4.. Quæ de creatione supersunt, sequi. cap. indicabimus. Eductioni (quæ sola pertinet ad motum) respondet *passio*, quæ etiam vocatur sustentatio, & receptio, & est causalitas propria causæ materialis extrinsecæ; definirique potest, *Exercitium, quo potentia sustentativa ut talis causat formam* vel alijs terminis, *Ultima formalis determinatio potentie passivæ, ut causet formam, & ipsius formæ, ut à tali potentia pendeat tamquam à subjec-*

*to præsupposito*. Quid sit causare per modum potentie passivæ, sustentativæ, subjecti præsuppositi, & causæ materialis extrinsecæ (quibus terminis idem significatur), explicatum est, cum tr. 1. d. 4. c. 4., tum tr. 2. d. 2. c. 2.. Ibi quoque c. 5. n. 22. videri potest divisio actionis in immanentem, & transeuntem.

2 Quod actio distinguatur modaliter à virtute activâ, constat ex dictis tr. 1. d. 2. c. 5. n. 24.. Eadem autem ratio probat, quod *passio* distinguatur similiter à potentia passivâ, ratio scilicet separabilitatis non mutæ: quia, licet *passio* formæ in materiâ A. sit essentialiter impotens existere sine tali materiâ, potest tamen materia ipsa sine tali passione existere. Pariter eadem ratione probatur distinctio actionis, & passionis à formâ, seu termino producto, nisi forsitan terminus aliquis aliunde probetur essentialiter exigens pendere à tali, & solâ individua causâ, activâ, & passivâ; ut multi opinantur de actu vitali. Quaritur tamen, utrum actio, & passio realiter inter se distinguatur? Realiter, inquam, idest, modaliter, seu tamquam duo modi à parte rei distincti: nemo enim hæc distinctionem realem absolutam cogitat. Questionem hanc, sicut, & illam aliam affinem, Utrum actio recipiatur in passio, an in agente? prolixè inter se disputant Thomistæ: sed utraque breviter à nobis decidenda est.

*Actio, & Passio non distinguuntur inter se realiter, sed ratione tantum.*

3 Ita communiter Authores

nostri cum Exim. Doctore d. 49. Met. s. 1.. Ita quoque communis sententia Thomistarum, quos refert, & sequitur M. Prado lib. 3. Physic. q. 3., subscribentibus Froylan., & Aguilera. Contrariam sententiam tenent aliqui è Nostris, plures alij Thomistæ, & communiter Scotistæ. Sed nostra *probat* 1. auctoritate Aristotelis, qui illam ex professo docet, ac defendit 3. Physic. c. 3., idem que latius, & explicatius præstat D. Thomas lib. 5. Metaph. lect. 9.. *Probat* 2.: quia eductio, seu actio eductiva (de quâ tantum hic loquimur, nam creatio non est *passio*, nec illam infert), se ipsa pendet essentialiter à subjecto præsupposito, & ab eo dependentem reddit suum terminum, eidemque sustentanti affixum: sed hæc sunt munera passionis, ut apud omnes constat: ergo &c.. Major patet ex conceptu eductionis, quem dedimus tr. 1. d. 4. c. 4.. Patet etiam ex illâ definitione ab omnibus recepta, *Productio rei ex præsupposito subjecto*: ex quâ fit 1., ut eductio essentialiter imbibat respectum, non solum ad agens, sed etiam ad subjectum præsuppositum *ex quo*; hic autem respectus est passionis character. Fit 2., ut eductio terminum reddat productum, non utcumque, sed dependenter à subjecto præsupposito, seu, quod idem est, dependenter à potentia passivâ: ergo positâ eductione, quovis alio modo præciso, forma intelligitur à potentia passivâ dependens actualiter; quæ dependentia juxta



omnes est formaliter passio. 4. Ex his colliges, quod actio sub nomine *eductio* non distinguitur à passione, nisi penes impli itum, & explicitum; pertinet enim passio ad definitionem educationis. Majore tamen distinctione rationis distinguuntur *actio*, & *passio* sub his nominibus; quia sub altero solum concipitur respectus ad causam activam, sub altero ad passivam; videturque alter respectus ab altero præcindibilis; quamvis uterque sit etiam formaliter respectus ad terminum. Quare, sicut de motu diximus c. 1. n. 9, datur in actione realiter sumpta triplex respectus transcendentalis, qui vocari possunt *ab*, *in*, & *ad*: actio enim respicit agens ut *à quo*, passum ut *in quo*, vel *ex quo*, terminum ut *ad quem* est. Duo priores respectus inter se ratione distinguuntur: sed neuter à tercio præcindi potest, saltem perfecte. Ipse tamen tertius ratione subdividitur in duos; quorum alter est *ad* terminum ut productum, & vocatur *feri* termini, nec differt ab actione ut tali, nisi quoad explicitum; alter verò est *ad* terminum ut receptum, aut sustentatum, & formaliter includitur in passione quâ tali.

5. *Probatur* denique realis indistinctio: quia modi non sunt absque necessitate multiplicandi: sed nulla est necessitas in præsentibus: ergo &c. *Prob. Min.* 1.: quia, posita educatione, nulla superest indifferencia, quæ per novum modum determinari debeat: repugnat enim *formam* educi, quin dependeat à

causa passiva. Nulla item est separabilitas educationis à passione, vel e converso. 2.: quia passim accidit, ut causalitas realiter eadem respectum dicat ad duplicem causam valde diversam: eadem enim est causalitas causæ finalis, & efficientis, causalitas externa Dei, & creaturæ, causalitas causæ principalis, & instrumentalis, v. g. intellectus, & speciei. Cur ergo non idem accidat in præsentibus? 3. ex solutione argumentorum contrariæ sententiæ. 4. specialiter contra Scottistas, qui actionem, & passionem collocant in relationibus distinctis, quæ producto termino resultant; altera in agente, altera in passio. Nam imprimis hujusmodi relationes, distinctas realiter à ratione fundandi, satis in Logicâ rejicimus. Deinde, cum illæ supponant terminum jam productum, & actu pendente à causis activâ, & passivâ, serò adveniunt, ut propriè dicantur *actio*, & *passio*; nam sub his terminis intelligimus exercitia utriusque causæ, nec alio sensu disputamus: illa autem exercitia cerè non supponunt terminum productum. *Actio educitiva non recipitur in agente, sed in passio.*

6. Hæc assertio corollarium est præcedentis, id. è quæ ab ipsidem Authoribus defenditur, imò à nonnullis etiam ex contrariis. Procedit autem de actione transeunte: nam de immanente non est dubium, quin recipiatur in agente, utpotè indistincto à passio; quamquam nec actio ista inest agenti formaliter, ut agens est, sed ut patiens. *Probatur* er-

ergo facile: quia passio juxta omnes non recipitur in agente, sed in passio: sed actio est indistincta realiter à passione, ut ostendimus: ergo &c. Atque hæc est expressa sententia Philosophi, & D. Thomæ lo. cit. n. 3., ubi simul eam ab objectionibus vindicant. Videri quoque poterit D. Thomas in 3. de Anim. lect. 2. litt. g. ad Philosophi textum 139. pariter pro nobis expressum: item pluribus alijs in locis, quæ citat Ferrariensis in c. 1. lib. 2. cont. Gent., & Prado lib. 3. Physic. q. 4. §. 2.

7. Unde, cum Angelic. Doctor alijs in locis, quæ citat Collegium S. Thomæ Complut., contrarius videtur huic assertioni, & præcedenti, ut cum ait, quod actio inest agenti, sicut accidens subjecto, item quod est quadam perfectio agentis, & in eo facit aliquam mutationem; & cum in 2. d. 40. q. 1. ar. 4. ad 1. sic loquitur, *Cum actio sit in agente, & passio in patiente, non potest esse idem numero accidens, quod est actio, & quod est passio; cum unum accidens non possit esse in duobus subjectis*: hæc, inquam, testimonia intelligenda sunt, partim de actione immanente, quæ intrinseca perfectio, & mutatio est agentis creati, partim de transeunte sumptâ in concreto, sive in denominando prout scilicet tribuit denominationem *agentis*; hoc enim sensu est accidens logicè diversum à passione, solique agenti inest, aut inhæret inhærentia logicâ, sive in prædicando.

8. Contra utramque assertionem *objic.* 1.: actio, & passio pertinent ad diversa prædicamenta, constituuntque duo genera entis: important ergo duas essentias completas, quæ realiter distingui debent. *Objic.* 2.: duo formales effectus æque primarij, & primò diversi, cujusmodi sunt *agere*, & *pati*, seu denominationes *agentis*, & *patientis*, nequeunt ab eadem forma provenire: quia formalis effectus non distinguitur à formâ, vel saltem ejus diversitas à formæ diversitate provenit. *Objic.* 3.: actio ut actio est accidens, cum pertineat ad prædicamentum Accidentis: ergo alicui subjecto inhæret. Sed actio ut actio non inhæret passio: ergo inhæret agenti. *Prob. Min.*: tum quia in hære passio, proprium est passionis ut talis, & prout ab actione formaliter distinctæ: tum quia si actio ut actio inest passio, tribueret illi denominationem *agentis*. *Objic.* 4.: agens creatum agendo perficitur, & mutatur; nam solius Dei est non mutari agendo: ergo in se recipit actionem tuam. *Accedit*, quod actio est modus agentis, quod oritur ab intrinseco agentis, & quod ejus intrinsecam agendi potentiam reducit ad actum: nequit autem intrinseca potentialitas reduci ad actum, nisi per actualitatem intrinsecam. *Accedit* insuper, quod nulla creata potentia ita est purè activa, ut non sit etiam passiva; alioquin esset actus purus, sicut omnipotentia Dei.

9. *Resp. ad 1.*: ut actio, & passio



passio pertineant ad diversa prædicamenta, sufficit distinctio rationis fundata in respectu ad diversa subiecta denominabilia, vi cuius præstant denominationes diversas, ac disparatas quoad subiectum, ita ut neutra inferat aliam in eodem subiecto. Loquimur de actione transeunte, quam solam ad prædicamentum Actionis pertinet censent Adversarij, Actio ergo, & passio in concreto, id est, *agere, & pati* (quo sensu eas accipit Aristoteles, dum prædicamenta dividit), important diversa genera prædicationum: quia non de eodem dicitur agere, & pati, nec esse patiens, & agens. Et hinc actio, & passio important duas essentias completas, non physice, sed logicè, sive in ordine ad prædicationem. Eodem modo solvit hoc argumentum D. Thomas, tum latius in 3. Physic. lect. 5., tum brevius in 1. Met. lect. 9., ubi sic ait: *Si actio, & passio sunt idem secundum substantiam, videtur, quod non sint diversa prædicamenta. Sed sciendum, quod prædicamenta diversificantur secundum diversos modos prædicandi. Unde idem, secundum quod diversimodè de diversis prædicatur, ad diversa prædicamenta pertinet. Et paucis interjectis: Motus, secundum quod prædicatur de subiecto, in quo est, constituit prædicamentum passionis: secundum autem quod prædicatur de eo, à quo est, constituit prædicamentum actionis.*

10. Ad 2.: licet ea doctrina vera sit in formâ omninò absolutâ, qualis est calor, aut albedo; secus

tamen in formâ modali, quæ potest æquè primò respicere diversa subiecta denominabilia, proindeque præstare duos effectus formales æquè primarios, quorum alter sit intrinsecus, alter extrinsecus, qui que sint diversi logicè quoad formam, & physice quoad subiecta; nam etiam subiectum includitur in effectu formali. Sic eadem actio denominat causam *producentem*, & terminum *productum*; & eadem volitio potentiam *volentem*, & objectum *volitum*. Si dicas, denominationem *producti*, aut *voliti*, non esse primariam, quia sequitur, ac veluti resultat ex denominatione *producentis*, aut *volentis*, idem dicâ de denominatione *patientis*, quæ pariter ex denominatione *agentis* quasi resultat; non enim eas dixi disparatas nisi quoad subiectum: de cætero, quod altera inferat alteram in subiecto diverso, certum est apud omnes.

11. Ad 3.: actio, ut actio, seu prout formaliter distinguitur à passione, est accidens logicum, sive in denominando, quatenus denominatio *agentis* potest adesse, vel abesse absque subiecti corruptione; atque ita inhæret agenti inhærentiâ logicâ, & impropriâ, quatenus significatur instar inhærentis, dum extrinsecè denominat agens. Non tamen actio, ut actio, est accidens physicum, nec petit inhærentiam physicam, nisi identicè, ratione passionis, quam secum realiter identificat. Ratio: quia actio, ut actio, solum dicit formaliter conceptum *ab*, id est, non dicit

cit

cit esse *in aliquo*, sed *ab aliquo*, ut sæpe repetit D. Thomas locis cit.: quare non illi convenit inhære, seu esse *in aliquo*, nisi quatenus realiter est passio. Vide P. Suar. d. 48. Met. l. 4., præsertim n. 15.. Aliud est de nomine *eductio*, quod utique respectum importat, non solum ad principium à quo, sed etiam ad subiectum *in quo*, vel *ex quo*; ut ex ejus definitione constat. Quare *actio*, & *eductio* comparantur ut genus, & species, vel ut conceptus inadæquatus, & adæquatus ejusdem modi. Quamvis autem actio, vel *eductio* realiter inhæreat passo, non illi tribuit denominationem *agentis*, aut *eductis*; quia solum ita denominat id, à quo est, non id, *in quo est*; sicut solum denominat *productum* id, ad quod est, & sicut volitio externi objecti non denominat *volitum* subiectum, cui inest, sed objectum, in quod tendit.

12. Ad 4.: verum est. Antecedens de agendo immanenter, secus de agendo transeunter, nisi cum limitatione mox addendâ. *Duplex est actio* (inquit D. Thomas 1. p. q. 18. ar. 3. ad 1.): *una, quæ transit in exteriorem materiam, ut calefacere, & secare: alia, quæ manet in agente, ut intelligere, sentire, & velle: quarum hæc est differentia. Quia prima actio non est perfectio agentis, quod movet, sed ipsius moti: secunda autem actio est perfectio agentis.* Similiter, quod transeunter agit, non mutatur intrinsecè per actionem; alioquin omne movens moveretur, contra quod expressè docet cum Philoso-

pho D. Thomas in 3. de Anim. lect. 2., in hoc ipso principio nixus, quod *actio non est in agente, ut in subiecto.*

13. Nihilominus etiam actio transeuns dicitur quodammodo perfectio agentis creati, non intrinsecè, & per modum formæ, sed extrinsecè, & per modum finis, quatenus tale agens ex se ordinatur ad explicandum fecunditatem suam, ut speciem propriam, vel cognatas alias propagatione conservet; vel, ut ait D. Thomas q. 7. de pot. ar. 10. corp., *In quantum scilicet in ipso effectu, vel passione, vel motu inducitur, attenditur quoddam bonum, & perfectio moventis, vel agentis: sicut maxime patet in agentibus univocis, quæ per actionem suæ speciei similitudinem inducunt, & per consequens esse perpetuum propria speciei, secundum quod est possibile, conservant.* Quod item confirmat S. Doctor ibi ad 1. & 2.. Hæc autem non habet locum in Deo, qui non ordinatur ad operationem externam, nec effectum respicit ut finem. Dicit quoque poterit agens creatum, dum transeunter agit, mutari præsuppositivè, quatenus pravè affici debet varijs dispositionibus, de quibus tract. 2. disp. 3.. His autem non indiget Deus. Quod causa creata non moveat nisi ut mota, verificatur ratione inclinationis immatæ, quæ est quedam impressio, & motio Dei, ut cum D. Thomâ diximus tr. 2. cap. ultim.

14. Porro actio transeuns dicitur modus agentis, quatenus ab

cc



eo est essentialiter inseparabilis, tum egressivè, quia essentialiter habet egredi ab hoc agente præ alio, tum connexivè, quia nullatenus potest eo non existente existerè; non tamen est modus intrinsecus, sed extrinsecus. Oritur etiam ab *intrinseco* agentis, non quod prius existat formaliter intra agens, & inde saltet, aut advolet ad passum, sed quia primò existit in passo ex efficacia intrinsecæ virtutis agentis; quo sensu etiam actio creata, & omnis effectus oritur ab intrinseco Dei. Nec intrinseca potentia activa debet reduci ad actum per actualitatem intrinsecam, sed sola potentia passiva, quæ incompletionem importat, solaque dicitur potentialitas. Nec omnis potentia activa creata debet simul esse passiva respectu ejusdem termini, vel actionis, cujus activa est, sed respectu dispositionis, aut applicationis præviæ; quæ passivitas sufficit, ut non sit actus purus, imò ad hoc sufficit logica passivitas existentia, quam à Deo recipere debet.

*Tres aliæ quaestiones.*

15 *Queritur* præterea 1., quodnam sit specificativum actionis? Quaestio est de specificativo extrinseco (intrinsecum semper est differentia essentialis cujusque rei), unde sumitur, & quasi derivatur specifica diversitas actionum: res enim habitudinem habens ad rem aliam, ex varietate illius variari solet; quemadmodum actus intellectus variantur ex objecto, actus voluntatis ex fine, uniones ex varietate extremorum. Cum igitur

actio, etiam præcindendo ab identitate cum passione, intrinsecam habitudinem dicat, tum ad principium, tum ad terminum, quaeritur, ex quonam eorum tumatur species actionis, seu diversitas actionum specificat? Alij volunt tumendam esse ex principio, alij ex termino, & alij ex utroque: atque hæc triplex sententia fundamentam habet in D. Thoma, ut videre est apud P. Suar. d. 18. Met. l. 3..

16 *Dico* 1.: terminus est sufficiens specificativum actionis, ita ut ubicumque termini sunt specie diversi, actiones quoque inter se differant specie, licet ex parte principij nulla sit diversitas. Ita omnes Authores; & merito. Quia actio essentialiter, ac per se primò ordinatur ad terminum, & propter illum existit: unde actio physica se habet ad terminum, sicut volitio ad finem, & cognitio ad objectum formale. Hic autem ordo necessariò variatur pro varietate termini: quare, cum sit usqueadè essentialis actionibus, nequit non eas reddere diversas in essentia, sive in specie. Hinc calefactio, & illuminatio aeris, licet ab eodem sole proveniant, specie differunt.

17 *Dico* 2.: diversitas principiorum sufficit etiam ad actiones specie diversificandas, etiam si desint terminorum diversitas. Ita satis communiter Authores nostri, quorum sententiam non improbat P. Suarez *loc. cit.*, licet in oppositam magis inclinet. *Probat*ur: quia actio non minùs essentialiter, nec minùs per se primò respicit principium, quam

quam terminum; cum conceptus ab sit veluti character actionis: sicut ergo ex diversitate termini diversa redditur, ita ex diversitate principij. Quare productio ignis ab igne specie differt à productione ignis à Sole, vel à solo Deo; cum altera prædicatum habeat essentialè, quo caret altera, videlicet *esse exercitium causæ univocæ*, vel *causæ secundæ*. Nec facile creditur est, quòd hæc differentia sit pure individualis: magis enim notabiliter differt exercitium causæ univocæ ab exercitio æquivocæ, quam ab exercitio alterius univocæ.

18 *Dices*: productio ignis à Sole respicit Solem, ut productivum ignis: sed Sol, ut productivus ignis, convenit cum igne: illa ergo productio respicit Solem, ut convenientem cum igne, adeòque perinde se habet, ac si procederet ab alio igne. *Dist. Maj.*: ut productivum ignis æquivoce, seu per continentiam eminentialem, *con.*; ut productivum univocè, seu per continentiam formalem, *neg. Maj.* Tum *dist. Min.*: convenit cum igne genericè, *con.*: convenit specificè, *neg. Min.*, & in eodem sensu *Consequ.*. Certè continentia eminentialis differt specie, & plusquam specie, à continentia formali: imò differre potest plusquam genericè, ut patet in Deo, qui, prout eminenter continens creaturas, plusquam genericè differt à causis secundis. *Dices* iterum: actio intentionalis non specificatur ab objecto materiali, sed à formali duntaxat: sed actio physica respicit quasi mate-

rialiter principium, & formaliter terminum, propter quem tota est: ergo non à principio, sed à solo termino specificatur. *Maj.* à pluribus negatur: sed, quidquid de illa sit, *neg. Min.*: nam actio respicit etiam formaliter principium, unde oritur; ideòque potest esse supernaturalis ratione solius principij, ut si aqua produceretur ab igne Divinitus elevato. Quamvis ergo tota sit propter terminum, tamquam finem *qui*, tota simul est propter principium, tamquam finem *cul*; quia virtutis explicatio quoddam bonum est ipsius principij, ut vidimus *n. 13.*; & respectu Dei quædam etiam bonitatis commendatio est, ideòque Deus omnia agit propter gloriam suam.

19 *Dico* 3.: actio, prouteductio est, seu prout identificata cum passione, diversa quoque redditur ex diversitate passivi. Hæc assertio eodem modo probatur, ac præcedens. An autem utraque locum habeat, quando principium, sive activum, sive passivum, solum causat per potentiam obedientialem, disputant Theologi; quos inter valde probabile est, actiones, aut passionem ex hoc capite differre specie physica, licet dicantur ejusdem speciei Theologica. Nunc de potentia naturali præcipue loquimur. Unde, si accidentia recipiuntur in toto composito, calefactio aquæ, & calefactio ligni, specie differunt, licet ab eodem igne proveniant, & ad calorem ejusdem speciei terminentur. *Dico* 4.: probabile est, quòd actiones physica possunt



sunt etiam ex solo modo tendendi specie differre, saltem si altera sit naturalis, supernaturalis altera, vel utraque supernaturalis. Ita Doctor Exim. loc. cit. n. 21., quem alij plures sequuntur.

20 *Queritur 2.*, utrum conservatio, & prima productio ejusdem effectus debeant esse actiones distinctæ realiter? Non est dubium, quin plures effectus non pendeant in conservari à primo producente, sed naturaliter conserventur, absente, vel destructâ causâ, unde primò sunt orti; ut patet in conservatione viventium, in conservatione ignis ab igne producente separati, in conservatione caloris aliquamdiu permanentis in aquâ, remoto igne, & in alijs passim. Tunc autem certum est, quòd conservatio à primâ productione distinguitur, utpotè pendens essentialiter à distinctâ causâ. Hæc verò causa conservatrix, dum non substituitur alia primò producenti similis, communiter creditur esse solus Deus; qui, ut naturæ Author, annuit exigentijs rerum, præstatque conservationem; quam semel productæ postulant, donec aliarum rerum exigentia contraria prævaleat. Nec item dubium est, quin alij quidam effectus à primo producente naturaliter, vel essentialiter pendeant in conservari; ut patet in conservatione Angeli à Deo, lucis à Sole, actus vitalis à potentiâ, speciei visualis ab objecto, & frigoris ab aquâ substantiâ recuperati. Cur autem alij effectus præ alijs ita pendeant à primo producente, nequit

una pro omnibus ratio assignari; varia enim est pro varietate indolis & naturæ cujusque. De quo videri potest Exim. Doct. d. 2. 1. Met. l. 3..

21 De his ergo effectibus, qui naturaliter conservari debent, vel conservantur de facto, ab ipsidem principijs eodem modo applicatis, à quibus primò producuntur, quaestio est, utrum eadem actione primâ conserventur, quamdiu permanent? an verò post primum instans cesset illa actio, & nova succedat? Communis, & vera sententia, quam probat Eximius cit. d. 2. 1. 2., negat, conservationem à primâ productione distingui quoad entitatem actionis. *Probat*: quia, ubi effectus est idem, & omnia principia manent eadem, & eodem modo applicata, non est cur non perseveret eadem actio; quæ hoc ipso post primum instans erit conservatio. Sanè per se incredibile est, quòd illa creatio aeris à Sole varietur pro solâ mutatione temporis, vel instantis, nullâ in cæteris mutatione factâ; vel quòd potentia visiva mutet actionem, dum perseverat eadem applicatio, eadem species, & idem objectum; multòque magis, quòd creatio Angeli perire debeat post primum instans, ut alteri actioni relinquat locum. Dixi quoad *entitatem actionis*: nam quoad denominationem extrinsecam datur varietas; siquidem actio non denominatur *prima productio*, nisi in primo instanti, eò quòd hoc nomen connotet, vel de obliquo im-

portet carentiam effectus immediate præcedentem; nec denominatur *conservatio*, nisi in instanti, vel tempore, supponente existentiam effectus præhabitam, & non interruptam. Hæc tamen denominationes extrinsecæ sunt, contingentes, & separabiles ab entitate actionis.

22 Unde inferes 1., quòd, etiam quando de facto distinguuntur productio & conservatio, ut in exemplis n. 20., actio conservativa potuit esse prima productio, & vice versa. Nec obstat, quòd productio dicatur extractio rei de non esse ad esse. Nam hoc intelligitur, vel de productione, prout contingenter denominatur *prima*; vel de extractione quoad intrinsecam sufficientiam actionis, ita ut actio ex se sufficiat ad extrahendam rem de non esse ad esse, atque illam extraheret, nisi jam extractam inveniret. Nec item obstat, quòd dici solet, minus virium requiri ad conservandum, quam ad primò producendum. Nam hoc in physicis intelligi debet, vel de conservatione per accidens, removendo contraria; vel de conservatione mediata & indirecta per dispositiones naturaliter necessarias, quatenus in aquâ v. g. minus frigiditatis fortasse requiritur ut conservetur, quam ut generetur, eò quòd aqua jam existens propriâ exigentiâ se tueatur. Cæterum conservatio per efficientiam immediatam (de qua tantum loquimur) non minorem causâ virtutem & influentiam postulat, quam primâ productio.

23 Inferes 2., quòd actio *instantanea*, v. g. illuminatio subita, non ita vocatur eò quòd non existat, nisi in unico instanti; sed quia non eget successione temporis ut compleatur, cum in primo instanti tota sit, quamvis etiam deinceps tota duret. Inferes 3., quòd conservatio termini educti non aliter differt à motu instantaneo, quam à primâ productione, scilicet per solam connotationem carentiæ præcedentis, quam dicit nomen *motus* propriè sumptum. Quodsi conservatio comparatur ad motum successivum, ab eo differt eo modo quo quietem differre diximus cap. 1. n. 10..

24 *Queritur 3.*, utrum actio per aliam actionem reflexam produci possit ab alio principio, à quo ipsa per se non egreditur? Quòd naturaliter non possit, passim supponitur: quia, cum actio quælibet sit egressio & productio sui à determinata causâ, nullâ aliâ productione indiget, nisi abeat in infinitum. Quòd verò possit divinitus, affirmant PP. Quirós, Peñano, & alij: Contraria sententia communiter supponitur. Et, omisis alijs argumentis, poterit suaderi sic: repugnat actio, vi cujus egrediatur terminus ab alio agente, cujus ipsa non est actio: sed talis esset actio agentis A., si terminaretur ad actionem agentis B.: ergo repugnat actio ad aliam actionem terminata. *Major* certa videtur ex conceptu actionis. *Prob. Minor.*: in eâ hypothesi, vi actionis agentis A. existeret ejus termi-



nus, nempe actio agentis B.: sed hanc actionem existere, formalissime est egredi ab agente B., cum tota ejus essentia consistat in egredi à tali agente: ergo vi actionis agentis A., terminus ejus egredietur ab agente B., cujus ipsa non esset actio, ut supponitur. Vel aliter: actio virtutis A. non esset actio virtutis B., ut questio supponit: aliunde necessario esset: ergo simul esset & non esset. *Prob. Min.*: ultima formalis determinatio, ut effectus oriatur à virtute activa B., necessario est istius virtutis actio: sed actio virtutis A. foret ultima determinatio, ut ejus effectus, nempe actio virtutis B., actu existeret, atque adeò ut oriretur à virtute B., cum in hac actione formaliter idem sit existere & oriri à tali virtute: ergo &c..

## CAP. III.

## DE CREATIONE.

**C**reatio definitur *Productio rei ex nihilo*, id est, ex nullo subiecto præsupposito, seu ex nullâ causâ materiali: & hinc sumitur ejus discrimin ab educatione, ut sæpe dictum est. Nunc super eâ queritur 1., utrum requirat virtutem infinitam in causâ connaturali & principali? sive, utrum sit possibilis creatura, quæ habeat potentiam creandi principalem, eo sensu, quo causa secunda dici potest ac solet causa principalis? Quod nulla talis creatura de facto existat, plane colligitur ex doctrinâ Fidei, ut videre licet apud P. Suar.

d. 20. Met. f. 2.; idemque supponerunt Philosophi veteres, tamquam per se notum usurpantes effectum illud, *Ex nihilo nihil fit*. Quod verò sit possibilis, videtur censuisse Durandus: sed contrarium censent omnes ferè Philosophi, & Theologi, quibus prælucent SS. Ecclesiæ Patres, sæpe docentes, quòd *creare* solius Dei proprium est, & inde probantes Divinitatem Verbi contra Arianos, quòd creandi potentiam habet. Hæc sententia omninò tenenda est, etiamsi alia ratio non adesset, præter tantæ pondus auctoritatis. Probatio tamen satis efficax à ratione difficilis est, ut omnes agnoscunt. Multas suggerunt D. Thomas, Scotus, & alij; quas sapienter expendit P. Suar. loc. cit..

2. Sufficiat hæc triplicem probationem indicare. 1. si potentia creandi non est supra conceptum creaturæ, nulla ratio est cur creatio animæ rationalis in prole non proveniat de facto ab animâ matris; quod tamen nec Durandus, nec alius admittit. *Prob.*: quia in animâ matris datur perfectiōnis æqualitas cum animâ prolis, & hæc non nisi ad præsentiam illius producitur. Sic, quia non est contra conceptum creaturæ operari per educationem, meritò tribuimus causis creatis illos effectus, quos semper ad eorum præsentiam produci videmus, si aliunde non superant perfectionem ipsarum. Hæc ratione ignem ab igne produci dicimus: & animam equini pulli ab animâ eque generari, tenet probabi-

lissimâ sententia. 2.: creatura in agendo magis à Deo pendet, quam ars à naturâ; sed ars ita pendet à naturâ, ut operari nequeat, nisi circa materiam, vel subiectum à naturâ ministratum: ergo à fortiori creatura in agendo sic pendet à Deo, ut agere nequeat independentè à materiâ, vel subiecto, à solâ Dei virtute creato.

3. 3.: posse operari sine juvamine alterius causæ efficientis, solius Dei privilegium est, nulli creaturæ communicabile: ergo etiam solius Dei prærogativa est posse operari sine juvamine causæ materialis. *Prob. Conseq.*: tum quia non minus, imò magis experientia comprobatur creaturæ dependentiam in operando à causâ materiali; quam à coefficiente: dependentiam enim à concursu Dei, non experientiâ, sed discursu colligimus. Tum etiam, quia limitatio & potentialitas creaturæ id ipsum persuadet: sicut enim nulla est possibilis creatura, quæ in essendo non sit aliquomodo potentialis; ita nulla censenda est possibilis; quæ in operando non pendeat à potentia passivâ, quandoquidem modus operandi sequitur modum essendi. Hinc creatio externa, sive in actu secundo, licet sit modus agendi formaliter finitus, est tamen argutive infinitus, quia supponit & arguit infinitudinem virtutis, à quâ procedit connaturaliter. Sic actio non pendens, nisi ab unicâ efficiente causâ, quamvis in se finita sit, arguit virtutem infinitam.

4. *Queritur* 2., utrum crea-

tura possit saltem esse instrumentum ad creandam? *Resp.* 1. cum P. Suar. cit. d. 20. f. 3., non posse creaturam esse instrumentum connaturale, seu naturâ suâ institutum, & ordinatum ad creationem. Nam imprimis nequit esse instrumentum causæ principalis creatæ, & creatricis, quæ impossibilis est, ut vidimus. Et aliunde nequit esse connaturale instrumentum Dei: quia instrumentum connaturale semper est institutum, vel ut suppleat defectum aliquem, aut improportionem causæ principalis, vel saltem ut in ejus confortio causa principalis commodius operetur, nec vires fatiget. At nihil horum respectu Dei locum habere potest.

5. *Resp.* 2., posse creaturam concurrere ad creationem per potentiam obedientialem, sive ut instrumentum Divinitus elevatum. Ita P. Suar. ibid., & communiter Authores nostri, quos citat, & sequitur P. Quiros disp. 62. f. 2. n. 23.. Ratio est: quia nulla in hæc elevatione contradictio apparet, sed potius in eâ commendatur dominium Dei, ut constat ex dictis tr. 2. d. 6. c. 5. §. 4. & 5. super elevatione cujuslibet ad quodlibet; quo etiam ex loco solvi poterit quidquid objectionis in præsentibus occurrerit. Accedit, quòd, licet repugnet juxta communem Theologiam creatura connaturaliter potens videre Deum, non tamen repugnat creatura per elevationem potens Deum videre: ergo pariter. Accedit insuper, quòd nobilitas operationis non attribuitur



virtuti purè obedientiali, nec illi commensuratur, nec debetur, sed soli causæ principali: ergo, quòd nobilitas creationis multum excedat omnem virtutem creatam, probabit quidem improportionem creaturæ ad munus causæ principalis, non verò ad munus instrumenti purè obedientialis. Et hinc inferes, potentiam obedientialem, Divinitus elevabilem ad creandum, reperiri etiam in creaturis de facto existentibus; quia non est difficilius in his, quàm in alijs possibilibus.

6 Notandum tamen, quòd elevatio ad creandum solum fieri potest per auxilium extrinsecum, ut notavimus loc. cit. n. 42.; non verò per qualitatem aliquam infusam, cui sit connaturaliter debita creatio, qualiter elevatur intellectus ad visionem Dei. Ratio est: quia illa creata qualitas, vel com-principium infusum, virtutem haberet connaturalem ad creationem; quam virtutem in creaturâ repugnare diximus. Et fortassè in hoc sensu explicari potest D. Thomas, quoties negat, posse creaturam esse instrumentum creandi; ut scilicet loquatur, vel de instrumento ex se connaturali, vel de instrumento elevato per aliquid intrinsecum, cui creatio sit connaturalis, sicut lumini productio visionis Dei.

7 *Quæritur 3.*, in quo consistat creatio, seu actio creativa? Alij creationem collocant in Divino decreto: alij in entitate termini: alij in complexo ex decreto

Dei, & termino producto: alij in modo distincto à decreto & termino. *Dico 1.*: creatio non consistit in decreto Divino. *Prob.*: quia Divinum decretum, cum ab æterno existat, si est creatio formalis, denominabit Angelum ab æterno creatum, sicut denominat ab æterno volitum, & sicut unio, ubicatio, &eductio alicujus formæ, si ab æterno existeat, illam redderent ab æterno unitam, ubicatam, &eductam. Sequela autem est contra Fidem, quâ credimus, omnia in tempore creata esse. Dices: decretum denominat quidem Deum ab æterno creantem: Angelum verò non ita denominat creatum, ut subjectum hujus denominationis existat ab æterno, sed ita ut existat denominatio *creati* solum quoad formam; sicut accidit in denominatione *cogniti*, aut *voliti*, quæ ab æterno datur respectu Angeli. Sed *contra 1.*: ergo saltem denominatio *creantis in actu secundo* existit ab æterno quoad subjectum & formam: ergo Deus verè ac proprie creavit res ab æterno, quo fuerit illud Genes. 1., *In principio creavit Deus Cœl.*

8 *Contra 2.*: ergo saltem Angelus eadem proprietate, quâ dicitur ab æterno cognitus, volitus, prædestinatus, dicitur ab æterno creatus; quod pariter est contra sensum omnium. *Contra 3.*: licet cognoscere, vel amare ab æterno, non inferat æternam existentiam objecti, quia tendentia purè intentionalis terminari potest ad objectum nondum existens; secus

ve.

verò creare ab æterno. Nam creare est actu producere, est ultimò determinare effectum ut physicè existat, est illum ponere actuè in rerum naturâ, & extra virtutem causæ, est illi dare in actu secundo suam esse physicam. Hæc autem ex terminis ipsis important existentiam effectus; alioquin neque illam importabit ultima determinatio, & exercitium uniendi, ubicandi, educti. Nec obstat, quòd Divinum decretum non sit actio purè physica, sed simul intentionalis, quæ respicere potest solum instans A. v. g., pro quo, non pro alijs, interat effectum. Non, inquam, obstat: tam quia, licet sit actio etiam intentionalis, tamen non minorem vim, efficaciam, & energiam habet, quàm actio purè physica: ergo idem præstat ab æterno, quod præstat actio purè physica existens ab æterno. Tum quia, quòd respiciat instans A., probat existentiam æternam, non solum Angeli, sed ipsius instantis (quod planè repugnat), siquidem creatio illa est ab æterno actualis positio hujus complexi, *Angelum existere pro instanti A.*

9 Hinc inferes 1., omninò impossibilem esse creationem rei non existentis ab æterno, indistinctam à decreto, vel ab alio quovis prædicato Divino. Cum autem D. Thomas negat Deum agere, vel creare per actionem à se distinctam, non loquitur de creatione formali & physica; hanc enim ab actu Divinæ voluntatis expressè distinguit 1. cont. Gent. c. 79., ut etiam à termino producto q. 3. de

pot. art. 3., ubi eam vocat *creationem passivam*, in existendo scilicet, quia non existit in Deo, sed in termino, quamvis in denominando dici possit etiam *activa*, quia Deum extrinsecè denominat *creantem*. Solum ergo cum Deo identificat creationem radicalem, seu purè intentionalem, quam cit. q. de pot. vocat *creationem activam*, idest, ex parte virtutis activæ se tenentem, tamquam illius applicationem ultimâ in actu primo.

10 Quoties enim agens rationale liberè operatur ad extrâ, duplicem adhibet actionem, alteram internam, & intentionalem; quæ est imperium voluntatis applicans, ac determinans potentiam executricem ad operandum; alteram externam, & purè physicam, quæ est ipsa formalis positio externi operis. Hæc, quia in existendo se tenet ex parte operis, dici potest productio passiva; illa verò prior, quia in agente manet, vocatur productio activa ipsius operis externi, non formalis, sed radicalis, aut virtualis, eò quòd ad illud determinet potentiam executivam, & inducat positionem externam; unde vocari solet actio formaliter immanens, & virtualiter transiens. Quia igitur imperium voluntatis Divinæ non distinguitur ab essentia Dei, meritò negat D. Thomas, creationem activam à Deo distinguî.

11 Inferes 2., nihil nobis obesse paritatem decreti efficacis, quod ab æterno connectitur metaphysicè cum Angeli creatione, quam

quam



quam tamen non infert nisi in tempore. Illa quippe connexio non est per modum positionis actualis, sed per modum imperij, quod pro libitu agentis potest referri ad unum præ alio tempus, aut instans; nec denominat Deum actu causantem, aut ponentem aliquid in rerum naturam, sed solum ab æterno volentem causare in tempore. Sic actus fidei de Antichristo futuro in fine Mundi, non minus cum eo connectitur, quam generatio ipsius Antichristi; quæ tamen nequit suum terminum tempore præcedere, sicut ille actus. *Dices*: posito decreto, nulla remanet indifferentia, ut Angelus producat, aut secus: ergo superfluit ulterior alia determinatio. Sed hoc instatur plane in decreto, quo Deus vult concurrere cum igne ad comburendum. Præterea *dist. Antec.*: nulla remanet indifferentia, quia supponitur ablata mediata & radicaliter, *consequ.* quia supponitur ablata immediate & formaliter, *neg. Antec.* & *Consequ.* Itaque decretum ideò tollit indifferentiam, quia infert ultimam determinationem; & alias non tolleret.

12 *Dico 2.*: creatio non identificatur cum termino. Quoad terminum, solum Divinitus creabilem, cujusmodi est quantitas Euclidiana, nemo dissentit; cum talis terminus à sui creatione separari possit, imò naturaliter debeat. Quoad terminum verò per se creabilem, qualis est Angelus, *probat*: quia terminus ex se indifferens, seu non essentialiter re-

pugnans, ut creetur varijs modis, & à varijs causis, non secum identificat creationem sui: sed Angelus indifferens est, ut creetur vel naturaliter à solo Deo, vel supernaturaliter à Deo simul & creaturam tamquam instrumento Divinitus elevato: ergo &c.. *Dices*, hinc solum probari, quòd Angelus possit Divinitus produci duplici creatione totali, altera secum identificata, & à solo Deo pendente, altera quasi reflexa, ab ipso distincta, profecta-que à Deo simul & creaturam. Sed *contra 1.*: quòd dari possit creatio creationis, & generatim actio actionis, sententia est valde difficilis, & à plerisque rejecta, satisfque à nobis impugnata cap. præc.

13 *Contra 2.*: licet probabile sit, quòd effectus ex se necessariò inhaerentes suis causis activis, cujusmodi sunt actus vitales, non distinguuntur à productione sui; hoc tamen dicere de substantiâ absoluta, qualis est Angelus, videtur à communi sensu alienum: conceptus enim substantiæ absolutæ, & subsistentis, longe alius est à conceptu actionis, effluxus, emanationis, egressionis; qui conceptus aperte modalitatem præfert. Nec obstat, quòd Angelus secum identificet independentiam à subjecto, & dependentiam à Deo. Nam dependentia à Deo, si sumatur pro indigentia, vel impotentia existendi sine Deo, cum omni creaturam identificatur: unde, si talis dependentia productio est, omnis entitas erit productio sui ipsius à Deo; quòd nemo dixit. Si verò sumatur

ur pro actuali acceptione, vel exercitio accipiendi suum esse à Deo, falsum est, quòd identificetur cum Angelo. Idem puta de independentia à subjecto, quæ pariter cum Angelo identificatur sumpta pro non indigentia subjecti; secus verò, sumpta pro acceptione totius esse non innixa subjecto.

14 *Dico 3.*: nec identificatur creatio cum complexo ex decreto Dei, & termino producto. Ita quoque communis sententia; & merito. Quia, si creatio identificatur cum termino, cum eo solo identificatur. Si enim decretum expectat terminum, ut constituatur in esse creationis, solus terminus erit ultima determinatio, ut Deus sit in actu secundo creans: creatio autem nihil est aliud, quam determinatio huiusmodi. Præterea ens creatum, ut tale, adæquate distinguitur ab ente increato, sicut ens finitum, ut tale, ab ente infinito: sed ens creatum, ut tale, importat creationem: hæc ergo adæquate distinguitur ab ente increato, proindeque à decreto Divino. Quæ ratio à fortiori probat quòd in 1. conclusione diximus.

15 *Dico 4.*: creatio consistit in modo distincto à causa, & à termino. Ita communiter Authores nostri cum Exim. Doctore cit. d. 20. f. 5. Probatio sumenda est ab exclusione cæterarum opinionum: cui accedit paritas educationis, quæ ideò ponitur in modo distincto, quia terminus indifferens est, ut producat, saltem Divinitus, à varijs causis, varijs que mo-

dis: similis autem indifferentia datur in termino creabili, ut vidimus. *Objic.*: si creatio est modus, erit accidens: ergo habebit subjectum inhaesionis, nam *Accidentis esse est inesse*. Nullum autem subjectum habere potest præter terminum, v. g. Angelum, qui proinde suam creationem præcedet ut causa materialis. *Resp.* Creatio Angeli, vel alterius termini substantialis, fortasse non est accidens, sed modus substantialis, ut de educatione substantialis formæ diximus tract. 1. Sed, quia manet difficultas in creatione accidentis, v. g. quantitatis, dicendum est, quòd accidens ut sic, requirit inhaesionem, non strictè talem; quæ scilicet sustentationem, & causalitatem materialem importet, sed late sumptam pro inexistentiâ, seu existentia in alio, quæ præscindit ab eo, quòd sit in alio tanquam in subjecto sustentationis, vel adhaesionis, vel puræ informationis, atque ut ita præscindens, sufficit ad verificandum to *inesse*.

16 Creatio igitur est in termino, non ut in subjecto sustentationis, à quo materialiter cauatur, sed ut in subjecto adhaesionis, cui affigitur, sive adhaeret intrinsicè, sicut etiam suo termino adhaeret educio; vel, si mavis, tanquam in subjecto puræ informationis, quòd prioritatem naturæ non postulat. Vide dicta tract. 1., ubi de subjecto unionis. Quapropter negandum, quòd Angelus, aliusve terminus creatus, præcedat creationem sui stricta prioritare naturæ, quæ in causalitate fundatur: solum



enim habet prioritatem inconnexio-  
nis non mutua, sive in subsistendi  
consequentia (quam etiam com-  
prehendit Aristoteles nomine prior-  
tatis natura, late sumpta), qua-  
tenus Angelus individuus stare po-  
test sine hac individuâ creatione,  
dummodo substituatur alia; non  
autem e converso stare potest hac  
creatio sine hoc Angelo. Prioritas  
ista nihil habet incommodi, ut pa-  
tet in termino educto; qui similiter  
prior esse solet educatione sui: nec  
aliam intelligit D. Thom. dum sub-  
jecto creationis prioritatem tribuit.  
*Dices*: creatio præcedit terminum,  
cum sit via ad ipsam: ergo in suo  
priori signo existit sine subjecto,  
etiam adhesionis. *Dist. Antec.*: præ-  
cedit pure *ut quo*, sive improprie,  
*cons.*; aliter, *neg. Antec.*, & suppo-  
situm *Consequ.*, quod scilicet crea-  
tio suum signum habeat seorsim à  
termino. Vide quæ generatim de  
actione diximus tract. 2., ubi de  
prioritate nature.

*De termino creabili.*

17 *Queritur* 4., quinam  
termini creari exigant, aut possint?  
Constat apud omnes, Angelum,  
animam rationalem, & materiam  
primam creari connaturaliter, &  
juxta propriam exigentiam. Adde  
creationem ipsam, quæ est etiam  
creatio sui, sicut omnis actio est  
productio sui. Constat item ex dic-  
tis tr. 1. disp. 4., cæteras formas,  
substantiales, & accidentales, non  
creari, sed educi connaturaliter.  
Dubium tamen superest, an termi-  
ni connaturaliter educibiles possint  
Divinitus creari, & vice versa?

18 *Dico* 1.: omnis terminus  
educibilis, ab educatione distinctus,  
potest Divinitus creari. Ita com-  
munis sententia, saltem quoad ter-  
minos non modales. Et quoad ac-  
cidents absolutum, constat assertio  
ex Eucharistiæ mysterio, ubi quan-  
titas panis conservatur per creatio-  
nem, atque adeo potuit per eam  
primò produci. Par autem est ratio  
de materiali formâ substantiali, quæ  
certè non magis à subjecto pender,  
quàm accidentalis. De modis ve-  
rò, v. g. de unione humanâ, *proba-  
tur*: quia, licet unio sit essentialiter  
inseparabilis à materiâ, & per se ip-  
sam ab eâ pendeat ut à subjecto ad-  
hætionis, aut informationis; non  
tamen per se ipsam, sed per educ-  
tionem distinctam, à materiâ pen-  
det ut à subjecto sustentationis, &  
causâ materiali: si ergo non educa-  
tur, sed creetur, nihil sequitur con-  
tra conceptum creationis, quæ so-  
lùm petit reddere terminum inde-  
pendentem à subjecto præsupposito,  
tamquam à causâ materiali. Aliunde  
nihil apparet (& hæc est  
ratio pro quâvis aliâ formâ educi-  
bili), unde unio probetur plusquam  
naturaliter connexa cum educatione  
sui: connexio autem naturalis po-  
test Divinitus frustrari.

19 *Dico* 2.: eductio non  
potest creari Divinitus, etiam si non  
repugnet generatim actio actionis.  
Assertio est contra Recentiores,  
quos citat, & sequitur P. Peynado.  
Et *probat*ur sic: repugnat, quòd  
terminus ex vi creationis habeat  
dependere à subjecto præsupposito,  
& sustentante; nihil enim magis

con-

contra conceptum creationis: sed  
eductio, si crearetur, ex vi crea-  
tionis haberet dependere à subjecto  
sustentante: ergo &c.. *Prob. Min.*:  
eductio, si crearetur, ex vi creatio-  
nis haberet suum esse, ut est certum:  
sed esse educationis est dependere à  
subjecto præsupposito, & sustentan-  
te, cum eductio sit passio, & sus-  
tentatio, ut Adversarij supponunt:  
ergo &c.. Eodem argumento pro-  
batur contra eisdem RR., quòd  
creatio non potest Divinitus educi.  
Repunit enim terminus, qui ex vi  
educationis habeat independentiam  
à subjecto præsupposito: creatio au-  
tem, si educeretur, ex vi educationis  
haberet suum esse, quod est indepē-  
dentia ipsa à præsupposito subjecto.

20 *Dico* 3.: nullus terminus  
connaturaliter creabilis potest Di-  
vinitus educi. Conciussio, quantum  
ad ipsum creationis modum, pro-  
bata est nunc. Quantum ad Ange-  
lum, & materiam primam, est ferè  
omnium: quia eductio facit termi-  
num in subjecto recipi: in nullo au-  
tem subjecto recipi potest, nec ma-  
teria prima, cum sit primum sub-  
jectum, nec Angelus, cum sit ens  
completum. Quantum ad animam  
rationalem dissentiant aliqui, quos  
citatos sequitur P. Peynado. Sed  
conclusio posita communis est inter  
Thomistas, & Nostros: & missis  
alijs argumentis, quæ non incon-  
gruè solvunt Adversarij, *probat*ur  
sic: actio ex genere suo inferior ne-  
quit sufficere ad producendum ter-  
minum, cui ex propria natura, pro-  
prijs que meritis debita est actio su-  
perior: sed animæ rationali ex pro-

prijs meritis debetur actio creativa,  
quæ inferior est eductio ex genere  
suo: nequit ergo eductio sufficere  
ad producendam animam rationa-  
lem.

21 *Prob. Maj.* 1. exemplis  
nam eadem ratione sufficere nequit  
naturalis actio ad producendum  
terminum supernaturalem: nec ma-  
terialis cognitio, seu perceptio, suf-  
ficere potest ad attingendum objec-  
tum spirituale. 2.: quia, si actio su-  
perior debita est, eâ indiget termi-  
nus, ut ponatur in rebus: sed infe-  
rior actio sufficere non potest ad  
munus illud, ad quod indiget ter-  
minus actione superiore: ergo &c..

*Dices*: indigentia creationis, quam  
habet rationalis anima, non est ef-  
fentialis, sed naturalis, quæ potest  
Divinitus insatiata manere, sicut  
indigentia formæ, quam habet ma-  
teria. Sed nihil dices: quæ nvis enim  
Deus possit animæ denegare crea-  
tionem, quæ indiget, ut ponatur in  
rebus, nequit tamen facere, ut ad  
munus hocce sufficiat actio creatio-  
ne minor. Sic potest Deus materiæ  
denegare formam, quæ indiget, ut  
compleatur; nequit tamen facere,  
ut compleatur materia per aliquid  
minus formâ. Sic etiam supernatu-  
ralem actionem, quæ indiget termi-  
nus supernaturalis, ut producat, ne-  
gare potest Deus; non tamen ef-  
ficere, ut ad id muneris sufficiat ac-  
tio naturalis. *Urgetur*: creatio non  
est actio superabundans, sed pure  
sufficiens, ut anima ponatur in re-  
bus: ergo actio creatione minor ne-  
quit non esse ad hoc muneris insuf-  
ficiens.




22 Hinc robur accipiet argumentum P. Hurtado: quod scilicet nihil potest pro altero pure sufficiente substitui, nisi vim ejus contineat vel formaliter, aut æquivalenter, vel eminenter: nullo autem ex hisce modiseductio vim continet creationis. Nec satisfacit responsio P. Peynado, quod nimirumeductio non substitueretur pro creatione quoad omnia munera, sed solummodo quoad aliquod: substitueretur enim quoad munus ponendi animam in rebus, non verò quoad independentiam à subjecto. Non, inquam, satisfacit: quia munus ponendi animam in rebus est munus exigens totam vim, totumque robur creationis ut talis, & ut independentis à subjecto; alioquin non tota creationis perfectio deberetur animæ: nequit ergo pro creatione substitui quoad illud munus, nisi actio prædita æquali, vel superiori robore. Quod iterum firmatur exemplis n. 21. *Dicitur*:eductio supernaturalis nõ esset creatione inferior, quia foret superioris ordinis. Sed *contra*:supernaturaliseductio, licet esset creatione superior secundum quid, semper maneret simpliciter inferior in genere actionis: semper enim creatio importat modum agendi, ab omni educatione inadæquabilem: cujus indicium est, quod ad supernaturalem educationem dari potest creata virtus conaturalis, & principalis, ut patet in lumine gloriæ respectu visionis beatæ; secus autem ad creationem. Sic materialis cognitio, licet ponatur supernaturalis, semper manet

intellectione inferior in genere perceptionis, impotens que terminari ad objectum spirituale, quod naturalis intellectio attingit.

23 Ex dictis ruit contrariæ sententiæ fundamentum, ex eo petitum, quod, sicut materialis forma, licet exigat naturaliter educi, potest creari Divinitus; ita è converso anima rationalis. Neganda est paritas: ex eo enim, quod forma perfectior supplere possit munus imperfectioris, non bene arguitur vice versâ: alioquin, sicut res naturalis produci potest actione supernaturali, & sicut objectum corporeum terminare valet cognitionem spiritualement; ita posset è converso accidere.

24 Denique nostra sententia confirmatur sic: creatio ex genere suo supponit, & exigit essentialiter virtutem creatricem ut talem, nec à virtute educitrice quâ tali potest ulatenus oriri:ergo eandem virtutem non minus, si non magis, supponit, & exigit anima rationalis, ut ponatur in rebus. *Prob. Consequ.*: quia creatio naturaliter debita tantam virtutem non exigit propter se, sed propter terminum cui debeatur, cum tota sit ex meritis termini, totamque suam perfectionem propter illum habeat: hinc autem locum habet proloquium Aristotelicum, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Sic terminus, cui debita est actio supernaturalis, non minus supponit & exigit supernaturalem virtutem, quam actio ipsa.



## DISPUT. II.

### DE LOCO, ET TEMPORE.

#### CAP. I.

#### DE LOCO, REALI, ET IMAGINARIO: ubi etiam de Vacuo.

**L**ocus est per se notus quoad an est? sed explicatu difficilis quoad quid est? Nihil enim notius, quam unumquodque corporum habere suum ubi, seu locum peculiarem, ita ut sit hic, & non illic, seu ibi, & non alibi: quid tamen rei significetur per esse hic, illic, ibi, alibi, ubique, difficile explicatu est. Duplex distingui solet spatium, reale, & imaginarium. Spatium reale est extensio corporea actu existens, seu quantitas actualiter extensa, quatenus certo modo fixa. Spatium imaginarium est inanitas illa immobilis, & interminata, quam imaginamur ante rerum creationem præcessisse aptam, ut in eâ extenderetur Mundus corporeus, & nunc à Mûdo magnâ ex parte occupari; sic tamen, ut extra spherâ ultimam, seu ultra Cœlum empyreum protendatur inanitas sine termino, & locum relinquat alij Mûdo, vel alijs fabricandis; sic quoque, ut in eâ per Divinam potentiam moveri possit totus hic Mû-

cus, & alio migrare, parte, quam nunc occupat, vacuâ, & immotâ manente, sicut antea. In hoc inani, sive in hoc spatio imaginario, apprehendimus certas, ac determinatas distantias, ac dimensiones perinde, ac si esset spatium reale. Sed dubium est, quidnam sit hoc inane?

2 Respondeo ex doctrinâ Eximij Doctoris disp. 30. & 51. Met., spatium pure imaginarium, idest, nondum repletum, aut occupatum ullo corpore, ex parte objecti esse actu nihil; esse tamen aliquid in potentia, seu conditionate existens, quatenus ibi dari potest realis quantitas, & extensio fixa, ubi concipimus dari partem immobilem inanitatis; vel (ne cavilleris super ibi, & ubi, quasi denotent locum præsuppositum) quatenus illud ibi pure imaginarium, fieri potest ibi reale. Si verò sumatur prout subest imaginationi nostræ, spatium pure imaginarium est ens rationis cum fundamento, quatenus concipitur ut privatio immobilis, dimensionum capax, quasi vera quantitas esset, fundamento desumpto ex possibilitate quantitatis realis, quæ fixa sit ibidem. Hinc



spatium imaginarium, specificati-  
ve, seu fundamentaliter sumptum,  
solum differt à spatio reali, sicut  
homo possibilis ab homine existen-  
te. Et quia possibile est ultra hunc  
Mundum majus ac majus spatium  
reale sine fine, idèd spatium ima-  
ginarium dicitur infinitum, aut in-  
terminabile.

3. Locus definitur ex Aris-  
totele lib. 4. cap. 4., *Extrema su-  
perfacies corporis continentis, immo-  
bilis, prima*: idest, extrema super-  
facies corporis aliud ambientis, quæ  
immediata, seu contigua est corpo-  
ri contento, quatenus immobilis.  
Sic concava superficies vasis aquâ  
pleni, locus est aquæ. Sic etiam im-  
mediata superficies aëris ambientis  
globum terraqueum, locus est hujus  
globi. Locus sic definitus vocatur  
*proprius, & immediatus*: nam locus  
*mediatus, & communis*, appellatur  
quodvis mediata continens, vel  
quodvis spatium, intra quod plura  
degunt; quo sensu fluvius dicitur  
locus piscium, urbs civium &c..  
Solent attribui loco proprietates  
quædam; ut esse salubrem, aut noxi-  
am, naturalem, aut violentam. Sed nunc  
solum consideratur locus, quatenus  
potest esse terminus à quo, & ad  
quem, motus locutionis: atque ita duo  
maximè sunt de ratione loci. 1. ad-  
æquatio, seu commensuratio cum lo-  
cato per modum continentis cum  
contento. 2. immobilitas: nam res  
locata, dum movetur, necessariò  
relinquit locum, in quo erat; quod  
non accideret, si locus ut à cum mo-  
bili moveretur, aut moveri posset.

4. Sed in quo stat hæc immobili-

tas? vel quomodo coheret cū defini-  
tione Aristotelicâ? Nam superficies  
corporis cōtinētis nulla est immo-  
bilis. Vas aquâ plenum potest aliò  
transferri servatâ eadem superficie.  
Passim quoque mutatur superficies  
aëris turrim ambiētis, & superficies  
aquæ circum saxum medio in flu-  
mine situm. Denique nulla est, quæ  
non possit moveri saltem divini-  
tūs. Dicendum, superficiem corpo-  
ris, in ratione loci continentis aliud,  
constitui formaliter per suum in-  
trinsecum *ubi*, seu per propriam  
ubicationem (de quâ statim), de-  
terminatæ parti spatij imaginarij  
respondentem. Cum que ubicatio  
sit essentialiter immobilis, idest,  
essentialiter incapax aliò migrare,  
fit, ut superficies corporis ambien-  
tis, licet specificati-ve seu materia-  
liter sumpta sit mobilis, tamen for-  
maliter, prout talem ubicationem  
habens, sit immobilis. Fit etiam,  
ut eadem superficies, variando pro-  
priam ubicationem, varietur in esse  
loci respectu corporis contenti, &  
aliò translata, sit jam formaliter al-  
ter locus. Hinc aqua verè ad motum  
vasis formaliter mutat locum. Tur-  
ris quoque immota, ex variatione  
aëris circumfusû, physicè mutat lo-  
cum ab Aristotele definitum; quam-  
vis moraliter aut mathematicè  
idem reputetur, qui alteri succedit  
cum eadem ad spatium imagina-  
rium correspondentia.

5. Sciendum tamen, quòd  
præter locum ab Aristot. definitum,  
qui vocatur *locus extrinsecus*, datur  
alius cujuscunque rei magis proprius, &  
intranens, qui appellatur *locus in-  
trin-*

*trinsecus* atque etiam *ubi*, *ubitas*,  
*ubicatio*, & *presentia* rei. Si enim  
Deus, conservando turrim immo-  
tam, omne corpus circumquaque  
annihilaret, turris non esset in loco  
extrinsecò, & tamen verè locata  
maneret: tum quia non esset nulli-  
bi: tum quia posset à Deo moveri,  
quo motu relinqueret locum, quem  
habebat. Et maneret quidem in eo-  
dem, ac antea, loco; siquidem ma-  
neret immota prorsus. Antea igitur,  
præter locum extrinsecum, alium  
habebat intrinsecum, quem adhuc  
retinet. Item superficies convexa  
Cæli Empyreï non aliâ superficie  
continetur extrinsecus; & tamen  
alicubi est, posset que à Deo move-  
ri, & alibi locari. Similiter, si Deus  
ante Mundum crearet unicum ho-  
minem, hic non esset nullibi; cum  
tamen nullâ superficie ambiretur. Is  
igitur locus intrinsecus, aut ubica-  
tio, est terminus, qui per se acqui-  
ritur, ac deseritur motu locali: lo-  
cus enim extrinsecus eatenus dici-  
tur acquiri, vel deserri, quatenus  
adquiritur, vel deseritur ubicatio  
rei mobilis illi contigua.

6. Ubicationis effectus for-  
malis est rem determinatè locare,  
seu constituere potiùs hîc, quàm il-  
lic. Sed, si ubicatio non requirit  
locum extrinsecum, quid est con-  
stituere hîc, & non illic? Recepta  
satis explicatio est, hoc in eo consis-  
tere, quòd ubicatio rem constituit  
ultimò determinatam, ut fundet  
tantam præcisè distantiam, aut in-  
distantiâ ab alijs rebus. Fateor, pro-  
priam esse ubicationis fundare dis-  
tantiâ, aut indistantiâ. Sed, nisi

aliud addatur, res manet obscura,  
vel ambigua. Nam, dum movetur  
homo, corpus & anima mutant  
ubicationes; & tamen servant eam-  
dem indistantiam inter se; sicut  
etiam eandem inter se distantiam  
servant caput, & pectus. Idcirco  
plures addunt, ubicationis esse de-  
terminare distantiam rerum, non  
solum inter se, sed simul etiam re-  
latu ad puncta fixa, sive ad polos  
Mundi: ita ut A. esse hîc, & B. esse  
illic, in eo consistat, quòd A. & B.  
determinata sint ad tantam præcisè  
distantiam, tum inter se, tum à po-  
lis Mundi per tales determinatas  
lineas. Sed obstat 1., quòd nemo  
cogitat de Mundi polis, dum rem  
clare concipit esse hîc, & non illic.  
2., quòd ipse polus ubicationem  
habet, quâ figitur illic, & non alibi.  
de hâc autem superest eadem quæ-  
stio 3., quòd vel terminus est de polis  
realibus; & ab his non pendet ubi-  
catio mea, que me pariter constitu-  
ret hîc, etiam si solus existerem,  
omni aliâ re annihilatâ: vel de polis  
imaginarijs; at que ita jam sit re-  
cursus ad spatium imaginarium,  
quem hujus ubicationis Autho-  
res vitare cupiunt.

7. Dicendum igitur, quòd  
formalis effectus ubicationis est  
*rem figere in una parte præ alijs  
spatij imaginarij*. Unde ubicatio  
in abstracto definiri potest, *Ultima  
determinatio cujuscunque rei, ut figatur  
in una parte &c.* Hæc explicatio  
perspicua est, & capto facilius  
communicandi loquendi & appre-  
hendendi modo valde consona.  
Solum obstat, quòd spatium ima-



ginarium, si sumitur prout subest imaginationi, est ens rationis, ad quod non dicit ordinem locus realis: si verò sumitur prout est in se, vel fundamentaliter, est actu nihil, nec in potentia est aliud, quam extensio quantitatis, quæ produci potest taliter fixa, seu locata, quo pacto suam involvit ubicationem: unde ubicatio definitur per se ipsam, vel una per aliam. *Resp. 1.*: sumitur spatium imaginarium priore modo: nec est inconueniens, quòd locus realis ex imperfectione mentis humanæ clarè à nobis explicari, ita definiti non possit, nisi per ordinem ad ens rationis, quamvis ad illud ex se non dicat ordinem, & sine tali ordine cognoscatur per species proprias à Deo, & ab Angelo. *Resp. 2.*: sumi quòque potest spatium imaginarium fundamentaliter; atque ita sensus definitionis erit, quòd ubicatio rem figit eo modo, quo quantitas fixa, ut possibilis, nobis præbet fundamentum ad imaginandam talem partem inanitatis immobilem. Sic autem definitur quidem ubicatio per ubicationem; sed sub alio conceptu nobis notiore, nempe sub conceptu fundantis illud ens rationis. Non tamen negaverim, Mundi polos, & terræ centram, sumi posse ut specificativum extrinsecum, & quoad nos, variarum ubicationum.

8 Ex dictis inferes 1., quòd ubicatio rei ex se non connectitur cum loco extrinsecò reali. Unde denominatio *existentis in loco reali extrinsecò*, constituitur per ubicationes contiguas utriusque cog-

poris, continentis, & contenti; est que partim intrinseca, partim extrinseca rei locatæ; quemadmodum denominatio *coexistentis*, aut *aqualis*. Denominatio autem *ubicati*, seu *existentis in loco intrinsecò*, est omninò intrinseca corpori, vel rei locatæ, cum possit absque ullo constitutivo extrinsecò salvari, ex dictis n. 5.. Notandum tamen, quòd res non est, nec figitur in loco intrinsecò, sicut in receptaculo, vel in aliquo extremo fixationis: sed illud in sumitur intransitive, seu in genere causæ formalis, ut idem sonet, ac rem intrinsecè locatam esse per ubicationem ut formam: quo sensu dicitur forma substantialis constituere materiam in esse, vel in actu completo, vel illam figere in specie determinata corporis physici. Inferes 2., quòd ubicatio est immobilis etiam divinitus seu essentialiter impotens alibi rem locare, cum sit ipsa ratio formalis existendi potius hic, quam alibi. Unde, si res vel latum unguem recedere concipiatur à tali parte spatij imaginarij, eo ipso concipitur amittere priorem ubitatem, & adquirere aliam.

9 Inferes 3., quòd ubicatio fundat rerum distantiam, & indistantiam. Distantia enim consistit in ubicationibus rerum, inter quas datur dimensio quantitatis realis, aut imaginaria. Indistantia, si est penetrationis, consistit in ubitationibus distinctarum rerum correspondentibus eidem parti, vel puncto spatij imaginarij; si verò sit contiguitatis, vel continuitatis, consistit in ubitationibus

immediatis sine ullo intervallo etià imaginario. Non tamen ubitas quælibet requirit distantiam, aut indistantiam, quæ sit actualis ex parte termini ( excipe indistantiam à Deo ); cum non requirat coexistentiam alterius: sed sufficit, quòd rem absolute & ultimo determinet, ut absque nova sui mutatione taliter distet aut indistet ab alijs, si existant, vel quodcumque existant: non aliter ac Divina immensitas ( quæ est velut ubitas, aut ubiquitas Dei, cum ipso realiter identificata ) Deum reddit essentialiter determinatum, ut sit indistans, & intime præsens rebus omnibus, quodcumque existant, quamvis earum existentiam ex se non inferat. Hoc sensu conditionato dici potest ubicatio rem affigere loco etiam extrinsecò, quatenus rem determinat, ut sub conditione quòd existat superficies corporis ambientis immediate ubicata, in ea sit tamquam in loco extrinsecò.

*Dubia quedam.*

10 Circà dicta *dubit. 1.*, an Deus existat in spatijs imaginarijs? Negant plures: sed affirmat communior sententia cum P. Suar. d. 30. Met. s. 7.. Dissidium videtur magnà ex parte vocale. Negari nequit, immensitatem Dei non capi, nec circumscribi spatio Mundi hujus. Deus enim verè est ubicumque esse potest; alioquin posset moveri localiter, aut aliquam mutationem subire: Deus autem esse potest ubicumque operari valet, & operari valet extra Mundum hunc, ubi nullum spatium est nisi imaginarium. Fac,

Deum condere, ut certe potest; alium Mundum, aliquà intercapidine, seu vacuitate dissitum à Mundo nostro: tunc Deus utriusque Mundi præsentissimus esset. Quæro, an final esset in vacuitate interjacentes? Si asseras; jam ergo Deus esset in spatio quodam prorsus inani, ubi nullum existeret ens creatum; consequenter que potest esse in omni spatio imaginario. Si neges; ergo Deus haberet præsentias discretas, & inter se distantes, quod repugnat. Ex adverso, absolute dici nequit, Deum esse positivè præsentem spatio purè imaginario: quia non est ita præsens nihilo, nec enti purè possibili; nemo quippe dicitur positivè præsens alteri, non invicem positivè præsentem.

II Dicendum igitur, Deum esse in spatijs imaginarijs, fundamentaliter sumptis, vel esse illis præsentem, duplici sensu negativo: 1., quatenus ejus immensitas ad hujus Mundi limites non arctatur: 2., quatenus essentialiter excludit positivam distantiam ab omni re, vel spatio reali, extra Mundum producibili, si producat: adeò ut nulla possit concipi ubicatio possibilis tam longè dissitata, ut, si existeret, non esset Deo præsens. Et hoc sufficit, ut nostro modo concipiendi vere dicatur Deus esse in spatijs imaginarijs. Hæc tamen indistantia, vel exclusio distantie, consistit in positivo ex parte Dei, videlicet in attributo immensitatis, quæ est quasi locus intrinsecus Dei, ratione cujus Deus ante Mundum, & ab æterno, quasi locatus erat in semetipso, ut nunc



etiam intra; & extra Mundum.  
 12 *Dubit. 2.*, an ubicatio realiter distinguitur à re locatâ, & loco extrinseco? Affirmat merito sententia communissima. Tum quia motus localis, utpotè vera, & realis actio, terminum aliquem producit, dum acquirit *ubi*: non producit autem locum extrinsecum, nec rem, quæ locatur. Tum quia res non est in tali loco per semetipsam; alioquin semper ac existit, inibi esset: nec item per coexistentiam sui, & loci talis in rerum naturâ, cum possint actu existere res, & hic locus, tametsi res in hoc loco non sit. Et hic urgent argumenta, quæ dedimus tract. 1. pro distinctione unionis ab extremis. Non tamen ubitas distinguitur plusquam modaliter: quia tota quidditas ejus est ultimò determinare rem, ut sit potius hic, quam alibi; quod est munus puri modi. *Dices*: si datur modus ubitatis à re distinctus, res erit prior illo, cum sit illius causa materialis, & sæpe etiam activa: pro signo autem priori jam res est alicubi: tum quia si jam existit, non est nullibi: tum quia esse alicubi, est prævia conditio ad causandum. *Resp.*: esse alicubi, est conditio ad causandum alios effectus præter ubitatem ipsam, ut alibi diximus. Nec res in signo priori ad ubitatem est nullibi, nisi præcisivè, quatenus illud signum per nullam ubitatem, nec per ejus carentiam constituitur, tametsi cum aliquâ connectatur. Nec tale signum est instans temporis, sed est potentia causæ realiter ab effectu distincta; quæ distinctio bene cohæ-

ret cum eo, quòd in nullo temporis momento possit res esse sine aliquâ ubicatione.

13 *Dubit. 3.*, an res actu existens possit absolvi ab omni loco, saltem divinitus? Ab omni loco extrinseco reali constat ex dictis absolvi posse, ut de facto accidit in ultimæ spheræ superficie. Ab omni autem loco intrinseco, ita ut nullam habeat ubitatem, quâ correspondeat alicui parti spatij imaginarij, sunt qui velint, rem posse divinitus absolvi. Sed negat receptissima sententia. Tum quia impossibile videtur, quòd res actu existat, & tamen quæ sita per totum spatium imaginarium, nusquam compareat. Tum quia res actu existens debet esse præsens immensitati Dei; hæc enim nequit non esse præsentissima rebus omnibus existentibus, quod sine mutua ipsarum præsentia concipi non potest: sed res nequit esse immensitati præsens ubique, sive in omni loco imaginario (alioquin foret immensa, nec jam ab omni loco absoluta, sed ad omnem potius alligata): ergo in aliquâ determinatâ parte spatij imaginarij, proindeque per aliquam ubitatem.

14 *Obje.*: res existit pro priori ad ubitatem: ergo, positâ existentia rei, potest suspendi productio ubicationis. *Prob. Consequ.*: tum quia generatim, quod est præus, potest existere sine posteriori: tum quia Deus potest creaturis negare concursum ad omnem operationem: tum quia res in signo priori existens, jam est præsens im-

men-

mensitati Dei. *Neg. Consequ.*, si sermo sit de omni ubicate, ita ut nulla producat. *Ad prob.*: illa regula, *Quod est prius &c.*, exceptiones patitur: nam causa prior est effectu, & ejus carentiâ, seu contradictorio; & tamen sine alterutro nequit existere. Videndum ergo, an aliunde probeatur essentialis connexio prioris cum posteriori, saltem vagè sumpto, uno, vel alio, ut in casu nostro. Si Deus creaturæ neget concursum ad omnem operationem, necesse erit, ut se solo producat aliquam ejus ubitatem, quamvis vult creaturam existere. Pro priori autem ad ubitatem creatura est immensitati præsens connexivè, non tamen formaliter: quod solum denotat, præsentiam creaturæ ad Deum non esse causam istius præsentia, nec conditionem prævia ad præsentiam ipsam.

15 *Dubit. 4.*, an omni entitati, præter Deum, conveniat ubicatio distincta? Omnino affirmandum, exceptâ ubicatione ipsâ, & ejus productione, quæ per se ipsam ubicatur, ne procedamus in infinitum. In cæteris omnibus militat ratio indifferentiæ ad variandum *ubi*, quod proinde distingui debet ab entitate rerum. Unde Angelus, & quilibet creatus spiritus, habet suum *ubi* finitum, ac limitatum, quod variari potest, & sine ullo corpore, seu loco extrinseco permanere; ut optimè demonstrat, & explicat Exim. Doct. d. 51. Met. l. 3. & 4. Quodsi veteres interdum negant, res spirituales esse in loco, loquuntur de loco extrinseco, prout ab Aristotele definito, nempe quatenus importat contactum corporis continentis ad rem contentam, & commensurationem partis ad partem: Angelus enim nec tangi potest, nec partes habet: quare

non est in spatio reali, nisi per intimam præsentiam, & indistantiam penetrationis; vel etiam quatenus ejus *ubi* existit intra limites alicujus spatij: quâ ratione spiritus verè sunt in Cœlo, & in Inferno, ut Fides docet.

16 *Dubit. 5.*, an forma, substantialis, aut accidentalis, ubicetur per ubitatem subjecti? Communior opinio negat: quia passim, variatâ formâ, subjectum manet eodem in loco, & cum eodem *ubi*; alioquin per quamvis accidentalem mutationem variaretur *ubi* subjecti, v.g. cum aer immotus illuminatur, aut illuminari definit, vel cum homo immotus calefit, quod est incredibile. Si autem *ubi* subjecti foret *ubi* formæ, necessariò cum formâ variaretur, utpotè modus ejus. Quare, dum subjectum ab impellente extrinseco movetur, suos quoque distinctos motus formæ recipiunt, quibus proprias ubitates adquirent: dicuntur tamen tunc moveri per accidens, quia impulsus, cum soli subjecto imprimatur, ad solum illius motum per se tendit, nec nisi ex consequenti causat motum formarum, quæ ratione unionis subjectum comitari debent. Eadem ratione, qui vehitur navi, dicitur moveri per accidens. Nec unio formam determinat ad locum subjecti, nisi radicaliter, aut exactivè, quatenus exigit utriusque ubitates intimè penetratas. Pariter singulæ partes totius integralis suas habent distinctas ubitates; alioquin non posset moveri digitus, vel unguis præcidi, quin *ubi* totius hominis variaretur.

17 *Dubit. 6.*, quænam sint causæ ubicationis? *Resp.*. Causa materialis est res, quæ locatur: illi enim ubicatio inhæret. Causa formalis

Mmmm

phy-



physica, nulla est (nisi forte ubitatis circumscriptivæ connaturalis, quæ dicitur esse: quantitatis effectus formalis secundarius): metaphysica vero est specifica differentia ubicationis. Quæ differentia sumi potest 1. ex munere fundandi distantiam, aut indistantiam: atque ita censentur ejusdem speciei, & solo distinctæ numero, ubicationes ejusdem, aut plurium entium, respondentes eidem parti, seu puncto spatij imaginarij, vel, si mavis, per eandem lineam distantes à polis & centro Mundi: quæ verò non sic respondent, specie differunt inter se. 2. ex ordine, seu alligatione essentiali ad rem locatam: atque ita ubicationes sapiunt distinctionem specificam, vel numericam rerum ipsarum. 3. ex modo locandi circumscriptivo, aut definitivo (de quo in sequ. cap.): vel etiam ex eo, quòd ubicatio sit, vel non sit divisibilis, aut ex pluribus quasi composita: quæ differentia inveniri potest in ubicationibus ejusdem rei, præsertim spiritualis. Quod attinet causam efficientem, unaquæque res in primo instanti existentia propriam ubicationem causare videtur per naturalem resultantiam: solus tamen Deus tunc determinat, ut una præ aliâ producat, tum quoad individuationem, tum quoad speciem ex distantia desumptam. Ubicationis vero, quæ motu acquiritur, causa est eadem, quæ motum producit, idè-que interdum extrinseca, interdum intrinseca.

18 *Dubit. 7.*, an duo corpora, distinctas quantitates habentia, penetrari possint per ubitates eidem spatium, seu reali, seu imaginario, correspondentes? Duo, vel plures spiritus inter se naturaliter penetrari possunt citrà dubium; sicut etiam spiritus

cum corpore. Possunt item naturaliter penetrari res corporeæ, quæ distinctas quantitates non habent, ut patet in formis corporeis, quæ cum materia penetrantur. Quòd ergo prædicta corpora naturaliter penetrari nequeant, monstrat experientia, quæ cernimus, alterum ab altero temper trudi. Nec obstat una vel altera ob- servariuncula, v. g. quòd vas aqua plenum, aliquos nummos capit, quin aqua redundet; vel plenum cinere, portionem aquæ recipit non modicam. Nam, si datur hæc penetratio, cur vas aliquos tantum nummos capit, & non totidem, quot caperet vacuum? Idè ergo, nonnullis immis- sis, non redundat aqua, quia conglobatur aliquatenus supra vasis labra, quorum siccitas redundantiam impedit. Cinis autem, aquæ immisione compressus, expellit aerem in ejus poris detentum, cujus locum, & plurius corpusculorum simul avellan- tium, occupat aqua.

19 Quòd verò corporum penetra- tionem dari possit divinitus, tenent Scholastici omnes, uno excepto Durando, qui rem problematice versat. Ratio est: tum quia nulla inde sequitur contradictio. Tum quia non aliter explicari potest egressus corporis Domini, sive nascentis ex utero virginali Deiparæ, sive resurgentis è sepulchro clauso; & ejusdem ingressus in coenaculum clausis foribus; imò & Eucharistiæ mysterium, in quo credimus, omnes partes Domini corporis in quavis hostiæ particula reperiri. *Dicitur* de ratione quantitatis est habere extensionem, & partem extra partem. *Dist.*: est habere aptitudinem, & exigentiam naturaliter infastrabili, *conc.*: est habere actum, *neg.*: alioquin corpus Domini quantitate careat in Eucharistiâ. *Extensio*

ergo actualis non nisi radicaliter in quantitate consistit; formaliter verò consistit in ubitatibus extensioni spatij imaginarij respondentibus, quæ possunt divinitus impediri, servatâ quantitate. Unde colliges, quàm periculosè posuerit Cartesius ideam, seu notionem corporis, in extensione actuali.

## De Vacuo.

20 Vacuum definitur, *Locus carens corpore, aptus tamen repleri*: vel etiam, *Inane int' vallum, reali corporis superficie circumdatum*: quale esset inter vasis latera, si Deus omne corpus inibi contentum auferret, nullo alio subrogato. Quare solùm differt à spatio imaginario, quatenus spatium istud nullâ reali superficie circumdatur. *Queritur 1.*, utrum Vacuum sit possibile, saltem divinitus? Negat Aliqui apud Comibric.: negat etiam Cartesius *part. 2. principior. n. 16.*, eâ ratione ductus, quòd vasis latera, si nihil continent, necessario contigua erunt; cum enim inter duo corpora nihil interjacet, se mutuo tangere necesse est: nec fieri potest, ut duo inter se distent, & tamen distantia ipsa sit nihil. Sed affirmativa sententia est cæterorum omnium, & omninò vera: nulla quippe vel umbra contradictionis in eo est, quòd Deus omnipotens, conservatâ superficie & figura sphaeræ cœlestis, omne subluare corpus in nihilum redigat; non enim tenetur, eo quòd unum corpus destruat, aliud quoque destruere, vel novum subrogare.

21 Ad rationem Cartesij negandum, vasis latera fore contigua, quàmvis nihil interja eret: contiguitas enim constituitur per tales duorum corporum ubitates, ut inter ipsas nulla realis extensio possit intercipi: posset autem tunc intercipi ex-

tensio palmatis v. g. inter latera vasis prorsus immota. Negandum etiâ, quòd laterum distantia foret nihil: nõ enim distantia propriè consistit in actuali extensione interjacente (hæc dici solet distantia extrinseca, vel distantia mensura quoad nos), sed consistit in locis intrinsecis duorum talibus, ut abique ullâ variatione sui possint inter se realem aliquam extensionem admittere. Nec argumento isto, sed ratione politica motus est Cartesius ad negandum possibilitatem vacui, quam prius, etiam naturalem, agnoverat: ut videre licet apud P. Rapin.

22 *Queritur 2.*, utrum vacuum detur, aut dari possit naturaliter? Duplex vacuum distingui solet: alterum *coarctatum* vocant, estque vacuum sensibile, seu notabile, v. g. intervallum palmare prorsus inane: alterum *difformatum* appellant, quòd scilicet constat multis inanibus spatiolis insensibilibus, per grandiora corpora dispersis, conclusisque intra plures eorum particulas, aut atomos. Vacuum primi generis dari possit citrà miraculum, censent hodiè nonnulli Physici Corpusculares, ducti quibusdam experimentis, præsertim ex tubo Torricelli, & machinâ Boyleana. Vacuum difformatum, post Democritum, & Epicurum, multò plures ex ipsdem novioribus Physicis de facto admittunt. Utrumque negant communi calculo Peripatetici, putantes, naturam innatè metuere, seu refugere vacuum quodlibet. Subscribunt Cartesiani cum duce Cartesio.

23 Sententia Peripatetica probari solet 1. ratione: quia unio, vel contiguitas omnium inter se partium subluaris Mundi necessaria est, ut Cœlestium corporum, à quibus pen-



dent, influentias continuatè recipiât: quælibet enim in medio vacuitas interrumpet progressum influentiæ, seu qualitatis, defectu subjecti receptivi. Quare, sicut partes corporis viventis exigunt continuatam unio- nem, ut conferentur, utque ab eodem principio vitam accipiant: ita Mundi partes, ob eandem ferè rationem, contiguitatem exigunt non interruptam. Accedit, quod totum spatium à stellis fixis ad terram usque, de facto nullâ vacuitate interrumpitur: possunt enim stellæ videri è quovis puncto superficie globi terraquei; atque adeo per omnem lineam rectam à coelis ad nos usque pervenit lux, & species visualis; quod fieri non posset, si aliqua in medio vacuitas esset. Similiter, si totum terræ corpus à Deo heret diaphanum, posset quis in terræ centro constitutus astra videre; quod pariter probat, nullam in globo terraqueo vacuitatem esse. Si autem ita de facto, perpetuòque res accidit, magno est argumento, ut non possit aliter accidere citra miraculum: hac enim ratione colligimus, non posse ignem calore privari naturaliter. Eadem transmissio lucis, & speciei visualis, probat, non dari vacuum nec in recipiente machinæ pneumaticæ, nec in summâ parte barometri, seu Torricelliani tubi: quare spatium illud repletur, vel aere tenuissimo, summè rarefacto, vel substantiâ æthereâ, subtilissimâ, per vitri poros subeunte.

24. 2. experimentis, palàm testantibus summum resumi conatum ad vitandum vacuum; etiam cum dispendio particularis boni, quod alias naturaliter appetunt. Sic, attracto per siltulam aere, fursùm ascendit aqua contra inclinationem propriæ gravitatis, ne vacuum maneat locus

ab aere relictus: quod pariter accidit in syringe, vel auliâ, cum embolus adducitur. E converso non decidit aqua ex lagenâ inversa colli angustioris, nec ex vase irrigatorio per crebra foramina lubrâ aperta, dum superius foramen occluditur digito; quia scilicet subintrare nequit aer, qui locum impleat ab aquâ deferendum. Pari ratione ventosa ecurbita carnem attrahit, eo quod aer interior, extinctâ flammâ densatus, locum deserit vacuum remansurum, nisi per carnem fursùm attractam repletur. Eadem ex causâ fellis conflicti latera nullâ vi diduci possunt, si clauso omni foramine non subintrat aer. Hæc etiam reduci solent, quod, aqua intus constrictâ gelu, dirumpitur vas, ut aeri pateat ingressus. Mitto alia plurima eodem spectantia.

25. Hos tamen, & similes alios effectus, moderni Philosophi referendos esse contendunt, non ad metum vacui, sed ad aeris pondus, pressionem, ac vim elasticam, argumentis certè non contemnendis, quæ proponit, & explicat inter alios disertus Auctor *Philosophiæ Burgund. tom. 4. tr. 2. diff. vt. 3. cap. 8. & s. 99.* Nobis hanc quæstionem modò discutere non vacat. Videri potest P. Joan. Bapt. de Benedictis *lib. 1. Physic. q. 3. cap. 2.*, ubi argumenta pro utrâque parte dissolvit; ac tandem concludit, probabilius esse, quod nullum de facto detur vacuum, nec dari naturaliter possit: monet etiam, ex eo quod gravitas aeris sit causa efficiens motuum, de quibus nuper, ineptè contra Peripateticos inferri, quod motus ejusmodi non fiat ex metu vacui: satis enim verificabitur illud *ex metu*, si vitatio vacui sit eorum motuum causa finalis, ita ut hunc ad finem gravitas aeris de-

fer,

serviat intentioni naturæ: non aliter ac, dum quis hinc se proripit equo vehtus, vis ac velocitas equi causa est efficiens illius motus; qui tamen simul fieri potest ex metu hostis.

26. *Quæritur 3.*, utrum corpus in vacuo existens moveri posset? Affirmandum est: nam cur non posset Angelus jaculum intorquere per vacuum? Et: si regio aeris vacua fieret, cur non posset lapis propriâ gravitate ferri deorsùm ad terram usque? cum motui nihil obstaret, & aliunde urgeret innata propensio in centrum. Dices 1.: motus omnis pendet ab influxu coelesti, qui non esset in vacuo. Negandum est hoc, saltem de motu proveniente ab intrinseco, si res mobilis à solo Deo conferretur, ut semper, aut plerùmque fit. Dices 2.: motus per vacuum, utpotè nullo medio retardatus, foret instantaneus; quod repugnat motui locali. *Resp.*: foret successivus: quia motus lationis non solum tardatur à medio resistente, sed etiam à distantia ubitatum, aut locorum, à quo, & ad quem; semperque successivè respondere debet partibus spatij imaginarij. Hinc duo corpora inæqualiter gravia non pari velocitate moverentur per vacuum; quia gravius distantiam vinceret majore vi.

27. Dices 3.: si lapis in vacuo moveretur, vacuum relinqueret spatium, quod replebat: ergo naturaliter contingeret vacuum. *Resp.*: lapis nõ tam faceret denud vacuum, quàm illud commutaret, & compenlaret, replendo tantumdem alterius vacui: quæ commutatio ex suppositione miraculi naturaliter fieret. Dices 4.: motus lationis debet continuò adquirere novum locum; quod non contingeret in vacuo. *Dist.*: novum locum extrinsecum realem, negò no-

vum locum intrinsecum, seu novam ubitatem, quæ est proprius terminus per se adquisitus motu lationis, *conc.*: hujusmodi autem locum utique desereret, & adquireret motus in vacuo.

## CAP. II.

UTRUM SIT POSSIBILIS EJUSDEM corporis bilocatio?

1. **Q**UOD idem corpus non possit naturaliter esse simul in duplici loco, certum est omnibus ab experientiâ. Solum dubitatur, an id possit fieri divinitus. Duplex hæc genus ubicationis, sive præsentia distinguendum. Alia est enim ubicatio, quæ rem totam in toto spatio (seu reali, seu imaginario), & totam in quolibet spatij puncto constituit: hæc vocatur præsentia *definitiva*, estque propria spirituum, qui, utpotè partium expertes, toti sunt ubicumque sunt, v.g. animæ rationalis, quæ tota præsens est capiti, tota manui, &c.: arctatur tamen ad certos, ac definitos spatij terminos, dum totam adæquat capacitatem naturalem Spiritus (non enim Angelus, aut anima, potest naturaliter esse simul præsens toti Mundo); & inde vocatur *definitiva*, cum ob rationem contrariam non ita veeret præsentia Dei. Ad hoc genus reducitur præsentia *sacramentalis*, per quam in Eucharistiâ totum Domini corpus est sub totâ specie panis, & totum sub quavis speciei particulâ: unde & hæc præsentia solet appellari *definitiva*. Alia vero ubicatio est, quæ rem totam ita ponit in loco, ut rei partes correspondant partibus spatij, nec una pars sit in loco alterius, aut penetrata cum alterâ: hæc vocatur præsentia *circumscriptiva*, & corpori naturaliter convenit.

Quod



Quod igitur idem corpus possit divinitus habere simul plures præsentias definitivas, vel unam circumscriptivam, & alias definitivas, ex Eucharistiæ mysterio certum est. Quod verò possit etiam divinitus duas, aut plures circumscriptivas habere simul, negant Thomistæ cum D. Thoma; quamquam Anglic. Doctorem aliqui interpretari conantur, quasi de potentia Dei ordinariâ locutum. Affirmant tamen universi Scotistæ cum Scoto, & uno excepto P. Vazquez, omnes etiam Authores nostri cum P. Suarez, præter plures alios veteres, ac modernos. Hujus rei veræ sententiæ princeps probatio est: Quod, ut Eide docemur, idem corpus Domini præter præsentiam circumscriptivam, quam habet in Coelo, plures definitivas admittit in sacramento altaris: ergo & poterit duas, aut plures circumscriptivas simul admittere.

3 *Prob. Consequ.*: si præsentia circumscriptiva non excludit aliam definitivam, non ita limitat corpus ad unum locum, ut non sinat, illud alibi simul præsens fieri verè, ac propriè: nequit ergo magis resistere alteri præsentia circumscriptivæ, quam alteri definitivæ. Patet hæc illatio: quia circumscriptiva ex se magis consona, & connaturalis est exigentiæ corporis, quam definitiva, quæ partes omnes ad idem spatij punctum redigens, earum exigentiæ naturali resistit: si ergo una circumscriptiva permittit alteram innaturalem, cur non & alteram ex se naturalem? Sic subiectum adæquatè recipiens formam A., si semel illam finit in alio subiecto simul recipi, nequit magis resistere subiecto alteri naturaliter apto, ac disposito, quam alteri naturaliter inepto, vel indисло-

v. g. si anima, recipiens Gratiâ, finit illam in lapide simul recipi, facilius eandem simul recipi sinet in aliâ anima, vel in Angelo: & forma ignis, si recipi potest in subiecto duplici, facilius in duplici calido recipietur, quam in altero calido, & altero frigido.

4 *Confirm.*: præsentia circumscriptiva nec titulo adæquationis. nec titulo similitudinis, excludit essentialiter aliam ejusdem generis: ergo nullo ex capite. *Prob. Antec.*: non in primis titulo adæquationis: nam eodem titulo deberet aliam etiam diversæ generis excludere; cum per illam verè ponatur corpus ultra, vel extra locum adæquatam, verèque sit totum ibi, & totum alibi. Sic unaeductio totalis non minùs excludit titulo adæquationis consortium alterius actionis creativæ, quam educitivæ, pro eodem termino. Non deinde titulo similitudinis: nam alioquin pariter una præsentia definitiva, vel sacramentalis, excluderet similem animam, nec posset Christi corpus esse simul in pluribus sacra-rijs. Denique in præsentijs definitivis pleraque Thomistarum argumenta patiuntur instantiam.

5 Probatur item sententia nostra duplici exemplo ab Adversarijs admisso. *Primum*: possunt dub corpora divinitus penetrari, seu in eodem loco simul existere circumscriptivè: ergo & unum corpus in duplici loco Patet Consequentiâ: tum quia utrobique militat eodem ratio commenturatoris, & adæquationis. Tum quia non minùs difficile appareret, palmare corpus occupare spatium universi, quam totum Universum in solo palmari spatio constitui. Tum denique, quia vix ulla est in bilocatione difficultas, quæ propor-

tionem servatâ non militet in penetratione. *Secundum*: potest divinitus eadem natura humana pluribus simul subsistentijs terminari, tribus scilicet Divinis: ergo & idem corpus pluribus simul præsentijs circumscriptivis. *Prob. Consequ.*: quia non minùs adæquatur, & quasi circumscribitur per unam subsistentiam terminabilitas naturæ, quam per unam præsentiam locabilitas corporis. Huc etiam spectat exemplum bilocationis anime rationalis, aut Angeli, quam nemo negat divinitus possibilem, teste P. Quirès disp. 67, l. 2. n. 9.: nec videtur negari posse, cum solum multiplicet præsentias definitivas. Si tota locabilitas Angeli per unum ubi definita, sive finita, potest simul admittere aliud, & aliud ejusdem generis ubi, cur non idem poterit locabilitas corporis per unum ubi circumscripta?

6 Tandem sententia nostra probatur ex historiâ sacrâ, & Ecclesiasticâ. Nam Paulo eunti Damascum apparuit in aere Christus D., qui tamen in Coelo esse non desijt. D. Antonius Paduanus simul in duplici loco vitus est: quod etiam de S. Protopatente Ignatio, de que Indiarum Apostolo Xaverio, & sanctis alijs, historiæ memorant. Dicere autem, Angelum in altero loco sub specie viri sancti apparuisse, videtur arbitraria solutio, & contra communem sensum Fidelium.

*Objectiones proposte, & solute.*

7 *Objic. 1.*: præsentia circumscriptiva importat essentialiter negationem alterius: tum ex conceptu præsentia totalis, & adæquatæ: tum ex ipso nomine circumscriptivæ, quod indicat, totum corpus ita claudi limitibus hujus loci, ut nihil ejus sit extrâ. *Resp.*: præsentia circumscripti-

va importat negationem alterius naturaliter, non verò essentialiter: alioquin corpus Domini circumscriptivè locatum in Coelo, non admitteret aliam præsentiam sacramentalem. De conceptu autem præsentia totalis & adæquatæ solum est ita commensurari toti exigentiæ naturali corporis, ut non patiatur naturaliter alterius consortium. Nec aliud indicat nomen circumscriptivæ, quam totum corpus esse intra limites hujus loci cum extensione debitâ: quo cura benè cohæret quod simul totum sic extra hunc locum, sumpto ly extrâ positivè, prout denotat præsentiam in loco alio distincto; non tamen sumpto extrâ negativè, prout significat non esse intrâ. Sic, licet totum Christi corpus sit intra Cœlum, simul totum est extra Cœlum, nempe in altari. Sic, licet tota natura terminetur per unam subsistentiam, potest simul terminari per alias; & tamen terminari significat ibi sistere, seu non ultra progredi. Sic etiam locus uno corpore præoccupatus, potest alio simul occupari, licet occupatio naturaliter importet negationem alterius.

8 *Objic. 2.*: ex bilocatione sequitur absurdum multiplex. Nam 1. poterit idem corpus esse discontinuum, divisum, separatum, ac distans à semetipso, si nimirum simul existat Romæ, & Salmanticæ: poterit item esse supra & infra se, sibi in viâ occurrere, & fronte frontem propriam è regione tangere. 2. poterit corpus quantitatis palmaris habere superficiem bipalmarem, aut duas palmares, si scilicet in duplici palmari spatio locetur: quo etiam in eventu corpus erit æquale spatio duplo majori, atque adeo æquale simul & inæquale. poterit idem corpus esse



Locus sui ipsius, si videlicet ita replicetur per circuitum, ut cavum in medio relinquat, in quo corpus ipsum per novam ubicationem locetur: tum autem idem erit locans & locatum, continens & contentum. 4. poterit idem homo currere, & non moveri: si enim per ubicationem multiplicem occupet totum forum, ac deinde currat in foro, tunc non movebitur, quia non deseret locum, in quo erat. 5. poterit naturaliter contingere bilocatio: nam, si lapis extra centrum bilocetur, ex utroque loco exiget descendere, ac moveri naturaliter in centrum. 6. duo loca, eidem corpori coextensa, penetrabuntur; sicut duo corpora, eidem coextensa loco, penetrantur. 7. si corpus admittit duas presentias, cur non & infinitas? poterit ergo esse immensum, seu ubique existens: quo datur occasio errori Ubiquitarum, qui Christum ut hominem ubique existere finxerunt.

9. *Resp. neg sequel.* Ad 1. prob.: instantia est manifesta in Eucharistia, ubi pariter obijci poterit divisio, discontinuatio, ac distantia corporis Domini à semetipso prout existente in Cœlo, nec non quod sit supra & infra se, quodque sibi occurrere possit in viâ, si nimirum Christus Dominus sub propria specie occurreret portanti sacramentum. *Dices:* Christi corpus non est in Eucharistia, vel in sacrario, sicut in loco. *Fateor;* dummodo esse in loco, vel sicut in loco, sumatur in sensu Aristotelico, ita scilicet, ut Christi corpus in Eucharistia sit coextensum alicui loco extrinseco, seu alicui superficiem corporis continentis: est enim ibi modo inextenso, & instar spiritus. Si tamen esse in loco significet correspondere tali spatio imaginario, seu esse

verè & realiter præsens ibi, ubi sunt accidentia panis, Christi corpus proculdubio est in loco talium accidentium: nequit enim salvâ Fide Catholica dubitari, quin sit verè, propriè, realiter, & substantialiter præsens in manibus, in ore, & in stomacho Sacerdotis, & ubicumque asservatur hostia consecrata; nec minus verè & realiter, quàm in Cœlo. Habet ergo in Cœlo & in altari presentias discontinuatas, divisas, ac distantes, quarum altera est infra, altera supra. Numquid propterea corpus dicetur à seipso discontinuatum, divisum, &c.?

10. Itaque denominationes istiusmodi, cum requirant distinctionem realem extremorum, non conveniunt corpori bilocato, specificativè sumpto, sed reduplicativè duntaxat, quatenus habenti binas presentias; ita ut totis presentijs conveniat esse discontinuatas, divisas, contiguas, aut se se tangentes è regione, &c. Quamquàm denominationem distantis à se, vel existentis supra & infra se, plures volunt convenire etiam ipsi corpori, licet non ratione sui, sed ratione duplicis presentia. Quæ videtur quæstio de voce. Sanè proprius effectus formalis ubicationis est constituere corpus existens hic potius, quàm ibi, seu respondens huic parti spatij imaginarij potius, quàm alteri: quem effectum præstaret utique unaquæque ubicatio in casu nostro; quia corpus vi ubicationis Salmanticensis potius existeret Salmanticæ, quam Romæ; & è converso vi ubicationis Romanæ. Cæterum divisio, separatio, distantia, contiguitas, & similes alij respectus, licet sint inter ubicationes, non refunduntur in subjecta, nisi supponantur realiter distincta. Quemadmodum, si

idem

idem subjectura divinitus reciperet simul albedinem & nigredinem, redderetur quidem album simul & nigrum: non tamen redderetur dissimile sibi, aut à se ipso diversum, licet inter albedinem & nigredinem daretur dissimilitudo, ac diversitas. Hinc etiam negandum, quod spacium vel quantitas medians inter duas ubicationes ejusdem corporis, medietur inter corpus ipsum, vel inter extremitates ejus specificativè sumpti.

11. *Ad 2.* instantia est evidens in penetratione: si enim penetraretur duplex corpus palmare, utrumque simul adæquabitur unico spatio palmari, proindeque unica erit superficies palmaris utriusque simul; & ambo simul sumpta æqualia erunt tali spatio, & aliunde inæqualia, cum possint commenturari spatio majori, nempe bipalmari. Similiter, si duo rursus æqualia penetrarentur, aqua sufficiens ad implendum unum, implebit utrumque simul, adeoque superficiem duplo majori commenturabitur. Superficies igitur potest sumi bifariam. 1. entitativè, pro quantitate naturaliter exigente tantam extensionem in longum, & latum. 2. extensivè, pro extensione ipsâ formali, & actuali, quæ in ubicatione consistit. In 1. sensu corpus palmare bilocatum non nisi unicam haberet superficiem palmarem, nec spatio duplo majori foret æquale. In 2. autem sensu duas quidem palmares superficies haberet, & ejus quantitas foret æqualis extensivè duplici spatio, cui foret inæqualis entitativè: sed hoc nihil est aliud, quàm ultra extensionem naturaliter exactam posse corpus aliam habere divinitus; quod Adversarij non impugnant. De hac æqualitate extensivâ intelligendam est quod ait Aristoteles, locum &

locatum invicem adæquari, seu commensurari debere.

12. *Ad 3.* dari quidem potest illa replicatio corporis per circuitum, & in medio. Sed quæro abs te, an de ratione loci, prout ab Aristotele definiti, sit habere superficiem entitativè distinctam à superficie corporis contenti? an verò sufficiat superficies solum extensivè distincta? Si primum optes; corpus non esset locus sui ipsius; nec in eâ hypothese, prout in medio locatum, esset in loco extrinseco. Si secundum; concedo sequelam: non enim repugnat, quod idera corpus secundum diversas extensiones sit locans & locatum, continens & contentum. Nec in hoc certè major est difficultas, quàm in eo, quod Christus in nocte cœnæ corpus suum manibus tenuerit, imò & totum ore sumpsit, atque in stomacho receperit.

13. *Ad 4.* homo ille non posset in foro currere naturaliter; quia non potest acquirere novam presentiam ubi jam aliam habet: posset tamen currere divinitus, deserendo presentiam in spatio A., & novam acquirendo in spatio B., licet penetratam cum alia ibidem præhabitâ non enim repugnat, idem corpus in eodem spatio locari per plures simul presentias numero distinctas. Posset etiam fieri, ut ille homo, non deserendo presentias præhabitâs, novas acquireret successivè per forum. Tunc autem propriè loquendo nec moveretur localiter, nec curreret quia motus localis (& consequenter curus) propriè significat transitum de loco in locum, qui transitus connotat, aut importat relictionem loci præhabitâ, tamquam termini à quo. Moveretur tamen juxta 3. acceptio-nem motus, de quâ disp. 1. cap. 1.

Nana

44



14. *Ad 5.* (quod est fundamentum P. Vazquez) *neg. sequel.* Cujus probatio æquè impugnat penetrationem. Si enim duo lapides ejusdem ponderis in aere penetrarentur, ambo descensum exigent, movebuntur que simul naturaliter per eandem lineam: unde naturaliter continget penetratio. In casu argumenti, lapis ut oblique exigeret descensum; sed non nisi unicuique, sive ex uno è duobus locis; unicus enim descensus sufficit ad acquirendum centrum. Quia tamen æquè breviter ac facile fieret descensus utrimque (ut suppono), non determinat exigentia lapidis, quo ex loco moveri debeat, sed exigit à Deo determinari. Quare, si Deus huic exigentia annuat, & motum determinet è loco A., illinc descendet lapis naturaliter, exigendo simul amittere præsentiam in loco B.: quod si hanc destruere Deus nolit, lapis descendet ex A., simulque manebit in B., violentus quidem ob dualitatem præsentiarum, sed non ob carentiam descensus è loco B.. Nec tunc bilocatio contingeret naturaliter: ad hoc enim opus erat, ut utraque præsentia naturaliter produceretur, aut exigeretur: tunc autem non utraque, sed altera tantum esset naturaliter exacta, producta que per lapidis motum descensum. Sic potest Christi corpus in Cælo moveri naturaliter, stante simul præsentia Eucharistica; quin idèò contingat naturaliter bilocatio.

15. *Dicit:* nequit lapis exigere, nec acquirere naturaliter præsentiam novam in sensu composito alterius. *Dist.*: in sensu composito alterius naturaliter conservata, *conc.*; conservata miraculosè, *subdist.*: si ista altera præsentia supponatur ex parte actus primi ad præsentiam novam, *conc.*; si non ita supponatur, sed po-

tius ab eâ præcindatur, *neg.* Et infertur, ut nuper, in motu naturali Dominici corporis in Cælo. Itaque, quando lapis extra centrum bilocatus in locis A., & B., descenderet è loco A., præsentia in B. non conservaretur naturaliter, sed potius perire deberet; nec supponeretur ex parte actus primi ad novam præsentiam motu acquirendam, sed tam ab eâ, quàm ab ejus carentia præcinderet talis actus primus, è quò illa foret impedimentum auferibile (hoc genus impedimenti explicatum est *tr. 2. di. 3. c. 5. n. 6.*), cum non haberet jus existendi naturaliter prævalens exigentia lapidis ad novam præsentiam. Unde carentia, vel exclusio præsentia in B., deberet intelligi pro posteriori ad præsentiam novam tamquam effectus secundarius. Si tamen conservaretur miraculosè, non idèò impediret naturalitatem motus, & novæ præsentia, licet hujus exigentiam violaret: nec item diceretur naturaliter contingere simultas utriusque præsentia: quia unica tantum produceretur naturaliter: & hæc non exigeret alterius consortium, sed exclusionem potius. Exemplo res clarescet. Dum ignis calefacit aquam, calor inductus exigit expulsionem frigoris tamquam effectum secundarium. Fac Deum nolle exigentia caloris attendere, sed velle nihilominus conservare frigus. Tunc nec productio caloris desinet esse naturalis, nec ejus conjunctio cum frigore desinet esse miraculosa, miraculo tamen stante in solâ conservatione frigoris contra jus caloris naturaliter producti.

16. *Ad 6.* pariter *neg. sequel.*: quia penetratio consistit in præsentia duarum rerum respondentibus eidem parti spatij imaginarij: quales præsentia conveniant duobus corporibus eidem

dem coextensis loco, & non conveniant duobus locis eidem coextensis corpori. Sic, si duo corpora sacramentaliter existerent in eadem hostia, penetrarentur; & tamen duæ hostia, seu species utriusque, continentes sacramentaliter idem corpus, non penetrantur. *Ad 7.* instantia est apertissima in eodem Eucharistia mysterio. Poterit enim Christi corpus admittere sacramentales præsentias infinitas, quæ magis imitantur immensitatem Dei, quàm circumscriptivæ, siquidem ponat rem totam in toto, & totam in quolibet parte spatij. Poterit ergo reddi corpus immensum, & ubique existens, anaque dabitur errori Ubiquitarum; præsertim cum hic error à Lutheranis fundetur in unione hypostatica, quasi hæc necessario faciat existere humanitatem ubicumque est Verbum, cui unitur: ex hoc enim principio, si verum esset, deberet Christi corpus esse totum in quovis puncto spatij realis, & imaginarij, cum in quovis sit totum Verbum: quare dicto errori magis proderit multiplicatio, vel infinitudo præsentia sacramentalis, quàm circumscriptivæ.

17. Concedo igitur, posse corpus humanum divinitus poni ubique, idest, in omni spatio reali; quod non est absurdus, quàm posse totum Universum ita penetrari, ut solum habeat extensionem palmarem. Concedo item, posse divinitus idem corpus habere præsentias infinitas, si aliunde non repugnet infinitum in actu. Tunc autem existeret ubique, non per se, sed per accidens, & citra debitum; idèòque non foret corpus propriè immensum. Nam immensitas, prout est Dei attributum, est præsentia indivisibilis, Deo essentialiter debita, & identificata, proindeque

indivisibilis, ac necessario Deum determinans, ut sit præsentissimus locis & rebus omnibus, quodcumque existant. At illa corporis infinita præsentia, vel præsentiarum multitudo, foret divisibilis, innumerisque constans partibus imperfectis, foret à corpore distincta realiter, indebita, contingens, & à libera Dei voluntate pendens. Ubiquitarum error importunè objicitur; cum consistat in affirmatione facti, vel debiti, quasi in unione hypostatica fraudati, quod omnino negamus, solam concedentes possibilitatem de potentia Dei absolutâ. Qui de facta positam, vel debitam assereret incarnationem Spiritus Sancti, erraret absurdè: non tamen errat qui possibilem adstruit. Quanto apparentius Adversarij objicimus, & in vi argumenti deducimus, quod eorum sententia sacramentarij hæreticis anam præbeant

18. *Objic.* 3. & principaliter: extensio in ordine ad locum est formalis effectus quantitatis: ergo nequit multiplicari, quin ipsa quantitas multiplicetur. *Confirm.*: unica quantitas nequit duplicem locum occupare per potentiam naturalem, ut supponitur: aliunde nec per potentiam obedientialem; quia quantitas locum occupat in genere causæ formalis, quo in genere potentia obedientialis nulla est. *Objectio* instatur in penetratione. Nam juxta Thomistam tam repugnat, unam materiam informari simul à duplici forma, quàm unam formam informare simul duas materias: ergo tam repugnant extensio duplicis corporis in eodem loco, quàm in duplici loco extensio ejusdem corporis. Itaque extensio in ordine ad locum provenit formaliter ab ubicatione, tamquam à formâ, vel in ipsâ formali-



ter consistit: nec est effectus formalis primarius quantitatis (hujusmodi effectus est reddere corpus naturaliter impenetrabile cum alio corpore quanto, vel reddere extensum in ordine ad se, idest, habens in se partes, quibus debetur naturaliter extensio localis); habet enim hunc effectum quantitas Dominici corporis in Eucharistiâ, ubi locali extensione caret. Solum ergo extensio ista, dum debita est, dici potest quantitatis effectus formalis secundarius (relege dicta tract. 2. d. 2. c. 2. n. 16.); cujusmodi effectus, cum adæquate distinguatur a formâ, potest multiplicari, talem materialiter, quamvis forma non multiplicetur.

19 *Ad Confirm.*: una quantitas bilocata alterum e duobus locis occuparet per potentiam naturalem; alterum vero in sensu composito alterius, per obedientialem. Quod in genere causæ formalis non detur obedientialis potentia, falsum est, ut patet in forma, quæ divinitus informat plures materias. Et quidquid de hoc sit, quantitas in casu nostro non occuparet duo loca simul in genere causæ formalis, ut infra dicam. Quæro abs te, utrum duo corpora penetrata occuparent eundem locum per potentiam naturalem? an per obedientialem? Si primum dicas: ergo naturaliter penetrarentur. Si secundum: ergo, cum occuparent in genere causæ formalis, ut contendis, jam in hoc genere dabitur potentia obedientialis.

20 *Replis.*: 1.: nequit multiplicari effectus formalis secundarius, quin multiplicetur primarius, quem supponit, & ex quo resultat. *Dist.*: nequit multiplicari materialiter, aut specificative simpliciter, *neg.*; formaliter in ratione effectus secundarii,

*concl.* Formalis effectus secundarius in esse talis connotat exigentiam formæ, vel effectus primarii, cui naturaliter debetur: unde sequit in esse talis multiplicari, quia multiplicetur exigentia prævia, quæ in formâ, vel in ejus primario effectu consistit. Potest tamen multiplicari specificative, seu materialiter: idest, illa eritas, vel privatio, quæ de se petit existere per modum effectus secundarii, sive ad exigentiam formæ, potest divinitus multiplicari, quamvis a forma non exigatur, nec sit effectus formalis secundarius hic & nunc. Atque ita contingeret in casu questionis: non enim nisi unica extensio esset formaliter effectus secundarius quantitatis: altera vero d. produceretur a Deo præter, imò contra naturalem quantitatis exigentiam. Sic expulsio frigoris à subjecto potest esse major, quam quæ debetur unico gradui caloris introducto, nec tunc expulsio frigoris, quantum indebita, dicitur effectus formalis secundarius caloris.

21 *Replis.*: 2.: quia intellectus radicatur in animâ, & voluntas in intellectu, nequit eidem animæ respondere duplex intellectus, nec eidem intellectui duplex voluntas: ergo, cum extensio localis in quantitate radicetur, nequit eidem quantitati respondere duplex extensio. *Dist.* *Antec.*: nequit respondere ex debito, vel exigentiâ naturali, *concl.*; præter debitum, aut exigentiam, Deo miraculose decedente, *neg. Antec.* (suppono cum Adversariis distinctionem potentiarum ab anima), & sub ead. distinctione *neg. Consequ.* Sic potest divinitus igni tribui duplex calor ut octo, quamvis unicus tantum radiceatur, & exigatur à formâ ignis: ille tamen calor indebitus non haberet tuam rationem proprietatis respectu

ignis, nisi materialiter, aut aptitudinaliter, sicut nuper diximus de effectu secundario.

22 *Replis.*: 3. ex ijs, quæ prolixè & confusè objicit Palancus: Ubiatio ex conceptu suo essentiali est formalis effectus quantitatis, saltem per modum causalitatis, aut exercitij: ergo nequit existere, quia à quantitate proveniat in genere causæ formalis. Patet *Consequ.*: nam, sicut actio, quia est causalitas causæ efficientis, ab illa provenire debet in eodem genere; ita, si ubicatio est causalitas, aut exercitium quantitatis in genere causæ formalis, in hoc ipso genere debet à quantitate provenire. *Prob. Antec.*: implicat, quod quantitas non occupet ac replet locum ut cau a formalis: sed ubicatio est repletio, seu exercitium replendi locum: ergo ubicatio est causalitas, & exercitium quantitatis ut causæ formalis. *Prob. Maj.*: 1.: quia quantitas se habet ad locum, ut forma ad materiam; idèdque per eam redditur locus formaliter repletus, sicut materia redditur completa per formam. 2.: quia occupare, & replere locum, non est merè passivè se habere, ubicationem recipiendo; hæc enim magis est repleri, quàm replere, ac proinde magis esse locum, quàm locatum; locus enim à locato distinguitur, sicut recipiens à dante plenitudinem.

23 *Resp. neg. Antec.*, & in *prob. neg. Maj.*: cujus 1. probatio (nempe quod quantitas se habet ad locum, ut forma ad materiam), si proprie loquatur, omnino falsa est: tum de loco intrinseco; hic enim est ubicatio ipsa, & hæc non informatur à quantitate, sed eam potius informat, in eaque tanquam in subjecto recipitur, ut notum est: tum de loco ex-

trinseco; hic namque, cum sit ens completum, & non unicum, sed purè contiguum quantitati locatæ, nequit esse illius materia, vel subiectum: nisi ridiculè velis, ut superficies aeris, aut vestis me circumdantis, sit propria materia, vel subiectum quantitatis meæ. Adde, quod proprium subiectum quantitatis est substantia corporis, cui inest: unde, si quantitas respicit etiam locum ut materiam, duo subiecta simul haberet. Accedit instantia penetrationis: non enim poterit duplex quantitas eundem locum simul replere; sicut non potest juxta Thomistias formæ duplex eandem simul complere materiam: nec poterunt duo vasa penetrata repleri simul ab eadem aqua: sicut nec duæ materiæ compleri simul ab eadem formâ, juxta eisdem. Occupatio igitur, vel repletio localis, non est informatio, nec fit per unionem locati cum loco extrinseco, tanquam actus cum potentia: sed est exclusio vacui à superficie concava corporis ambientis, fit que per meram juxtapositionem, vel contiguitatem.

24 *Ad 2. prob.*: replere locum non est merè recipere ubicationem, nisi supponatur existens locus extrinsecus; idèdque superficies convexa ultimi Cæli nullum replet locum. Si tamen existat locus (idest, superficies concava corporis ambientis), illum replebit, & occupabit quantitas A., eo ipso quod merè passivè recipiat ubicationem tali loco contiguam. At, inquis, hoc magis est repleri, quàm replere. Fateor, si loquaris de repletionem informationis, non enim quantitas ubicationem informat, sed è converso; ut nemo dubitat. Cæterum loquendo de repletionem purè locali, si comparatur



quantitas cum ubicatione sua, nego suppositam, quod scilicet altera repletur ab altera: localis enim repletio, plenitudo, vel occupatio, solum est in ordine ad locum extrinsecum, à quo vacuum excluditur. Vacui autem exclusio potest utique fieri per ubicationem quantitatis locatæ, merè passivè receptam, & nec activè, nec formaliter à quantitate provenientem. Unde, si ubicatione multiplicetur divinitus, quantitas plenitudinem dabit pluribus simul locis.

27 Si quæras, in quo genere causæ detur hæc plenitudo? In nullo: quia nec locatam est causa loci, nec è converso. Vel, si mavis, plenitudo ista (quando ubicatione non exigitur naturaliter) detur à quantitate in genere causæ passivæ: quia talis plenitudo consistit in exclusione vacui, & hæc exclusio est formaliter ipsa ubicatione quantitatis locatæ, suppositæ existentia loci extrinseci: ubicatione autem passivè causatur à quantitate. *Instit:* denominatio *pleni*, seu *repleti*, provenit loco à quantitate locatâ tamquam à formâ. *Dist:* tamquam à formâ extrinsecâ, & impropria, *transfert* (potius provenit ab ejus ubicatione); tamquam à formâ intrinsecâ, vel proprie tali, *neg*. Et in hoc sic: denominatio *contenti*, vel *inclusi*, vel *circumlati*, corpori locato provenit à loco extrinsecò: ergo talis locus erit forma locati, vasque forma erit aquæ, quam continet. Certè, si ratio habeatur denominationis cujuscumque, præsertim extrinsecæ, nulla res est, quæ non possit alterius forma vocari: nam etiam forma per materiam denominatur *completa*, & *subsectata*.

26 Notabis tamen, quod vacuum excluditur formaliter per ubicationem corporis locati: non in ge-

nere causæ formalis, quasi ubicatione comparatur ad vacuum, vel ad partem ipsius imaginarij, tamquam forma ad subjectam; sed eo sensu, quo dicitur unum contradictorium excludi formaliter per aliud, v.g. carentia hominis per hominis existentiam: vacuum enim est carentia ubicationis corporeæ intra superficiem concavam realem. Unde superficies ista est, quæ repletur; vacuum autem, quoad negativam, non proprie repletur, sed excluditur. Ex dictis *colliges*, fieri posse, ut quantitas locum aliquem occupet absque ullo munere causæ formalis: quia locum extrinsecum nullatenus causat: locum autem intrinsecum, id est, ubicationem sui, vel corporis, cui inest, eatenus causare dicitur in genere causæ formalis, quatenus illum naturaliter exigit quasi resultantem ex effectu formali primario: quare, si ubicatione existat ab extrinsecò impressa præter omnem exigentiam quantitatis, nullo modo erit quantitatis effectus formalis. At nulla ratio est, cur non possit quantitas, postquam unam habet ubicationem naturaliter exactam, aliam insuper, aut alias in alijs locis simul accipere divinitus impressas.

*Alia argumenta prædicuntur.*

27 Solet etiam contra nostram sententiam objici, quod, si daretur bilocatio, posset idem homo simul esse in uno loco vivus, in alio mortuus; in uno assentias, in alio dissentias eidem objecto; in uno sanctus, in alio peccator, &c.; quæ videntur prorsus absurda. Verum objectio ista non magis impugnat bilocationem circumscriptivam, quæ definitivam, aut sacramentalem, vel coexistentiam unius præsentia circumscriptivæ cum aliâ, vel alijs sacramentalibus, qualem habet corpus

Christi.

Christi D. Si enim homo viator, circumscriptivè præsens hic, simul esset Romæ sacramentaliter, posset hinc mori, vel Gratiâ amittere peccando, vel assentire objecto, cui dissentiebat. Cedo igitur, an posset tunc Romæ manere vivus, aut sanctus, aut objecto dissentiens? Et quidquid dixeris, tibi dictum habe. Quapropter difficultates hujusmodi facile præcides, si arguenti respondeas per instantiam, sic nimium: Si possit idem, aut simile quid contingere in bilocatione sacramentali, *transfert*, vel *omittit*; si non possit, *nego*.

28 Nihilominus ex ijs, quæ late versant Theologi in tract. de Eucharist., nominatim Exim. Doctor tom. 3. in 3. p. d. 48. f. 5. & Cardinal. de Lugo disp. 3. de Eucharist. 2. & 3., quædam hæc breviter notari poterunt. *Not. 1.*: bilocato corpore, possunt omnes illius formæ, & accidentia non essentialiter affixa loco, bilocari, aut non bilocari sine contradictione, prout Deo placuerit. Nam in primis non est repugnantia major in bilocationis formæ, quàm subjecti: ac deinde, cum formæ & subjecto respondeant præsentia distinctæ, non est cur nequeat altera sine alterâ replicari. Hinc potest corpus, hic & Romæ bilocatum, hic esse album, calidum, animatum; & Romæ non ita; si scilicet non bilocetur anima, &c. Quia, licet nequeat corpus absolute ac sine restrictione simul esse animatum, & non animatum v.g., eo quod non animatum absolute sonet carentiam animæ in subjecto specificativè sumpto; potest tamen esse animatum absolute, simulque non animatum cum addito Romæ; quod additum efficit, ut sola negetur animæ præsentia Romana. Notum est Summulistis, quod à termino restricto ad non

restrictum non valet consequentia negativè, licet valeat affirmativè. Quare perperam sic inferas, *Petrus non est albus Romæ, ergo non est albus*. Similiter illud corpus posset tunc dici vivum, & non vivum cum addito Romæ. At non rectè diceretur mortuum, etiam cum tali addito: quia nomine *mortui* videtur excludi, non solum Romam præsentia unionis & animæ, sed etiam existentia unionis entitativè sumptæ. Si tamen eo nomine intelligere velis corpus existens Romæ, ubi non est præsens anima, nec unio, loquere pro libitu.

29 *Not. 2.*: accidentia essentialiter affixa loco determinato, cujusmodi sunt ubicatione, & ejus productio, situs, & motus localis, communis sententia tenet nec divinitus posse bilocari cum corpore. Refragantur tamen aliqui, quos citat & sequitur P. Peynado, assentes, ubicationem Petri, v.g. in loco A., posse divinitus locari simul alibi per alium modum ubicationis superadditum, & quasi reflexum. Sed hæc opinio late rejicitur à Cardin. de Lugo cit. f. 3. & nunc rejici brevius poterit hac ratione. Repugnat, quod aliquid essentialiter distat à præsentia sua; nihil enim magis indistans à se, quàm præsentia rei; sed, si ubicatione Salmanticensis poneretur Romæ per aliam præsentiam, distaret essentialiter ab hac aliâ præsentia sua: ergo &c. *Prob. Min.*: ubicatione Salmanticensis per se ipsam distat essentialiter à loco Romano, cum ex conceptu suo quidditativo sit ipsa formalis ratio distandi, juxta Adversarios: ergo distat essentialiter ab omni præsentia Romana, cum in tali præsentia consistat ipse locus Romanus, intrinsecè sumptus. Sed illa alia præsentia, per quam locaretur Romæ, foret ab-



habio presentia Romana: ergo &c.  
 30 *Urgetur*: licet possint duæ formæ contrariæ in eodem subjecto conjungi, repugnat tamen, quod una forma suscipiat ab aliâ formalem effectum sibi contrariam. Sic potest divinitus idem subjectum fieri simul album & nigrum: implicat tamen, quod albedo fiat nigra, vel nigredo alba: quod etiam patet in Gratia & peccato, in scientiâ & errore, in animâ & formâ cadaveris, &c.. Pariter ergo, licet possint duæ præsentia convenire simul eidem corpori, omnino tamen implicat, quod una per aliam oppositam denominetur, & ejus effectum formalem accipiat. Sunt autem inter se oppositæ præsentia Romana & Salmanticaensis, non minus quam albedo & nigredo, ut nemo dubitat: nec minus ex terminis implicatorium est, quod ratio formalis distandi à loco A. fiat ipsi præsens & indistans, quam quod ratio formalis dealbandi fiat nigra.

31 *Not. 3.*: magis est conforme verum exigentis, quod, bilocato subjecto, omnes formæ, modi, & accidentia, non affixa loco, simul bilocentur: quia ratione unionis exigunt comitari subiectum. Idcirco accidentia omnia Domini corporis in Eucharistiâ existere, docent Theologi: & anima rationalis ibidem ponitur, non ex vi verborum, sed per concomitantiam, vi scilicet unionis cum corpore, vel, ut ait Tridentinum sess. 13. cap. 3., *vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini... inter se copulantur.* Bilocatio ergo formarum est absolute miraculosa: sed ex suppositione miraculi bilocationis subjecti, connaturalior est, vel rerum naturis congruentior, ut ex verbis Tridentini placet colligatur.

32 *Dicitur*: licet caput uniatum animæ, non exigit esse in pedibus, ubi est anima. Fateor: sed disparitas est, quod caput non est subiectum adæquatum animæ, idèdque non exigit esse in omni parte loci adæquati, in quo anima est: exigit tamen esse intra locum animæ adæquatum: ac proinde, si anima esset in duplici loco adæquato, utrobique deberet esse caput, non tam per novum miraculum, quam per connaturalera sequelam prioris. Similiter utro hypoethatica non exigit, ut humanitas Christi existat ubicumque est Verbum. Quia unio solum exigit, ut unum extremum sit intra locum adæquatum alterius, & ut neutrum sit extra suum locum adæquatum, quin secum deferat alterum. Locus autem quasi adæquatus Verbi Divini est omne spatium reale, & imaginarium, intra quod, idèd, in aliquâ talis spatij parte, debet humanitas existere vi unionis, etiam dato quod aliunde posset absolvi ab omni loco: non tamen debet existere in toto illo spatio: præsertim cum humanitas non sit extremum adæquate commensuratum Verbo: sicut caput non existit in toto spatio rationalis animæ.

33 *Ex 3. not. inferes*, quæcumque corpori bilocato accidunt in uno loco, connaturalius esse, ut illud efficiant in altero, sive ut pariter in altero fiant præsentia. Unde, si corpus, hic & Romæ locatum, hic calefiat, percutiatur, moriatur, &c., debet eandem affectionem, aut mutationem subire Romæ. Neque hinc sequitur, quod causa hæc calefaciens agat in distans. Tum quia agere in distans, est agere in subiectum absolute non approximatum: quod tunc non contingeret. Tum quia causa hæc calefaciens, licet produceret ea-

labi

loré Romanum entitative sumptum, non illum produceret Romæ, seu prout Romæ præsentem: non enim produceret, nec exigeret ejus ubicationem Romanam, quæ à solo Deo produceretur, & à sola unione caloris exigeretur ex suppositione bilocationis corporis.

34 *Not. 4.*: homo bilocatus non plus agere, nec pati posset in duplici loco, quam in unico. Quia potentia, tum activa, tum passiva, identificatur cum entitate subjecti, quæ semper est eadem, nec per bilocationem augetur. Hinc homo bilocatus non posset duo pondera ut quatuor sustinere, si non nisi unum potest unico in loco: nec posset duas visiones, aut cognitiones, singulas suis viribus æquales, elicere: sed ad summum duas remissas, quibus æquivaleret una intensa, unico in loco producibilis. *Dicitur*: si Petro hic applicaretur ignis, & Romæ nix, reciperet Petrus calorem hic, & Romæ frigus. *Resp.*: reciperet quidem, sed præcisè tantumdem utriusque, quantum reciperet ab ipsidem agentibus in eodem loco simul applicatis. Quia duo illa agentia, licet inter se distarent, perinde tamen sibi invicem resisterent, ac se se impedirent quoad tale passum, ac si essent contigua, vel invicem propinqua: nam defectus propinquitatis inter utrumque suppleretur per identitatem & applicationem passivi, in quod agerent.

35 *Ex eâdem regulâ colliges*, non posse in homine bilocato dari simul assensum & dissensum, aut amorem & odium ejusdem objecti, nec item Gratiâ & peccatum, aut Gloriam & pœnam, si verè hæc omnia ipsi repugnant eodem in loco. Si autem eorum aliqua, vel omnia, coherere possint divinitus in homine

non bilocato (quod nostra non interest, quoad præsens attinet), pariter in bilocato coherere poterunt. Et hæc maxime urget instantia bilocationis definitivæ in Angelo, vel sacramentalis in corpore: non enim præsentia sacramentalis exercitium impedit actionum spiritualium.

## CAP. III.

## QUID SIT TEMPUS

1 **T**empus essentialiter importat continuam successivam, seu ordinem prioris & posterioris in existendo, nullâ morâ interruptam. Ab omnibus enim concipitur, non ut quid permanens, sed ut quid indefinenter fluens, cujus partes semper sunt in transitu existentia, & alia quasi pellitur ab aliâ immediate sequente, ut nulli sit vel mora, vel requies. Unde comparantur undis rapidi fluminis, quarum alia incessanter ab alijs impelluntur: quam comparisonem eleganter versat Ovidius l. 15. *Metam.*: *Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu.* -- *Non secus ac flumen &c.* Importat etiam tempus, formaliter sumptum, finitudinem: est enim mensura durationis rerum corruptibilium, initium & finem habentium. Hinc temporale contraponitur æternos; idemque sonat res temporales, ac res finitæ durationis. Dixi *formaliter sumptum*, idèd, in ratione mensuræ proximè aptæ ad mensurandum: nam tempus materialiter acceptum pro motu successivo, non repugnat esse infinitum, sive interminatum à parte post.

2 Jam definitio temporis, ab Aristotele tradita *hic lib. 4. t. 101.*, & communiter approbata, hæc est, *Numerus motus secundum prius & poste-*



rius. Accipitur numerus pro multitudine actu numerata: multitudo autem hæc debet esse motus secundum prius & posterius, idest, partium motus successivi, non qualicumque, sed habentium inter se ordinem prioris & posterioris, quarum scilicet alia alijs immediatè succedat fluxu continuo. Cum enim successione, & fluxum existentia requirat tempus, non poterat aptius, quam in ejusmodi partium multitudine collocari. Hæc verò multitudo de se non dicit determinatam finitudinem proximè aptam ad mensurandum (qualem etiam requirit tempus), nisi quatenus ad certum aliquem numerum redacta. Quare nomina variarum temporis mensurarum, nomina sunt numerorum. *Hora* enim 60. minutorum numerus est, *Dies* numerus horarum 24., *Mensis* numerus 30. dierum, *Annus* numerus 12. mensium, & sic de alijs. Hinc tempus dicit in recto multitudinem partium motus, & in obliquo actum mentis eas numerantis: ideoque docuit Aristoteles, quod, si repugnaret mens, tempus etiam ipsum repugnaret, scilicet formaliter in ratione mensuræ proxima. Porro tempus dicitur mensura durationis rerum quasi quantitativa: quia quantum res duraverit, ex eo cognoscimus, quod permanente re transferit certum aliquod tempus, v. g. dies, mensis, annus, vel semel, vel aliquoties repetitus: quemadmodum ex ulnâ, vel semel, vel toties adhibita, quanta sit extensio telæ cognoscimus.

3. Dividitur tempus in reale, & imaginarium. Tempus reale est prædicta multitudo motu, seu partium motus, reipsâ existens successivè. Imaginarium verò est eadem multitudo, concepta ut possibilis:

vel est ens rationis ex fundamentò istius possibilitatis conceptum, quò imaginamur fore tempus, etiam si cessaret omnis motus; fuisseque etiam ante Mundi exordium. Reale tempus subdividitur in particulare, & universale. Particulare dici potest motus continuus cujuslibet corporis sublunaris, ut horologii, vel rotæ figuli. Tempus universale (quod solum absolute venit nomine temporis) est motus localis cælestium corporum, præsertim Solis, certas in partes, vel partium numeros distributus. Quia motus iste præ cæteris est maximè regularis, & uniformis: est etiam ubique notus, & in mensuram durationum cæterarum rerum adhibitus. Nulla quippe gens est, quæ ad id non utatur saltem horis, diebus, annis; quæ nomina sunt certarum partium motus solaris. Annus enim appellatur integra circuitio Solis per eclipticam; Dies verò, integra ejusdem circuitio ab ortu in occiduum, ac deinde in ortum per alterum hemisphærium; quæ revolutio in partes 24. distributa, totidem nobis exhibet Horas.

4. Sed objic. 1. : motus ipse solaris tempore mensuratur: ergo à tempore distinguitur. 2. : cessante motu Solis, non cessaret tempus: unde agebat S. Augustinus 11. Confess. c. 23., quod pugnante Josè contra Gabaonitas, *Sol stabat, & tempus ibat.* Ipse quoque Augustinus sequ. cap. 24. non approbat, si quis dicat, tempus esse corporis motum. 3. : possunt simul existere, moverique plures Soles: & tamen dari simul nequeunt plura tempora. 4. : motus potest esse tardus, aut velox: tempus autem æquabiliter fluit. Quin potius tarditas, aut celeritas motus cognoscitur ex breviori, aut longiori tempore, quo

mobile percurrit spatium. 5. : idem numero motus, qui præterijt, iterum atque iterum reproduci potest, (saltem Divinitus; cum tamen tempus præteritum redire nequeat, sed omnino sit irrevocabile. Resp. ad 1. : motus solaris minima pars, humanitùs designabilis, non mensuratur tempore, sed est ob tenuitatem expressa mensura: majores verò partes per alicuius minoris repetitionem mensurantur, cum solâ distinctione inadequatâ mensuræ à mensurato: sic enim durationem horæ metimur per minuta, durationem diei per horas, durationem mensis per dies, anni per menses, &c. : ea scilicet sensu, quo unitas dicitur mensura numeri, & numerus minor mensura majoris, ut cum tenarium metimur per binarium.

5. Ad 2. : loquitur S. Augustinus vel de tempore imaginario, vel de tempore particulari, quod in aliorum corporum motu consistebat. Tempus tamen universale reale, immoto Sole, utique cessavit. In altero autem loco ideo id non approbat Augustinus, quia tempus & motus ratione distinguuntur, nec sunt synonyma. Ad 3. : plura tempora, quæ habeant, & prout habeant inter se ordinem prioris & posterioris, nequeunt simul dari; bene tamen plura, quæ talem inter se ordinem non habeant, cujusmodi esset motus plurium Solarium, qui moverentur simul. Imò nec tum quidem forent plura tempora formaliter, aut moraliter, sive in ratione mensuræ; quia durationem aliarum rerum perinde metiremur ex duplici Sole, ac metimur ex uno.

6. Ad 4. : tempus materialiter, aut specificativè sumptum, potest esse tardius, aut celerius: non ita verò, prout humano modo redactum in

certos partium numeros secundum prius & posterius. Fac, minimum motus partem, ex qua humanitùs incipit numeratio, illam esse, quam vocant secundum. Profecto, (sive illa pars includat plures spaij particulas à mobili adquãtas (ut contingit in motu celeri), sive pauciores (ut accidit in motu tardo), semper quoad nos erit eadem, idest, ad numerandum assumptibilis cum æquali morâ cogitationis. Et hinc æquale semper erit minutum ex tot secundis confectum, & qualis hora ex tot minutis, &c. Hinc etiam, si Sol moveretur duplo velocius, quam modo, non ideo celeriora forent secunda, minuta, horæ, &c. : sed tantum inde fieret, ut in integrâ Solis revolutione diurna numerarentur dumtaxat horæ 12., non verò 24., sicut modo.

7. Ad 5. : tempus præteritum potest considerari bisuriam. 1. absolute, secundum entitatem successivam, in tot minuta, vel horas distributam: & hoc sensu potest idem numero reproduci, ac redire, sicut & motus: potestque divinitus fieri, ut dies hesternus & hodiernus sit idem numero. 2. respectivè, secundum distantiam, quam habet à principio, & sine Mundi, quatenus scilicet ita existit, aut extitit dies A., ut iater ipsum, & momentum initiale, vel finale Mundi, tot præcisè dies, menses, anni, reales, aut imaginarij transferant, aut sint transituri: atque hoc sensu tempus præteritum nequit idem redire: quia, licet nunc reproducatur idem motus hesternus, nequit habere nunc eundem distantiam respectu; minus enim distabit nunc à fine Mundi, & magis à principio. Hæc eadem ratione velè dicitur irreparabilis jactura temporis: quia, si diem hesternum perdidisti, jam non pote-



ris illum ita recuperare, ut tot tibi nunc restent dies, quot heri, usque ad vitæ finem, decreto Dei statutum. Eodem item sensu verum est illud, *Ad præteritum non datur potentia*: quamquam id etiam potentè explicatur, quatenus nullâ potentia fieri potest, ut quod fuit, non fuerit, ex suppositione quoddam fuerit. Si solutiones istæ minus placeant, memineris, obsecram esse quidditatem temporis: de qua vel ipse Magnus Augustinus 11. Confess. c. 14. agebat, *Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio.*

8 Sed quoniam tempus est mensura durationis, quid est duratio? Si vocis proprietatem spectes, est *permanencia rei in esse*: tamdiu enim res quæque durare dicitur, quamdiu in esse permanet. Unde res in primo instanti existentia, sicuti nondum permanet, ita nondum propriè durat. Jam tamen usus obtinuit, ut nomen durationis extendatur etiam ad primum instans. Atque ita Duratio generatim definiti potest, *Ultima determinatio rei, ut coexistat tali tempori imaginario, seu (quod in idem recidit) ut coexistat tali tempori reali, si existat tempus ipsum*: ubi nomine temporis significatur etiam *instans*, quod est punctum temporis indivisibile. Definitio hæc explicanda est instar illius, quam pro ubicatione dedimus cap. 1. Atque ex eâ colliges, posse rem durare, etiam si nullum detur tempus reale, nullusve motus: quemadmodum potest res locari, seu ubicari, etiam si nullus detur locus extrinsecus.

9 Duratio ut sic dividitur in æternitatem, ævum, & durationem rerum corruptibilium. Æternitas definitur ex Boetio, *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*: vitæ

scilicet, essentialiter excludentis initium, & finem, atque etiam essentialiter immutabilis. Hæc solius est Dei. Ævum est duratio initium admittens, sed finem naturaliter nesciens, proindeque naturaliter æterna, ut ajunt, a parte post: qualis convenit Angelo, & animæ rationali. Duratio corruptibilium, quæ solet etiam vocari *tempus intrinsecum*, & communi *durationis* nomine notari, ea est, quæ initium & finem naturaliter admittit: qualem habent equus, arbor, ignis, &c.

## CAP. IV.

UTRUM DURATIO CREATA  
distingatur ab existentia rei, & a  
tempore habentis

1 IN hac difficili controversia duplex est sententia celebris. Prima durationem collocat in modo distincto ab existentia rei, & in ipsâ recepto; non aliter, ac de ubicatione tenet communis sententia: sic tamen, ut modus durationis sit essentialiter successivus, & singulis momentis novus adveniat, priori pereunte. Ita PP. Comimbrienses, Cardin. de Lugo, Arraga, Compton, Lynce, Izquierdo, Paynado, Ulloa, & alij; nec non Carmelitæ Complut. cum alijs Thomistis. Secunda durationem absolute dictam identificat cum existentia rei: sumptam verò prout in tali tempore, vel instanti, collocat in ipsâ rei existentia principaliter, & in rector in obliquo autem (quod P. Suarez connotatum vocat, intelligendus de connotato intrinseco, non de extrinseco toti denominationi *durantis*) in tali tempore, vel instanti reali, vel imaginario: eo scilicet modo, quo veritatem formalem cum actu &

objecto, & relationem similitudinis cum fundamento & termino identificavimus in Logica. Ita PP. Suarez, Vazquez, Molina, Valentia, Amicus, Hurtado, Oviedo, Alphonsus, Quirós, & alij è Nostris. Consentiant Scotistæ, & plures Thomistæ.

2 Hæc secunda sententia quoad durationem absolute dictam sic probari potest: Per id res formaliter durat, per quod formaliter permanet, seu persistit in esse: per id autem in esse persistit, per quod ab existendo non cessat, seu per quod formaliter excludit cessationem existentia: Sed cessatio ista, cum sit carentia, seu formæ defectus existentia, per existentiam ipsam formaliter excluditur: ergo &c. Confirm.: ultima determinatio rei, ut, si tempus eâ existente extiterit, illi coexistat, est duratio: quemadmodum ultima determinatio rei, ut, si locus eâ existente extiterit, ab illo contineatur, est ubicatione: sed actualis existentia rei est determinatio istiusmodi; nam eâ stante, nihil desideratur ad coexistendum tempori, nisi ut tempus existat: ergo, &c.

3 Et hinc probatur etiam eadem sententia quoad durationem prout in tali tempore, vel instanti. Rem durare in instanti A., est rem hinc instanti coexistere, ut nemo negat. Hæc autem coexistentia plenè intelligi potest, secluso, vel mente præciso durationis modo superaddito: si enim intelligas, nudas Petri & instantis existentias actu dari, plenè intelliges, unum existere sicut alterum, vel unum existere existente altero: hoc autem, & nihil aliud sonat, coexistere unum alteri. Certè coexistentia duorum est utriusque similitudo actualis in existendo; quæ similitudo in utriusque existentis

actualibus nudè spectatis consistit; quovis alio præciso, saltem apud Authores nostros, qui modum relationis ablegant.

4 Dices: similitudo actualis indiget modo superaddito, non relationis, sed durationis. Contra: sicut aliud est habere existentiam, & aliud habere modum superadditum; ita alia est similitudo Petri & instantis A. in habendo existentiam, & alia in habendo modum; cum rationes fundandi realiter distinctæ sint: ergo altera similitudo non constituitur per alteram, sed prior in solis existentis consistit. Urgetur hoc: Petrus actu existit pro signo priori ad modum durationis, cum sit illius causa, saltem materialis: in tali autem signo jam habet quod sufficit, ut dicatur similis in existendo, atque adeo coexistens; cuicumque termino pariter existenti: jam enim in existendo ita se habet, sicut terminus: ergo, si pariter intelligatur actu existere instans A, pro priori ad suum durationis modum, nihil deest, ut ambo coexistere dicantur, seu habere similitudinem in existendo. Adde, quod in eo signo Petrus & instans actualiter assimilantur in eo quod ambo sint modorum suorum causa in actu primo: hæc autem similitudo, quæ unque coexistentiam supponit, aut imbibit, per modos ipsos nondum positos constitui nequit, ut est manifestum.

5 Negant aliqui cum Cardin. de Lugo, rem existere pro priori ad modum durationis: hanc enim modum identificant cum actione rei productivâ, quam dicunt essentialiter successivam esse, singulisque momentis variari. Verùm hæc doctrina improbabilis est. Exim. Doctori d. 21. Met. l. 2. n. 6., & ingrata ple-



risque Authoribus primæ sententiæ, qui communiter durationem statuunt in modo resultante pro posteriori ad existentiam rei, instar ubicationis. Nec facile creditu est, quod actio essentialiter variari debeat, nullo ejus principio, vel termino variato: quod visio beata D. Petri continuo varianda sit in æternum, juxta probabilem sententiam de indistinctione actus vitalis à productione sui: quodque Deus nullatenus possit in crastinum differre actionem, quæ hodie creat, aut conservat animam rationalem. Accedit, quod idem de ubicatione dicere licebit, eam scilicet identificari cum rei productione, & hanc essentialiter variari pro varietate locorum; quod satis apparet absurdum, & à communi sententia alienum. Præterea, perstat vis probationis adductæ. Nam actualis similitudo Petri & instantis in ratione distincti à sui productione, seu in ratione habentis existentiam à productione distinctam, certè non constituitur per productionem ipsam: & tamen coexistentiam imbibit, adedque durationem.

6 Adhuc potest ratio alia, quæ videtur effugium omne præcludi. Coexistentia materiæ & formæ substantialis non constituitur per modum: ergo nec coexistentia rei & instantis A. *Consequentia* legitima est: quia nihil allegat prima sententia, quod non militet utrobique. *Prob. Antec.*: coexistentia materiæ & formæ substantialis per nullum accidens constituitur: ergo non constituitur per modum, cum hic juxta duos Auctores sit accidentalis, sive identificetur cum productione rei, sive non. *Prob. Antec.*: coexistentia materiæ & formæ constituit intrinsecè compositum substantiale: sed nihil constitutum ex aliquo accidenti, potest in-

trinsecè constituitur substantiale compositum, ut omnibus in confesso est: ergo. Cætera constant; & Major videtur indubitabilis: repugnat enim hominem v. g. intelligi actu existentem, seu actu constitutum, quin intelligantur corpus & anima coexistere, seu simul existere, quatenus hominem actu constituunt. Certè homo ratione suæ quid sitatis substantialis est totum simultaneum: ergo ad ejus quidditatem pertinet similitas partium in existendo; quæ similitas est formalissimè coexistentia.

7 Præterea, Petrus per id formaliter durat in instanti A, per quod formaliter excludit carentiam sui eo instanti existente: sed carentiam sui non excludit formaliter per sui productionem, nec per alium modum à sui existentia distinctum, sed unice per sui existentiam absolutam: ergo. Præterea, Petrus nondum productus in instanti A, non solum est indifferens ad modalem durationem in B, sed etiam ad sui existentiam absolutam in eodem B.: hæc autem indifferentia ad existendum non aufertur formaliter per modum, sed per existentiam ipsam, ut est certum: & aliunde, dum modo talis indifferentia intelligitur formaliter ablata in instanti B., Petrus eo ipso intelligitur coexistens huic instanti, sive in eo durans. Sic, eo ipso quod intelligatur habens existentiam formalem existente modo durationis, intelligitur coexistens modo ipsi, citrà modum alium.

8 Tandem exemplum ubicationis, quo arguatur contraria sententia, retorquetur num. 10. & 11. Nunc retorquetur sic. Si ex suppositione quod Petrus existat, non posset existere locus A., quin Petrum ambitet, non opus esset modo ubica-

tionis, ut Petrus esset in loco A.: sicur nec materia egeret unione distincta, si ex suppositione quod existat materia A., non posset existere forma B., nisi tali materiæ unita. Cum igitur ex suppositione quod existat res, omnino repugnet existere instantis A., quin res illi coexistat, seu, quod idem est, in eo duret; superfluum est modus durationis ultra existentiam rei, & instantis. Quare plana est disparitas inter ubicationem, & durationem. Ideò enim ubicatio à re & loco distincta ponitur, quia possunt actu coexistere res & talis locus, quin res in loco tali sit. At oppositum accidit in re & tempore, ut est certum. Unde arguitur sic: Implicat deficere durationem, seu coexistentiam Petri & instantis A., nisi per carentiam alicujus saltem ex his extremis: ergo illa duratio, seu coexistentia, non indiget modo distincto ab existentibus utriusque. Consequentia patet inductione per omnia, in quibus modi à rebus distincti statuuntur.

*Fundamentum primæ sententiæ.*

9 Pro primâ sententiâ sic arguitur. Duratio Petri, hodierna v. g., non est sola existentia Petri alioquin non posset Petrus existere, quin duraret hodie: deinde non consistit in existentibus Petri, & hujus diei; quia possunt existere Petrus & hic dies, quin Petrus duret hodie, si nimirum existat Petrus heri, vel crâs: superest ergo, ut ea duratio consistat in modo superaddito. Si dicatur consistere in existentibus Petri & diei, non successive, sed simul positus. *Contra*: possunt una & altera existentia poni, quin ponantur simul: ergo in hoc simul imbibitur aliquid præter existentias ipsas. *Confirm.*: si Petrus existat heri, & non hodie, eras erit verum

extitisse Petrum & hodiernum diem; nec tamen verum erit extitisse durationem Petri hodiernam. Similiter ante diem hesternum futura erat utraque existentia; nec tamen hodierna Petri duratio futura erat. Item Deus ab æterno decrevit, et vidit existentias Petri & hujus diei: nec tamen decrevit, aut vidit, Petrum hodie durare. Non igitur hodierna Petri duratio constituitur per solas existentias Petri & hujus diei. *Prob. Consequ.*: quia implicat non verificari de constituto illud ipsum, quod de constitutivis omnibus verificatur, scilicet fuisse, vel fore, vel a Deo videri.

10 Argumentum instari potest in actuali similitudine, quam habent Petrus & hic dies in ratione existentis, prout realiter distincta ab utriusque similitudine in ratione durantis per modum superadditum. Item in coexistentia, vel similitate materiæ & formæ substantialis, ut tenens apta constituere substantiale compositum. Item, & satis efficaciter, in Petri ubicatione A. comparata cum loco extrinseco A. Nam Petrus existere in loco extrinseco A., in primis non stat in solâ Petri ubicatione A., cum hæc possit existere sine loco extrinseco reali, ex dictis cap. 1.: deinde non consistit in entitatibus talis ubicationis, talisque locis quia possunt existere talis ubicatio, & locus A., quin Petrus sit in loco A., si nimirum existat heri ubicatio sine loco, & locus hodie sine ubicatione Petri: superest ergo, ut consistat in alio modo superaddito ubicationi & loco; quam sequelam nemo non reputet absurdam. Similiter applicari poterit confirmatio argumenti.

11 Si dicatur, in hoc objecto, Petrus est in loco A., includi talis ubi-



rationis & loci coexistentiam; fa-  
teor: sed hinc infero, coexistentiam  
istam non distingui ab entitatibus  
ubicationis & loci: quia, si coexis-  
tencia includit insuper modos dura-  
tionis, quibus ubicatio & locus ei-  
dem tempori respondeant, denomi-  
natio locati non præstabitur à solâ  
ubicatione, & existentia loci, sed  
insuper includet intrinsecè & forma-  
liter modum, aut modos durationis;  
quod satis abhorret à communi sen-  
su, statuente pro unicâ formâ illius  
denominationis ubicacione n cum  
existentiâ loci. 2.: quia denomi-  
natio existentis in loco A., perseverat ea-  
dem, & invariata, quâvis varian-  
tur tempora, vel instantia; ut mani-  
festè patet in centro terræ, vel etiam  
in turri, aut aliâ re quâvis tantisper  
immotâ in eodem loco extrinseco.  
At incessanter variabitur et denomi-  
natio, si constituitur ex modo dura-  
tionis, cum hic varietur singulis  
momentis.

12. Quapropter ad *object. conc.*  
*Maj.* de duratione Petri, non abso-  
lutè sumptâ citra comparationem ad  
tempus, sed quatenus hodiernâ, seu  
coexistente huic diei. Sed *diff. Min.*:  
non consistit in existentijs Petri &  
diei, successivè positis, *conc.* (& hoc  
unicè probat subjuncta ratio); simul  
positis, *neg. Min. & Consequ.* In illo  
autem *simul*, nihil imbibitur præter  
utramque existentiam cum exclusio-  
ne successionis: & cum successio im-  
porret concurrentiam uniuscujusque  
cum carentiâ alterius, id, quod suffi-  
cit ad excludendam hujusmodi con-  
currentiam, sufficit ad excludendam  
successionem. At concurrentia diei  
cum carentiâ Petri, formaliter exclu-  
ditur eo ipso, quod excludatur caren-  
tia Petri existente die; quæ carentia  
que dubio excluditur per existentiam

Petri, quovis alio modo præciso.  
13. Vel alijs terminis: Petrum  
& diem existere *simul*, importat  
utriusque existentiam, ita positam,  
ut verificet hanc præpositionem,  
*Uterque simpliciter existit, vel Ambo  
simpliciter existunt, vel Uno existente  
simpliciter, alter existit alter.* Sic planè  
excluditur successio, vi cuius, altero  
existente, alter sit præteritum, aut fu-  
turum: quod enim merè præteritum,  
aut futurum est, non existit actu &  
simpliciter. Ut autem verificetur illa  
propositio, *Uterque simpliciter existit*  
(idem puta de cæteris), sufficit actua-  
lis existentia unius, & alterius, præ-  
cündendo à modis durationis. *Prob.*  
propositio illa idem verificativum  
habet, ac dux illæ, *Petrus actu existit,  
Dies actu existit*; ex his enim velut  
præmissis inferitur illa per legem  
*ascensus*. Sed verificativum istarum  
nihil involvit præter nudas Petri &  
diei existentias actuales; nam Petrum  
v. g. actu existere, non verificatur  
per modum superadditum, sed per  
existentiam ut actu exercitam: ergo  
&c..

14. Dices: propositio, *Petrus  
existit*, ratione verbi consignificat  
tempus intrinsecum, seu duratio-  
nem; quia proprium est verbi sig-  
nificare cum tempore, ut habetur ex  
Summulis. Factor: sed inde colligo,  
quod existentia quævis, actu exerci-  
ta, est sua duratio absolutè dicta, seu  
tempus intrinsecum, suum præsens,  
suum nunc: quia quævis existentia  
plenè verificat verbum *existit*. Con-  
stat hoc: tum quia Petrus pro priori  
ad modum durationis, à te positum,  
vel prout realiter condistinctus ab  
illo, verè existit. Tum etiam, quia  
sola existentia modi verificat hanc  
propos. *Modus existit*; alioquin no-  
vo indigebit modo, & ibitur in insti-

stantiam: ergo & sola existentia Petri,  
quæ certè non est debilior, verificat  
istam, *Petrus existit*.

15. Jam ad *Confirm.* num. 9.:  
de Petro & tali die, successivè posi-  
tis, potest quidem verificari, quod  
extiterint, aut sint extituri, quodque  
ab æterno decernantur, ac prævi-  
deantur; tamen non verificetur id  
ipsum de duratione Petri hodiernâ:  
secus tamen de Petro & tali die, co-  
existentibus, aut simul positis, vel ita  
datis, ut aliquando fuerit, vel futura  
sit, aut à Deo prævisa, hæc veritas  
objectiva, *Uterque simpliciter existit*;  
sic enim, quidquid de ijs verificatur,  
de hodierna Petri duratione verificetur  
neccesse est. Nec debet convenire  
constitutum, quidquid convenit con-  
stitutivis omnibus, successivè datis,  
ita scilicet, ut esse unius constitutivi  
sit conjunctum cum carentiâ, seu  
cum non esse alterius: non enim hac  
ratione constituunt; nisi fortè totum  
ipsum sit successivum, cuiusmodi non  
est duratio Petri, ut nunc sumitur,  
videlicet prout est coexistentia Petri  
cum unoquoque instanti diei A..

16. Præter instantias num. 10.,  
subdo hanc aliam. Hodie verificatur  
præterijisse lucem, & tenebras hester-  
nas, nimirum lucem diu, tenebras  
noctis; similiterque verificatur lucem  
& tenebras crastinas esse futuras: ergo  
verificatur præterijisse, vel futura  
esse constitutiva omnia chymæræ  
constatæ ex *esse & non esse* lucis; non  
enim alia sunt hujus chymæræ con-  
stitutiva, præter lucem, & tenebras,  
saltem si ens chymericum nihil in-  
volvit ab omni possibili distinctum,  
ut fert sententia plerisque Adversa-  
rijs accepta. Quomodo ergo non  
præterijit, nec futurum est constitu-  
tum, id est, chymera ipsa? Certè non  
aliâ ratione, nisi quia chymera non

constituitur ex *esse & non esse* successi-  
vè positis, sed simul datis: nec ta-  
men in isto *simul* imbibitur aliquid  
præter *esse & non esse*. Quod si velis  
includi quoque identitatem tempo-  
ris, exemplum transferam ad *esse &  
non esse* modi, quo durat instans A..

17. *Replic.*: fieri nequit, ut ve-  
ra sit hæc propositio, *Existens Petrus  
& instans A.*, dum falsa est ista, *Petrus  
durabit in instanti A.*, si utraque ob-  
jectum affirmat omninò idem. *Insto*:  
non minùs videtur omninò idem  
objectum istarum, *Erant lux & tene-  
bræ, Erit lux non lux*: ergo non po-  
terit altera vera esse, dum falsa est  
altera. Negandum igitur, quod utra-  
que affirmet objectum omninò idem,  
si prima feratur in existentias Petri  
& instantis successivè ponendas; sic  
enim affirmat unamquamque exis-  
tentiam ut concurrentem cum alte-  
rius carentiâ, quod est affirmare  
quoque carentias utriusque successi-  
vè futuras: secunda verò propositio  
carentias hujusmodi non affirmat, sed  
potius negat, saltem implicite; red-  
dit enim hunc sensum, *Erunt existen-  
tia Petri & instantis, & neutra concur-  
ret cum alterius carentia*. Si tamen pri-  
ma propos. sic exponatur, *Aliquando  
verum erit dicere Existunt Petrus &  
instans A.*, omninò conveniet cum  
secundâ, nec altera sine alterâ vera  
erit. Ubi notandum, quod datâ præ-  
teritione vel futuritione merè suc-  
cessivâ, falsum est præterijisse, vel fu-  
turum esse complexum physicum  
entitatum Petri & instantis A.. Non  
enim est præteritum, nec futurum,  
quod non fuit, nec erit aliquando  
præsens. Nunquam autem fuit, nec  
erit verè præsens in hypothesi data  
complexum illud; sicut ob eandem  
rationem nec fuit, nec erit umquam  
præsens complexum lucis & tene-  
bra;



brarum, seu existentia & carentia lucis. Quare negandum est, verificari quidquam de tali complexo, quod non verificatur de duratione Petri in instanti A.

18 Quia tamen argumentum, hactenus expensum, molestâ semper formâ redire poterit, donec explicetur quid minus habeant duæ existentia successivè positæ, quàm simul datæ; expeditius forsitan illud solves, si præ oculis habeas, duo existere successivè nihil esse aliud, quàm unumquodque existere sine altero, vel existere non existente altero: unde nunquam de illis verum est dicere, *Ambo existunt*, vel *Utrumque existit*. Quo fit, ut prædicatum duobus conveniens in sensu successivo, non conveniat utrique per modum unius subiecti, vel complexi; sed tantum unicuique singularim, seu divisim ab altero. Secus accidit, quando prædicatum duobus convenit in sensu simultaneo: tunc enim convenit utrique per modum unius complexi, vel unius dualitatis, aut collectionis. Quare sensus successivus & simultaneus differunt eo ferè modo, quo sensus collectivus & distributivus. Sicut enim omnes partes compositi distributivè accipi, est accipi unamquamque seorsum ab alijs, idèdque de omnibus hoc sensu verum est componere totum, & esse minores toto; accipi verò collectivè, est accipi omnes per modum unius subiecti, quo sensu non componunt totum, nec sunt toto minores; ita in re nostrâ discurrendum, & à fortiori quidem, cum successio expressè removeat confortium, aut societatem in existendo.

19. Hinc inferes, existentiam duorum simultaneam aliqui addere supra successivam eorundem. Quid?

Id, quod addunt duo supra singulâ; vel quod addit collectio duorum supra unumquodque; vel etiam id, quod omnes partes compositi (scilicet materia, forma, & unio) collectivè acceptæ addunt supra omnes distributivè sumptas. Proinde, sicut verè negatur, quòd tria illa constitutiva, sumpta distributim, sint tria collectivè, quàmvis tò *collectivè* non addat novum modum supra materiam, formam, & unionem: ita negandum, quòd duæ existentia, successivè datæ, sint duæ simul positæ, quàmvis tò *simul* non addat modum ab utrâque distinctum. Cum ergo nomen, *duratio Petri hodierna*, significet existentia Petri & hujus diei in sensu simultaneo, seu colectivo, verificari nequit de his existentia successivè datis, sicut ob eandem rationem nomen, *homo*, non verificatur de suis omnibus constitutivis distributivè sumptis. Atque hinc negandum, quòd de ijs existentia successivè datis verificetur decerni, & videri à Deo, vel esse præterita, aut futuras, in sensu colectivo: Deus enim non decernit, nec videt objectivam collectionem earum: nec potest esse præteritâ, vel futura collectio, quæ nunquam fuit, aut erit præsens; ut per se notum est. Potest quidem de ijs verificari simul (simultate verificationis) esse præterita; non tamen esse præterita simul, idèd, simul præterisse, vel extitisse; cum evidens sit non extitisse simul, quæ solum extiterunt una post alteram. Unde non possunt, etiam ut præterita, verè significari sensu simultaneo, seu colectivo ex parte objecti. Sic duabus & noctibus anni transacti simul convenit præterisse; non tamen præterisse se simul, aut collectivè; alioquin verum erit, extitisse simul diem ac noctem,

rem, vel præsentem aliquando fuisse collectionem lucis & tenebrarum. Unde colliges, nomina temporis, ut *hora*, *dies*, *annus* &c., non esse propriè collectivæ; quia nulla respondet ipsis vera collectio realis ex parte objecti.

20 Ut alia præcludas, observa 1.: indifferentia tam Petri, quàm diei A., ut coexistent, sive ut uno existente existat alter, non est indifferentia physica, quæ scilicet supponat utrumque existere simpliciter; sed merè logica, quâ nimirum alter indifferens est, ut sit aliquid, vel nihil, existente altero. Talis autem indifferentia radicaliter aufertur per decretum Dei, vialiter per actionem productivam, & formaliter per existentiam ipsam actu exercitam: non aliter, ac indifferentia cujusque rei, ut simpliciter, & citra comparationem ad tempus, existat, aut non existat. 2.: duratio creaturæ permanentis, sumpta quoad rectum, vel spectata sine respectu, seu comparatione ad tempus extrinsecum reale, vel imaginarium, non est successiva, nec major, aut minor, longior, aut brevior: sed has denominationes extrinsecè suscipit à partibus temporis de obliquo importati, scilicet ab eorum continuo fluxu, numeroque majore, vel minore. Nec tamen idèd talis duratio quoad rectum, est *tota simul* eo sensu, quo tota simul est æternitas Dei: tum quia non est possessio vitæ interminabilis, cum possit terminari per carentiam sui: tum quia non simul habet immutabiliter totam perfectionem intrinsecam, cuius est capax, cum possit varijs affectionibus perfici successivè.

21 3 tempus dicitur essentialiter successivum, non quòd consistat ex entitatibus impotentibus existere

nisi successivè, sed quia partes motus constituentur in ratione temporis per successionem immediatam, licet hæc successio sit ipsis accidentaria: non enim ulla pars motus dicitur pars temporis, nisi quatenus importat prioritatem immediatam respectu partis secuturæ, & posterioritatem immediatam respectu alterius partis præteritæ: nam, si vel prioritas, vel posterioritas ista deficiat, eo ipso pars motus desinit esse pars temporis continui realis; solumque dabitur tempus imaginarium, idèd, possibilitas immediatæ successionis partium motus. 4.: rem durare in tempore imaginario, est rem ita existere, ut absque novâ sui determinatione coexistere debeat motui, vel tempori reali, si datur: durare verò in tali determinato tempore imaginario, est non indigere novâ determinatione ad coexistendum motui taliter distanti ab initio Mundi, vel ab alio momento, re vel cogitatione designato: ac demum rem durare plus aut minus temporis imaginarij, v.g. imaginarium sæculum, est ita existere, ut verè dici possit, *Si motus realis existeret ex quo res ista cepit esse, jam transisset sæculum*. Omnes autem determinationes hujusmodi proveniunt formaliter ab existentia rei actu exercitâ. Unde colliges, posse ab Angelo, vel à Deo sine fictione cognosci durationem rei in tempore imaginario; & in ordine ad illud posse dici longiorem, aut brevioram, vel etiam antiquiorem Mundo, &c.

22 Hæc dicta sint in favorem secundæ sententiæ, quæ saltem propter auctoritatem præferenda videtur, cum alijs pro se gravia satis alleget momenta rationum. Non tamen negaverim, primam sententiam esse valde probabilem, viderique clario-



rem, & ad plures difficultates explicandas aptiorem; magis etiam consonam doctrinæ communi super naturâ loci, & ubicationis.

## CAP. V.

UTRUM CREATURA POTUERIT  
existere ab æterno?

**N**Ullam creaturam ab æterno existisse, inter Catholicos certum est. Quæritur tamen, utrum repugnet, creaturam ab æterno produci? Creatura, alia est permanens, ut Angelus, aut homo: alia successiva, cõstans partibus prioræ & posterioræ in existendo, ut motus solis. *Affero 1.*: non repugnat creatura permanens ab æterno producta. Ita communis sententia cum Doctoribus Angelico, Subtili, & Eximio. *Probatur*: quia nullo ex capite repugnat ejusmodi productio. Non imprimis ex eo, quòd causa non esset duratione prior effectu. Non enim causa debet effectum præcedere duratione, sed naturâ. Sic Sol produxit lucem, & Angelus cognitionem, in primo lux existentiæ momento. Non deinde titulo productionis realis à principio distincto: alioquin Verbum Divinum non esset ab æterno genitum. Non præterea titulo entis ab alio, seu creaturæ. Nam conceptus creaturæ salvatur, dummodò essentialiter pendeat à liberâ voluntate Dei, atque ita existat, ut absolute potuerit non existere: quod utique verum esset in Angelo ab æterno producto. Non denique ex alijs capitibus, quæ objici solent, ut jam ostendo.

*2. Objic. 1.* Angelus ab æterno productus non crearetur ex nihilo; quod est contra conceptum creaturæ. *SS. Patres* contra Arianos

probant, Verbum Divinum non esse creaturam, quia est ab æterno. *3.*: nulla creatura potest esse Deo co-æterna, nec attributum æternitatis sibi vendicare. *4.*: creatura illa non posset à Deo destrui per æternitatem; quod est contra dominium Dei non minus, quam si creatura destrui non posset per mille annos. Item, si Angelus ab æterno creatus, sine morâ peccaret, non posset tota æternitate converti, nec à peccato cessare. Verum hæc non urgent.

*3. Ad 1.*: Angelus ab æterno crearetur ex nihilo subjecti, seu ex nullo subjecto: crearetur etiam ex nihilo sui possibiliter præcedentiæ nec est de conceptu creaturæ, quòd præsupponat actuale nihilum sui, sed quòd ex se possit illud præsupponere, vel subsequi. *Ad 2.*: argumentum *SS. Patrum* procedit de facto juxta Scripturam sacram, ex quâ constat, nihil à Deo creatum nisi in tempore, vel cum tempore. Procedit etiam ad hominem contra Arianos, qui omnem creaturam in tempore creatam esse fatebantur. *Ad 3.*: repugnat quidem creatura Deo co-æterna, idest, æqualis Deo in attributo æternitatis: nam æternitas Dei propria, est intrinseca, essentialis, absoluta, & summa necessitas durandi ab æterno, & in æternum, summè perfectia, & independens ab alio; qualis certè nulli creaturæ convenire valet. Non tamen repugnat creatura co-æterna, idest, coexistens Deo semper à parte antè, per durationem imperfectam, & participatam, ortamque à liberâ voluntate Dei: sicut eadem ratione non repugnat co-æterna Deo à parte post.

*4. Ad 4.*: fatendum est, quòd Angelus ab æterno creatus non posset à Deo destrui, nisi in tempore, quan-

quando jam durasset per æternitatem: si enim destrueretur ab æterno, productio & destructio Angeli forent co-æternæ; quòd implicat. Quare idem est Deum decernere Angeli existentiam ab æterno, ac decernere durationem ejus æternam à parte antè; sicut idem est decernere existentiam rei in uno instanti, vel in toto anno, ac decernere durationem rei instantaneam, vel annuam. Negandum tamen, quòd ea necessitas conservandi Angelum per æternitatem, sit contra dominium Dei: quia non est necessitas antecedens, sed consequens decretum Dei liberum de existentia Angeli æternæ, præsertim si non fundetur in aliquâ æternitate creatâ, quæ de se non possit absolute produci, nisi cum eo debito permanendi, cujusmodi esset modus durationis, ab existentia Angeli distinctus, & indivisibiliter correspondens toti æternitati à parte antè. Sic contra dominium Dei non est, quòd Angelus, aut anima rationalis, necessariò conservetur in æternum ex suppositione decreti liberi Divini de duratione illius æternâ à parte post. Porro, Angelus ab æterno peccans non posset converti nisi in tempore, nec à peccato cessare nisi post æternitatem; ne alioquin existentia & cessatio peccati forent co-æternæ. Nec tamen ideò peccatum non esset absolute liberum Angelis; quia illa durandi necessitas tantum esset consequens liberam Angeli determinationem ab æterno peccandi. Similiter homo ab æterno creatus apertis oculis, non posset eos claudere nisi in tempore: nec ignis ab æterno applicitus stupæ, combureret illam nisi post æternitatem.

*5. Affero 2.*: repugnat creatura successiva, vel ens successivum ab æterno productum. Ita communior in Scholâ nostrâ sententia cum P. Suarez,

contra plures, Thomistas, & Nostros, quos citat, & sequitur P. Peinado l. 8. *disp. un. s. 2.*; ubi simul explicat, in sententiâ, quam tenens, ens successivum non dici æternum per affirmationem (quasi aliqua pars ejus determinata, vel omnium collectio, ab æterno existerit), sed tantum per negationem partis omnium primæ, seu ante quam non præcesserit alia; quemadmodum successio æterna à parte post non dicitur æterna nisi per negationem partis ultimæ, seu post quam non saperit alia. Probatur tamen Assertio nostra breviter ex repugnantia infiniti categorematici, quam ostendemus *disp. sequ.* Si enim fuisset ab æterno tempus reale v. g., jam nunc existissent horæ infinitæ; quarum multitudo categorematica dici potest, sicut multitudo partium anni præteriti: vel certè Angeli, quos Deus creasset, ut potuit, singulos in singulis horis, nunc essent actu infiniti. Quin etiam apud admittentes infinitum in actu, debet hæc Angelorum infinitudo ceteri repugnans: omnes enim admoment, infinitum multitudinis non posse à Deo produci successivè, licet possit per simultaneam productionem: illi autem Angeli non nisi successivè creati fuissent.

*6. Accedit*, quòd juxta Aristot., & omnes, de conceptu infiniti est non posse pertransire successivè. Si autem tempus ab æterno fuisset, jam nunc pertransisset infinitum horarum. Nec prodest dicere, infinitum solum esse impertransibile successivè, eâ ratione, quâ infinitum est; secus verò eâ ratione, quâ non est infinitum; ideòque tempus ab æterno datum, quia à parte ante infinitum est, impertransibile esse à parte antè, idest, ascendendo versus æternitatem; quia verò non est infinitum, sed



sed finem habet versus nostrum tempus, pertransiri posse versus illud. Id quod explicatur exemplo lineæ versus orientem infinitæ, quæ versus occidentem finita sit. Non, inquam, hoc prodest. Tum quia horarum multitudo non minus esset infinita, quam quodvis aliud infinitum multitudinis, v. g. hominum: at multitudo infinita hominum esset successive impertransibilis undequaque, sive omni è latere. Tum etiam, quia omnes horæ, prout ab æterno fluentes ad nostrum usque tempus, sunt infinitæ: sed omnes, prout ita fluentes, successive pertransierunt: ergo, prout sunt infinitæ, successive pertransibiles sunt. Unde à diversarij principium perunt: dum enim arguimus, repugare, quod infinitum horarum nostro in tempore finem habeat, quia foret alioquin pertransibile successive; nihil aliud respondent, nisi quod infinitum horarum nostro in tempore finem habet. Idem dicimus in exemplo lineæ, si tota successive percurratur.

7 *Obijc.* 1.: potest eas successive continuari per æternitatem à parte post: ergo & per æternitatem à parte antè: non enim difficilius est carere initio, quam fine durationis. 2.: tempus imaginarium est æternum à parte antè; nullum quippe designabile est primum instans illius, ante quod non inveniat imaginatio aliud, & aliud anterius: sed tempus imaginarium est motus realis potens

existere successive: talis ergo motus potest existere sine principio durationis, ac proinde ab æterno. *Ad 1. neg. Consequ.*: quia non utrobique militant nostræ probationes, ut expendenti patebit. Certè ex æternitate à parte post non sequitur, aliquando verum fore, quod infiniti motus successive transferant; sed tantum quod non tot transferant, quin plures alij sine transcurri; quæ mera est infinitudo syncategorematica. *Ad 2. neg. Antec.*: nullum quippe instans concipi potest aptum existere, quod, si existeret, non supponeret æternitatem ante se. Quare Deus ab æterno non coexistit, aut correspondet tempori imaginario. Fateor, nullum posse instans assignari, quod excludat aliud anterius possibile. Hinc tamen solum probatur syncategorematica infinitudo successionis à parte antè, vi cujus ante quodlibet initium temporis dari possit initium aliud antiquius. Cæterum hic antiquitatis excessus semper concipitur habiturus initium durationis, si existeret; ac proinde non concipitur potens esse æternus à parte antè. Unde propositio hæc, *tempus imaginarium caret initio*, distinguenda sic: caret initio excludente possibilitatem alterius initij antiquioris, *conc.*; excludente seriem præteritam durationum, aut motuum, quæ possit existere absque initio, *neg.*



# DISPUT. III.

## DE INFINITO.

### CAP. I.


QUID SIT INFINITUM? UBI, an repugnet Creatura perfectissima?

1 **I**nfini- tum est, quod caret fine, id est, termino: unde idem sonat, ac interminatum, seu illimitatum. Aliud est infinitum simpliciter in omni genere, quod scilicet continet formaliter, aut eminenter omnem perfectionem possibilem, soletque etiam appellari *Infini- tum extra genus, vel per essentiam*: hic solus est Deus. Aliud vero est infinitum in aliquo genere determinato, quod scilicet in eo genere illimitatum est, ad alià tamen non excurrit. Hujusmodi est infinitum *multitudinis*, v. g. innumerabilis multitudo hominum, aut lapidum: infinitum *intensionis*, v. g. calor sine fine intensus in eadem parte subjecti; infinitum *extensionis*, aut *magnitudinis quantitativa*, ut si consideretur corpus, linea, vel superficies, spatium occupans sine termino. In præfenti de solo infinito determinati generis disseritur.

2 Illud autem definitur ex Aristot. hic lib. 3. c. 61., *Cujus aliquid semper est extra accipere*: vel clarius ex eodem c. 63., *Cujus partes* (intellige finitas) *successive accipienti restant*

alterius alia & alia sine fine accipienda: vel brevius cum alijs, *Quod successive pertransiri non potest*. Hinc de conceptu infiniti est, ut nullà numeratione, computu, vel mensurà finitâ, quantumvis successive multiplicatâ, possit unquam, ne à Deo quidem, exhaustiri: si enim posset, jam haberet terminum, seu partem ultimam; quod est contra notionem infinitatis. Idcirco infinitum dicitur *innumerabile, immensurabile, impertransibile*, atque etiam *incognoscibile* successive, cognitione scilicet partem post partem accipiente, ac tandem omnes percurrente. Deus tamen unico & simplicissimo intuitu cognoscit quidquid infinitatis in rebus esse potest.

3 Communiter dividitur infinitum in categorematicum, & syncategorematicum; vel, quod idem sonat, in infinitum in actu, & infinitum in potentia. Infinitum categorematicum, sive in actu, est, quod infinitatem actu positam habere concipitur; ut si concipiatur existens infinita hominum multitudo. Infinitum syncategorematicum, sive in potentia (quod explicari solet per *non tot, quin plura*), est, cujus partes non habent infinitatem nisi in augmento sibi possibili, quatenus plures





& plures superaddi possunt sine fine, licet nunquam perveniant ad infinitatem æqualem, sed semper sint finitæ in infinitum: vel etiam quatenus ita superaddentur de facto, ut nulla unquam futura sit ultima: quâ ratione æternitas à parte post, qualis convenit D. Petro in Cœlo, & Judæ in inferno, importat durationes, v. g. horarias, syncategorematicè infinitas.

4. Proprietates infiniti solent assignari sequentes. 1., quod nec additione finitâ fiat infinitum, nec ablatione finitâ reddatur finitum. Unde communis parœmia est, quod finitum additum finitò non facit infinitum: similiterque finitum finitò detractum non destruit infinitatem. Ratio est manifesta: quia posset alioquin infinitum mensurari, aut numerari. 2., quod omnes numerorum species infinites replicatas contineat, scilicet infinitos binarios, ternarios, centenarios, millones, &c.. Si enim millones v. g. finitos haberet infinita hominum multitudo, foret absque dubio successivè numerabilis. Idem dicendum de mensuris, ut palmis, cubitis, ulnis &c., quoad infinitum extensionis. 3., quod infinitum in actu, si daretur, esset sine fine divisibile in plura & plura infinita. Ratio est evidens. Fac Deum producere infinitos binarios, & auferre deinde infinitas unitates: manerent adhuc unitates infinitæ; & hoc ipso manerent infiniti binarii, ut modò vidimus in 2. propriet.: poterit ergo Deus iterum inde auferre aliud infinitum unitatum, manentibus adhuc unitatibus infinitis: atque ita deinceps sine fine. 4., quod unum infinitum, eâ ratione, quâ infinitum est, non sit majus alio, saltem formaliter, id est, in ratione excludentis finem.

5. Quod attinet possibilitatem infiniti, de syncategorematico, quin sit possibile, saltem quoad multitudinem rerum similium, seu individuorum ejusdem speciei, non est dubitandum: præsertim postquam Concilium Constantiense Sess. 15. damnavit errorem Joannis Hus & aliorum asserentium, non posse à Deo creari rationales animas ultra certum numerum. Si enim animæ nunquam possunt creari tot, quin plures aliz super sint posibles, eo ipso sunt syncategorematicè infinitæ. Par autem est ratio in aliâ quavis specie multiplicabili, v. g. ignea, lapidea, equitica: nec non in continuatione corporis quanti, & extensî, v. g. ignis, aut aquæ. Nulla enim est umbra repugnantiz in eo, quod posita quacumque multitudine finitâ lapidum, aut quacumque finitâ extensione aquæ, possit Deus lapides alios, aut alias aquæ partes superaddere. Imò planè repugnat Omnipotentiz Dei, quod in his & similibus nequeat ultra progredi quasi effecta, & exhausta. Idem censendum de incremento intensivo qualitatum; atque etiam de continuatâ serie durationum, aut motuum Cæli.

6. Dubium tamen est, an repugnet infinitum syncategor. Quoad incrementum perfectionis specificæ: sive, an repugnet suprema species creaturarum, quâ nulla perfectior possit à Deo produci? vel terminis vulgaris, an repugnet creatura omnium perfectissima? Affirmat communissima, & mihi vera sententia, contra veteres aliquos, quibus subscribunt P. Ariaga, & Pontius Scotista. Probatur: ad infinitatem Omnipotentiz pertinet posse producere ejusdem speciei individua non tot, quin plura: ergo & posse producere species

magis ac magis perfectas, absque limite. Prob. Consequ.: Tum quia æquè dissonum est utrobique, quod infinita potentia tandem exhauriatur, & veluti fessa sistat in limite, quem transgredi nequeat. Tum quia perfectio virtutis activæ magis absque dubio commendatur ex multiplicatione specierum perfectione crescentium, quàm individuorum æqualium, & similibus; ut exemplo causarum creatarum est evidens: potiori ergo prærogativa privabitur Divina virtus, si cogatur sistere in aliquâ ultimâ & supremâ specie, quàm si dicatur ad ultimum individuum pervenire posse.

7. Confirm.: nulla quantitatis magnitudo finita repugnat excedi ab aliâ item finitâ: quævis etiam finita multitudo, seu quilibet numerus finitus ab alio finito excedi potest: nec possibilis est numerus finitus omnium maximus, ut Adversarij fatentur, & est manifestum; nam quicumque numerus designetur, additâ unitate fiet major: similiter nulla est finita duratio tam longè distans ab hoc tempore, ut ab aliâ excedi non possit. Pariter ergo nulla creatura (quæ utique non nisi finita ac limitata in lineâ perfectionis essentialis esse potest) possibilis est, quæ meliorem aliam essentialiter excludat; cum hic pariter ad sit finitudo, vixque ulla sit difficultas, quæ non æquè militet in præmissis exemplis.

8. Objic. 1.: Deus potest producere creaturam perfectissimam, quam potest (hæc propositio, inquit Arriaga, negari nequit, utpote identica): producat ergo; & ea creaturam perfectissimam. Sed nego suppositum illius propositionis, quod scilicet inter creaturas, quas Deus potest, detur perfectissima. Et insto in his alijs omninò similibus: Deus

potest producere numerum infinitum maximum, quem potest; quantitatem finitam maximam, quam potest; durationem ultimam & remotissimam, quam potest; vel etiam chymeram optimam, quam potest. Objic. 2.: non omnis creatura exceditur ab aliâ, nam ultra omnes non superest alia: ergo aliqua non exceditur ab aliâ juxta illud Summulisticum, Non omnis, quidam non. Præmissa instantiâ in numeris & quantitatibus finitis, neg. Antec. si tò non omnis distributivè sumatur, ut debet, & ut à Summulistis accipitur: sic enim creatura omnis, id est, unaquæque ab aliâ exceditur, & nulla est, quæ non excedatur; semperque ultra omnes, id est, ultra singulas, alia superest, quâ nulla est, ultra quam alia non superest. Si tamen placeat illum terminum collectivè sumere, transit Antec. & neg. Conseq.; quia regula Summul. non loquitur de termino collectivè sumpto.

9. Objic. 3.: in serie causarum deveniendum est ad aliquam, quæ immediatè causetur à solo Deo, ne alioquin detur mutua prioritas: ergo in multitudine creaturarum possibilem, perfectione crescentium, ad aliquam perveniendum est, quæ immediatè excedatur à solo Deo, ne detur alioqui mutuus excessus. Sed in primis instantia est evidens in numero, duratione, & quantitate finitâ. Deinde neg. Consequ.: quia series causarum actu existentium (ex hæc enim sumitur communis demonstratio primæ Causæ) necessarium finita est, cum repugnet infinitum in actu: ergo talis esse debet, ut numerando perveniri possit ad eam causam, unde cœpit origo productionum; quæ causa, nisi causetur invicem ab effectu suo, necessarid caufari debet à



solo Deo. At in creaturis possibilibus, perfectione crescentibus, datur infinitudo syncategorem. , vi cuius nunquam perveniri potest ad ultimum, aut supremam, quæ a solo Deo excedatur; sicuti nec ad ullam, quæ in eodem genere reciprocè excedat excedentem. Adde, quòd, etsi daretur infinita series actualis causarum productarum, vitaretur mutua-prioritas, dummodo tota collectio poneretur pendens à Deo. Quare, cum in casu nostro tota collectio specierum possibilem (si verè potest accipi ut tota) à Deo excedatur, pariter vitabitur mutuus excessus. Unde colliges, nec Deum ipsam cognoscere posse speciem supremam possibilem: quia nequit inter possiblea cognoscere chymeram. Nec ideò vaga, vel incerta erit Divina scientia: sed intuitu simplici cognoscit possiblea omnia, nullumque in ijs esse, quòd ab alio superari non possit.

10 *Objic. 4.* : possibile est creatura imperfectissima: ergo & perfectissima. *Resp. 1. neg. Conf. qu.* : quia non depauperatur Omnipotentis Thesaurus ex eo, quòd nequeat dare minus, sed ex eo, quòd plus, aut melius aliquid largiri non possit, dum largitur finitum quid. *Resp. 2. neg. Assert.* : quia Divina perfectio videtur infinitè participabilis, tum sursùm, tum deorsùm, ut ita dicam. Nec inde inferas, quamlibet creaturam fore infinitæ perfectionis, utpotè excedentem infinitas alias. Nam ad talem excessum non opus est infinitate propria, & formali, sed sufficit virtualis, in eo consistens, quòd res in superiore ordine sit. Sic, citrà formalem infinitatem Visio beata superat infinitas visiones materiales, Angelus infinitas formicas, Gratia infinitos gradus albedinis, &c.

11 *Objic. 5.* : collectio creaturarum omnium possibilem non nisi finitæ perfectionis est, cum infinitè distet à Deo: & tamen ultra collectionem omnium nulla est possibile creatura perfectior: ergo non repugnat ex capite finitudinalis creatura excludens perfectiorem aliam. *Obfirm.* : collectio possibilem omnium summè accedit ad Deum: sed non summè accedit ratione cunctarum, aut plurium specierum, præsertim si species omnes sint inæquales, sicut numeri, ut multis placet: ergo ratione alicujus speciei supremæ. *Ad object.* negatur suppositum; quòd scilicet collectio possibilem omnium sit possibilis: id enim est possibile, quòd, si existeret, non implicaret contradictionem: implicaret autem ea collectio, ut *cap. sequ.* dicemus. Non ergo possunt accipi omnia possiblea per modum unius collectionis, cujus perfectio verè dicatur finita, vel infinita, vel accedens ad Deum; cum potius sit nulla, vel chymérica: sed solum licet accipere singulas creaturas, vel singulas earum collectiones finitas; quas inter nulla est designabilis, quæ major & perfectior alia non sit possibilem. Ex quo solvitur etiam *confirmatio.*

12 Nunc tamen infinitæ collectionis possibilitate permisa, *dist.* *Maj.* objectionis: collectio &c. finitæ perfectionis est, in lineâ entis ut sic, *conc.* (deest enim illi perfectio propria entis increati, à quo infinitè exceditur); in lineâ entis creati, seu creabilis, *subdist.* : finitæ perfectionis est quoad singulas partes, *conc.* : quoad seriem omnium perfectione crescentium, *neg. Maj.* ; talis enim series interminata est, adeòque infinita, tum in multiplicatione individuum, tum in incremento specifico:

non

non aliter, ac collectio numerorum finitorum possibilem, tametsi finita quoad singulos numeros, infinita est, & innumerabilis, quoad seriem omnium ita crescentium, ut unoquoque major alius dari possit. Hujusmodi autem infinitudo ex parte termini sufficit, ut Deus dicatur participabilis infinitè, sive in infinitum; & ut nulla sit designabilis creatura, quæ ita exhauriatur Omnipotentia, ut meliorem producere nequeat. *Ad confirm.* : Collectio illa summè accedit ad Deum *per negationem* alterius rei magis accedentis; non verò *per affirmationem* alicujus rei determinatæ, de quâ verificetur summus, aut ultimus accessus.

13 Ad extremum observa, sententiam nostram procedere quidem in speciebus, sed non necessariò in classibus, gradibus, aut generibus creaturarum subsistentium; quæ genera non nisi quatuor numerantur, videlicet rerum inanimatarum, vegetabilium, sensibilibum, & intellectuallium; nulla enim creatura subsistens cogitari posse videtur, quæ ad aliquem ex his gradibus non spectet. Cum tamen quilibet sub se admittat infinitas species inæquales, locum relinquit, ut Divina bonitas semper sit magis & perfectiùs participabilis sine fine. Observa insuper, quòd Gratia, & Visio beata, licet dicantur species supremæ, altera in genere qualitatis, altera in genere cognitionis, semper tamen à Deo fieri possunt meliores, & perfectiores, saltem per intentionem gradualem; quòd nobis sufficit. Ipse quoque modus unionis hypotheticæ fieri potest physicè perfectior, quatenùs respicit extremum creatum. Quòd verò non sit possibile quid majus opere Incarnationis, seu composito *Christus*, nihil

mirum; cum ibi Deus ipse includatur. Dignitas etiam Matris in Deiparâ constituitur per Divinitatem Filij moraliter unitam; ideòque nulla major in purâ creaturâ dari potest.

## CAP. II.

UTRUM REPUGNET INFINITUM  
in actu

1 **Q**UÆSTIO proposita versatur circa Infinitum categorematicum, seu multitudinis, seu extensionis, seu intensionis; quòd fieri à Deo posse defendunt cum nonnullis antiquis PP. Vazq., Hurtad., Arriaga, Lynce, Izquierd., & alij, quos citat & sequitur P. Peynad. *lib. 3. d. 3. s. 3.* : accedunt aliqui Scotistæ apud Mairium *d. 10. q. 3.* Ex his tamen Authoribus quidam excipiunt infinitum intensionis, quidam extensionis, seu magnitudinis spatium occupantis. Ex adverso repugnare omnino quodlibet ex dictis infinitum in actu, tenet communis sententia, quam cum D. Thoma, D. Bonaventura, Scoto, Suarezio, tuentur passim ex omni Scholâ Doctores, quos citant & sequuntur Mairius l. c., & P. Quiros *d. 63. s. 2. & 3.* Hæc sententia videtur præferèda. Et omisis brevitas ergo infinitis alijs argumentis, quibus probari solet, -

2 *Probatur 1.* : implicat ens, quòd nequeat Deus producere, quin producat aliquid superfluum ad existentiam ejus; sed tale est infinitum multitudinis, hominum v. g. : ergo. Major est certa: nam illud superfluum, simul erit & non erit superfluum, seu erit necessarium simul & non necessarium: erit superfluum, seu non necessarium, ut supponitur; & simul non erit; quia id, sine quo requirit à Deo produci ens A., proculdubio non

Qqqq 2

est



est superfluum sed necessarium ad existentiam istius entis. Minor ergo probatur: infinitum multitudinis nunquam potest a Deo produci, quin habeat plurimas, imò infinitas partes, sine quibus posset existere formaliter idem: sed ejusmodi partes ad existentiam talis infiniti superflue sunt, seu non necessariae: ergo. *Prob. Maj. ex indole infiniti explicata cap. preced. n. 4.*: nam infinitum hominum, si vere infinitum est, tale esse debet, ut, detractis centum, maneat infinitum, & juxta Adversarios formaliter idem, quia solam minuitur materialiter: & sic: alia & alia centum successive detrahas sine fine, manebit pariter infinitum. Imò, cum in eo contineantur infiniti binarii, detrahi poterunt infinitae unitates, manente adhuc infinito unitatum formaliter eodem; & cum in hoc debeant adhuc manere infiniti binarii (alioquin infinitudo unitatum foret successive numerabilis per binarios, quod implicat), aliae iterum infinitae unitates detrahi poterunt, illælo formaliter infinito prioris: & sic deinceps iterum atque iterum nullo fine. Unde vides, infinitum multitudinis nec à Deo quidem posse relinqui ad partes precise necessariae ad existentiam ejus, nec posse Deum in illo discernere necessarium à non necessario; quod satis implicatorium videtur, cum hujusmodi prædicata, utpotè contradictoria, non possint non convenire partibus reipsa distinctis.

3 *Probatur 2.*: quodlibet infinitum multitudinis est infinitis im-  
 finitum, ut constat ex *cap. preced.*, & nemo dubitat: continet enim numeros omnes, binarios, centenarios, milliones, &c., infinitas multiplicatos; & ex eo semper inexhausto detrahi possunt infinitae unitates plura

& plura sine termino. Hinc autem, nisi nostra sententia vera sit, sequitur 1., dari posse totum, quod destructis duabus medietatibus non destruitur. Nam si Deus producat infinitum binariorum, ac deinde destruat infinitas unitates, destruet medietatem unam illius infiniti: postea ex infinitate residua unitatum, in qua manent adhuc infiniti binarii (alias non esset infinita), potest Deus destruere alterum infinitum unitatum, manente altero non minus infinito, quam antea; proindeque binarios infinitos includente. En ergo destructas ex primo infinito binariorum medietates duas, scilicet duplex infinitum unitatum, cum tamen infinitum binariorum persistet illælo, seu formaliter integrum. *Sequitur 2.*, quod in hac ipsa hypothesi, cum Deus destruit unum infinitum unitatum, destruit simul & non destruit quod antea produxit: destruit; quia in infinito unitatum destructo includitur infinitum binariorum; & hoc produxit Deus: non destruit; quia in altero infinito unitatum remanente superest infinitum binariorum.

4 *Sequitur 3.*, quod in eadem hypothesi infinitum binariorum est quoddam totum non constans partibus, quibus constare supponitur, nempe duobus infinitis unitatum: nam his ablatis, manet infinitura illud formaliter integrum. Itera, quod est totum non majus sua parte; siquidem quodlibet infinitum unitatum, quod est ejus pars, infinitos continet binarios. Item, quod est unam quid unitate aggregationis, simulque non unum, utpotè divisibile in plura talia, quale ipsum est, sive in plura ejusdem rationis cum diviso, videlicet in plura infinita unitata, quorum quodlibet est infinitum binario-

rum;

rum: quæ tamen sequela destruit conceptum Unius realis, etiam per aggregationem, ut patet in exercitu, vel in acervo lapidum. *Sequitur 4.*, quod nequit Deus producere infinitos hominum binarios, quin producat infinitos milliones; quod non minus absurdum apparet, quam non posse Deum producere centum binarios, quia producat milliones centum.

5 *Sequitur* demum, quod unum infinitum multitudinis potest, & non potest esse minus alio. Potest: quia, si ex infinitis hominibus detrahas centum, remanet multitudo minor, quam antea; & tamen remanet infinita: item, si hominibus infinitis adjungas infinitos Angelos, resultat multitudo duplo major: sicut etiam, si homines infiniti producantur singuli cum binis oculis, & capillitio, major erit oculorum, aut capillorum multitudo, quam hominum; & quidem infinite major, utpotè continens tot oculos, aut capillos, quot homines, & insuper infinitos alios. Aliunde non potest: tum quia nequit mente concipi multitudo major, quam infinitas infinita, siquidem nullus est numerus cogitabilis, qui non inveniat inibi multiplicatus infinitis. Tum quia, sicut infinitum simpliciter, & in omni genere, nullo in genere potest admittere quid majus; ita infinitum in aliquo genere (puta multitudinis), nihil majus in eodem genere patitur. Et verò quis concipiat, unam infinitum in genere multitudinis infinite excedi ab alio infinito ejusdem generis? Tum quia unum infinitum extensionis nequit excedi ab alio: si enim una linea utrimque infinita excederetur ab alia, ibi terminaretur, ubi incipit excedi, ac proinde ter-

minum haberet, contra conceptum infiniti: simile quid accideret in infinito intensionis, si posset ab alio superari: ergo pariter censendum de infinito multitudinis, cum nulla sit ratio disparitatis: generaliter quippe verum est, quidquid exceditur ab alio, in eâ ratione, quâ exceditur, habere terminum, seu limitem, ultra quem non progreditur; atque adeo in illâ ratione limitatum, ac finitum esse.

6 Atque hinc impugnatur vulgata solutio Adversariorum, posse scilicet unum infinitum esse majus, aut minus alio, seu posse crescere, & decrecere, non formaliter, sed materialiter. *Contrâ* eadem est ratio: quia multitudo infinita eatenus potest crescere materialiter, quatenus potest habere plures unitates, quam antea, v. g. centum. At quod plures habere nequeat, probatum est modo. Et alioquin non est cur ad lineam utrimque infinitam non possint addi similiter centum palmi, cum talis linea sit quedam infinita multitudo palmarum. Hæc autem additio, cum fieret parti ultimæ, supponeret eo ipso partem ultimam lineæ, atque adeo terminum, & finem. Idem cogita de intensione infinita, cui centum gradus adderentur. *Contrâ 2.*: quia infinitum binariorum, actu positum, aliquas habet partes formales, seu quibus formaliter constat. Quasnam, quæso, nisi duplex infinitum unitatum? Sicut enim binarius constat formaliter unitate duplici, & centum binarii ducentis unitatibus, ita infiniti binarii constant formaliter unitatibus bis infinitis. Atqui potest infinito binariorum detrahi unum & alterum infinitum unitatum, non detractâ infinitudine, ut constat ex num. 3.

et-



ergo potest infinitum minui quoad partes formales, quod est minui formaliter.

7 *Contrā* 3: quia quod Adversarij intelligere videntur per *ly formaliter*, est, quod unum infinitum nequeat esse minus alio in ratione excludentis finem, seu quod una multitudo infinita nequeat esse minus innumerabilis, quàm alia. At in casu num. 5., si multitudo hominum exceditur à multitudine oculorum, nequit esse innumerabilis, seu innumerabilis. Cognoscit enim Deus, quantum excedatur illa multitudo, & quatenus commensuretur alteri, seu quantum illi desit, ut alteri sit æqualis: quod certè fieri nequit, nisi Deus cognoscat, multitudinem hominum certis unitatibus finiti, vel in eà tot præcise unitates esse, non plures: nisi enim redigantur unitates ad certum numerum, quomodo potest cognosci pauciores esse? Sic autem hominum multitudo jam cognoscitur ut finita. Adde, quod infinitum oculorum, cum sit duplo majus infinito hominum, duplicat infinitatem ejus: ergo excedit in ratione infiniti: quemadmodum Angelus A., si virtutem intellectivam alterius in se duplicet, illum excedit in ratione intellectivi.

8 Ex his patet, quantum urgeant alia absurda, quæ objici solent contra infinitum in actu. v. g. quod in uno infinito multitudinis non plures erunt unitates, quàm binarij (quod ex terminis implicat): ibi enim sunt infiniti binarij, ac proinde non pauciores, quàm unitates. Item, quod, si creentur infiniti homines cum singulis tantum annulis, quos deinde projiciant in acervum, poterunt postea singuli homines ex acervo resumere duos annulos (quod item im-

plicatorium est); tunc enim in acervo binarij annulorum infiniti infiniti, qui proinde nequeunt esse pauciores, quàm homines.

9 *Iydem* argumentis impugnari poterit infinitum intensiois, aut extensionis, cum sit infinita multitudo graduum, vel palmorum, ulnarium &c.; idedque reduci possit ad infinitum multitudinis. Sed præterea specialiter contra infinitum extensionis argui potest 1.: producat Deus virgam infinite protensam; ac deinde partes ejus coarctet, ac disponat in globum, sine penetratione, aut bilocatione. Quæro, an globus ille occupet spatium infinitum? Si *afferas*: ergo partes virgæ non bilocata spatium occupant infinite majus, quàm antea; siquidem antea solum occupabant infinite longum; nunc autem circumquaque infinitum, ut fert natura globi. Si *neges*: ergo antea partes illæ non occupabant spatium infinitum; siquidem nunc occupant tantumdem, & non nisi finitum, quod certè, licet disponatur in longum juxta crassitiam virgæ, nequit æquare longitudinem infinitam.

10 2.: una longitudo infinita nequit esse minor alià, quàm parte infinita est, v. g. si utraque sit versus orientem; ut Adversarij supponere videntur, & constat ex dictis; nam quæ minor esset, ibi terminum & finem haberet, ubi inciperet ab alià excedi. Aliunde, quod possit esse minor, probatur: quia potest Deus in virgâ infinitâ producere infinitas formicas cum intervallo unius leucæ inter singulas: quo in eventu formicæ occuparent minus spatij, quàm virga, ut est evidens; & tamen occuparent spatium infinitum. Conjungat postea Deus, & ordinet ad virgæ latus eadem formicas, seriatim unam post al-

teram absque intervallis: illæ, ut potè infinitæ, lineam efficientem ablatiōis infinitam, quæ tamen minor erit longitudine virgæ, ab eaque superabitur toto spatio respondente prioribus intervallis; ut patebit consideranti.

11 3.: detur linea hinc incipiens, & versus orientem infinita: non omnes palmi istius lineæ distant infinite ab hoc loco, sed aliqui distant infinite, aliqui finite: ergo, cum omnes sint continuati, aliquis est palmus infinite distans, qui continuatur cum palmo finite distante: videt igitur Deus, palmum B. infinite distantem ab hoc loco immediate continuari cum palmo A. finite distante, ac proinde distantiam finitam palmi A fieri infinitam per unius palmi additionem, contra proloquium illud, *Finitum additum finito non facit infinitum*. Rursus, ducatur ab hoc eodem loco, ut à centro, secunda linea, versus meridiem infinita: sanè utraque linea, orientalis, & meridionalis, habent inter se distantiam infinitam; nam eò magis inter se distant, quò longius recedunt à centro, & ab hoc recedunt infinite: videt ergo Deus, ubinam, vel quibus in punctis una linea infinite distat ab alterâ: si ergo inter ea utriusque puncta ducatur linea transversa, hæc erit infinita; & tamen infinita esse non poterit, ut potè utrimque clausa terminis intrinsicis: quamvis enim unus aut alter ex Adversarij admittat infinitum terminis clausum, id tamen rejicitur à cæteris omnibus, ut planè destruens notionem infiniti, quod idem sonat, ac interminatum.

## CAP. III.

## ARGUMENTA CONTRARIÆ

sententiæ dissolvuntur.

1. *BSIC.* 1.: juxta D. Thomam Opusc. 25., *Adhuc non est*

*demonstratum*, quod Deus non possit facere, ut fiat infinita actus: Sed id, in quo non demonstratur contradictio, possibile censendum est: ergo. *Resp.* 1.: cum post D. Thom. tot ingenia sapientum in demonstrando repugnantiam infiniti categorem. insudarint, nihil mirum, quod repugnantia postea demonstrata sit; aut saltem fere demonstrata sit; quod sufficit, & non negat D. Thomas. *Resp.* 2.: quod censeri debeat possibile id, cujus non demonstratur impossibilitas, solum est verum in objectis, quorum quidditas, aut constitutio partium, vel prædicatorum, satis distinctè concipitur; ut advertimus *tr. 1. d. 3. c. 4. n. 15.*: non autem, quando agitur de objecto tenebris & confusione pleno (quale fatentur esse infinitum in actu fautores ejus), quodque vix aliud introsipientibus offert, nisi contradictionem, aut magnam saltem contradictionis speciem; tunc enim præsumptio stat pro impossibilitate.

2. *Objic.* 2.: possibile est infinitum syncategorematicum, tum in speciebus creaturarum, tum in individuis cujusque speciei, ut constat ex *cap. preced.*: ergo & infinitum syncategorematicum, sive in actu. *Prob. Consequ.* 1.: quia ex infinitate syncategorem. sequitur esse posibles infinitos homines v. g.: ergo, cum nullus eorum repugnet simul existere cū alijs, omnesque simul contineantur in omnipotentia Dei ex se infinita, poterunt infiniti simul existere. 2.: quia in infinito syncategorem. instantur argumenta nostra, maximè si consideretur prout actu cognitum à Deo. Pariter enim de infinita multitudine hominum possibilium à Deo cognita quæri potest, an contineat plusquam necessarium est ad infinitatem? an discerni possit superfluum à necessa-



tionem mentaliter dividi possit in plura infinita an in partes aequales totid an in eâ tot sint homines, quot capilli, vel tot binarii, quot unitates? &c. 3.: quia, dicitur in infinitate syncategorem. dantur de facto infinitæ carentiæ, infinitæque possibilitates creaturarum; in quibus infinitis nostra pariter argumenta militant.

3. Ad *objec. neg. Consequ.*, quin obstant probationes. Ad 1. *dist. Antec.*: sequitur, possibles esse infinitos homines, distributivè per singulos; vel per collectiones eorum actu finitas, quæ semper augeri possint magis, ac magis (in quo stat infinitudo syncategorem.), *conc.*; collectivè, seu per collectionem, aut collectiones actu infinitas, *neg. Antec.*, & *Consequ.*. Et in isto in divisionibus continui, postâ sententiâ Aristotelis, quam plerique Adversariorum sequuntur: nam possibles sunt infinitæ divisiones continui, & earum nulla repugnat simul poni cum alijs, omnesque simul continentur in Omnipotentia: poterunt ergo simul omnes poni: quam sequelam vix est, qui devoret; cum ex eâ fieret, continuum actu divisum esse, quantum est divisibile, adedque redigi ad indivisibilia; quod in sententiâ Aristot. implicat. Itaque, licet nullus homo repugnet simul existere cum alijs in quacumque collectione finita, repugnat tamen in collectione infinita, quia repugnat concurrere cum alijs ad constituendum multitudinem chymericam, seu contradictionibus plenam. Omnes autem continentur in omnipotentia simul facultate virtutis activæ; non tamen similitate passivæ coexistentiæ; quâ ratione simul continentur in Omnipotentia meus assensus & dissensus, aut amor & odium ejusdem objecti. Nec de ratione infinitæ virtutis est

posse producere effectum actu infinitum (aliàs posset producere infinitum simpliciter in perfectione entitativa), sed solum posse producere finita in infinitum, id est, non tot, quin plura, nec tantum, ac tale, quin majus, & melius.

4. Ad 2. *prob.* (quæ totum, vel præcipuum robur est contrariæ sententiæ) prænoto, creaturas possibles, sive in omni specie, sive in aliqua, v. g. humanâ, numquam posse concipi omnes collectivè (ita ut ex eis mente formetur una collectio, vel una quædam multitudo constans partibus infinitis), quin eo ipso concipiuntur ut objectum chymericum: concipiuntur enim ut constituentes totum, vel aggregatum quoddam, non majus suâ parte, unum & non unum, potens & impotens decreverit, confundens necessarium cum superfluo, &c. Quare eadem argumenta, quæ probant, repugnare collectionem infinitam in existentibus, probant etiam in possibilibus: non enim aliterabilia sunt, nisi quantum possunt ad actum existentiam reduci. Sic, quia repugnat homo existens non major suâ parte, nequit ita concipi in statu possibilitatis. Hinc negandum est, quod Deus possibles cognoscens ut talia, cognoscat collectionem omnium, vel infinitorum; quia talis collectio non est possibilis. Cognoscit ergo Deus omnia distributivè; quatenus nullum eorum, nullusve numerus, aut collectio finita, in infinitum multiplicabilis, Deum latet. Et hoc sonat, quod dici solet, Deum cognoscere omnia, non omnitate collectivâ, sed omnitate distributivâ.

5. Scio, hanc doctrinam multis impugari à P. Joan. BAPT. DE BENEDICTIS *lib. 3. Physic. q. 5. c. 2.*, ubi

contendit, multitudinem infinitam posse accipi collectivè, seu termino collectivo significari. 1.: quia propositio hæc, *Multitudo infinita possibilium non potest existere tota simul*, apud nos vera est; & tamen subjectum ejus collectivè accipitur. 2.: quia pariter vera est hæc propositio, *Possibilia à Deo cognita non habent terminum*; ubi subjectum supponit copulatè, seu collectivè. 3.: quia mens nostra format collectionem finitorum etiam non collectivè ponibilium, dum scilicet simul concipit durationes, aut partes temporis, non nisi successivè ponibiles, easque significat nominibus collectivis, qualia sunt *hora, dies, &c.*: quamvis ergoabilia infinita nequeant simul existere, cum tamen Deus omnia simul cognoscat, cur non formabitur collectio ex omnibus in mente Divinâ? 4.: quia multitudo, cui convenit aliquod esse determinatum, toti simul, est tota simul acceptibilis: sed multitudini possibilium omnium toti simul convenit esse objectivum, seu intentionale in mente Divinâ: ergo. Vel aliter: si nunc existerent à parte reiabilia omnia, nullo excepto, daretur infinitum categorem. in esse rei: sed nunc existunt intentionaliter in mente Divinâabilia omnia, nullo excepto: ergo nunc datur infinitum categorem. in esse cogniti. Certè, siabilia omnia ponerentur in re, prout sunt in mente Dei, facerent infinitum in actu. 5.: quia negari nequit,abilia omnia simul cognosci à Deo: ergo à Deo accipiuntur simul, seu collectivè; nam intentionalis acceptio est ipsa cognitio. His addi potest 6., quod passim, & verè dicimus, *Objectum adequatum scientiæ simplicis intelligentiæ continetabilia omnia*: ubi terminus, *objectum adequatum*, collectivus

est circa dubium, cui solus respondet descensus copulatus.

6. Hec tamen non urgent. Non 1.: quia subjectum illius propositionis supponit quidem collectivè, sed pro objecto chymericum; tale quippe est omne, cui verè negatur potentia existendi. Non 2.: quia propositio illa reddit hunc sensum, *Possibilia à Deo cognita nunquam possunt designari tot, quin plura sint cognita*: ubi subjectum distributivè supponit pro singulis collectionibus finitis. Non 3.: quia partes temporis finiti (quidquid sit, an significantur nominibus propriè collectivis) saltem possunt omnes consecutivè reduci ad actum, singulæ in sensu composito præteritionis, aut futurationis cæterarum omnium. At ne sic quidem sunt reducibiles ad actum partes collectionis infinitæ.

7. Non 4.: quia Major solum est vera de predicato, quod non determinat subjectum ad suppositionem præcisè distributivam, sed relinquit indifferentem ad collectivam, cujusmodi est denominatio *realiter existentis*: lectus verò de predicato necessariò exigente distributionem subjecti. Sic verè dicitur, *Omnis homo est unus homo*, quia nullus est, qui non sit unus; falso tamen, *Collectio omnium hominum est unus homo*: ubi cernis, predicatum, *unus homo*, convenire toti multitudini, id est, omnibus hominibus, simul simultate temporis, aut verificationis, quia verificatur eodem tempore de singulis; & tamen non convenire collectioni. Simile quid accidit in hac propositione, *Omnis pars componit, aut est minor toto*, cujus predicatum simul convenit omnibus partibus; nec tamen verificatur de collectione omnium. Unde adverbium *simul*, non determinat collectionem ex parte



Subiecti, sed potest referri ad simultatam verificationis distributivæ. Cum ergo prædicatum *cogniti* ab intellectu Divino, vel ab alio non formate chymeras, determinet multitudinem possibilem ad supponendum pro singulis collectionibus finitis in infinitum (quia solum convenit illi multitudini quatenus verè possibili), nequit sub eo accipi multitudo tota simul, seu collectivè. Hinc ad syllogismum adjunctum, concessis præmissis, *neg. Consequ.*: quia in prædicato *existentis à parte rei*, tenet illatio ab omnibus distributivè sumptis ad collectionem, seu finitâ, seu infinitam; secus verò in prædicato *existentis intentionaliter* in mente Divinâ. Quare argumentatio illa tam est inefficax, quam hæc: Si existit realiter omnis pars compositi, nullâ exceptâ, collectio earum realiter existit; ergo, si omnis pars, nullâ exceptâ, componit, collectio componit. Sed quid si possible omnia ponerentur in re, prout sunt in mente Divina. *Resp.*: hæc hypothesis implicat in terminis: nam, si ponerentur in re omnia, ponerentur simul, seu collectivè; quia sic exigit indoles prædicati: & eo ipso jam non ponerentur, prout sunt in mente Divinâ; quia, prout ibi sunt, repugnant singula simultaneæ omnium existentæ reali. Simul ergo ponerentur & non ponerentur, prout in mente Dei sunt, facerentque simul & non facerent infinitum in actu.

8 Non s: quia possible omnia cognoscuntur simul similitate cognitionis, sed non similitate objecti, de quo, tamquam de uno quodam aggregato, possit Deus affirmare aliquid non fictitium: omnis autem cognitio est quidem intentionalis acceptio, sed non necessariò collectiva,

cum læpe sit acceptio distributiva, ut patet in his, *Omnis homo est unus, Omnis pars componit*. Non denique s: quia, licet non semel cuncta possible significemus terminis collectivis, ut nomine *objecti adæquati, collectionis omnium*, & similibus, id facimus vel ob penuriam vocum, vel ad vitandum verborum circuitum. Reverâ tamen locutio impropria est: quia scientia simplicis intelligentiæ non habet propriè objectum adæquatum, sed objecta inadæquata, plura, & plura in infinitum. Quapropter, sicut plures causæ intrinsecæ inadæquatæ non componunt unam adæquatam, ut ostendimus tract. 1., ubi de distinctione totius à partibus; ita in præsentibus discurrendum. Nec sua Grammaticis jura tollimus, aut facultatem adimimus utendi nominibus collectivis, ut objicit citatus Author. Utantur istiusmodi nominibus, quantum libuerit; dummodo constet apud Philosophos, quòd, illis propriè usurpatis circa possible omnia, non subest nisi objectum chymericum.

9 Doctrinam datam vel Adversarij probare debent. Tum in divisionibus continui, quæ si possint in unam multitudinem colligi in mente Divinâ quotquot sunt possible, in eo divisionum cumulo intuebitur Deus continuum ad indivisibilia redactum, siquidem consueque divisum erit intentionaliter, ut non sit ulterius divisibile. Tum in durationibus Angeli (quas cum Adversarijs nunc pono modales, & essentialiter successivas) in æternum processuris: nulla quippe duratio futura est, quam non sequatur ulterius alia, quia nulla est ultima: nulla igitur est, quæ non cognoscatur a Deo sub ratione præcedentis alia. Si ergo possunt omnes à Deo accipi copulatim, poterit

rit Deus dicere sensu collectivo, Præter omnes durationes dabitur duratio ulterior: quod tamen in terminis implicat. Eadem instantia fieri potest in gradibus intensiōis, præsertim heterogeneis.

10 His ita præmissis, jam facile solvitur 2. probatio num. 2.. Negamus, quòd infinitum syncategorem. verè sit, aut considerari possit (nisi fictitiè) ut una collectio, seu multitudo una rerum infinitarum: non enim est, nisi plures & plures unitates, multitudines & collectiones finitæ in infinitum; nec aliter à Deo cognoscitur. Unde quæstiones illæ num. 2., An multitudo hominum possibilem à Deo cognita, contineat plusquam necessarium est ad infinitatem? An dividi possit in partes æquales toti? &c., sunt de subjecto non supponentes; quia nulla est possible multitudo infinita, collectivè significabilis; nec nisi fingendo fieri potest comparatio, etiam in statu possibilitatis, inter infinitum hominum & infinitum capillorum, aut etiam binariorum & unitatum: sed unicè verum est, quòd in quacumque crinitorum hominum multitudine designabili (quæ semper finita erit) plures sunt capilli, quam

homines, plures unitates, quam binarij, nullamque partem toti æqualem esse.

11 Ad 3. prob. num. 2. carentiæ non sunt objecta quædam constituenta multitudinem: nec aliud sonat carentias infinitas dari de facto, quam non dari de facto creaturas infinitas. Quòd si velis, carentiam esse objectum per se significabile, dicam, dari de facto carentiam infinitæ multitudinis creaturarum, sed non nisi unicam, & necessariam, quæ scilicet uno velut impetu excludit totam illam multitudinem ut chymericam: dari quoque de facto carentias possibilem syncategorematicè infinito. rum, sed has non posse collectivè significari, sicut nec possible ipsa, quorum indolem suo modo referunt. Possibilitates rerum non existentium intrinsecæ, seu passivæ, non dantur de facto, sed solum darentur, si res existerent; cumque res nunquam possint existere actu infinitæ, sequitur, nec possibilitates infinitas de facto dari posse. Quòd si loquaris de possibilitatibus, prout objiciuntur cognitioni Divinæ, jam redis ad 2. probationem, nuper solutam affatim.



## DISPUT. IV.

### DE COMPOSITIONE CONTINUI.

CONTINUUM est, quod partes habet integrantes (id est, non se respicientes per modum actus & potentie) naturali nexu copulatas. Hinc differt ab artefacto, cujus partes colligantur artificiali nexu. Differt etiam



etiam à Contiguo, quia hoc non importat unionem, sed meram immediationem loci. Unde dicuntur *continua*, quorum extrema sunt unum, idest, unita naturaliter: *contigua* verò, quorum extrema sunt simul, idest, in locis immediatis. Sic partes Continui sunt in aquà guttæ, in humano corpore manus, brachia &c., in tabulâ, in paleâ, in grano tritici, fragmina, vel particula, in quas dividi potest. Continuum ex ijs partibus componitur, in quas est divisibile, sive à creato agente, sive à Deo. Divisibilitas Continui res est notissima, vulgarisque. Scire autem, quousque progredi possit divisio partium, an semper ad particulas ulterius divisibiles, an verò usque ad indivisibilia, & penitus simplicia; hoc opus, hic labor: cui se imparem fateri nullus Philosophus erubescit.

Claritatis gratiâ quædam sunt prænotanda. 1.: continuum aliud est *permanens*, cujus nimirum partes simul existunt, ut palea: aliud *successivum*, cujus scilicet partes fluxu non interrupto prætereunt, ut motus, aut tempus. *Successivum*, cujus pars statim perit aliâ succedente, solam habet continuitatem sumptam pro non interruptâ successione; non enim præexistens cum non existente physice uniri potest. Continuum intentionis (cùm scilicet qualitas, v.g. calor, in eadem parte subjecti & loci continuè augetur) dici potest *successivum* in fieri, & *permanens* in facto esse. 2.: partes Continui jam ante divisionem realiter & actualiter inter se distinguuntur, quidquid aliqui reclamare videantur: quia separabilitas, quæ divisionem præcedit, est signum evidens distinctionis realis; alioquin posset aliquid à semetipso separari. Quis neget, manum à brachio distingui, pedem à crure, ramum à trunco, vel ante divisionem? Quodsi Aristoteles interdum ait, in Continuo non esse partes actu, sed potentia, loquitur de partibus numerabilibus quoad nos, qui donec partes dividamus manu, vel mente, non possumus eas computare, vel inter se conferre, præsertim in Continuo homogeneo. Quod autem reipsa, & coram Deo distinctæ sint, ita ut una realiter non sit aliâ, negari nequit, nisi Continuum dicatur simplex, & omnis compositionis expert, atque adeo infectibile. Nec est idem *indiviso*, & *indistinctio*, ut patet in corpore & animâ hominis.

3.: partes Continui permanentis non ununtur seipsis; aliâs non possent existere separatæ. Nec audiendi sunt Atomistæ, qui ponunt atomos hamatas, aut præditas quibusdam anfulis, quibus invicem illigentur absque unione distinctâ. Nam ut omnem difficultatem concipiendi hamos, aut anfulas in atomo prorsus infectili, colligatio illa necessariò consistet in certâ figurâ, certâve præsentia locali, quæ proinde ipsa unio erit ab extremis distincta. Alij ergo pro unione ponunt puncta continuantia, quæ neutrà in parte recipiuntur, utraque tamen essentialiter exigunt sibi propinquissimam absque penetratione. Alij agnoscunt unionem pure modalem, eamque, vel conflatam ex duabus partialibus, quarum unaquæque in suâ parte recipiatur exigendo præsentiam alterius in loco immediato; vel simplicem, & in alterâ tantum parte receptam, in illa scilicet, quam Deus determinaverit, sicuti determinat quoslibet effectus causæ secundæ quoad individuum. 4.: in quantitate continuâ considerantur à Mathematicis (præter punctum, dimensionis expert) linea, superficies, & solidum, juxta tres notissimas dimensionis, longitudinis, latitudinis, & profunditatis, quæ vocantur quantitatibus species. Linea longa est, non lata, nec profunda. Superficies est longa, & lata, sine profunditate. Solidum est longum, latum, & profundum, venitque nomine corporis mathematici.

## CAP. I.

ARISTOTELIS SENTENTIA PROPONITUR, & QUAM SIT DIFFICILIS, OSTENDITUR.

**A**ristotelica sententia docet, quodvis continuum componi ex partibus divisibilibus in infinitum, ita ut nulla, quantumvis exigua, sit designabilis, etiam à Deo, quæ dividi nequeat iterum atque iterum sine fine, vel ab Angelo, vel à Deo ipso. tamen admittit hæc sententia infinitum in actu, seu cathogorematicum, extensionis, aut multitudinis partium, si unam, aut alterum Authorem excipias. Admittunt etiam plerique Aristotelici admixta cum partibus infinita puncta indivisibilia, quæ vocantur *copulata*, & *terminantia* eò quòd quantitatem continuum termineat, ejusque partes inter se copulent infater unionem: quæ tantem puncta, sicut & divisiones partium factibiles, in hac sententiâ solam habent infinitatem syncategorematicam; nam quæcumque designentur, finita sunt, quamvis possint designari semper plura & plura sine fine. Hæc sententia magnâ pollet autoritate: nam eam tenent Thomistæ cum D. Thomâ, Scotistæ cum Scoto, & plerique Nostrorum cum P. Suarez: subscribunt ex neotericis Cartesiani cum duce Cartesio.

2. Porro partes, in quas potest dividi continuum, quoad præsens attinet, sunt in duplici differenciâ. Nam alias vocantur *aliquotas*, eò quòd aliquoties ductæ, seu repetitæ, totam quantitatem adæquant: talis est v.g. in ulna palmus, qui quater ductus totam metitur ulnam. Easdem vocantur *determinatas, æquales, & non communicantes*; quia certam & æqualem inter

se mensuram habent, nec unaquam à communi, idest, nihil de aliâ participat, sed adæquatè distinguuntur invicem; ut in quatuor ulnæ palmis videre licet. Alias verò appellantur *proportionales*, illas scilicet, quæ novis partium subdivisionibus, eadem proportione factis, deteguntur; ut si quantum bipalmare primum dividatur in duos palmos, deinde in quatuor semipalmos, postea in octo medietates semipalmorum, & sic deinceps: servatur enim semper proportio dupla, tum in minoritate, tum in multiplicatione partium. Numerus partium ex unaquaque divisione ac subdivisione resultans, vocatur *series*: unde duo palmi sunt prima series, quatuor semipalmi secunda series, octo medietates semipalmi tertia series, &c.

3. Ubi notandum, quòd partes in unaquaque serie semper sunt inter se æquales, & non communicantes, ut evidens erit inspicienti: sunt etiam aliquotæ relatu ad totum, etiam primo divisum: sicut enim palmus bis ductus adæquat quantitatem bipalmarem, ita eadem adæquat semipalmus quater repetitus. Quare, dum partes proportionales vocantur *inequales, & communicantes*, intelligendum id est respectu partium, quæ pertinent ad series præcedentes, aut subsequentes. V.g. semipalmi comparati cum palmis, licet utrique sint partes quanti bipalmaris, sunt partes inæquales, & communicantes: quia semipalmi sunt minores palmis, de illisque singuli participant aliquid. Interdum partes proportionales vocantur etiam *indeterminatæ*, fore quia juxta Aristotelem decretere possunt in quantitate per novas series sine parvitate termino determinabili. Vocantur item nonnumquam *aliquotas*.



quantitas, sed immeritò: nam aliquanta dici solet pars non aliquota, seu non commensurabilis cum toto, v. g. quantitas tripodalis respectu decempedæ; pars enim ista ter ducta non adæquat totum, quater autem ducta illud excedit. Quidquid sit de terminorum explicatione, quæ varia & confusa solet esse in præfenti, communiter asserunt Aristotelici, partes aliquotas in continuo finitas esse, proportionales autem infinitas, seu multiplicabiles in infinitum.

4 Verùm enim verò sententia Aristotelica difficillima est. Nam ex eâ sequitur, in exigua festuca v. g. reperiri partes actu & categorèmaticè infinitas: sed hoc est absurdum: ergo. Minor communiter conceditur ab Aristotelicis, & immeritò negatur ab uno, vel altero. Tum propter difficultates infiniti categorèmaticè, de quibus supra. Tum quia, cum singulæ partes suam habeant extensionem localem, nec una cum aliâ penetratur, si sunt actu infinitæ, quomodo non reddunt festucam infinitè extensam? Respondet acutus Author, partes proportionales, minores, & minores in infinitum, infinitam extensionem componere non posse: quia, sicut multiplicatio istarum partium secundum numerum, non auget extensionem quantitatis (neque enim resultat major extensio ex quatuor semipalmis, quàm ex duobus palmis, licet illi sint quatuor, & isti duo, & idem: que accidit in cæteris subdivisionibus, numerum partium duplicantibus), ita nec earundem infinitudo extensionem augere valet: ubi enim plus multitudinis non facit plus molis, nec infinitam multitudinis facere poterit infinitum molis.

5 Verùm hoc difficultatem haud solvit. Nam licet secunda series

non augeat extensionem primæ, nec tertia secundæ, & sic de cæteris; si tamen series ipsæ multiplicari possunt in infinitum, eo ipso arguitur in primâ serie, vel in primo diviso moles infinita. Quomodo enim finita moles continere poterit infinitas non oleas extensas, & expenetratas, quamcumvis parvas? præsertim cum illæ omnes sint adæquatè distinctæ inter se, ut fateatur Author responsionis. Prætereà sic argumentor: in continuo Aristotelico dantur infinitæ partes (sive proportionales vocentur, sive non), quarum alie alijs additæ majorem faciunt extensionem: ergo facient extensionem infinitam, siquid valet ratio responsionis. Patet Antecedens: nam, si ex paleâ palmari separetur prior semipalmus, ac deinde medietas residui, hæc medietas appositâ priori semipalmo, minor quidè est illo, sed tamen extensionem ejus auget abudubio, cum nihil de ipso participet, sed adæquatè distincta superveniat: tum, si residuum paleæ dividatur in sui medietates A., & B., medietas A. additâ priori semipalmo jam aucto, novum addit augmentum extensionis: idem continget, si medietas B. residua dividatur iterum in sui medietates C., & D.; & sic deinceps sine fine; nunquam enim manere potest residuum paleæ tam exiguum, ut à Deo dividi nequeat in sui medietates: dantur ergo in continuo medietates infinitæ (utique non communicantes, sed adæquatè distinctæ), quæ licet proportionaliter decreascent, tamen alijs alijs additæ plus afferunt molis.

6 Accedit, quòd in paleâ medietates illæ proportionales positæ sunt omnes in longum, una post aliam: si ergo sunt actu infinitæ, formica, totam paleam percurrentes motu continuo, successivè percurreret par-

tes

tes infinitas: quod omnino repugnat, eum de conceptu infiniti sit, juxta omnes, esse inapertransibile successivè. Accedit insuper, quòd poterit à Deo fieri omnimoda continui divisio in partes infinitas; non enim magis repugnat infinitum partium divisarum, quàm unitarum. Sequelam admisit Gregor. Ariminensis, cui unus è modernis assentitur, & prætereà nullus, quem sciam Cæcili omnes illam omnino respuunt: quia vel illæ partes manerent ulterius divisibiles, vel non? Si primum; non esset facta divisio omnimoda, contra suppositionem: Si secundum; jam continuum esset reductum ad indivisibilia; ex quibus proinde componi de facto necesse est, siquidem ex ijs componitur, in quæ resolvi potest. Non me præterit, hoc argumentum eludi posse per tenebras infinitatis: sed lucem quærimus, non caliginem.

7 Jam Major primi Syllogismi num. 4. probatur facile, posito partes continui actu inter se distingui ante divisionem, ex dictis in limine disput. Nam in festuca datur multitudo partium (multitudo, inquam, ex distinctis, licet non ex divisis), quæ nullâ successivâ numeratione, vel ablatione exhauriri potest: sed talis multitudo est infinita, ut patet ex conceptu infiniti, prout à finito conditio: cum ergo sit actu existens, erit infinita in actu seu categorèmaticè. Urgetur 1.: Deus intuetur omnes festucæ partes existentes, & actu distinctas ante divisionem: vel ergo videt eas esse in numero finito, vel in infinito? Si primum, poterit tandem finire divisio continui: si secundum; nihil deest ad infinitum in actu. Urgetur 2.: partes actu positæ, quæ licet successivè extrahantur totâ æternitate, finire nequeant, sunt categorèmaticè infinitæ,

dummodò sint inter se adæquatè distinctæ, & non communicantes. Quid evidentius? At ita se habere partes festucæ, constat exemplo num. 5. Nam medietates illæ proportionales in primis sunt adæquatè distinctæ, & non communicantes cum præcedentibus seorsim positis, ut est manifestum: ac deinde, licet eas Deus successivè extrahat totâ æternitate, nunquam finiet, seu nunquam perveniet ad residuum insectile in novas medietates sui.

8 Id ipsum patet in hoc folio papyraceo v. g.: potest enim Deus ex eo, quâ profundum est successivè deducere, & in cumulo seponere tenuiora foliola, plura, & plura in æternum, ita ut nunquam pervenire queat ad ultimam superficiem, aut crustulam insectilem. Hæc autem foliola (quibus regi poterit totus hic Mundus, & multiplex alius, quod nimis est mirabile), licet sint alia alijs minora, vel subtiliora, tamen sunt inter se adæquatè distincta, & non communicantia. Atque hinc etiam probatur extensio infinita in paleâ palmari v. g.: nam in casu num. 5. sequentes medietates proportionales, additæ priori semipalmo seorsim posito, singulæ augent extensionem; quia finitum, quantumvis modicum, additum finito facit majus: ergo & extensionem augent, dum sunt unitæ in paleâ, cum ibi jam sint distinctæ, extensa & expenetrata: dantur ergo in longitudine paleæ tot incrementa extensionis, ut successivâ numeratione finire nequeant. An non hæc est extensio infinitabilis?

9 Urgetur 3.: puncta indivisibilia copulantia partes, quæ à plerisque Aristotelicis admittuntur, non sunt finita in grano sinapis v. g. tot enim sunt, quot divisiones partium pos-



possibiles, & hæc non sunt finitæ: sunt igitur ejusmodi puncta infinita, & quidem in actu, cum actualiter existant. Occupant autem singula distinctum locum; quia nullum cum alio penetratur: unde in eo granulo existent infinita puncta, locum infinitum occupantia. Urgetur 4., & validissime, in continuo successivo, sive in tempore. Nam omnes partes unius horæ successivè existunt, & ita quidem, ut nunquam verificetur, duas partes, aut particulas simul existere, nec simul transire. Hinc autem legitur 1., partes horæ transactæ non esse infinitas; quia repugnat, infinitum successivè transire; quod etiam de infinito syncategorematico verum est. Certè in horâ tot erunt medietates proportionales adæquatè distinctæ à præcedentibus, quot in paleâ palmari: sed ex dictis num 5. medietates illæ tot sunt in paleâ, ut eas Deus successivè finire nequeat, licet totâ æternitate separet aut destruat alias, & alias: cum ergo similes medietates in horâ successivè transeant, ac destruantur (non enim unquam transeunt duæ simul), nunquam poterunt finire omnes, aut transire, sed efficiant horam æternam. Idem clarè cernitur in instantibus, aut punctis temporis continuativis, quæ infinita esse debent eadem ratione, quâ puncta continui permanentis; & non transeunt duo, vel plura simul, sed successivè singula: unde nunquam transibunt omnia unius horæ. Sequitur 2., partes horæ nunquam esse præsentis, nec actu existere: quia, cum nulla pars sit indivisibilis, omnis pars constat partibus, aut particulis: unde, si aliqua esset præsentis, ejus particulæ simul essent præsentis, quod repugnat continuo successivo. Solæ ergo successivè præsentia sunt

instantia indivisibilia, quæ in sententiâ Aristotel. non sunt partes temporis, sed quasi uniones partium: ergo non aliæ partes, præter sola instantia, sunt præteritæ, nec futuræ; quia non est præteritum, nisi quod fuit præsens; nec est futurum; nisi quod præsens erit, vel ratione sui totius, vel ratione partium successivè præsentium.

10 Denique sententia Aristot. falsa erit, si detur linea meris punctis constans, superficies meris lineis, solidum meris superficiebus: sic enim solidum, analysi factâ, ultimò dividetur in puncta. At, quod ita res habeat, probatur: quia, ut Mathematica demonstrat, circulus lineæ rectam non tangit nisi in puncto, dimensionis experte: unde, si tota linea moveatur tangendo circumulum, tota tangetur, semperque in puncto: non ergo constat nisi punctis. Globus etiam perfectè sphericus non tangit planum nisi in puncto: quare, si rotetur in plano, lineam describet solis punctis constantem. Jam verò plani superficies meris constat lineis nullius latitudinis: nam, si cylindrus volvatur in plano, totam ejus superficiem tangit, cum tamen nunquam à cylindro tangatur planum nisi in lineâ. Denique duo plana se tangunt secundum superficies non profundas, seu indivisibiles quoad profunditatem: si enim superficies, quatenus se tangunt, profunditatem haberent, penetrarentur quoad partes extremas, aut priores in ordine loci, cum non aliter possent inmediate accedere invicem quoad partes internas, aut posteriores. Cumque ratio ista pariter militet in extremâ cuiusque plani superficie respectu partium internarum ejusdem corporis, sequitur, quod externa superficies im-

mediatè continuatur cum aliâ internâ superficie, seu latitudine, pariter non profundâ, & hanc eodem jure cum aliâ interiore, atque ita deinceps, donec absolvatur solidum, quod proinde meris constat superficiebus.

## CAP. II.

PROPONITUR SENTENTIA ZENONIS, & ejus difficultas exponitur.

**Z**ENO, Stoicorum princeps, continuum componi docuit ex solis indivisibilibus, tamquam ex primordijs, plurimis quidem in quovis corpulculo sensibilibi (quot nemo nostrum numerare queat in grano sinapis v. g.), sed tamen coram Deo finitis, seu finito in numero: atque ex ijs in longum continuatis resultare lineam, ex lineis in latum repetitis superficiem, ac tandem ex superficiebus in profundum multiplicatis solidum, sive corpus. Quodsi ordine analyticò procedatur, corpus resolvetur in superficies, istæ in lineas, lineæ in puncta physicè in sectilia. Hanc sententiam amplectuntur Authores plures, & graves, quos citat, & sequitur P. Quiros *disp. 67. sect. 2.* Accedit P. Izquierdo, quem citatum sequuntur P. Peinado *lib. 6. disp. unic. sect. 1. & seqq. P. Joan. Ulloa Philosoph. natur. disp. 2. cap. 7.*, & plures alij. Subscribunt Auctor Philosoph. Burgund., Maignan, Tosca, cæterique Atomistæ moderni.

2 Ex his tamen Authoribus alij negant, alij concedunt unicuique puncto suam extensionem, figuramque. Nonnulli agnoscunt etiam in quovis puncto naturalem capacitatem, ut occupet pro varietate circumstantiarum nunc minorem, nunc

majorem locum, sive ut replicetur nunc in pluribus, nunc in paucioribus punctis (spatij): quemadmodum anima hominis, aut etiam anima leonis in sententiâ Thomisticâ, licet indivisibilis, existit naturaliter nunc in minori, nunc in majori spatio, juxta varias corporis ætates. Atque hujusmodi puncta, quia in replicatione quodammodo intumescunt, vocari solent *tumentia, turgida vel inflata*. Monent quoque plures, nec se, nec Zenonem loqui de Continui divisibilitate mathematicâ, nec de punctis mathematicè consideratis (de quibus postea sermo erit); sed tantum de primordijs physicè, seu realiter insectilibus, sive illa vocentur *minima, sive puncta, sive atomi*. Nec propterea hi omnes censeri debent *Atomistæ*, prout hoc nomen vulgo significat constituentes substantiale compositum ex solis materiæ atomis variè complicatis: loquuntur enim in præsentia de solâ compositione integrali, quam fieri volunt ex atomis tum materiæ, tum formæ peripateticæ.

3 Sententia Zenonis probatur argumentis contra Aristotelicam supra datis. Si enim repugnat, continuum componi ex partibus sine fine dividuis, aut etiam ex punctis infinitis, superest, ut ex indivisibilibus finitis, tamquam ex primis componentibus, coalescat. Accedit 1., quod natura ubique aliàs abhorret processum in infinitum, præsertim in causis, tum extrinsecis, tum intrinsecis compositionis essentialis, in qua juxta omnes assignari debet prima forma, primumque subiectum, ex alio subiecto non compositum: cur ergo non ita sit philosophandum in causis intrinsecis totius integralis, ut pariter deveniatur ad prima componentia, non integraliter composita? Accedit



2., quòd , si nulla est materiæ pars à Deo designabilis , quæ non constet partibus , nulla erit , quæ non constet unione partium: unio autem partium materiæ non est creata , sededucta ; nam alioquin anihilaretur à causa secundâ ( cui repugnat anihilare , sicut & creare ) passim dividente materiâ ; quod enim creatione producit , anihilatione desinit , si desinat. Non ergo poterit materia existere , quin constet unioneeductâ : materia igitur non erit creata , sed genita ; ut patet exemplo hominis , qui simpliciter generari dicitur , quamvis in eo sola unio educatur. Imò in homine minor est ratio ; quia in eo pars est , nempe anima , potens existere & conservari independenter ab educatione unionis , & ab unione ipsâ. At in materia nulla pars potest existere , nec verè concipi juxta Aristotel. , independenter ab unione suarum partium , aut particularum.

4 Nihilominus contra sententiam Zenonis multa sunt argumenta difficillima , quorum præcipua nunc indicabo. *Primum* : ex meris indivisibilibus resultare nequit extensio continua : nam , si duo se tangunt , se tangunt totaliter , ita ut nihil sit unius intactum ab alio , ne alioquin dentur in eo partes , tactæ , & intactæ. At eo ipso penetrantur in eodem loco , ut patet in manibus , quæ , si se tangerent totaliter interiorius , & exteriorius , eo ipso penetrarentur. Si autem indivisibilia penetrantur , non faciunt extensionem. Urgetur : quæro , an puncta A. & C. , tangant punctum B. intermedium penes diversas illius facies ? an penes eandem ? Si primum : ergo punctum B. diversas habet facies , sive latera ; quod non coheret cum indivisibilitate , & præterea infert , in eo puncto dari sex facies ,

cum possit circumdari sex punctis juxta totidem respectus locales , nempe situm , & deorsum , antè , & retrò , à dextris , & à sinistris ; unde punctum B. figuram habebit cubicam , erique solidum , sive corpus. Si secundam : ergo interpositio puncti B. non impedit immediatum contactum inter A. & C. : si enim duo tangunt tertium penes idem indivisibile , nequeunt non esse sibi invicem immediatissima : non ergo resultat major extensio ex tribus punctis , quàm ex duobus ; & similiter nec ex centum , quia ultimum semper erit eadem ratione immediatum primo. Adde , quòd ea sunt immediata , & contigua , quæ nullo distant intervallo : sic autem se habent puncta A. & C. ; nam sola interpositio puncti B. , utpotè dimensione carentis , non causet intervallum.

5 *Secundum* : ex hac sententiâ sequitur , motum aquilæ volantis non esse velociorem motu testudinis. Nam testudo in singulis instantibus acquirit unum saltem indivisibile spatij ; non enim potest minus acquirere : ergo in decem instantibus decem puncta spatij percurret. At aquila non plus spatij conficit eodem tempore : nam in singulis instantibus non nisi unicum spatij punctum acquirere potest , alioquin punctum extremum rostri aquilini v. g. , vel occuparet in eodem instanti duo aut plura loca sibi adæquata , vel transiret de loco ad locum distantem non transeundo per medium : aquila igitur in decem instantibus non nisi decem spatij puncta pervolat : ergo non est velocior testudine , siquidem id movetur velociter , quod in eodem tempore plus conficit spatij. Nec prodest recursus ad morulas , quasi plures habeat motus testudinis , quàm aquilæ , indeque

quæ tardior evadat , & solum acquirat in decem instantibus tria puncta spatij , si motus aquilæ acquirit octo.

6 Nam recursus iste impugnatur 1. : quia , licet stare posset in motu viventium , non ita in motu projectorum per impulsum ab extrinseco impressum : hic enim impulsus , cessante motu , perit statim , ut experientia docet : prætereaque , cum sit causa necessaria , nec majorem inveniat resistentiam in uno , quàm in alio instanti , non est cur in singulis non producat motum , quamdiu durat. Unde ferrea glans scilicet exploia non celerius movebitur , quàm lapis manu projectus. 2. : quia , cum motus aquilæ sit incomparabiliter tardior motu Solis , interruptus esset innumeris ferè morulis , quæ proinde oculis perciperentur. 3. , & validissime : pone rotam constantem duobus circulis concentricis , sive interno , & externo , quorum idem sit centrum : dum rota volvitur , exterior ejus circulus , qui major est , velocius moveatur , quàm interior , & centro vicinior , siquidem quodlibet ejus punctum eodem tempore plus conficit spatij , totum scilicet , quod responderet ipsi circulo majori : & tamen interior ac minor circulus non habet in motu plures morulas ; si enim tantisper quiesceret , dum movetur circulus exterior , radij rotæ ( quos pone ferreos , aut laxeos , & utriusque circulo affixos ) frangerentur , aut incurvantur ; quod vel oculis patet esse falsum.

7 Ex eadem figurâ rotæ sumitur tertium argumentum. Nam , stante sententiâ Zenonis , circulus interior tot constabit punctis , quot exterior : possunt enim à singulis punctis circuli exterioris duci totidem li-

neæ rectæ ad centrum usque , vel è converso à centro ad puncta singula peripheriæ : quæ lineæ sic transire debent per interiorem circulum , ut non transeant duæ per idem punctum circuli hujus , sed unaquæque per suum ; alioquin duæ lineæ rectæ , à peripheriâ usque ad centrum ductæ , haberent commune segmentum , seu in unam coirent priusquàm pervenirent ad centrum ; quod est contra demonstrationes mathematicas. Tot ergo sunt puncta in circulo minori , quot lineæ duci possunt à majori : si ergo lineæ sunt tot , quot puncta majoris , totidem constabit punctis minor , quot major , atque aded erunt æquales.

8 *Quartum* : detur triangulus isosceles , figurâ quasi pyramidalis , cujus basis constet sex punctis , latera verò , in cuspidem coeuntia , sint duplo majora , hoc est , duodecim punctorum singula. Sequitur , lineam basis æqualem esse lineis lateralibus , contra suppositionem. *Prob.* : à cuspidè ad basim hujus figuræ duci possunt tot lineæ transversæ inæquales ; quot sunt puncta uniuscujusque lateralis , excepto ultimo , quod pro cuspidè est : ergo duci possunt decem , vel undecim , si numeres etiam basim. Tum sic : prima linea transversa , cuspidi proxima , constat , ut minimum duobus punctis , secunda tribus , tertia quatuor , & sic deinceps usque ad basim , quæ proinde invenietur constare duodecim punctis , quibus evadet æqualis cuivis è lineis lateralibus. Vel , si tantum constat sex punctis juxta suppositionem , sexta linea transversa , & à fortiori quælibet è sequentibus , excedet lineam basiss : cum tamen omnes supponantur basi minores , & spatium angustius occupantes.



9 *Quintum* : linea diagonalis quadrati ( quæ scilicet ab uno quadrati angulo ad oppositum ducitur ), est lateri incommensurabilis, ad eodè ut nunquam inveniri possit mensura communis utriusque lineæ, diagonali, & laterali, ut demonstrat Euclides. At, si lineæ constant solis punctis, utriusque lineæ mensura communis erit punctum, cum sit utriusque pars aliquota. Præterea sequitur ( quod est planè fallum ), diagonalem non esse, latere longiorem. Si enim ab uno quadrati latere ad oppositum ducantur totidem lineæ perpendicularares, quot sunt puncta cujusque lateris, hisce lineis tota occupabitur & cooperietur linea diagonalis, nec tamen à singulis tangetur nisi in punctis singulis: non ergo in diagonali plura sunt puncta, quàm quæ respondent lineis perpendicularibus, ac proinde non plura, quàm in quadrati latere. Mitto alia, passim apud alios videnda, quæ ex iisdem Mathematicæ fontibus derivantur.

## CAP. III.

**DIFFICULTATUM CONTRA ZENONIS SENTENTIAM. OBJECTARUM ALIQUALIS SOLUTIO.**

Argumenta, utroque superiori Capite proponita, soluta difficulta esse nemo negat. Sed tamen, quæ contra sententiam Aristotel. militiant, solvuntur, ut mihi quidem videtur, difficultius multò, vel obscurius. Quæ verò Zenonem impugnant, ægre quidem, sed clarius erodantur, ut jam ostendo. Ad primum (ut omittam responsionem eorum, qui tribuunt atomis extensionem, figuramque, ne longiori, quo indiget, examine detineatur) negatur assumptam. Sicut enim due

rationales animæ, vel duo Angeli, tamen si entitative indivisibiles, & indivisibiliter locati, possunt esse in locis immediatis, sed tamen distinctis, atque ad eodè possunt se tangere sine penetratione (simo *contactum analogicè*; nam propriè non dicitur *contactus*, nisi localis immediatio rerum corporearum): ita in duobus materiæ punctis accidere potest. Quare conceditur *contactus* totalis, prout exponitur in argumento; negatur tamen penetratio; quia hæc requirit idèntitatem loci. Nec valet exemplum manuum: hæc quippe sunt divisibiles quoad profundum, idèò que nequeunt se tangere quoad partes internas, nisi partes istæ cum externis penetrentur: quæ ratio in indivisibilibus non urget.

2. Dùm queritur, an puncta A. & C. tangant intermedium B. penes diversas istius facies? In primis idem de Angelis immediate locatis queri potest. Ac deinde punctum nullas habet facies intrinsecas, cum figura sit ex se in semetipso: habet tamen quasi facies extrinsecas, quatenus habet circumquaque diversa loca realia, vel imaginaria, per quæ respicit diversas Mundi plagas, ita ut per unum locum respiciat orientem, per alium occidentem, &c.: & secundùm diversas istiusmodi facies (quæ possunt considerari sex, vel plures, prout fuerint comparationes ad varias Mundi partes) tangitur punctum B. ab A. & C., licet ab utroque tangatur secundum eandem sui entitatem intrinsecam. Sufficit autem extrinseca facierum diversitas, ut interpositio puncti B. impedias *contactum*, & *immediationem* inter A. & C., majoremque cum ijs constituat extensionem. Nec facile probabitur immediatio, seu continguitas inter duo,

duo, cum verè intercedat locus aliquis, et necesse indivisibilis, quique non immeritò vocari potest intervalum, quàmvis non habeat tractum extensionis. At quomodò, inquis, ex non extensis resultat extensio? Eo, inquam, modo, quo resultat numerus ex non numeris, nempe ex unitatibus, vel quo resultat aceruus ex non aceruis, leuca ex non leucis, hora ex non horis, &c. passim quippe accidit, ut nomen totius non coaveniat partibus singulatis. *Insister*: indivisibilitas est propria entium spiritualium. *Dispar* indivisibilitas, tã formalis, quàm radicalis, aut primordialis, *conco.* præcisè formalis, *subdispar*: si sit penetrabilis cum alia re simili, *conco.*; si penetrationem excludat, *neg.* Ut punctum corporeum differat à re spirituali, sufficit, quòd laepe naturã sit radix, aut primordium rei divisibilis, & quòd sit impenetrabile cum alio ejusdem generis; quo tamen non prohibetur punctum materiæ penetrari cum puncto formæ, & puncto quantitatis, aut qualitatis. Si adhuc obijcias vetitum illud, *Indivisibile additum indivisibili non facit majus*; dicam, id esse verum dumtaxat de majoritate sensibili, seu quoad nos.

3. Ad secundum varix afferuntur solutiones. Alij puncta mobilis velocioris instant: alij saltare faciunt ad puncta loci distantia, non pertransitis medijs: alij partim saltare, partim intumescere, seu replicari cogunt. Sed ea videntur expeditior via, quæ recurrit ad morulas; eò enim mobile vocatur morosus, quò tardius movetur. Nec obstant impugnationes objectæ. Non enim: quia etiam impulsus ab extrinseco impressis morulas habet insensibiles, quibus cessat à motu, & quæ sunt ei connaturales, ac proportionatæ; idèò que non il-

lum statim petire faciunt, sicuti taciè mora sensibilis, quia violenta est. Sic juxta plures natura abhorret vacuum sensibile, non tamen insensibile, quod *diffeminatum* vocant. Nec refert, quòd impulsus sic causa necessaria: hæc enim est generalis conditio causæ necessariæ successive operantis (saltem dum non attingit summum vitium, aut intentionis naturaliter possibilis), crebris morulis veluti respirare, ut coactum resumat: quemadmodum naturalium agentium conditio est non agere in distans sine operatione per medium, vel non debellare contrarium nisi paulatim, & cum aliqua successione temporis, vel etiam in multis non operari nisi per lineam rectam.

4. Non enim: quia morula permixta motui non facilè percipiuntur, eò quòd metas sit magis visibilis, vel ex crebrâ variatione specierum, quæ visus percipit, vel saltem ex comparatione terminorum, à quo, & ad quem; morula autem, ad motum se habeat quasi privationes. Hæc ratio, dum seriem motuum aspiciamus longè positam, quasi continua, vel contigua putamus cacumina, quia non percipimus intervalla, quàmvis plura sint, & forte motibus longiora. *Dicitur* motus pilæ è bombardâ explosæ comparatur ad motum stellarum fixarum fere cum proportione unius ad centum millia: ergo, si hora dividatur in centum millia partium, in unâ tantum ex ijs movebitur pila; in reliquis quiescet. Quomodò ergo non percipitur quies? vel quomodò pila tendit recta ad scopum, cum debeat in quiete descendere vi naturæ gravitatis? *Respon.* admittã eam proportionem, tota ista quies, cum non sit continua, sed intertexta particulis motus, minoribus



bus quidem in duratione, sed tamen plurimis, & innumerabilibus quoad nos, & aliunde sensum magis percipientibus, & quasi ad se rapientibus; hinc provenit, quod sensu percipi non possit.

5 Memineris, in quovis minuto, imò in quovis secundo, dari millones plurimos instantium indivisibilium: unde centum millia instantium non efficiunt tempus sensibile, nisi juvetur objecti sensibilitate vehementi, & crebro repetita. Memiseris etiam, in mixtione liquorum sæpe contingere, ut exigua unius quantitas ita se solam oculis prodatur, ut alterius majorem obruat, & visu percipi non sinat. Sic attramenti modica portio quantitatem aquæ multò majorem adeò nigrescere facit, ut nihil ibi nisi attramentum percipiamus. Sic, ut Boyleus docet *tract. de effluvijs*, unum cupri granum si spiritu salis ammoniaci dissolvatur, fiet liquor cæruleus: hic, si affundatur aquæ, præsertim distillatæ, cæruleo colore tinget sensibiliber aquæ copiam, quæ plus ducentiè mille partes habeant mole æquales uni cupri grano. Si ergo in mixtione permanente hoc accidit, cur non etiam simile quid contingat in mixtione successivâ motus cum morulis? Quod autem pila explosa non descendat in morulis, ex eo provenit, quod morula, dum connaturales sunt, non remittunt intentionem impulsus, nec ejus vim motivam debilitant, sed potius juvant per modum conditionis ad prosequendum motum: quare non sinunt gravitatem interim prævalere.

6 Itaque summa motus velocitas, naturaliter possibilis, ea est, quæ singula puncta mobilis sine interruptione acquirunt in unoquoque

instanti novum punctum loci; non enim possunt acquirere plura sine relocatione, aut saltu naturaliter impossibili (potest tamen hoc divinitus contingere, ideòque potest velocitas miraculosè crescere sine fine), ut bene probat argumentum. Quare quicumque motus velocitatem istam non attingit, necesse est, ut moretur per aliquod, vel aliqua instantia, & eò plura, quò magis à summa velocitate deficit, seu quò tardior est. Necesse est etiam, ut motus, qui non est summè velox, non sit continuus, nisi sensibiliber, seu quoad sensum, non percipientem morulas, quibus interruptitur.

7 Non denique 3.: quia difficultatem objicit ferè insolubilem in quacumque sententiâ: quare non magis impugnat morulas, quàm alios dicendi modos hucusque excogitatos. Minor tamen difficultas fore videtur, si, dum rota illa volvitur, morulas admittas in minori circulo, plures, quàm in majori: quibus ex morulis resultare dicas inflexiones, aut undulationes insensibiles in radijs rotæ, quæ parte excedunt circumulum minorem; insensibiles, inquam, ex parvitate cujusque morulæ, & brevissimo reditu ad lineam rectam; & eò minus sensibiles, quò major fuerit inter utrumque circumulum distantia: tunc enim distribuetur inflexio, vel undulatio per plures partes cujusque radij, fietque proinde minus observabilis. Nec obstat, quòd radij sint ferrei, vel faxei: nullum enim est corpus adeò durum, ut non possit insensibiliber flecti, seu comprimì, tantisperque mutare figuram, etiam sine magno impetu, vel ictu: quod satis patet ex vi elasticâ, quæ corpus durum, dum impingit in aliud, resilire cogitur (ut cum globus chaly-

beus

beus in incudem decidit), quia scilicet utriusque partes, aliquatenus pressæ, se se statim restitunt in figuram debitam, atque ita reflexionem causant corporis impacti. De hoc durorum corporum elaterio, quod inter modernos Physicos receptissimum est, videri potest Auctor Philosoph. Burgund. tom. 4. tract. 2. dissert. 2. cap. 5. Si ergo percussio, vel impactio flectit insensibiliber corpora durissima, nec tamen disrumpit, aut discoatinuat, quidni motus simile quid præstet, quando nequit fieri æquabiliter secundum partes omnes? Nec dicas, in corpore continuo non posse unam partem flecti sine aliâ, quin ab eâ dividatur: nam contrarium passim cernimus in ramis arborum, dum immoto trunco moventur.

8 Si tamen inflexiones hujusmodi non placeant, dicatur, quodlibet punctum interni circuli respondere per lineam rectam, non uni tantum puncto spatij circuli externi, sed multis, & eò pluribus, quò major est circulus exterior, ut colligi poterit ex dicendis num. sequ.: quia, si lineæ rectæ ducantur à singulis punctis circuli exterioris ad centrum, necesse est, ut earum plures coeant, & identificentur, cum perveniunt, vel priusquam perveniant ad circumulum minorem. Quo fit, ut rotæ radius, quæ parte attingit circumulum majorem, possit, morante circulo minore, moveri ad nova puncta spatij (alæ scilicet, à quibus duci possunt lineæ coeunt), servando lineam rectam, ac proinde nullam inflexionem patiendo.

9 Ad tertium negatur sequela, sicut & possibilitas tot linearum à puncto centrico ad circumferentiam, vel e contrâ, si sermo sit de punctis

physicis, ac de lineis inter se adæquate distinctis. Nam, cum lineæ, sic distinctæ, quò longius à centro protrahuntur, eò magis inter se invicem recedant, necesse est, ut, cum perveniunt ad circumferentiam, inter se distent per intervalla capacia plurimum punctorum, etiam apud Aristotelicos. Quodsi lineas consideres à circumferentiâ incipientes versus centrum, cum illæ pro ratione accessus ad centrum debeant inter se invicem accedere, non poterunt à duobus punctis immediatis, aut valde propinquis incipere, quin citò coeant, seu identificentur, communeque proinde segmentum habeant.

10 Aliud erit, si sermo sit de punctis mathematicis. Solent enim Mathematici considerare puncta imaginabilia, seu prout imaginationi subsunt (ideò Mathematica dicitur abstrahere à quantitate sensibili, non ab imaginabili); quo modo puncta concipiuntur cum aliquâ mole, tametsi valde exigua, & insensibilis; quæ nihil omnino expers molis, aut indivisibile quæ tale, sub imaginationem cadit. Punctum ergo, sic acceptum, physice, idest, reipsâ, & coram Deo, divisibile est in plurima puncta Zenonica: sed quia Mathematici sæpissimè præsciunt à divisibilitate illâ, ideò punctum illud dicitur mathematicè indivisibile, scilicet prout tali præcisioni subsistat. Quod adeò verum est, ut interdum Astronomi sumant totum Terræ globum tamquam punctum mathematicum, quod est Mundi centrum, eò quòd Terræ magnitudo, cum Firmamento comparata, vix molem habeat. Et generatim, dum Geometræ circumulum describunt, punctum centricum vocant, quod respondet cuspidi circini; quæ tamen cuspis, quantumlibet acuta, multis

tis



tis conſtat millibus punctorum phyſicè inſectibilem. Dum igitur de punctis mathematicis hujus generis ſermo eſt, fateor, duci poſſe ab omnibus peripheriæ punctis ad centrum uſque, totidem lineas non communicantes: quia, licet plures tranſire debeant per idem punctum interioris circuli, cum tamen punctum illud reipſa ſit quædam moles, plurimis facta punctis phyſicis, poterit plurimis lineis dare tranſitum per puncta phyſica omninò diſtincta.

11 Porro, cum Mathematici alias demonſtrare ſe dicunt, quantitatem eſſe in infinitum diſiſibilem, intelligendi quoque ſunt de quantitate prout imaginabili, ſeu de progreſſu imaginationis in quantitate inveniendâ: quatenus videlicet nunquam poteſt imaginatio concipere moleculam tam exiguam, ut non liceat minorem aliam imaginari: quin imò, ſi velint moleculam ſemel conceptam conſiderare, non ut punctum præciſivè inſectibile, ſed ut quoddam ſolidum, aut corpusculum (quod ipſis eſt ad libitum), poſſunt illam imaginatione dividere in duas medietates, & has rurſus in alias medietates proportionales, & ſic deinceps. An verò ita phyſicè contingere poſſit, Mathematici non curant: quia non agunt de quantitate ut phyſicè poſſibili, vel exiſtente, ſed ut objectâ imaginationi. Nec propterea fingere putandi ſunt (quàmvis hoc aliqui concedant); quia diſiſibilitatem iſtiusmodi non attribuant quantitati abſolutè, ſed tantum ex hypotheſi quòd talis eſſet, qualem imaginantur ipſi. Quàm parum juvent pleraque argumenta mathematica ad phyſicam & realem continuam compositionem indagandam, ostendunt PP. Iſquierd. & Peynad.; necnon Maignan tom. 2. Philoſ. cap. 7.3

præcipuè verò Author Philoſophi. Burgund. tom. 4. tr. 2. diſſert. 1. cap. 3., ubi ex P. de Chales quædam obſervat ijs, quæ nuper diximus, valde congruentia; benèque monet, ex demòſtrationibus mathematicis utriusque ſequi, & quòd linea conſect ſolis punctis, cum circulus nonniſi in puncto rectam lineam tangat, & quòd conſect partibus in Infinitum ſectilibus, cum quædam lineæ ſint incommeſurabiles.

12 Ad quartum negari poterit hypotheſis, quòd ſcilicet dari poſſit pyramis, aut triangulum iſoſceles, cujus latera multum excedant baſim, ſi quoad nullam ſui partem parallela ſint, ſed continuè invicem accedant magis ac magis à baſi uſque ad culpidem: brevè enim coibunt, ac deſinent in angulum. Si autem penes partes aliquas parallela ſint, ſeu æquidistantia, jam lineæ tranſverſæ in illo tractu non erunt inæquales. Adde, quòd latera ratione poſitionis inclinata, ac devexa, non admittunt tot lineas tranſverſales, quot ſunt puncta in unoquoque, cum debeant lineæ ſingulæ tangere ſaltem duo puncta cuiusque lateris, utrumque tranſverſim delibando.

13 Ad quintum: incommeſurabilitas lineæ diagonalis cum latere quadrati non demonſtratur niſi ex hypotheſi diſiſibilitatis imaginariæ, de quâ num. 10.. Si tamen utraque linea phyſicè & abſolutè conſideretur, prout eſt, aut eſſe poteſt à parte rei, punctum erit utriusque meſura communis. Nec opus eſt concedere, diagonalem non tangi à perpendicularibus, niſi in punctis ſingulis: nam ratione poſitionis, quâ lenſim declinat ab uno latere, & inclinatur ad aliud, neceſſariò tangitur pluiquam in uno puncto à lineâ quavis perpendiculari.

ri, ut nuper dicebamus de lineis tranſverſim ductis inter latera iſoſceles. Quare poterit tota cooperiri ſine abſurditate prætenſâ.

14 Notandum hic, quod in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. inter propoſitiones Uviclephi legitur ſententia Zenonis cum hac cenſurâ, eſt error in philoſophia. Sed in primis lectio iſta non ex textu authentico, ſed ex viciato codice cujuſdam privati ſumitur. Deinde cenſura illa non eſt Concilij, ſed coram Concilio lecta, & ab ipſo Uviclepho prolata, quæ proinde à Concilio potiùs improbata cenſeri debet. Vide P. Oviedo caſtrov. 11. Phyſic. punct. ult., & P. Ulloa diſp. cit. n. 83..

## CAP. IV.

## QUID MAGIS TENENDUM

videatur?

**S**olutiones hucusque datæ difficultate non carent. Sed non alias faciliores dabunt Ariſtotelici, quibus incumbit eadem argumenta ſolvere, contra ipſorum ſententiam pariter militanzia, ut patebit applicando ſingula cap. 2. objecta. Primum, quia in punctis copulatis, & terminantibus, quæ plerumque admittunt Ariſtotelici, par eſt difficultas. Quæro enim, an punctum huiusmodi tangatur à partibus ſecundum ſe totum? ſi neges: ergo partes habet, tactam, & intactam. Si aſſeras: ergo partes cum puncto penetrantur. Certè, cum duo corpora contigua ſunt, puncta terminantia utriusque tangunt ſe ſe. Vel ergo totaliter ſe tangunt, vel non? Et quidquid dixeris, urget argumentum. Quin etiam, ſecluſis punctis, partes extremæ duorum corporum contiguorum ſunt eò diſiſibiliter profundæ, quatenus ſe tan-

guant? Si non ſunt, indiſiſibiles erunt, quod tu negas; & præterea in illis dabitur eadem, quæ in punctis, difficultas. Si ſunt: ergo, quatenus tanguntur, habent prius & poſterius ſecundum locum: ergo contactus extenditur ad poſterius, & remotius à corpore tangente; quod fieri nequit, quia corpus tangens penetratur cum extremitate priore, ac viciniore.

2 Secundum: quia ſignatis duobus punctis terminantibus, altero in aquilâ, altero in teſtudine, quaeritur, an utrumque in ſingulis inſtantibus adquirat novum punctum loci? Si concedas: utriusque movetur velocitate pari; cum quæ ratio ſit eadem in exteris punctis (quæ certè ſecura deferunt partes omnes utriusque corporis), non erit motus aquilæ velocior, quàm teſtudinis. Si neges: ergo alterum per aliquot inſtantia quieſcit, addeque morales habet inſtantias, nec jam eſt motus phyſicè continuus. Si dicas, nec puncta loci, nec inſtantia temporis eſſe immediata, ſed intermixta partibus, aliam difficultatem incurres. Nam unum puncto mobilis nunquam reſpondeet in loco pars diſiſibilis, ſed temper punctum loci: ſi ergo puncta loci diſtant inter ſe, punctum mobilis tatabit ab uno ad aliud, non pertranſcât parte intermediâ: qui ſaltem ſi ſemel admittantur, per eos facile ſe expedient Zenoniſtæ. Præterea omnes Ariſtotelici admittunt in tempore inſtantia indiſiſibilia, licet non immediate. Quæro igitur, an aquila, vel teſtudo, moveatur in inſtanti A? Si non moveatur, quieſcit; & ecce tot morulas, quot inſtantia. Si moveatur, non adquirat niſi punctum loci (nam pars diſiſibilis, cum requirat ſucceſſivam motus, non acquiritur in inſtanti): jam ergo punctum illud auget extenſionem loci, aliâ non daret locum movi-



Difficultas de motu rotæ non minùs premit Aristotelicos. Signetur in utroque circulo pars determinata, v. g. digitus unus A. in circulo interiori, & digitus alter A in exteriori, ita ut alter alteri correspondeat per lineam rectam. Sit deinde radius ferræus, à centro rotæ ad circumferentiam pertingens, qui utrumque digitum occupet, & utrique firmiter affigatur. Tum sic: dum rota citissime circumagitur, totus digitus A exterior velociùs moveatur, quàm totus digitus A interior, siquidem plus spatij conficit eodem tempore, totum scilicet spatium circuli exterioris: ergo vel radius frangeret, vel tantumdem inflecteret, quæcum in motu superaret interiorem digitum: quemadmodum si duo boves sub eodem iugo inæqualiter moveantur, jugum dirumpent, vel inflectent.

4. *Tertium*: quia supponit in utroque circulo dari puncta saltem copulantiâ. Hæc autem puncta, si quid probat objecto, debent juxta Aristotelicos esse totidem in circulo minori, quot in majori, cum lineæ singulæ transire debeant per singula puncta minoris. Nec dicas, aliquot lineas non transire per puncta, sed per partes proportionales minoris circuli. Contra enim est, quod ibi potest dividi minor circulus, ubi tangitur ab unaquaque lineâ: ubicumque autem dividit potest, ibi punctum habet univ. cum juxta Aristotelicos totidem sint puncta copulantiâ, quot divisiones sunt possibili. Aliunde, quod si nequeant esse puncta totidem in minori, quot in majori circulo, etiâ si ponantur infinita in utroque, manifestum est, præsertim si minor circulus concipiatur solo palmo distans à centro, major verò statuatur æqualis circumfe-

rentiæ Coeli. Si enim ex majori sumatur pars tota minore adæquans, in eâ proculdubio totidem erunt puncta copulantiâ, quot sunt in toto minori: ergo innumera alia, quæ supersunt in reliquis partibus majoris, efficiunt multitudinem punctorum multò majorem saltem materialiter; quod sufficit ut non possint ipsi respõdere totidem alia in circulo minori. Sic, juxta defensores Infiniti categorem, si produncantur infiniti homines criniti, non erunt tot homines, quot capilli, quàmvis utriusque sint infiniti.

5. *Quartum*: quia idem absurdum sequitur in partibus determinatis. Sit linea basis sex digitorum longitudinis, latera verò duodecim digitorum singula. Ducantur deinde à latere ad latus lineæ transversæ, uno inter se digito distantes. Sequitur, lineam basi proximam undecim digitis consistere, atque eadẽ basim vel consistere duodecim contra suppositionem, vel esse minorem interiori lineâ transversali. Patet sequela: quia latera eò magis à se invicem recedunt, quò longius extenduntur à cuspide ad basim: cum ergo extensio ista sit duodecim digitorum, efficiet tandem in loco basis recessum, sive distantiam digitorum pariter duodecim; è quibus ultimo sublato, supererit distantia digitorum undecim, quam occupabit linea transversalis basi proxima. Si propterea neges, latera eò inter se magis distare, quò magis extenduntur, sequitur, ea quoad partes aliquas esse parallela, seu æquidistantia, & quatenus talia sunt, non admittere lineas transversas inæquales: quo dato, nequaquam arguetur Zenonistæ.

6. *Quintum*: quia pariter aptari potest partibus determinatis. Fac sin-

gula quadrati latera sex digitorum longitudinis. Fac deinde sex attramenti ductus, ab uno latere ad oppositam pertingentes, quorum singuli sint unius digiti latitudinis, eosque pòte contiguos, & perpendiculares à latere ad latus quadrati. Ductus isti cooperient, non solum utrumque latus quadrati, sed etiam totam lineam diagonalem, ut vel oculis cerni potest. Hinc autem fit, totam longitudinem lineæ diagonalis absolvi sex digitis, sicut latus ipsum: unde non erit latere longior, nec eidem incommensurabilis; quia digitus erit utriusque mensura communis.

7. Ex dictis constat, nihil ferè contra sententiam Zenonis objici, quod non pariter urgeat Aristotelicam: non tamen è converso sententiam Zenonis urgeri difficultatibus, quæ plurimæ, & intricatissimæ pululant ex infinitudine partium proportionalium. Præterea constat apud omnes, Zenonis sententiam multò clariorem esse, & intellectu facilio-

rem; insuperque multò expeditiorem ad alias difficultates enodandas, cum in Philosophia, tum in Theologia occurrentes, v. g. ad explicandam inceptionem, ac definitionem rerum, & continuum successivum, seu tempus, non solis consistet indivisibilibus. Ad difficultatibus hujuscemodi non sine multæ caliginis ope se expediunt Aristotelici, si juxta suam de continuo sententiam loqui velint: ideoque, dum ex hac parte non urgentur, passim loquantur, de tempore præsertim, quasi Zenonis sententiam supponentes. Quæ cum ita sint, recta ratio dictare videtur, ut ea sententia præferatur, quæ pauciores pariter difficultates, & al unde claritate præstat, estque ad philosophandum alijs in rebus expeditior: præferatur, inquam, timide, ac dubitanter, tum propter magnam contrariæ sententiæ auctoritatem, tum quia versatur in re abstrusissima, ubi nemo est, qui non sui tenuitatem iugeam palam tæreatur.

*Atque hic jam sistere par est secundam partem Cursus Philosophici: cujus finis optimus erit, si tota demùm ad majorem Dei gloriam, ad honoremque plurimum intemerata Virginitatis Deiparæ sine labe conceptæ, S. Protoparentis Ignatij, & una omnium Cælestis aula Principum referatur.*

*Totam votis omnibus sic refero.*

FINIS.



# INDEX TITULORUM,

## QUIBUS DISTINGUITUR HOC OPUS.

### PROEMIUM.

DISPUT. II. De Quiddit. & Existentiã Materiæ primæ.

TRACTATUS I. p.1.  
De Principijs intrinsicis Corporis naturalis. pag.4.

Cap. 1. *An sit Materia prima?* 44.

Cap. 2. *Definitio, & proprietates Materiæ primæ.* 49.

*In quo stet ratio subiecti, &c.* 50.

DISP. I. Quot, & quænam sint prima principia, &c. 4.

Cap. 1. *Aristotel. primorum principior. definitio.* ibi.

Cap. 2. *Prima principia intrinsic. corporis natural. in facto esse.* 8.

Cap. 3. *Prima principia intrinsic. Corporis in fieri.* 12.

Cap. 4. *Diluuntur Objectiones.* 17.

*Contra privationem speciatim.* 18.

*Nibil obstant rationes seminales à S. Augustino assertæ.* 23.

Cap. 5. *De corpore in fieri per simplic. generation.* 25.

Cap. 6. *Expenduntur variae sententiæ &c.* 27.

Cap. 7. *Authores alij nobis advers. impugnantur.* 33.

Cap. 8. *Quam sit valida probatio &c.* 36.

*Alia responsio confutatur.* 43.

*An potentia immediate receptiva formæ distinguatur, &c.* 56.

*An ead. potentia sit de quiddit. metaphysica &c.* 58.

*Quædam alia attributa &c.* 60.

*An, & quatenus Materia prima sit cognoscibilis?* 62.

Cap. 3. *Utrum Materia prima propr. existentiã habeat.* 63.

§. 1. *Prænotanda quædam.* 64.

§. 2. *Probatur existentia Mater. &c.* 66.

§. 3. *Probationes aliæ.* 73.

Cap. 4. *Argumenta contraria.* 75.

*Explicatur mens D. Thom.* 83.

Cap. 5. *Perficitur argumentorum solutio.* 87.

*Argumentum ex distinctione permissa inter essent. & exist.* 94.





<i>Deciditur quaestiuacula duplex.</i>	96.	<i>ria.</i>	130.
<b>DISP. III. Reliqua de Materia prima.</b>		<i>Cap. 5. Qua actione conseruaretur Mater sine forma?</i>	135.
<i>Cap. 1. De Appetitu Mater. &amp;c.</i>	97.	<i>Solvuntur Objectiones.</i>	138.
<i>Materia efficaciter appetit formas uagè.</i>	99.	<i>Cap. 6. De unitate, ac distinct. Mater.</i>	144.
<i>Materia equaliter appetit, &amp;c.</i>	102.	<b>DISPUT. IV. De Forma substantiali.</b>	151.
<i>Appetitus Mater. &amp;c. est desiderij.</i>	105.	<i>Cap. 1. Probatur Forma subst. Peripat.</i>	152.
<i>Habet etiam Mater. gaudium innatum.</i>	106.	<i>Cap. 2. Prima obiectio ab auctoritate solv. &amp; retorq.</i>	157.
<i>Nullus in Mater. appetitus amor. stricti.</i>	107.	<i>Cap. 3. Objectiones alia.</i>	162.
<i>Illationes ex dictis.</i>	108.	<i>Cap. 4. Solv. ult. obiectio, &amp; explicatur educatio Form.</i>	170.
<i>Cap. 2. Utr. Materia appetat formas corrupt.?</i>	109.	<i>Quenam Forma educatur.</i>	177.
<i>Argumenta contraria.</i>	113.	<i>Cap. 5. Definitur Forma subst. tant.: Ubi, an sit tota quidditas corpor.?</i>	178.
<i>Cap. 3. Utr. Mater. possit naturaliter privari omni forma?</i>	117.	<b>DISPUT. V. De multiplici- tate Formar. in ead. Mater.</b>	
<i>Contraria argum. solv.</i>	120.	<i>Cap. 1. Dentur nè Forma sub- ordin.?</i>	186.
<i>Cap. 4. Utr. Mater. possit diuinitus conseru. sine forma?</i>	123.	<i>Argumenta pro forma corporeitatis proposita, &amp; soluta.</i>	188.
<i>§. 1. Prima probatio ex non ostens. repugnantia. Ubi, an probatio istiusmodi sit efficax?</i>	124.	<i>Cap. 2. Argumenta contra form. corporeitatis.</i>	205.
<i>§. 2. Probationes alia.</i>	128.	<i>Cap. 3. Quadam alia sententia.</i>	209.
<i>§. 3. Solv. argum. contra-</i>		<i>Cap.</i>	

<i>Cap. 4. Utr. plures Formae non subord. congiungi poss. in ead. Mater.?</i>	217.
<i>Non possunt naturaliter, ibi.</i>	
<i>Possunt diuinitus.</i>	218.
<i>Non obstant argum. contr.</i>	220.
<i>Corollarium de potentia form. ad plur. materias informand.</i>	229.

**DISPUT. VI. De Unione mater. & form. in Composito.**

<i>Cap. 1. Utr. Unio realiter distinguat. à mater. &amp; forma?</i>	232.
<i>Unio realiter distinguitur, &amp;c.</i>	233.
<i>Unio consistit in Modo, &amp;c.</i>	237.
<i>Cap. 2. Solv. objectiones.</i>	239.
<i>Cap. 3. Utrum educatio form. material. sit ejusdem unio.</i>	246.
<i>Cap. 4. Contrar. argum. tis occurr.</i>	251.
<i>Cap. 5. Duplex alia quaestio, &amp;c.</i>	257.

**DISPUT. VII. De distinct. totius substantial. à partib.**

<i>Cap. 1. Totum non distingu. realiter à partib. &amp;c.</i>	264.
---------------------------------------------------------------	------

<i>Cap. 2. Diluuntur argum. contrar.</i>	270.
<i>Cap. 3. Quorumd. peculiar. sententia rejiciuntur.</i>	279.
<i>Cap. 4. De supposito remissi- uè.</i>	283.

**TRACTATUS II.**

**De Causis, seu Principijs extrinsecis rerum naturalium.**

**DISPUT. I. De Natura, & Arte.**

<i>Cap. 1. Quid sit Natura?</i>	289.
<i>Cap. 2. De motu natur. &amp; uolento.</i>	293.
<i>Possitne Deus uolentiam inferre creaturis?</i>	294.
<i>Illationes.</i>	303.
<i>Cap. 3. Definitur Ars, &amp;c.</i>	303.
<i>In quo consistat forma artificial.?</i>	305.

**DISPUT. II. Causa quid? & quotuplex?**

<i>Cap. 1. Definitur causa, &amp;c.</i>	308.
<i>Discrimen causa à pura conditione.</i>	310.
<i>Causa diuisiones uariae.</i>	311.
<i>Causa per se, &amp; per accidens.</i>	







Objectiones soluta.	529.
Cap. 3. De simult. concursu Dei ad actus liber. creat. presertim peccaminos.	535.
Rejicitur doctrin. Thomist. ibi.	
Prenotatur quaedam &c.	541.
Doctrina Scholę nostrę.	557.
Cap. 4. Oppositę difficulta- tes, &c.	569.
Contra prim. Assert.	ibi.
Contra secund. Assert.	568.
Quaedam alię proposit. ex- plic.	580.
Cap. 5. Vtr. detur concursus Dei prev. physicę prede- terminans, &c.?	582.
Rejicitur physica predetermi- natio, &c.	583.
Responsiones advers. confu- tantur.	589.
Cap. 6. Solvuntur argumen- ta, &c.	595.
D. Thomas physicę predeter- minationi non favet.	601.
Qualiter Deus determinet quoad individ.	607.
Auctoritas D. Thomę contra physicę predetermin.	608.

### TRACTATUS III.

In sex reliquos Physi-  
corum Li-  
bros.

DISP. I. De motu, Actione, & Passione.	
Cap. 1. De motu.	612.
Cap. 2. De Actione, & Pas- sione.	616.
Actio, & passio non distingu- real. &c.	617.
Actioeduct. non recipitur in agente, &c.	618.
Argumenta contrar.	619.
Tres alię quęst.	622.
Cap. 3. De Creatione.	626.
De termino creabili.	632.
DISP. II. De Loco, & Tempore.	
Cap. 1. De Loco reali, & ima- gin. &c.	635.
Dubia quedam.	639.
De Vacuo.	643.
Cap. 2. Vtrum sit possibilis ejusdem corporis biloca- tio?	645.
Objectiones propositę, & so- luta.	647.
Alia argum. præcidunt.	654.
Cap. 3. Quid sit tempus?	657.
Cap. 4. Vtrum duratio creata distinguat ab existentia rei, & tempore labenti?	660.
Fundamentum primę senten- tię.	663.
Cap. 5. Vtrum creatura po- tue-	

tuerit esse ab eterno?	668.	DISP. IV. De Compositione Continui.	683.
DISP. III. De Infinito.		Cap. 1. Aristotelis sent. pro- ponitur, & quam sit diffici- lis, ostenditur.	685.
Cap. 1. Quid sit infinitum? Vbi an repugnet Creat. per- fectiss?	671.	Cap. 2. Proponitur sent. Ze- nonis, & ejus difficultas exponitur.	689.
Cap. 2. Vtr. repugnet infin. in actu?	675.	Cap. 3. Difficult. contra Ze- nonis sent. objectarum ali- qualis solutio.	692.
Cap. 3. Argum. contr. sent. dissolvuntur.	679.	Cap. 4. Quid magis tenen- dum? &c.	697.





